

452 Sacra Chronologica dissert. 21.  
sed alterius valde antiquioris: videsis Corneliū, ac Titrinum, in cap. 7. Actōrum.  
7 Sed dices iterum: quomodo verum esse potest quod ait Divus Stephanus in eodem cap. ¶. 15. & ¶. 16. Jacob, & patres nostri translati sunt in Sichem, & positi in sepulchro Abrahā, hoc enim erat in Hebron Genes. cap. 25. ¶. 9. & cap. 50. ¶. 13. non in Sichem. Nec Jacob ex Aegypto translatus est in Sichem, sed in Hebron, Genes. cap. 50. ¶. 13.

8 Respondetur, Jacob cum Isaac, & Abraham, sepultum esse in Hebron, Jacobi vero filios, duodecim scilicet Patriarches, in Sichem: est Synecdoche, inquit P. Cornelius, partialiter enim hæc explicanda sunt, quia S. Stephanus concisè loquitur, & paucis multa perstringit. Cum ergo ait patres nostri, intelligit, non tantum Jacobi filios, sed & parentes, scilicet Abraham, & Isaac, quos nominavit ¶. 8. ubi Genealogiam eorum descriptit, non mortem, nec sepulturam. Utramque ergo hic generatim consignat, dicens, eos defunctorum & postea in sepulchro, quod emit Abraham, puta iuxta Hebron.

9 Secundò respondeo, quod duodecima Jacobi filij primò translati sunt in Sichem, deinde in Hebron, uti differē docet. Josephus lib. 2. Antiq. cap. 4. ubi assert̄ omn̄es, exceptio

453 Argumenta quae ministrantur, &c. Sec. 10. 459  
Tunc vocatur. Toc patente. Virg. Ennida. 6.

Et lib. 1. .  
Tros Anchifāde, facilius desensus Adversari.  
Tros Anchifāde, facilius desensus Adversari.

Tros Anchifāde, facilius desensus Adversari.  
Tros Anchifāde, facilius desensus Adversari.  
Tros Anchifāde, facilius desensus Adversari.

Jo-

454 Sacra Chronologica dissert. 21.  
455  
in quod diluuntur, in Sect. 3. num. 4. adiecta  
tum fecondata, propria in Sect. 3. num. 2. omi-  
tare. Ex aliis praetibias contradicuntur quod Cainan in Sichem. cap. 10. & 11. invenitur: tunc in Septuaginta Scipionis editio omittitur  
vis in Sichem. cap. 1. cap. 1. tamen in lib. Cainan in lib. Paral. 1. cap. 1. tamen in lib.  
Gentil. cap. 10. & 11. invenitur: tunc in Septuaginta Scipionis editio omittitur  
Cainan in lib. Paral. 1. cap. 1. tamen in lib.  
Sect. 6. num. 6. & 7. vbi confluunt, quod dicitur  
cavat cunctura ex traditis in base Dicitur.  
10 Quidam, in Sect. 3. num. 4. adiecta  
pote quidem cap. 10. in editionem Complutensis.  
lib. 1. Paralip. cap. 1. etiudem editionis loco.  
lib. 1. Paralip. cap. 10. & 11. invenitur: tunc in Septuaginta Scipionis editio omittitur  
Cainan in lib. Paral. 1. cap. 1. tamen in lib.  
Gentil. cap. 10. & 11. invenitur: tunc in Septuaginta Scipionis editio omittitur  
Cainan in lib. Paral. 1. cap. 1. tamen in lib.  
Sect. 6. num. 6. & 7. vbi confluunt, quod dicitur  
cavat cunctura ex traditis in base Dicitur.  
11 Nec Procopij Gazei pravissimis autem  
Hebreo deroget legitima, fatemur quidippe, in  
notra derrogat legitima, affectu, in  
Hebreo deroget legitima, affectu, in  
12 Nec Procopij Gazei pravissimis autem  
poteretur quidem cap. 10. in editionem Complutensis.

Alias elevat conjectura, &c. Sect. 9. 456  
et lingua potius credatur, unde est in aliam per  
interpretes facta translatio. Hoc est Sanctus Doctor. Igitur cum posuit esse verum quod Cainani existerit generatio, & quod licet iusta de causa illam Moses prætermisserit, tamen illam Septuaginta robis recte etiam traherent Seniores, nihil adeo in hac parte quod ex Hebraico textu in editione Septuaginta corrigitur: nec ex Divi Augustini Regula quicquam adversus nostram conficitur sententiam.

4 Quod deinde a iuditū contrariae conjecturae ex annorum numero scilicet 130, qui in Septuaginta tribuantur Cainan, quando genuit Sale, nullo excindetur negotio, cum qua-  
ta diversa conjectura elevabitur.

5 Nunc ad disjiciendā iuriam procedimus, dicimutque, iustitatis nihil in Cainani proferenda generatione colligi posse ex eo, quod propter prorsus numeri generationis, & erat in textu Septuaginta dantur Cainan, qui datus Sale, cum in alijs seoper evarent: si quidem primò in eadem Septuaginta, editione Sale anni consignantur 130, & in libro Heber, & deinde iussem 130 legi, quando genuit 130 ab genito Nacho, natus Abram ipsam?

R·A·P·F·

# FRANCISCI CARRASCO, ALAEXENSIS, ORD. PRAED.

IN SACRA THEOLOGIA MAGISTRI, FI-  
lij Conventus Sancti Pauli Vallis-Oletani,

QVONDAM IN VNIVERSITAT. VALLIS-OLETANA;  
Et Complutensi Primaria Cathedra Div. Thom. Moderatoris, Col-  
legij Div. Thom, ejusdem Vrbis Regentis, Et in Archiepiscopatu To-  
letano per Synodum Examinatoris,

## DUBIA PRAECIPVA THEOLOGIAE.

### PARS PRIMA.

Coniunctus

- { De Proemialibus Theologiz. ¶ De Visione Dei. ¶ De Scientia Dei necessaria:  
¶ De Scientia Dei libera circa futura contingentia. ¶ De Voluntate Dei, ubi  
late de Efficientia intrinseca Divini Decreti contra novissimos ejus impugnatores.  
¶ De Justitia Dei. ¶ De Prædestinatione, ¶ Et de Trinitate.

### CVM DVPLICI INDICE;

QUORUM PRIMUS DUBIA, ET RESOLUTIONES, NECNON REMISSIONES AD LIT-  
eram Magistri Sententiarum; Secundes vero res notabiles designat.



VALLIS-OLETI.

Typis: Ferdinandi Zepeda in Conventu Sancti Pauli;

ANNO MDCCXII.



CB 4157964

R.95494-



EXCELLENTISSIMO DOMINO  
**D.BALTHASARI**  
GOMEZ DE LOS COBOS.  
LUNA, ET COSCON, SARMIENTO DE MENDO-  
ZA, ZUÑIGA, ET MANRIQUE,

MARCHIONI DE CAMARASÀ ; COMITI DE RICLÀ ; ET CASTRO , VI-  
llarum de Astudillo , Vallis de Solana,&c. Dynastæ Hispaniæ Toparchæ. Regij Equiti Or-  
dinis. Olùm Sicularum Triremium Generali Praclaro ; in Aragonum Regno famigera-  
to Proregi, &c.

EXC. PRINCEPS.



VNC , ac typico exarata m̄ stylo , gratio-  
ri Virori , ilicem banc nostram (sanè pro-  
ceram , ex Martiali , quia litterariæ Ma-  
gnitudinis Virum . Seu rāmosam , ex  
Ovid. ut pote fausta fronde totum am-  
bientem Theologia Orbem . Aut argutam ,  
ex Virg. Cujus sapidus , aque solidus , fru-  
ctus euss potest eſe subtilioribus fauci-  
bus , seu ingeniosis Cœli Thomistici avibus ) restituere diximus ; cor  
unum fuit omnium nostrum , eam tuis supponere aris , ( neque eo  
ascendit , elata , nostra fiducia , ut super eas ascendat , quia no-  
stra , tam ieniss Victima ) in gratitudinis pignus ; sed potius in  
justitia debitum .

Grata Jovi est quercus , qui nos servatque , fovetque .  
Canit Alciatus , Ectypon , ergò ejus ( ex ingenioso latino ) tua  
Munificentia inscribimus ; à quo cibos , & salutem . Annona illa ,

sam plena elargita manu, temporum inter angustias, tot lin-  
guis gratis eloquitur, quot Ora refecit. Munera, æque pio, ma-  
gnanimo corde profusa, quot Christiparam Priorissam cognomi-  
ne tuam, & nostram (pulchrioris cælatura, graviorisque vul-  
tus Iconem) Vincentiumque nostrum, vel eleganter ornant, vel  
solemnis plaudunt, tot testibus vigent, quot isthac civibus Val-  
lis. O! Muneris tanto nostræ respondeant preces ad numen effu-  
sa, hoc in carmine (ex Malenio) expressæ, sub ejusdem quercus  
insigne.

Cernimus excisas firmate palatia quercus,

Digna tuis quercus fatis, ò nobilis heros!

Regales que apto robore ferte domos

Cœlestis moriens pars eris una domus.

Ast in diem sub eadem quercus imagine te scicimus Patro-  
num magnificū, quod veneramur chariorem Mæcenatem, hoc  
lemma dicantes, tegit umbra minores. Vmbram, enim, magni-  
tudinis tua, non volubili motu objecticorporis vanidam, sed in-  
declinabiliti tui animi statu perenne in intimo desiderio habemus,  
sub illaque protecti sedere sat agimus. Hoc Syntema nostrum.

Hinc, si (excellentis tua modestia venia) celsi tui originis  
gradus ascendimus, augentur nostra justitiae tituli, simul, sed tui  
tutaminis onus: Ducis, quippè, genus ex augusta progenie Ba-  
sto, & Pescara, cuius primor omnibus extitit Orbis Miracu-  
lum, Minerva primigenius, Ecclesiæ majus, abs invidia sydus,  
Cherubicus THOMAS AQUINAS: cum, ergò, nostra argu-  
ta ilex, ejus ad sapientiae limpidissimas aquas nata, in mag-  
namque creverit arbore, tuis jure sstitur aris, sed etiâ Cui SS.  
Aquinatis virtus obumbrat, tux propaginis debet protegere  
umbra.

Quod si tuus nobilis virtutis parceret pudor, enucleanda  
nobis esset tua stemmata domus; sed mavis silentio premi ejus,  
nulli secunda, facinora, quam ore proferri rotundo: nos musitan-  
tes (ne agrius feras) te polymitam, purpura, gemmis, byso, que  
coccino variam (favente claro stunicæ nomine) id est, regio ru-  
bricatam sanguine, superinduimus tunicam. Iam si aliud cognō-  
men aspicimus, pomposam vitem, omnigena nobilitatis stipitis

venas fugentem, haud laudare nequimus.

Imò, & stoffensem, quem ambitos propitium, vultum ostens  
tes latere non sinimus tui amulandas animi dotes (ex noto Pas  
negyrista) ingenium docile, mentem sanctam (salutifero lumine  
instructam) Divinum affectum (in pauperes, vertimus) exorabi  
le cor, beneficium manum, synteresim animi.

Addimus, statusque belli peritiam, regiminis artem. Exor  
dium præstet triremium primatus, cui Claudianus adaptat.

Tanta que se pietas rūdibus ostendat in annis,

Sic actas animo cessit, quererentur ut omnes

Clavum tibi sero datum, &c.

Tenuisti, enim, earum habenas ipso juventutis vere. Vno conclau  
matore Aragonum toparchia; cuius, si quod verum est dicendū  
(Nazianzenus Posthumano affatur) Supræmam (pro regis)  
potestatem, tanquam virtutis præmium adeptus es, ut alios prin  
cipatus sublimiores redderes, ut & ipsa (potestas) redderetur  
gloriosior, & Rex propter juditiū sui de te sententiam, lauden  
aquireret. Huc, assumens quercus Emblema, te Rancatus al  
loquitur.

Quercus glandiferam necēbat fronde coronam;

Servanticivem, qui periturus erat,

Et tibi, jam quercus, populuste fronde coronat;

Cum libia, ac librīs, te ducē, liber erat.

Nos, que, te salutamus latantes: frasim (cum illo) petentes, à  
Romanorum, in suos Optimos Patres, celeberrimo ritu.

Quam bene glandifera cingis tua tempora queru,

Qui civem servas non modo, sed populum omnem.

Meritus, tandem, es (abs assentandi prærigine) ut Hispanus  
Senatus, quod olim Romanus, strenuo Valeriano, interrupto  
more dicenda sententia, una voce in presentiarum, subscriptis:  
Valeriani vita censura est (tunc negotij erat eum maximum de  
putare censorem) ille de omnibus judicare debet, qui est omnibus  
melior. Hunc censorem omnes accipimus. Hunc imitari volu  
mus. Rex, que, invictissimus noster (quod post, summorum eo  
dem Conventu Virorum in faciem Valeriani, Decius Cœsar, lau  
daturus ex animo) dicat: Felicem, te (te, optamus, præfatum

*Principem alloqui) Senatus iudicio, totius Orbis (Hispani) suscipit  
pe curam, quam solus mereris, judicatus de moribus nostris:  
tu aestimabis, qui manere in curia debeant. Tu equestrem Ordinem  
in antiquum statum rediges, tu censibus modum impones,  
divides statum, Republicas censebis, tibi legum scribendatum  
auctoritas dabitur, à te de Ordinibus militum judicandum est:  
tu arma respicies: tu de nostro Palatio: tu de Judicibus: tu de  
Prefectis eminentissimis judicabis, sed hi, de quibus judicare  
non possis, laborabunt, ut tibi placeant. Hoc nostrum, ex intimis  
votum, sed tuum, scimus (Opera probant) Pyrri, Epirotarum  
clarissimi Regis, in nullo dissimile; non solitum (referente Tex-  
tore) à Dijs praeari non Regni ampliorem modum, non de ho-  
ste victoriam, non gloriam, aut divitias, sed sanitatem tantum:  
(tu animi, in Deo, salutem) ceu, hac parte bene constituta, pro-  
perius celata viderentur omnia. Hoc inde sinenti oratione praeca-  
mur, in columnen te spiritu, & corpore, servet Maximus Deus. In  
hoc tuo Sancti Pauli Vallis-Oletano Conventu, &c.*

*Pro eodem  
vestrae Exc.  
Addictissimus servus, & Cappellanus.*

*Fr. Ludovicus Alvarez de S. Rosa.  
Mag. & Prior.*

# LICENCIAS.

**L**OS 5. tomos de à quarto inclusos en estos 2. de à folio, fueron aprobados de orden delos M.R.P. Provinciales de la Provincia de España, Orden de Predicadores, su fecha de 10. de Marzo de 1688. 9. de Mayo de 1691. 15. de Octubre de 1692. 26. de Mayo de 1694. y 1. f. de Diciembre de 1695. por los M.R.P. Regentes de San Gregorio de Valladolid, Fr. Bernardo Rodriguez, y Fr. Froylati Diaz. Y M. R. P.M. Fr. Francisco de Isla, Fr. Sebastian de Aragon, y Fr. Joseph de Sarabia. De comission de el Ordinario de Valladolid, su fecha de 1. de Julio de 1688. 17. de Febrero de 1689. 15. de Octubre de 1691. 22. de Julio de 1694. y 18. de Febrero de 1696. por el Doctor Don Juan Gallardo Sarmiento, por el M.R.P. M. Fr. Joseph Delgado, por el M.R.P. M. Fr. Manuel Enriquez, por el Licenc. Don Francisco Bentura Montenegro y Lemos, y por el M.R.P. M. Fr. Francisco de Gomar y Muñoz. Y de comission de Consejo Supremo de Castilla, q̄ consta por testimonios de los Escrivanos de Camara, D. Antonio Zupide y Aponete, de 14. de Septiembre de 1688. y de Don Eugenio Marban y Mallea, de 22. de Abril de 1689. de Don Francisco Nicolás de Castro, de 21. de Febrero de 1691, y de 19. de Octubre de 1694. y de 14. de Abril de 1696. por los M.R.P. M. Fr. Francisco Blanco, y Fr. Thomás Reluz, y por el Doctor Don Juan Martinez, Cura de Santiago de Madrid. Como en dichos tomos se puede ver:

## SVMA DEL PRIVILEGIO.

**T**IENE Privilegio de su Magestad (que Dios guarde) el Convento de San Pablo de Valladolid, por diez años, para imprimir los cinco tomos de à quarto, que sacó à luz el M.R.P. M. Fr. Francisco Carrasco, en estos dos de à folio, como dèl consta, que passò por testimonio de Don Lorenzo Vivanco Angulo, Escrivano de Camara de su Magestad, y de su Real Consejo de Castilla. Su fecha en Madrid à diez y seis dias del mes de Abril de 1712. años.

## ERRATA SIG CORRIGE.

P. Paginam. N. numerum. L. lineam designat.

**P**ag. 97. num. 29. lin. 22. materialem, leg. materialitatem, & n. 3. l. 28. relativum, leg. delativum, p. 139. n. 89. l. 18. prius, leg. ut prius, p. 146. n. 8. l. 14. opposita, leg. supposita, p. 183. n. 3. l. 6. si, leg. si, p. 184. n. 32. l. 22. causa, leg. casu, p. 192. n. 79. l. 26. in Sanctis, leg. infantis, p. 211. n. 179. l. 11. divina, leg. in divina, p. 216. n. 16. l. 21. scientiam, leg. effientiam, p. 218. n. 1. l. 18. lib. contra Marc. leg. lib. 2. contra Marcionem, p. 221. n. 14. l. 4. coexistit ab eterno, leg. coexistit eterno, p. 223. n. 20. l. 14. tenent, leg. tene- nente, p. 230. n. 5. l. 26. præscientiam, leg. presentium, p. 279. n. 60. l. 9. voluntatem, leg. bonitatem, p. 303. n. 20. l. 4. negatoria, leg. nugatoria, & l. 33. ergo, leg. non ergo, p. 321. n. 76. l. 12. negatoria, leg. nugatoria, p. 334. n. 134. l. 25. prudentiam, leg. providentiam, p. 337. n. 147. l. 17. requisita, leg. declinat in doctrinam afferentium, non omnia requisita, p. 340. n. 163. l. 6. determinare, leg. determinate, p. 341. n. 166. l. 12. & 16. potest, leg. post, & lin. 13. eligi, leg. elitit, & l. 15. & 16. eligere, leg. eligeret, & l. 17. purificare, leg. pu- rificat, & l. 25. judicata, leg. judicatura, p. 353. n. 224. l. 6. acceptet, recte, leg. acceptet, alter respuat, recte, p. 449. n. 633. l. 33. Filius, & Spiritus Sanctus, leg. Filius spirant Spiritum Sanctum, p. 450. n. 2. l. 14. 2. p. leg. 2. 2. p. 468. n. 16. l. 20. medium, leg. mediat, p. 470. n. 24. l. 22. ad unam tam, leg. adunatam, p. 471. n. 30. l. 7. effectivè, leg. affectivè, p. 473. n. 41. l. 1. quod in, leg. quod licet in, p. 494. n. 28. l. 12. q. 19. leg. q. 79. p. 542. n. 52. l. 2. 38. leg. 83. & l. 25. eadem dignitas Filij habeat, leg. eadem dignitatem habeat, p. 545. n. 62. l. 50. substantia, leg. subsistentia, p. 547. n. 74. l. 4. ei competit, leg. ei non competit.

## TASSA.

**T**ASSARON los Señores del Real Consejo el papel de los cinco tomos de à quarto, inclusos en estos dos de à folio, à seis maravedis cada pliego, como consta por los testimonios de los Escrivanos de Camara, Don Rafael Saenz Maza, de 22. de Junio de 1689. y 19. de Septiembre de 1693. y 26. de Septiembre de 1696. Don Francisco de Aguiriano, de 19. de Enero de 1692. y Domingo Leal Saabedra, de 4. de Julio de 1695.



# INDEX

## DVBIORVM, ET RESOLVTIONUM, remissionumque ad litteram Magistri sententiarum, quæ in hac prima parte continentur.

P. PAGINAM. N. NUMERUM DESIGNAT.

*De Proximalibus Dubia III.*

*Magist. in Prolog. & in 3. dist. 34.*

Dub. I.

Dub. III.

**V**Trum Theologia nostra vix verè, & propriè subalternetur scientiæ Dei, & beatorum, pag. 1.

Aliqua notabilia proponuntur pro intelligentia dubij, ibi n. 1. & 2.

*Resolutio unica:* Theologia nostra verè, & propriè subalternatur scientiæ Dei, & beatorum, pag. 2. n. 3.

Fundatur ratione D. Thomæ ex quo principia illius notificantur in scientia Dei, & beatorum, pag. 2. n. 4. & sequentibus.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, p. 2. n. 7.

*Applicanda sunt supradicta litteræ Magistri sententiarum in Prologo,* & in 3. distinctione. 34.

Dub. II.

Utrum Theologia via sit per se, & essentia-liter obscura, pag. 7. n. 26.

Explicatur in quo consistat difficultas, pag. 7. num. 27.

*Resolutio unica.* Theologia via non est per se, & essentia-liter obscura, proindeque manet iu gratia, p. 7. n. 28.

Primum fundamentum desumitur ex dubio præcedenti, ibi.

Secundo fundatur ex quo Theologia via licet procedat ex principijs cognitis per fidem, sed non ut obscurè cognitis, sed solum ut certo cognitis, p. 9. n. 34.

Tandem fundatur ab exemplis, p. 10. n. 37.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag. 12. num. 43.

Utrum Theologia sit habitus acquisitus, & entitative naturalis, vel supernaturalis, & infusus, p. 20. n. 1.

Triplex est difficultas, cui triplex resolutio correspondet, p. 21. n. 1.

*Resolutio 1.* Theologia est habitus per se nostris actibus acquisitus, & non infusus à Deo, ibi. n. 2.

Fundatur 1. auctoritate D. Thomæ, ibi. n. 3.

Fundatur 2. ratione: ex quo in Theologia plures fiunt demonstrationes, p. 22. n. 8.

Fundatur 3. à ratione ex dictis, p. 23. n. 12.

Fundatur 4. & à priori: ex quo in vi intellec-tiva secundum quod ratiocinatur de conclusione Theologica, nedum est principium activum, verum & passivum sui actus, p. 24. n. 13.

Tandem fundatur: ex quo habitus per se infusus infunditur hominibus cum gratia, ibi. num. 14.

*Resolutio 2.* Supposito, quod Theologia est habitus acquisitus, non potest esse entitative-supernaturalis, p. 25. n. 18.

Fundatur 1. ex D. Thom. ibid.

Tandem fundatur ex alia doctrina D. Thom. ibi. n. 21.

*Resolutio 3.* Theologia absolutè non est habitus entitative-supernaturalis, sed naturalis, p. 26. n. 23.

Principium fundamentum est: quod licet Theologia procedat deducendo conclusiones ex principijs supernaturalibus, sed non nisi ut subsunt potentiaz naturali, ibi.

Fun.

Fundatur 2. Ex quo resolutio mediata, & virtualis est naturalis, p. 27. n. 26.

Fundatur 3. Ex quo Theologia est una species aethoma, p. 28. n. 27.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag. 29. num. 32.

Magist. in Prolog. & in 3. dist. 34.

#### De Visione Dei Dubia V.

##### Dub. I.

Utrum sit possibilis species impressa, Deum quidditativè, & prout est in se representans, p. 31. num. 1.

Triplex est difficultas juxta triplicem rationem D. Thomæ ibi.

*Resolutio 1.* Prima ratio D. Thomæ rectè studet impossibilitatem praedictæ speciei, pag. 32. num. 2.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag. 33. num. 6.

*Resolutio 2.* Secunda ratio D. Thomæ etiam convincit impossibilitatem praedictæ speciei, p. 36. n. 27.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag. 38. num. 34.

*Resolutio 3.* Tertia ratio D. Thomæ rectè probat, non esse possibilem praedictam speciem, p. 43. n. 59.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag. 44. num. 61.

Magister in 1. dist. 22. & in 3. dist. 14. & melius in 4. dist. 49.

##### Dub. II.

Utrum sit possibilis substantia creata supernaturalis, & cui connaturale sit lumen gloriae, vel visio beatifica, p. 45. n. 1.

*Resolutio unica*: Talis substantia prorsus impossibilis est, ibi. n. 2.

Fundatur 1. Ex D. Augustino, ibi.

Fundatur 2. Ratione D. Thomæ, qua probat nullum intellectum creatum posse per sua naturalia Deum per essentiam videri, pag. 46. num. 3.

Fundatur 3. Etiam ratione D. Thomæ, ex quo dispositio ad formam non potest esse naturalis, nisi habenti formam, p. 47. n. 10.

Fundatur 4. Etiam ratione D. Thomæ, ex quo videre Deum prout in se, est actio propria, & connaturalis Divinae naturæ, pag. 48. num. 12.

Fundatur 5. Ex propria natura supernaturæ, p. 49. n. 16.

Fundatur 6. A duplice inconvenienti, ibi. num. 17.

Fundatur ultimo ab impossibilitate substantie creatæ supernaturalem, p. 51. n. 21.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag. 54. num. 33.

Eadem fundamenta breviter proponuntur ad probandum non esse possibilem substantiam supernaturalem creatam, cui connaturale sit lumen fidei, vel spei, vel scientie infinitæ, p. 59. n. 54.

Magist. in 1. dist. 17. & in 2. dist. 23. & in 3. dist. 12. & melius in 4. dist. 49.

##### Dub. III.

Utrum lumen gloriae sit tota ratio, seu virtus proxima videndi Deum prout in se, pag. 60. num. 1.

*Resolutio unica*: Lumen gloriae est tota ratio, seu virtus proxima videndi Deum prout in se, ibi. n. 2.

Fundatur 1. A priori ex quo visio beata secundum omnem suam formalitatem supernaturalis est, ibi.

Fundatur 2. Infringendo fundamentum opposita sententia, ibi. n. 3.

Fundatur ultimo ab inconvenienti, p. 61. n. 6.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag. 62. num. 7.

Magister in 2. dist. 25. & in 3. dist. 14. & in 4. dist. 49. & (mutato nomine luminis in charitatis) in 1. dist. 17. & (mutato nomine luminis in gratia) in 1. dist. 27. & sic ubicumque agat Magister de quocunque principio supernaturali.

##### Dub. IV.

An de potentia Dei absoluta repugnet Divinam essentiam videre à beatis sine attributis, & Personis, vel è contra, vel unam Personam sine alia, p. 67. n. 1.

*Resolutio unica*: De potentia Dei absoluta repugnat Divinam essentiam videri sine attributis, & personis, vel è contra, vel unam personam sine alia, ibi. n. 2.

Fundatur 1. Ex quo visio beatifica est visio intuitiva, ibi.

Fundatur 2. Ex quo est visio quidditativa Dei physice, & prout in se, p. 68. n. 5.

Fundatur 3. Ex quo in Deo omnia sunt unum omnimoda unitate, nisi ubi obest relationis oppositio, ibi. n. 9.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag. 69. num. 12.

*Magist. in 1. dist. 1. Q' in 4. dist. 48. Q' 49.*

Dub. V.

An ex cognitione omnium possibilium in Verbo sequatur comprehensio Divinæ Omnipotencie, p. 76. n. 1.

Per cognitionem omnium possibilium intelligitur cognitio omnis entis creati, & creabilis, sive sit ens reale, vel rationis, ibi. num. 2.

*Resolutio unica.* Ex cognitione omnium possibilium in Verbo sequitur comprehensio Divinæ Omnipotencie, ibi. n. 3.

Fundatur proponendo rationem D. Thomæ, & eam ad formam reducendo, ibi.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag. 76. num. 9.

*Magist. in 1. dist. 35. Q' in 3. dist. 14. Q' in 4. dist. 49.*

*De Scientia Dei necessaria Dubia V.*

Dub. I.

An ratio, qua D. Thom. probat in Deo dari scientiam, a priori, & demonstrativa sit, pag. 91. n. 1.

Aliqua supponuntur, ut fide certa, ibi.

*Resolutio unica.* Prædicta ratio D. Thomæ efficax, a priori, & demonstrativa est, ibi. num. 2.

Quæ non aliter fundatur, quam reducendo rationem D. Thomæ ad formam syllogisticam, ibi.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, ibi. n. 3.

*Magist. in 1. dist. 35.*

Dub. II.

Utrum in Deo detur intellectus per modum actus primi virtualiter ab ejus intellectione distincti, p. 106. n. 1.

Procedit sermo de actu primo ex parte rei conceptæ, ibi. n. 2.

Assignatur differentia inter distinctionem virtualem adæquataam, & inadæquataam, ibi. num. 3. & seq.

*Resolutio 1.* In Deo datur intellectus per modum potentie, scilicet actus primi virtualiter ab ejus intellectione distincti, quidquid sit an prædicta distinctio adæquata sit, vel inadæquata, p. 109. n. 12.

Fundatur 1. Ex quo in Deo datur potentia verè activa, ibi. n. 13.

Fundatur 2. Ex quo in Deo datur intellectio

per modum actus secundi, p. 111. n. 20.

Fundatur 3. Ex quo talis potentia nullam dicit imperfectionem, ibi. n. 24.

Fundatur 4. Ex quo lumen creatum gloriæ est participatio Divini intellectus, pag. 113 num. 28.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, ibi. n. 29.

*Resolutio 2.* Hæc distinctio Divini intellectus ab intellectione est adæquata, p. 117. n. 47. Et fundatur ex quo pertinent ad diversam linéam, ibi.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag. 118. num. 49.

*Magist. in 1. dist. 35. Q' (mutato nomine intellectus in voluntatis) dist. 46.*

Dub. III.

Quod sit constitutivum metaphysicum divinitatis naturæ, p. 122. n. 1.

Distinguitur constitutivum physicum à metaphysico, ibi.

*Resolutio 1.* Constitutivum divinitatis naturæ nequit esse infinitas, ibi. n. 3.

Fundatur 1. Ex quo infinitas demonstratur à priori, ibi.

Fundatur 2. Ex quo infinitas in carentia termini consistit, p. 123. n. 7.

Fundatur 3. Ex quo infinitas est prædicatum transcendens, ibi. n. 10.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag. 124. num. 12.

*Resolutio 2.* Neque constitutivum divinitatis naturæ est ratio entis à se, scilicet per essentiam, p. 125. n. 20.

Fundatur 1. Ex dictis in principio dubij, ibi.

Fundatur 2. Ex quo talis ratio supponit naturam divinam constitutam, p. 126. n. 22.

Fundatur 3. Ex quo esse Dei virtualiter à natura divina distinguitur, p. 127. n. 26.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, ibi. num. 27.

*Resolutio 3.* Neque constitutivum divinitatis naturæ est cumulus omnium perfectionum, vel attributorum, p. 128. n. 32.

Fundatur 1. Ex quo sententia opposita contradicit constitutiva omnium divinorum prædicatorum, ibi.

Fundatur 2. Ex quo constitutivum divinitatis naturæ debet esse illud, quod primo in Deo intelligitur tanquam radix ceterorum, ibi. num. 33.

Fundatur 3. Ex quo divina voluntas, vel voluntio nequit naturam divinam constituere, p. 129. n. 38.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, ibi. n. 39.

*Resolutio 4.* Conceptus naturæ, & essentiaz solum sunt virtualiter inadæquate distincti; unde si sub uno conceptu constituit naturam divinam, etiam sub alio, vel sub nullo, p. 131. num. 48.

Fundatur 1. Ex quo forma per idemmet formalissimum prædicatum constituit, & radicat. ibi.

Fundatur 2. Ex quo sequeretur divinam naturam sub conceptu natura radicari in se ipsa sub conceptu essentiaz, p. 132. n. 51.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, ibi. num. 53.

*Resolutio 5.* Constitutivum divinæ naturæ est intelligere, non actuale, & radicale, pag. 136. num. 64.

Prima pars fundatur, ex quo constitutivum divinæ naturæ debet pertinere ad gradum intellectivum, ibi.

Secunda pars fundatur 1. Ex quo constitutivum divinæ naturæ est illud, quod primo in Deo intelligitur, tanquam radix ceterorum, ibi. num. 65.

Fundatur 2. Ex quo gratia est participatio formalis divinæ naturæ, ibi. n. 67.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag. 137. num. 71.

*Magist. in 1. dist. 2. 8. 22. O' 35.*

#### Dub. IV.

Num, admissa divinam naturam per intelligere radicale constitui, debet in Deo intellectus per modum potentiaz, seu actus primi, p. 140. n. 1.

*Respondet negativè juxta dicta solutione 4. ad 2. & resolutione 3. ad 5.*

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag. 141. num. 2.

*Magist. in 1. dist. 2. 8. 22. O' melius 35.*

#### Dub. V.

Quod sit objectum primarium intellectus divini, p. 144. nnm. 1.

*Resolutio 1.* Objectum primarium, & formale divini intellectus non est ens prout abstrahit à creato, & in creato, p. 145. n. 3.

Fundatur 1. Ex quo potentia specificatur ab objecto primario, & formalis, ibi. n. 4.

Fundatur 2. Ex quo id, quod primo, & per se repræsentatur per speciem, qua intellectus divinus intelligit, est filius Deus, pag. 148. num. 12.

Tandem fundatur: Ex quo objectum primo, & per se cognitum est perfectio intelligentis, ibi. num. 16.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag. 149. num. 17.

*Resolutio 2.* Objectum primarium, & formale motivum divini intellectus est sola divina essentia prout à relationibus, & attributis virtualiter distincta, p. 156. n. 50.

Fundatur unicè: Ex quo illud est objectum motivum formale, quo, quod in Deo gerit manus speciei, ibi.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag. 161. num. 71.

*Resolutio 3.* Etiam objectum primarium formale terminativum divini intellectus est sola divina essentia prout ab attributis, & relationibus distincta, p. 167. n. 103.

Fundatur unicè: Quia sola divina essentia terminat ratione sui, relationes verò, & attributa ratione essentiaz, ibi.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag. 169. num. 108.

*Magist. in 1. dist. 35.*

### De Scientia Dei libera. Dub. III.

#### Dub. I.

Quod sit constitutivum futuri, p. 177. n. 1. Solum procedit sermo de futuro simpliciter tali, ibi.

*Resolutio 1.* Forma constitutiva futuri est existens de praesenti tempore futuritionis, ibi. num. 2.

Fundatur 1. Nam tempore futuritionis verificatur de objecto, quod est futurum nunc, & de praesenti esse futurum, ibi. n. 3.

Fundatur 2. Ex quo cum dicitur consensus nunc non existit, & existet postea exprimitur de praesenti consensem esse determinatum ad existendum postea, p. 181. n. 22.

Fundatur 3. Evertendo responcionem contraria, pag. 182. num. 28.

Tandem fundatur: Nam veritas objectiva futuri non distinguitur ab ipso esse futurum consensem, p. 183. n. 37.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, p. 186. num. 42.

*Resolutio 2.* Hæc forma constitutiva futuri tempore futuritionis adæquatæ existens non est scientia divina, p. 194. n. 86.

Fundatur ex differentia scientiaz speculativaz à scientia practica, ibi. n. 87.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag. 196. num. 105.

*Resolutio 3.* Neque hæc forma de praesenti existens constitutiva futuri est habitudo, quam res prout est in causa habet ad se ipsam, ut erit praesens in suo tempore, p. 197. n. 110.

Fundatur explicazione terminorum, ibi.  
*Resolutio 4.* Neque hæc forma constitutiva futuri de præsenti existens est habitudo realis pertinens ad realitatem essentiaz, pag. 199. num. 118.

Fundatur 1. Ex quo ante existentiam essentiaz nequit existere aliquid identificatum cum essentia, ibi.

Secundo : Ex quo denominatio futuri est denominatio intrinseca, ibi.

Tertio : Ex quo habitudo cause nequit pertinere ad realitatem essentiaz rei futurae, ibi.

*Resolutio 5.* Nequæ forma constitutiva futuri de præsenti existens est tēpus antevertens propriam durationem, vel duratio negationis in qua erit existentia propria, ibi.n.122.

Fundatur ex terminis ex quo aliquid aliud debet assignari ratione cuius res consti- tuatur, pag. 200. num. 122.

*Resolutio 6.* Forma de præsenti existens constitutiva futuri est determinatio causæ ad productionem effectus, proindeque rectè definitur futurum per hoc, quod sit determinatum in causa ad habendum existentiam pro duratione sequenti, ibi. nu- mer. 124.

Fundatur 1. ex expressa doctrina Parentis Augustini, ibi num. 125.

Est etiam expressa D. Thomæ, pag. 201. num. 126.

Fundatur 2. Etiam à ratione, & 1. ex præcedentibus resolutionibus, ibi num. 127.

Secondo : ex quo illa est forma constitutiva futuri, quæ de præsenti exprimitur, cum dicunt nunc, consensus est futurus, ibi, num. 128.

Tertiò: nam ab eo habet consensus, quod sit futurus, à quo habet, quod sit existens, ibi num. 129.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, p. 203. num. 134.

*Magist. in 1. dist. 8. 35. O 38.*

## Dub. II.

### *Et appendicu.*

Utrum scientia, quam Deus haber de futuris conditionatis, quæ pertinent ad actus no- stros liberos, sit media inter necessariam, & liberam, & inter scientiam simplicis intelligentiaz, & visionis, p. 213. n. 1.

*Resolutio 1.* Prædicta scientia non est media inter scientiam necessariam, & liberam, ibi.

Fundatur ex dictis dubio præcedenti, & infra de voluntate Dei, dub. 6. per tot. pag. 306.

*Resolutio 2.* Est tamen media inter scientiam simplicis intelligentiaz, & visionis, si con- sideretur scientia simplicis intelligentiaz se- cundum id, à quo nomen imponitur, secus tamen secundum id, ad quod significan- tem est imposita, p. 214. n. 7. & sequent.

Fit hæc argumento, quo aliqui Doct. Socie- tatis prædictam scientiam intendunt con- stituere medium, p. 217. n. 22.

*Magist. in 1. dist. 35. 38. O 39.*

## Dub. III.

Utrum futura contingentia absoluta coexi- stant divina cognitioni ab æterno, nedum objectivè, sed etiam physe, & realiter, pag. 218. num. 1.

Constituitur differentia inter existentiam phi- sicam, & objectivam ab æterno, ibi.

*Resolutio unica:* Futura contingentia absolu- ta coexistunt divina cognitioni ab æterno physe, & realiter in æternitate, pag. 219. num. 4.

Fundatur 1. Ex Doctrina D. Thomæ hic in corporte, ibi.

Fundatur 2. A ratione ex eadem doctrina, ibi. num. 5.

Fundatur 3. Ex diffinitione æternitatis, pag. 223. num. 20.

Fundatur 4. Ex notis in principio dubij, pag. 224. num. 28.

Fundatur 5. Ex quo Deus physice coexistit omni durationi perfectissimo, ac invari- bili modo, pag. 225. num. 30.

Fundatur 6. Ab exemplis, p. 227. n. 37.

Fundatur 7. Ex invariabilitate divina scien- tia, pag. 230. num. 51.

Tandem fundatur : Ex quo in contraria sen- tentia non salvatur prædictam scientiam esse ab æterno intuitivam, p. 231. n. 56.

Objiciuntur, & solvantur argumenta, pag. 233. num. 62.

*Magist. in 1. dist. 8. 35. 36. 37. 38. O 39.*

### *De voluntate Dei Dubia VI.*

## Dub. I.

An ratio D. Thomæ demonstrative, & à priori probet dari in Deo voluntatem, ex quo in ipso est intellectus, pag. 238. n. 7.

Proponitur triplex difficultas, cuius triplex re- solutio correspondet, ibi.

*Resolutio 1.* Ratio D. Thomæ. Demonstrative, & à priori probat dari in Deo volunta- tem, ex quo in ipso est intellectus, ibi. n. 2.

Fundatur primò reducendo ad formam syllogisticam rationem D.Thom.ibi.  
Notanda est alia duplex ratio ipsius D.Thom.  
p.239.à num.3.ulque ad 4.  
Objiciuntur, & solvuntur argumenta, ibi n.5.  
& sequentibus.  
*Resolutio secunda.* Ratio Divi Thomæ, ut jacet, solum demonstrat immediatè actum voluntatis; ex hac tamen demonstratione facile dederetur demonstratio ipsius voluntatis immediate, & à priori, p.248.n.44.  
Prima pars fundatur 1. ex conclusione immediatè illata à D.Thom.ibi.  
Secundò ex principio assumpto à D. Thom.  
p.249.n.45.  
Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag.  
250.num.51.  
Secunda pars fundatur ex proportione inter intellectum in actu constitutum, vel actuabilem, p.252.num.56.  
*Resolutio tertia.* De potentia Dei absoluta non est possibilis natura intellectiva, non volitiva, ibi. n.57.  
Fundatur ex quo ab opuesto sequerentur duæ contradictiones, ibi.  
Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag.  
253.n.60.  
*Magist. in 1. dist. 45.*

## Dub. II.

An alia à Deo sint objectum formale Divina voluntatis, pag.258.n.83.  
*Resolutio unica.* Bonitas creaturarum neque inadæquatè ingreditur objectum formale motivum divinæ voluntatis, ibi. n.84.  
Fundatur 1. ratione desumpta ex D.Thom.in hoc articulo, ibi.  
Secundò ex eodem D.Thom. in solutione ad 3. pag.259.num.90.  
Tandem fundatur ex quo volitio Divina specificaretur à bono creato, pag.260.n.93.  
Objiciuntur, & solvuntur argumenta, ibi. num.94.  
*Magist. in 1. dist. 45.* O mutato nomine voluntatis in intellectus, dist.35.

## Dub. III.

An Deus amet creaturas possibiles, p.265.n.1  
In quo quadruplicè difficultas se offert examinanda, quibus correspondent quatuor resolutiones, ibi.  
*Resolutio prima.* In creaturis possibilibus nulla datur bonitas actualis, pag.266.n.2.  
Fundatur 1. ex quo prima actualitas, secun-

dum quam attenditur prima rei bonitas, est existentia, ibi. num.3.  
Secundò fundatur ratione D.Thom.pag.267.  
num.10.  
Tertiò fundatur ex differentia inter verum, & bonum, ibi.  
Quartò fundatur, & simul infringitur fundatum sententia opposita, ibi n.11.  
Objiciuntur, & solvuntur argumenta, ibi. num.12.  
Pro complemento inquiritur: An essentia, dum subest existentia, habeat bonitatem realiter distinctam à bonitate existentia, p. 271.n.26.  
*Resolutio secunda.* Admissa prædicta bonitate Deus amat creature possibiles, pag.272.  
num. 28.  
Fundatur primò, & à priori ratione desumpta ex D.Thom.ibi:num.29.  
Secundò fundatur etiam principaliter, pag.  
272.num.34.  
Tandem tertio fundatur nostra resolutio, p.  
274.n.38.  
Objiciuntur, & solvuntur argumenta, ibi.  
num.39.  
*Resolutio tertia.* Per solam bonitatem possibilem non possunt creature possibiles terminare actu Divinum amorem, pag. 277.  
num. 49.  
Fundatur 1. ratione desumpta ex doctrina D.  
Thom.ibi.  
Tandem fundatur argumentis factis contrarios in præcedenti resolutione, ibi.  
Objiciuntur, & solvuntur argumenta, ibi n.50.  
*Resolutio quarta.* Data hypothesi quod Deus amet creature possibiles, non eas amat liberè, sed necessario, p.282.n.77.  
Fundatur 1. ex quo divina bonitas sine creaturis possibilibus subsistere non potest, ibi.  
Secundò fundatur, ex quo quidquid à Deo amat liberè defectibile est, p.283. n.78.  
Tandem fundatur, ex quo bonitas in creaturis possibilibus non posset non esse necessario, ibi.n.79.  
Objiciuntur, & solvuntur argumenta, ibi.  
num.80.  
*Magist. in 1. dist. 45.*

## Dub. IV.

Per quid constituatur actu liber Dei, ibi.  
num.1.  
Tot sunt resolutiones, quot sententiae, ibi.  
*Resolutio prima.* Actus liber Dei constitui nequit per denominationem rationis, sive in recto, sive in obliquo, ibi.num.2.

Fundatur primò, ex quo de conceptu actus liberis Dei est egressio à voluntate, ibi.

Secundò, ex quo Deus à parte rei est actus formaliter liberè volens, ibi.

Tertiò, ex quo relatio rationis supponit actum liberum Dei adæquatè constitutum, ibi.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, p. 285. num. 5.

*Resolutio secunda.* Neque potest actus Dei liber constitui per denominationem adæquatè extrinsecam, sive ab actione productiva creaturarum, sive ab effectu ipso producendo provenientem, ibi. num. 7.

Fundatur primò, ex doctrina D. Thom. pag. 286. num. 9.

Secundò. Ex decretis negativi, quæ non habent effectus ad extra, ibi. num. 10.

Tertiò, ex quo tam effectus, quam illius actio productiva supponit actum liberum Dei adæquatè constitutum, ibi. num. 11.

*Resolutio 3.* Neque actus liber Dei constituitur per denominationem partim intrinsecam, & partim extrinsecam: nempe provenientem ab amore Dei necessario, & productione creaturarum, vel creaturis ipsis, pag. 287. num. 14.

Fundatur eisdem rationibus, ac præcedens, ibi.

*Resolutio 4.* Neque constituitur actus liber Dei per perfectionem aliquam extensivam superadditam actui necessario, & prout sic defectibilem, pag. 288. num. 17.

*Resolutio 5.* Neque potest constitui actus liber Dei per actum necessarium modicatum modo intrinseco, & reali ratione ab eo distinto, & prout sic defectibili sine imperfectione Dei, pag. 288. num. 18.

Fundatur eisdem rationibus, ac præcedens, ibi.

Deinde impugnatur prædicta sententia, ibi.

*Resolutio 6.* Nec constituitur actus liber Dei per actum necessarium, ut liberè terminatum ad creaturas, terminatione distincta, & superaddita sub expresso conceptu terminationis, & prout sic intrinsecè defectibilem, pag. 289. num. 22.

Fundatur 1. Ex terminis, ibi. num. 23.

Secundò. Ex eo quod prædicta sententia involvit contradictionem, pag. 290. num. 24.

Tertiò impugnatur eadem ratione, ac præcedens, ibi. num. 26.

Tandem impugnatur, quia contraria doctrina D. Thom. pag. 291. num. 29.

*Resolutio 7.* Nec constituitur actus liber Dei per aliquid defectibile virtualiter; nempe, per ipsam Dei volitionem, quatenus per-

inde se potest habere, ac si deficeret, ibi. num. 31.

Impugnatur 1. hæc sententia ex dictis resolutione præcedenti, pag. 292. num. 32.

Secundò, quia probat idem per idem, ibi.

*Resolutio 8.* Divina libertas non consistit in indifferentia Divinæ voluntatis, quantum est ex parte ipsius, quæ dicitur indifferentia passiva ad eliciendum actualitatem voluntatis, vel nolitionis; sed in indifferentia illius ex parte ejus, ad quod dicitur, quæ est indifferentia purè activa ad mutandum creaturem ad fore, vel non fore, ibi. n. 35.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, p. 294. num. 41.

*Resolutio 9.* Actus liber Dei constituitur per ipsum actum necessarium, ut mutantem creaturem ad fore, vel non fore, seu ut connotat passivam mutationem creaturem prout sic, qui purè est defectibilis quoad denominationem, non propter defectum alicujus intrinseci, sed propter defectum extrinseci connotati. Unde prædicta denominatio est adæquatè intrinseca, non absoluta, sed connotativa, pag. 295. n. 43.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, p. 296. num. 47.

*Magist. in 1. dist. 45.*

## Dub. V.

Utrum divina voluntas ab omni actu libero potuerit manere suspensa, pag. 300. n. 1.

*Resolutio unica.* Divina voluntas non potuit ab omni actu libero manere suspensa, ibi. num. 2.

Fundatur 1. Ex dictis dubio præcedenti resolutione 7. & 8. ibi.

Secundò, & principaliter fundatur, ex quo exercitium per suspensionem ab omni actu dicit in suo formalí conceptu imperfectionem, pag. 301. num. 9.

Tertiò fundatur à paritate divini intellectus, pag. 302. num. 14.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, p. 303. num. 17.

*Magist. in 1. dist. 46. Q. 47.*

## Dub. VI. Et Antonomasticum inter Doctores Societatis, & Thomistas.

Utrum Deus concurrat ad actus nostros liberos per decretum ab intrinseco in diffrens, & inefficax, vel per decretum ab intrinseco efficax, & determinatum, pag. 306.

- Sententia Jesuitarum , & in quo dissident, proponitur, ibi. num. 1.2.& 3.
- Resolutio 1.* Repugnat Deum ad actus nostros liberos concurrere per decretum ab intrinseco indifferens, pag. 307.
- Fundamentum primum , quo impugnantur omnes modi relati, quibus adverlatij constituunt prædictum decretum indifferens, ibi. num. 5.
- Fundamentum secundum, ex implicantia determinationis divini concursum per electionem voluntatis creatæ, p. 312. n. 34.
- Fundamentum 3. Ex implicantia identitatis divini concursum indifferens cum concursu voluntatis creatæ, pag. 315. num. 51.
- Fundamentum quartum , ex quo tale decretum opponitur decreto prædefinitivo antecedenti , & efficaci consensu, ut liberi dependenti à scientia media de ipso, pag. 317. num. 58.
- Fundamentum quintum , ex incomponibiliitate prædicti decreti indifferens cum decreto de purificanda conditione, pag. 318. num. 63.
- Fundamentum sextum , ex incompossibilitate prædicti decreti indifferens cum scientia media, pag. 320. num. 71.
- Fundamentum septimum , ex quo Deus cum illo decreto indifferenti , vel esset Auctor actus mali, vel esset solum permislor actus boni, pag. 325. num. 93.
- Fundamentum octavum , ex quo Deus cum illo decreto indifferenti concurreret cæco, & ignorant modo, pag. 332. num. 128.
- Fundamentum nonum , ex quo cum illo decreto non componitur providentia Dei erga nostros actus liberos, p. 333. n. 131.
- Fundamentum decimum , ex quo prædictum decretum componi non potest cum supremo Dei dominio erga nostros actus liberos, pag. 337. num. 149.
- Fundamentum undecimum , ex quo prædictum decretum tollit à Deo rationem primæ causæ, primique agentis liberi, p. 342. num. 175.
- Fundamentum duodecimum , ex quo prædictum decretum tollit etiam à Deo rationem agentis liberi, pag. 349. num. 207.
- Fundamentum decimumenterium, ex quo Deus per illud decretum nobis donaret suam omnipotentiam , sicut aliquis donat alteri librum, & pariter nobis suam omnipotentiam subjiceret, pag. 351. num. 213.
- Fundamentum quartumdecimum , ex quo tali decreto indifferenti discretio consentientis à non consentiente reduceretur non in voluntatem divinam, sed in humnam, pag. 352. num. 220.
- Fundamentum quintumdecimum , ex quo supposito illo decreto non esset necessarium orare pro gratia efficaci obtainenda ad consensum, pag. 357. num. 242.
- Fundamentum decimosextum , ex quo cum prædicto decreto non componitur Deum esse omnipotentem in prædestinando , & reprobando, pag. 360. num. 251.
- Resolutio 2.* Deus ad actus nostros liberos concurrit per decretum ex se, & ab intrinseco efficax , & determinatum , pag. 367. num. 291.
- Fundamentum 1. ex locis Sacrae Scripturæ, ibi.
- Fundamentum 2. ex autoritate Divi Augustini, pag. 370. num. 304.
- Fundamentum 3. ex Concilio Arausiano, Mileviano, Tridentino, & Senonensi, pag. 373. num. 321.
- Fundamentum 4. Ex alijs Sanctis Patribus, ex Summis Pontificibus , ex orationibus Ecclesiæ, & ex Cathecismo Romano, p. 375. num. 330.
- Fundamentum 5. Ex autoritate Divi Thomas, pag. 376. num. 334.
- Fundamentum 6. A ratione ex communissimo illo principio: Omne, quod movetur, ab alio movetur, pag. 384. num. 365.
- Fundamentum 7. Ex indifferencia intrinseca nostra voluntatis, pag. 388. num. 378.
- Fundamentum 8. Ex eadem intrinseca indifferencia , juxta doctrinam adverlatiorum, pag. 389. num. 384.
- Fundamentum 9. Ex intrinseca efficacia divinæ gratiæ auxiliantis, p. 390. n. 389.
- Fundamentum 10. Quo initatur fundamentum sententia contraria, p. 392. n. 397.
- Fundamentum 11. Quo etiam ex præfata doctrina instatut aliud fundamentum contraria sententia, p. 399. n. 432.
- Fundamentum 12. Quo etiam ex eadem doctrina ad hominem retorquentur alia argumenta oppositæ sententia, pag. 401. num. 442.
- Fundamentum 13. Ex quo firmius constituitur spes nostra circa æternæ gloriæ consequitionem , Deo concurrente ad nostros actus liberos per decretum ab intrinseco efficax , quam ab intrinseco indifferens, pag. 404. num. 451.
- Fundamentum 14. Ex quo aliter prædestinatio solum esset certa certitudine præscientiæ; fecus vero certitudine ordinis , & causalitatis, pag. 405. num. 455.

*Resolutio 3.* In qua concordatur libertas crea-  
ta cum efficacia intrinseca Divini Decreti,  
pag. 411. num. 487.

Objiciantur 1. & solvuntur argumenta ex  
primario Complutensi Herrera, pag. 414.  
num. 501.

Objiciantur argumenta ex RR. Thyrso pri-  
mario Salmaticensi, pag. 434. n. 574.

Objiciantur argumenta alterius primarij  
Complutensis Societatis in suo manuscri-  
pto de auxilijs, pag. 438. num. 592.

Objiciuntur argumenta primarij Complu-  
tensis Ribadeneyra, loquendo de constitu-  
tivo libertatis, pag. 446. num. 616.

*Magist. in 1. dist. 46. ¶ 47. ¶ in 2. dist. 24.*

### *De Justitia Dei, Dubium unicum.*

*Quæ Justitia sit in Deo, pag. 450. num. 1.*

Plures acceptiones justitiae proponuntur, ibi.  
Apud omnes est certum dari in Deo justitiam  
legalem, pag. 451. num. 3.

*Resolutio 1.* In Deo non datur justitia com-  
mutativa secundum propriam, & strictam  
rationem, ibi. num. 4.

Fundatur 1. ex D. Thom. ibi. n. 5. & 6.

Fundatur 2. ratione deducta ex verbis Apo-  
stoli: *Quis prior dedit illi*, p. 452. n. 11.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, p. 453.  
num. 14.

*Resolutio 2.* Datur tamen in Deo justitia di-  
stributiva, pag. 460. num. 50.

Fundatur 1. ex D. Thom. pluribus in locis,  
ibi.

Secundò fundatur ratione ex ordine, qui ap-  
paret tam in rebus naturalibus, quam in  
voluntariis, ibi. num. 52.

Tertiò fundatur: ex quo talis justitia nullam  
dicit imperfectionem in proprio, & forma-  
li conceptu, ibi. num. 53.

Quartò fundatur: ex quo Deus retribuit pro  
meritis ex stricta justitia, p. 461. n. 54.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, p. 462.  
num. 59.

*Magist. in 4. dist. 46.*

### *De Prædestinatione, Dubia III.*

#### *Dub. I.*

An supposito, quod prædestinatione in actu in-  
tellectus consistat, talis actus sit iudicium  
electionem præcedens, vel imperium illam  
subsequens, pag. 464. num. 1.

Plura potantur pro resolutione dubij, ibi.

*Resolutio 1.* In Deo non datur imperium  
monasticum, seu tale respectu suorum

actuum; unde in hoc nequit prædestinatione  
confiltere, pag. 466. num. 9.

Fundatur ex D. Thoma aliquibus in locis, &  
ratione ex eo deducita, ibi, & sequentib.

Objiciantur, & solvuntur argumenta, p. 469.  
num. 22.

*Resolutio 2.* Datur tamen in Deo imperium  
respectu creaturarum, quod dicitur executi-  
vum, illud tamen non est prædestinatione,  
sed prædestinatorem gubernatio, p. 474.  
num. 44.

Prima pars fundatur ex dictis resolutione  
præcedenti, ibi. num. 45.

Hoc ipsum habetur expræsum in D. Tho-  
ma, ibi.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, ibi.  
num. 46.

Secunda pars fundatur, ex quo prædestinatione,  
& gubernatio comparantur, sicut ratio or-  
dinis, & executio illius, pag. 476. n. 54.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, p. 477.  
num. 58.

*Resolutio 3.* Judicium determinatum, & libe-  
rum præcedens electionem mediiorum, est  
in Deo ab intrinseco efficax, inferensque  
intelligibiliter electionem, & executionem  
mediorum, & in eo consistit esentialiter  
prædestinatione, pag. 479. num. 67.

Prima pars probatur ex doctrina plurium  
Thomistarum, ibi. num. 68.

Hoc etiam fit manifestum ex doctrina Div.  
Thomæ, p. 480. n. 71. & sequentib.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, p. 481.  
num. 78.

Secunda pars fundatur 1. ex dictis, pag. 485.  
num. 95.

Deinde à priori, ex quo prædicto judicio  
competit definitio prædestinationis, p. 486.  
num. 96.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, ibi.  
num. 98.

*Magist. in 1. dist. 40.*

#### *Dub. II.*

Utrum permisso peccati in electis sit effectus  
prædestinationis, pag. 486. num. 1.

Aliqua exponuntur, & supponuntur, ibi, &  
sequentib.

*Resolutio 1.* Permissio peccati in electis est ef-  
fectus prædestinationis, ad minus ex præin-  
tentia humilitate, p. 487. n. 4.

Fundatur 1. ex verbis Apostoli: *Diligentibus*  
*Deum omnia cooperantur in bonum*, ibi.

Secundò à ratione: ex quo ex intentione effi-  
caci dandi gloriam prædestinatis proce-  
dunt.

dunt omnia media, quæ ad ejus consecutionem conducunt, ibi. num. 5.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, p. 488. num. 10.

*Resolutio 2.* Est etiam effectus prædestinatio-  
nis ex prætentia poenitentia, p. 494. n. 28.

Fundatur 1. auctoritate Augustini, & D. Thomæ, ibi.

Fundatur 2. ratione: ex quo poenitentia in  
prædestinatis ad consecutionem gloriæ  
conducit, ibi. num. 29.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, ibi.  
num. 31.

*Magist. in 1. dift. 40.*

### Dub. III.

An electio prædestinatorum ad gloriam sit  
anteprævisa merita? pag. 498. num. 1.

Aliqua supponuntur, & notantur, ibi, & se-  
quentib.

*Resolutio unica.* Elec̄tio prædestinatorum ad  
gloriam sit anteprævisa merita, pag. 499.  
num. 5.

Fundatur 1. ex varijs locis Sacrae Scripturæ,  
pag. 500. num. 6.

Secundò fundatur: ratione D. Thomæ, p. 502.  
num. 11.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, p. 506.  
num. 25.

*Magist. in 1. dift. 40. C. 41. C. in 3. dift. 32.*

*De Trinitate. Dubia V.*

### Dub. I.

Cur processio Verbi sit generatio, & non  
processio Spiritus Sancti? p. 514. n. 1.

Proponitur id, quod est certum secundum si-  
dem, ibi.

*Resolutio 1.* Fundamentum, & radix, cur pro-  
cessio Verbi sit generatio, est, quia proce-  
dit per intellectum, ibi. n. 2.

Fundatur unicè reducendo ad formam ratio-  
nem D. Thomæ, ibi.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, ibi.  
num. 3.

*Resolutio 2.* Fundamentum, & radix, cur pro-  
cessio Spiritus Sancti non est generatio,  
est, quia procedit per voluntatem, pag.  
419. num. 19.

Fundatur etiam reducendo ad formam ratio-  
nem D. Thomæ, ibi.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, p. 520.  
num. 23.

*Magist. in 1. dift. 6. 7. 10. 13. 18. C. 28.*

### Dub. II.

Utrum in divinis decur perfectio relativa? p.  
528. num. 1.

Plura necessaria pro resolutione notantur, ibi.  
& sequentib.

*Resolutio 1.* In divinis non datur perfectio re-  
lativa transcendentalis, p. 531. n. 8.

Fundatur 1. Ex varijs locis D. Thomæ, ibi.  
num. 9.

Fundatur etiam ab auctoritate Parentis Au-  
gustini, ibi.

Fundatur 3. Ab inconvenienti, quod in divi-  
nis darentur tres perfectiones relativæ, pag.  
532. n. 10. & sequentib.

Tandem fundatur rationi à priori specialiter  
procedente de perfectione transcendentali,  
p. 540. num. 45.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta ab au-  
toritate, ibi. num. 46.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta à ra-  
tione, p. 543. num. 57.

*Resolutio 2.* Nec in divinis datur perfectio re-  
lativa formalis, p. 550. n. 64.

Fundatur 1. Ex dictis in secundo notabili,  
ibi.

Secundò: Ex quo perfectio formalis dicitur  
per ordinem ad subjectum formaliter, &  
per se, ibi.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag.  
552. num. 99.

*Magist. in 1. dift. 2. C. 19.*

### Dub. III.

Utrum Verbum Divinum per se, & formaliter  
procedat ex cognitione omnium possi-  
bilium? p. 561. n. 1.

Explicantur termini dubij, ibi.

*Resolutio unica:* Verbum Divinum per se, &  
formaliter procedit ex cognitione possibi-  
lum, ibi. n. 2.

Fundatur primò: Ex doctrina D. Thomæ, ibi.  
A ratione autem fundatur 1. Ex quo Verbum  
Divinum per se, & formaliter procedit ex  
cognitione omnium, quæ ex vi suæ proce-  
sionis exprimit. ibi. n. 3.

Secundò: Ex quo Verbum Divinum per se,  
& formaliter procedit ex cognitione com-  
prehensiva Patris, p. 562. n. 5.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag.  
566. num. 18.

*Magist. in 1. dift. 27.*

Dub. IV.

Utrum, si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, realiter ab illo distingueretur, pag. 576. num. 1.

*Resolutio unica.* Si Spiritus à Filio non procederet, realiter ab illo non distingueretur, ibi. num. 2.

Fundatur unica ratione D. Thomæ, ibi.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta, pag. 580. num. 13.

*Magist. in 1. dist. 11.*

Dub. V.

Qualiter Divinæ Personæ constituantur per relationes, p. 586. n. 1.

Titulus plura præsupponit, ibi. & sequentib. *Resolutio unica.* Probabilius dicitur divinas personas constitui per relationes secundum respectus ad signatae conceptos, pag. 588. num. 8.

Fundatur 1. Stando literæ D. Thomæ, ibi.

Fundatur 2. A ratione; ex quo relationes solum sub respectu ad personas realiter distinguunt, p. 589. n. 9.

Fundatur 3. Ex quo sub eo conceptu paternitas constituit Patrem in ratione personæ, sub quo eum constituit in ratione Patis, pag. 590. num. 16.

Tandem fundatur: Ex quo Persona Divina non potest constitui per aliquid absolutum, p. 591. num. 20.

*Magist. in 1. dist. 9. 21. 23. 24. 25. 26. 27. 33. C. 34.*

AD LECTOREM.

**S**tate super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, *Hyeremæ 146.* Ubi enim iter est varijs semitis intercessum, nec sine duce est aggrediendum, ne à recto tramite deviemus: est enim nobis collectatio adversus novam turrim à Babel, scilicet confusionis, id est, adversus juniores quosdam Theologos, qui affectu moti, aut negandi certa, aut obscurandi clara argumentorum varietate plura obstruere contendunt. Contrarium intendi, cum primo cœpi dubia præcipua Theologia Scholastica in lucem edere: quapropter de eis ago juxta communiorum Thomistarum doctrinam, ut sic recto traxi mentem D. Thomæ affeqmar. Fatoque me ægre non ferre, sed potius gratum animum babere, quod à me scripta ab Adversarijs impugnentur, sed non sine sinceritate animi, & desiderio inquirendæ veritatis, quo sunt à me typis mandata; cum caligo ipsa veniam erranti offerat, si sincerè scopum veritatis tentet collimare. Magnum, & philosophicum animum nihil earum rerum, quæ in hac vita tristes accident, molestare potest. *Sententia est Chriſtoſtomi tom. 4. Serm. 3.* Philoſophicum animum vocat illum, quo quis, & abi, & alijs perficiendis studet: quippe christiana nobilitatis stemmata in hoc splendent, quo quis sedulus, & in vinea Dei proficuus ita se gerat, ut quantum in se est verba vita, vita, & verbo ceteris propinare curat. Maximo ergo Rempublicavi litterariam augendi desiderio astutans has partes de dubijs præcibus, quæ in Sacra Theologia disceptari solent, offerendam procuravi, sicut promissi, stylo quidem Scholastico, & familiari, ut omnis confusio vitetur. Valeas benignissime Lector.



DUBIA , QUÆ  
PRÆCIPVE DISCEPTARI  
SOLENL IN SACRA  
THEOLOGIA  
SCHOLASTICA ,

Juxta communiores Thomistarum doctrinam.

PARS PRIMA.

DE PROOEMIALIBUS DUBIA III.

DUBIUM PRIMUM.

*Utrum Theologia nostra via verè , & propriè  
subalernetur scientię Dei , & Beatorum.*



Er scientiam beatam non idē intelligimus , ac scientiam beatorum ; datur enim in beatis triplex scientia: alia , quæ est purè naturalis , népè de rebus naturalibus per principia nota lumine naturali intellectus , alia perfectè supernaturalis , quæ est lumen gloriae , seu visio beata , per quam beatus videt Deum , & in eo omnia divina , quæ eminentè dicitur scientia , quatenus per eam beatus unico , & simplici intuitu , qui dicitur discursus virtualis , videt in Deo aliqua , ut principia : v.g. Deum esse immutabilem , & aliqua ut conclusiones , nimirū Deum esse .

M.Carrasco.

æternum : undè quidquid beatus videt per hanc scientiam , videt intra verbum , & non extra illud. Alia , quæ est tantum imperfectè , seu radicaliter , & presuppositivè supernaturalis ; quo ad substantiam tamè , & formaliter naturalis est , qua extra verbum deducit conclusiones ex viis in verbo , quas per proprias species cognoscit , vel à Deo infusas , vel in via proprio labore adquisitas , & ad quarum assensum non concurrit lumen gloriae immediatè , sed mediātē lumine naturali intellectus discurretis , & ratiocinantis: Undè talis scientia est formaliter discursiva. Ex his ergò tribus scientijs solum secunda dicitur à Theologis scientia beata , & de hac inquiritur , an ei propriè subalernetur theologia nostra via. Tertia namque scientia vocatur etiam theologia , quæ in nostra sententia (ut dubio sequenti dicemus ) non distinguitur specie à theologia viæ , sed tantum accidentaliter penes statum imperfectum , & perfectum.

A

Dein-

# De Proemialibus.

**3** Deinde notanda est doctrina D. Thomæ hic art. 2. in corpore, ubi duplex genus scientiarum distinguit: *Quedam enim sunt, quæ procedunt ex principijs notis lumine naturali intellectus, sicut arithmeticæ, geometriæ, & hujusmodi. Quedam verò sunt, quæ procedunt ex principijs notis lumine superioris scientie, sicut perspectiva procedit ex principijs notificatis per geometriam, & musica ex principijs per arithmeticam notis.* Quod, & repetit primo ad Anibaldum, q. 1. art. 10. scientiæ ergo primi generis dicuntur scientiæ subalternantes, secundi verò dicuntur scientiæ subalternatae, namque scientia subalternata dicitur ab hoc, quod est subalterna nata, scilicet quantum ad evidentiam suorum principiorum. Quibus suppositis unica est in præsenti difficultas titulo dubij correspōndens, unde sit.

## RESOLUTIO UNICA.

*Theologia nostra verè, & propriè subalternatur scientiæ Dei, & beatorum.*

**4** **E**ST contra Bazquez, Valentiam, & plures alios extra scholam D. Thomæ, & ex thomistis contra Bañez, & Illustrissimum Marinum. Eam tamè tenent communiter cæteri thomistæ, & fundatur ratione D. Thomæ loco citato, nam immediate post dicta sic subdit; *& hoc modo sacra doctrina est scientia, quia procedit ex principijs notis lumine superioris scientie, que scilicet est scientia Dei, & beatorum.* Unde sicut musica credit principia tradita sibi ab arithmeticæ, ita doctrina sacra credit principia revelata sibi à Deo. Ubi nomine doctrinæ sacræ intelligit theologiam.

Ex quibus fundatur ratione sic: illa scientia est verè, & propriè alteri subalternata, cujus principia in altera notificantur; hoc enim ipso subalterna nascitur quantum ad evidentiam suorum principiorum; sed principia, quibus utitur nostra theologia, & ex quibus suas conclusiones deducit, notificantur in scientia Dei, & beatorum: Ergo. Major est certa: Tum quia juxta D. Thomam non in alio consistit subalternatio scientiarum, quam in prædicta dependentia, & subordinatione: tum quia eo ipso est verè, & propriè subalterna nata: tandem quia eo ipso non est verè, & propriè scientia subalternans, utpote hæc procedit ex principijs notis lumine naturali intellectus, suasque conclusiones resolvit in principia per se nota,

proindeque ex se independenter ab alia scientia, est evidens, & clara. Minor verò non indiget probatione; etenim principia, quibus utitur theologia nostra sunt articuli fidei, seu ea, quæ immediate per fidem revealantur; hæc autem omnia evidenter cognoscuntur per scientiam Dei, & beatorum, solumque in ea notificantur: Ergo.

**5** Confirmatur: namque secundum D. Thomam, sic theologia subalternatur scientiæ Dei, & beatorum, sicut musica arithmeticæ, & perspectiva geometriæ, & hoc ideo, quia sicut musica procedit ex principijs notificatis per arithmeticam, & perspectivam, ex principijs notificatis per geometriam, ita theologia procedit ex principijs notificatis per scientiam Dei, & beatorum; unde tam theologia, quam musica, & perspectiva credunt principia sibi tradita, seu cognita à superiori scientiæ; at in omnium sententia musica verè, & propriè subalternatur arithmeticæ, sicut, & perspectiva geometriæ: Ergo, & theologia via verè, & propriè subalternatur scientiæ Dei, & beatorum.

**6** Dices D. Thomam nunquam nostram theogiam nominasse verè, & propriè subalternatam scientiæ Dei, & beatorum. Sed contra est, nam si vim faciant in verbo, neque nominavit loco citato subalternatam, & sic neque erit subalternata in sententia D. Thomæ. Deinde licet nomine subalternationis non utatur, re tamen vera per illud duplex genus scientiarum intelligit scientias subalternatas verè, & propriè, ut patet ex exemplis adjunctis arithmeticæ, & geometriæ, quæ ad primum genus pertinent, & musica, & perspectivæ, quæ pertinent ad secundum. Ac tandem 2. 2. q. 1. art. 5. expræsse sic habet: *Theologia ergo nobis viatoribus est secundum se vere scientia subalternata;* dicit secundum se, quatenus ipsa ex sui ratione compatibilis est, & conjungibilis cum scientia beatorum, licet non quantum ad statum imperfectum, quem habet in via.

*Objiciuntur, & solvantur argumenta.*

**7** **S**ED contra nostram resolutionem objicies primo: quod Philo-  
phus 1. posterior, requivit pro  
scientia subalternata conditions repugnantes  
nostræ theologizæ, nimirum quod omnis scientia  
subalternata addat differentiam aliquam  
accidentalem ad objectum scientiæ subalternan-  
tis, sicut musica ad numerum, qui est ob-  
jectum arithmeticæ addit differentiam sonori,  
namque

# Dubium I.

3

namque si nil addit, vel addit differentia essentialem eo ipso non erit distincta scientia essentialiter, cum ad eandem scientiam attingat agere de genere, & illius speciebus; cum tamen idem formaliter sit objectum nostrae theologiae, ac scientiae beatae, nimirum Deus sub ratione Deitatis. Item quod prima principia scientiae subalternatae sint conclusiones scientiae subalternantis, scilicet ab ea probata, & demonstrata, qua ratione communiter dicitur, quod ubi desinit phisicus, ibi incipit medicus, quia medicina est scientia subalternata phisicae. Quae conditio etiam in nostra theologia verificari nequit, cum principia illius sint articuli fidei, qui neque probari, neque demonstrari possunt. Tandem quod scientia subalternata probet suas conclusiones per demonstrationem, quia, sicut subalternans probat suas conclusiones, propter quid; quod etiam nostrae theologiae competere non potest, cum non habeat experientiam illarum. Desunt ergo nostrae theologiae conditiones a philosopho requisita ad veram, & propriam subalternationem.

8 Ad hoc argumentum dupli via potest responderi: & primo quod cum Aristoteles non cognovisset theogiam, illas conditiones assignavit pro scientijs subalternatis ordinis pure naturalis, ut sunt musica respectu arithmeticæ, perspectiva respectu geometriæ, & medicina respectu philosophiæ. Tamen Divus Thomas qui theogiam agnovit, ad subalternationem vere, & propriè talem, non aliam requisivit conditionem præter assignatam nempe quod illius principia notificantur lumine superioris scientiæ, hoc enim ipso est vere subalternata, quantum ad evidentiam principiorum. Unde hæc conditio dicitur essentialis, id est exacta ex propria ratione subalternationis: Ceteræ vero dicuntur accidentales, id est non exactæ ex ratione subalternationis, sed talis subalternationis, videlicet pure naturalis.

9 Et quidem quantum ad primam conditionem, quia sine ea scientia pure naturalis distinguui non potest essentialiter a subalternante, & consequenter neque ab illa dependere quantum ad evidentiam principiorum. Unde potius conditio ita tendit, ut in finem, ut scientia subalternata pure naturalis a subalternante dependeat quantum ad evidentiam principiorum. Cum ergo theologia nostra absque illa conditione sit scientia essentialiter distincta a scientia beata, consequenter illam conditionem non exposcit, ut sit ei vere, & essentialiter subalternata.

10 Quomodo autem estare potest objectum theologiae nostræ nullam addere differentiam accidentalem ad objectum scientiae beatæ, & esse essentialiter ab ea condistinctam? Dicimus hoc provenire ex infinite, & illimitatione objecti illius, quod est Deus sub ratione Deitatis. Ex infinite enim habet, quod sine additione differentiæ accidentalis sit scibilis sub diverso lumine, nempe supernaturali lumine gloriæ, & naturali lumine intellectus; proindeque ex infinite habet Deus diversos modos scibilitatis, & quod posse terminare diversas scientias, supernaturalem scilicet, ut est scientia beata, & naturalem, qualis est theologia nostra. Quæ hoc ipso, quod sub diverso lumine procedunt, distinguuntur in modo procedendi, namque scientia beata procedit uno simplici intuitu, attingendo principia, & conclusiones; theologia vero nostra conclusiones per discursum formalem ex principijs deducit, & sic sunt scientiæ essentialiter distinctæ, subalternatim tamen posse, quippe scientiæ disparate se habentes, requirunt objectum omnino distinctum, & nequidem per additionem differentiæ accidentalis, vel per diversum modum procedendi.

11 Idem dicunt thomistæ quantum ad secundam conditionem, namque in scientijs naturalibus subalternatim possitis, cum idem sit lumen, nempe naturale, & pariter idemmet modus procedendi, scilicet per discursum, consequenter sicut ex hoc necesse est, quod objectum subalternata addat differentiam accidentalem, ut distinguatur a subalternante, ita est necesse, quod principia utriusque sint distincta, ita ut principia scientiæ subalternatae sint potius conclusiones scientiæ subalternantis. Et tamen contra in theologia propter oppositam rationem.

12 Quantum ad tertiam conditionem pariter dicimus, eam solùm competere scientiæ subalternatae pure naturali; hæc enim solùm inductive, & per effectus investigatur principia. Et quod hæc conditio non sit exacta ex ratione subalternationis, constat manifeste, namque ut sic per effectus demonstrans principia, non est formaliter subalternata, sicut neque a subalternante dependet in principijs, seu evidentijs illorum.

13 Alia via respondent thomistæ negando primam, & secundam conditionem theologiae nostræ repugnare. Et quidem quantum ad primam dicunt, objectum theologiae nostræ addere objectum scientiae beatæ esse revelatum mediate, & virtualiter. Itaque objectum scientiae beatæ est Deus, ut immediate reuelatus,

# De Proceris libus.

latus, non obscure, sed clare, hoc est, ut in se visus. Objectum verò nostræ theologiae est ipsemet Deus, ut cadit sub mediata, & virtuali revelatione, sive clara, ut in patria, sive obscura, ut in via. Quæ conditio est accidentalis, & extranea ad Deum, prout est in se. Neque hoc est ita intelligendum, quod scientia beata attingat solum immediate Deum, & non alia, attingit quidem alia, attributa scilicet, sed in ipso Deo viso immediate, proindeque unico intuitu, & absque discursu formaliter videt essentiam, & ratione essentiae attributa; qua ratione praedita visio, licet unica, & simplicissima, dicitur discursus virtualis, & vere obtinet rationem scientiae. Nostra tamen theologia videt alia, sed non in ipso Deo immediate viso, sed ex ipso per consequentiam, seu discursum formalem ea deducendo. Licet hoc aliter contingat in patria, ac in via; in patria namque conclusiones deducit ex ipso Deo immediate viro per lumen gloriae; in via verò eas deducit ex Deo immediate revelato per fidem. Proindeque hæc revelatio mediata, & virtualis specificans nostram theologiam non est determinate obscura, vel clara, sed praescindit ab obscuritate, & claritate, ut dubio sequenti explicabimus.

14 Quantum ad secundam verò conditionem fatemur, quod scientia beata sicut formaliter non est discursiva, sic neque conclusiones nostræ theologiae potest demonstrare per discursum, seu consequentiam formalem, secùs tamen per discursum, & consequentiam virtualem, sic enim attributa demonstrat per naturam divinam, tanquam per rationem à priori, aliter non est vere, & proprie scientia. In quo sensu dicimus, quod licet scientia beata non omnia principia nostræ theologiae demonstrare possit, sicut ea, quæ pertinens ad divinitatem immediate, & in se: v. g. Deum esse trinum, & unum, ut pote hujus non est assignare rationem, vel causam, proindeque quantum ad ista principia solum theologia nostra dicatur subalternata, ex quo principia ejus per scientiam beatam notificantur; tamen plura alia sunt principia nostræ theologiae, quæ de facto demonstrat scientia beata. Namque principia nostræ theologiae dicuntur omnia illa, quæ immediate revelantur per fidem; per fidem autem revelantur immediate plura mysteria, quæ in Deo habent suas causas, & rationes à priori; ut sunt incarnatione, iustificatio, resurrectione, glorificatio, Eucharistia, & alia hujusmodi. Omnia ergò hæc principia demonstratur per scientiam beatam, & sic quantum ad hujusmodi

principia potest theologia nostra dici verè, & propriè subalternata scientia beata.

15 Objicies secundo. Scientia verè, & proprie subalternata ex necessitate habet sua mendicare principia à scientia subalternante: at theologia nostra non indiget mendicare sua principia à scientia beata: Ergò. Probatur minor. Namque nulla est implicatio in eo quod beatus ea, quæ in Deo viro ratione deitatis simplici intuitu cognoscit, cognoscit ex ipso Deo per discursum; at in hoc casu theologia nostra per se, & ex propria virtute adquireret notitiam sutorum principiorum, quippe discrusus ille theologicus esset: Ergo. Confirmatur. Scientia subalternans licet probare possit principia scientiae subalternatæ, secùs tamen illius conclusiones, aliter subalternans ageret de omnibus, de quibus subalternata, & sic non essent scientiae essentialiter distinctæ, sed solum distinguenter, sicut totum, & pars; sed scientia beata nedium probat principia nostræ theologiae, verum & conclusiones illius: Ergo.

16 Ad argumentum respondetur concedendo majorem, & negando minorem. Ad probationem distinguo majorem; si ea, quæ in Deo viso ratione Deitatis cognoscit, necessario cum Deitate connectantur, concedo, si libere, nego. Ex ipso enim Deo viro solum per discursum cognoscuntur, quæ cum Deitate necessario connectantur, non verò ea, quæ libere tantum cum ea connectantur, ut in plurimum connectantur mysteria relata nostræ fidei; & sic praedita principia indiget theologia nostra mendicare à scientia beata, neque eorum notitiam potest propria virtute adquirere. Ad confirmationem potest duplicitè responderi juxta dicta ad primum argumentum: primo, quod licet scientia beata probet conclusiones nostræ theologiae, proindeque agat de omnibus, de quibus nostra theologia, adhuc tamen est scientiae essentialiter, & ex æquo ab ea distincta, quia lumen est distinctum nempe lumen gloriae cum tamen lumen theologiae sit naturale; & consequenter etiam modus procedendi est diversus, namque scientia beata procedit simplici intuitu, theologia verò nostra per discursum, licet ex parte cognitorum convenienter. Et sic non obest, ut theologia nostra sit verè, & propriè subalternata, quippe quod objectum inferioris scientiae sit radix novarum proprietatum, habet ex quo addit differentiam aliquam accidentalem ad objectum superioris scientiae, quæ conditio, ut diximus solum requiritur pro scientia pure naturali.

Secun-

17 Secundo respondetur cum Lisbonensi negando scientiam beatam probare conclusiones nostræ theologiae. Cujus rationem assignat; quia prædictæ conclusiones non revelantur beatis intra bervum, non enim omnia revelantur eis intra bervum; sed ex his quæ in Deo clare videntur, plura per consequentias deducunt, quæ deductio jam non pertinet ad scientiam beatam, nam hæc consequentias non deducit, sed pertinet ad scientiam inferiorem, & extra verbum, quæ dicitur theologia Patriæ. Sed dices: potest Deus omnes conclusiones, quas nostra theologia deducit, beato intra verbum revelare: ergo in tali casu ruit nostra solutio. Respondet negando consequentiam, nam tunc in beato, cui talis facta fuisset revelatio, non esset theologia, nisi forte juxta primum modum dicendi; quia eadem possunt intra verbum, & extra verbum diverso lumine cognosci. Juxta secundum verò dicimus, quod theologia ex proprio lumine, utpote naturali non habet nisi ex visis in Deo conclusiones, quas in Deo non cognoscit, per discursum deducere. Unde cum in tali casu omnes conclusiones per discursum deducibiles intra Deum cognosceret, nullas ex visis in Deo conclusiones deduceret, & sic in eo cui talis facta fuisset revelatio, theologia non esset.

18 Objicies tertio: sequitur ex nostra doctrina theologiam nostram verè, & propriè subalternari scientiæ per se inditæ, seu infusæ; hoc nullus dixit: ergo. Probatur sequela, namque principia nostræ theologiae etiam notificantur, seu evidentè, & quiditatè cognoscuntur per scientiam inditam: v. g. mysteria nostræ fidei, sicut, & alia dona supernaturalia, ut tenent nostri theologi 3. p. q. 11. & sic de facto ea Christus per scientiam inditam cognovit: si ergo hac sola ratione theologia nostra subalternatur verè, & propriè scientiæ beatæ, propter eandem rationem verè, & propriè subalternabitur scientiæ per se inditæ.

19 Sed in primis certum est scientiam per se inditam non notificare omnia principia nostræ theologiae; nempè quæ increata sunt, & pertinent ad Divinitatem, Divinitatem namque, seu essentiam Divinam Christus per scientiam inditam quiditatè non cognovit, sed tantum quo ad an est, ut tenent pariter nostri theologi cum Divo Thoma loco citato. Cum ergo ad scientiam subalternantem propriè talem pertincat evidentiam facere omnium principiorum scientiæ subalternatae, consequenter jam ex hac parte deficit scientiæ per se inditæ ratio scientiæ subalternantis verè, & propriè talis. Deinde deficit ex quo objectum scientiæ

M. Carrasco.

subalternantis, & subalternata debet esse idem cum sola differentia accidentalí, quam objectum subalternata addit ad objectum subalternantis; objectum autem theologiae est Deus, est enim theologia sermo, seu ratiocinatio de Deo, objectum autem scientiæ per se infusæ est ens creatum prout in se supernaturaliter cognoscibile, ut loco citato dicunt theologi, per hoc enim distinguitur ab objecto luminis glorie, quod est essentia Divina in se clarè, & intuitivè cognita, & ab objecto luminis prophetici, quod est ens supernaturale cognoscibile ratione Divini testimonij, ab objecto nostræ theologiae, quod est Deus, ut subsans revelationi mediatis & virtuali, & ab objecto prudentia infusæ, quæ circa agibilia, ut proprium objectum versatur. Quamvis: Ergo scientia indita plura principia nostræ theologiae notificet, non tamè propterea dicenda est scientia subalternans respectu nostræ theologiae. Benè tamen scientia beata, quia in objecto cum ea convenit, & ex hoc omnia illius principia evidentè ostendit.

20 Objicies quarto: scientia non propriè subalternatur habitui primorum principiorum, ut docent philosophi; at scientia beata respectu nostræ theologiae te habet, ut habitus primorum principiorum, namque per lumen gloriae prima principia nostræ theologiae notificantur, & manifestantur: Ergo nostra theologia non propriè subalternatur scientiæ beatae. Sed respondet negando, quod lumen gloriae, ut dictum est, unico, & simplici intuitu attingit Deum, & alia in Deo: Ea ergo parte, qua attingit Deum primum omnium principiorum, dicitur, & est habitus primorum principiorum, & ei prout sic non subalternatur nostra theologia, ut à paritate argumentum convincit. Ea verò parte, qua alia attingit in Deo, ut in causa virtuali, & ratione à priori, est verè, & propriè scientia, & non habitus primorum principiorum, & ei prout sic dicimus theologiam nostram, verè, & propriè subalternari, quia licet prout sic notificet prima principia nostræ theologiae, sed non prima absolute, utpote principia nostræ theologiae sunt conclusiones scientiæ beatæ per eas probatae, & demonstratae, ut patet ex dictis.

21 Objicies quinto ad probandum theologiam nostram non posse, verè, & propriè subalternari scientiæ Dei; namque scientia subalternans, & subalternata conjungibiles sunt in eodem intellectu; sed in eodem intellectu conjungi nequit scientia Dei, & theologia nostra; hac enim repugnat intellectui Divino in quo est scientia Dei, & scientia Dei repugnat intellectui nostro, in quo est theologia: Ergo. Con-

firmatur: nam scientia subalternans non debet attingere conclusiones scientia subalternata; sed solum illius principia; at scientia Dei, ut potè infinita nedum principia theologiae nostra, verum, & conclusiones illius attingit. Ergo.

22 Ad argumentum respondetur duplicitè: primò convincere, Theologiam nostram propriè non subalternari scientia Dei subjectivè, & objectivè tali, id est, quæ nedum est de Deo, verum & subjectatur in Deo, quæ proinde est scientia infinita, & comprehensiva, non tamèn convincere de scientia Dei tali solum objectivè, qualis est scientia beata; hec enim dicitur beata subjectivè, quia subjectatur in beato, objectivè tamèn est scientia Dei, quia ejus objectum est Deus & cum hac, ut diximus, conjungibilis est Theologia nostra; ita Magister Ferre, sed mihi sine fundamento, quia ut patet ex contextu Div. Thomæ nomine scientia Dei intelligit scientiam diuinètam à scientia beata, quæ proinde est scientia Dei objectivè, & subjectivè, aliter innutiliter repeteret utramque scientiam per illam copulativam: *Quæ est scientia Dei, & beatorum.* Præterquam quod illa scientia juxta nos dicitur scientia subalternans propriè, qua notificat principia scientia inferioris; sed scientia Dei subjectivè talis notificat principia nostra theologiae: ergo ei propriè nostra theologia subalternatur, & nedum scientia Dei objectivè tali, seu beata.

23 Melius ergo dicitur, quod scientia subalternans, & subalternata, sunt conjugibiles in eodem intellectu, vel formaliter, vel eminenter; quando enīm utraque est finita, & limitata, quales sunt scientia pure naturales, & similitèt scientia beata, & theologia nostra, sunt conjugibiles formaliter; quando vero scientia subalternans est infinita, & subalternata finita, non est necesse, quod ista cum illa formaliter conjugibilis sit: immo repugnat, siquidèm scientia infinita propria est intellectus infiniti, intellectui vero infinito repugnat scientia finita. Conjungitur tamèn tunc eminenter, quatenus scientia subalternans infinita eminenter se extendit ad omnia, quæ attingit scientia ipsa subalternata finita. Unde & scientia Dei eminenter est theologia nostra, quia omnia, de quibus agit theologia nostra, attingit, & comprehendit. Ex his respondetur ad confirmationem: licet verum sit, quod scientia subalternans finita, & limitata non possit attingere conclusiones subalternæ, secùs tamèn scientia subalternans infinita, namquè eo ipso est ipsa scientia subalternata eminenter, & sic non potest non ad omnia, de quibus agit subalternata eminenter se extendere.


24 Tandem objicies: licet ita sit, quod theologia patriæ verè, & propriè subalternetur scientia beatæ, secùs theologia viae: ergo theologia nostra, ly nostra non denotante humanitatem, sed statum viatoris, non propriè subalternatur scientia beatæ. Probatur antecedens. Theologia viae non procedit ex principiis notis lumine scientia beatæ, sed dumtaxat lumine fidei, quod nequè effectivè procedit à scientia beatæ, sed à solo Deo, infunditur: Ergo. Confirmatur. Scientia independens ab alia ei propriè subalternari nequit; sed theologia viae omnino est independens à scientia beatæ: Ergo. Probatur minor. Tum quia theologia nostra seu viae, tantum dependet à potentia, ab objecto, & à lumine, à quo efficitur; scientia autem beatæ ad theologiam viae non comparatur ut potentia, nequè ut objectum, nequè ut lumen: tum quia si per impossibile non esset scientia beatæ, proindeque nequè possemus mysteriorum fidei habere evidentiam, adhuc possemus ea per fidem attingere credendo, & ex eis sic creditis, easdem deducere conclusiones, quas modo per theologiam deducimus: Theologia ergo viae omnino est independens à scientia beatæ.

25 Sed hoc argumentum aliam ingentem difficultatem attingit, de qua dubio sequenti: An scilicet theologia viae per se, & essentialiter sit obscura, maneatque in patria. Pro nunc ex ibi dicendis respondetur, quod cum semper sic verum: quod principia illa credita per fidem notificantur, & evidentè cognoscuntur lumine scientia beatæ, semper subsistit quod theologia viae, quamvis per accidens, & ratione status procedat ex notis lumine fidei, subalternatur scientia beatæ; quia subalternatio in eo dumtaxat consistit, quod principia scientia inferioris notificantur lumine superioris, eo enim ipso est subalternata quantum ad evidentiam principiorum, ut sèpè dictum est. Hinc dicendum, quod adhuc in eo statu theologia procedit per se ex notis evidentè lumine scientia beatæ, sicut & musica habita in absentia arithmeticæ per se exigit procedere ex principiis notis lumine illius, immo sicut quilibet scientia exigit procedere ex principiis evidentè notis; est enim theologia verè scientia, ut supponimus. Ex his ad primam confirmationem respondetur, quod scientia beatæ ad theologiam viae comparatur ut lumen per se, sicut & ut lumen notificans evidentè illius principia, licet per accidens ratione status ea notificantur obscure lumine fidei. Ad secundam partem respondetur, quod si impossibilis esset scientia beatæ, impossibilis essent homines, namque si homines essent possibles, eis non repugnaret gra-

# Dubium I.

7

gratia, & consequenter neque beatitudo: sicut in eo casu, sicut neque essent homines, neque esset fides, neque theologia.



## DUBIUM II.

*Utrum theologia via sit per se, & essentialiter obscura.*

26 **A** LIJS terminis solet hoc ipsum in examen vocari: an scilicet theologia via maneat in patria. In patria enim manere non potest, si sit per se, & essentialiter obscura, secus vero si obscuritas ei solum accidentaliter, & ratione subjecti, seu status illius conveniat. Pro quo notanda est doctrina Divi Thomae 2. 2. quæst. 67. artic. 3. in corpor. ubi sic post alia habet: *Est autem considerandum, quod imperfectione quandoque est de ratione rei, & pertinet ad speciem ipsius, sicut defectus rationis pertinet ad speciem equi, vel bobis. Et quia unum, & idem numero manens non potest trahire de una specie in alteram inde est quod tali imperfectione sublata, tollitur species rei, sicut jam non est bos, si est rationalis. Quandoque vero imperfectione non pertinet ab speciem rei, sed accidit individuo secundum aliquid aliud, sicut alicui homini quandoque accidit defectus rationis, in quantum impeditur in eo usus rationis, propter somnum, vel ebrietatem: Patet autem quod tali imperfectione sublata, nihilominus substantia rei remanet.*

27 Tota ergo difficultas in præsenti in eo sita est: an imperfectio obscuritatis, quam theologia habet in via sit de ratione illius, ad ipsiusque speciem pertineat, sicut de ratione tidei est, & ad ipsius speciem pertinet quod subjectum non videat id quod credit: an vero ei solum accidat ratione subjecti seu status, quia scilicet viator est. Si enim primo modo sit obscura, imperfectione obscuritatis sublata, destruitur, unde neque manebit in patria, ubi nulla est, neque potest esse obscuritas. Secus vero, si obscuritas ei dumtaxat secundo modo conveniat. Unica ergo est in præsenti difficultas titulo dubij correspondens, unde sit.

## RESOLUTIO UNICA.

*Theologia via non est per se, & essentialiter obscura, proindeque manet in patria.*

28 **E** ST contra Nazarium, Viescas, Zumel, Zamorensem, Valentiam, Fassolum, & alios recentiores. Eam tamè tenet Cayetanus, Bañez, Lisboniensis, Serra, Gonet, Lezana, & novis-

simè Magister Ferre cum alijs. Primumque fundamentum desumitur ex dictis dubio præcedenti: nempè theogiam via esse scientiam propriè subalternatam scientiæ beatæ, sicut, & musica arithmeticæ, & perspectiva Geometriæ; Scientia autem propriè subalternata scientiæ alia superiori non est per se, & essentialiter obscura, namquæ licet non sit evidens, evidentia orta ex proprio lumine, sicut neque demonstrat sua principia, vel ea resolvit in per se nota, est tamè evidens participativè, seu evidētia participata à superiori scientia, & cum sine illa habetur, in eam inclinat, & in sui coniunctionem cum illa, ratione cuius perficitur, & sine qua solum est scientia quoad substantiam, non vero habet statum scientiæ, utpote hic consistit in resolutione usque ad principia per se nota, quod totum videre est in musica, & perspectiva. Sed quidquid sit an sit propriæ subalternata scientiæ beatæ, hoc enim est certum ferre apud omnes, quod est subalternata quantum ad evidentiam principiorum, utpote ejus principia notificantur, & evidenter cognoscuntur lumine scientiæ beatæ, licet ad objectum illius nullam addat differentiam accidentalem, neque per illam principia theologia demonstrantur, solum enim ex defectu harum duarum conditionum negatur ab aliquibus theogiam esse propriè subalternatam scientiæ beatæ. Si autem est subalternata quantum ad evidentiam principiorum: Ergo quantum ad evidentiam istam est per se subalterata, nempè sub scientia beatæ, hoc enim, ut diximus sonat nomen subalternationis. Et sic per se est evidens evidētia participata à scientia beatæ, id est per se petit ab ea evidentiam principiorum participare, consequenterque per se petit ab ea perfici, & cum ea in eodem intellectu conjungi.

29 Ac tandem quidquid sit de subalternatione theogia ad scientiam beatam, principium D. Thomæ, quo probat theogiam via esse verè, & propriè scientiam, quo & nos probavimus esse propriè subalternatam; nostram resolutionem urgenter concludit; namquæ id ratione cajus theogia via est verè, & propriè scientia, ei per se, & essentialiter convenit; sed secundum Divum Thomam est verè, & propriè scientia, quia procedit ex principijs notis lumine superioris scientiæ, nempè scientiæ Dei, & beatorum: Ergo procedere ex principijs notis lumine superioris scientiæ, essentialiter convenit theogia via; at scientia, quæ procedit ex principijs notis lumine superioris scientiæ per se, & essentialiter loquendo, non est per se, & essentialiter obscura, sed evidens ad minus quantum ad inclinationem, & exigentiam: Ergo confirmatur. Scientia propriè accepta per se, & essen-

essentialiter est evidens; sed Theologia viè est scientia propriè accepta, ut supponimus; namquæ in sententia Vazquezij, & aliorum afferentium esse solum opinionem, vel fidem acquistam, dubium prætens locum non habet: Ergo. Probatur major. Tum ex diffinitione scientiæ actualis, & habitualis: tum quia de ratione scientiæ propriè acceptæ est resolutio in principia prima, seu per se nota, sive hæc resolutio fiat lumine proprio, ut sit in scientia superiori: v.g. arithmeticæ, sive lumine alieno, ut contingit in inferiori, scilicet musica; sed evidenter scientiæ in resolutione ad principia per se nota consistit: Ergo. Major est expressa Divi Thomæ pluribus in locis, & præcipue quæst. 14. de verit. art. 9. in corpore, ubi sic habet: *Quæcumque sciuntur propriè accepta scientia, cognoscuntur per resolutionem in prima principia, que per se prestò sunt intellectui, & sic omnis scientia in visione rei perficitur. Unde impossibile est, quod de eodem sit fides, & scientia. Et 2. 2. quæst. 1. art. 5. in corp. incipit sic: Dicendum, quod omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota, & per consequens visa, & ideo oportet, quæcumque sunt scita esse visa. Quia ratione probat; quod ea, quæ sunt fidei, non possunt esse scita. Quod etiam docet. 1. post. leet. 4. & 7. & 1. top. & pluribus alijs locis hoc ipsum communiter repetit. Dicere autem, quod Div. Thomas loquitur de scientijs naturalibus tantum, manifestè contradicit contextui hujus articuli secundi; nam si hoc ita est, ad quid recurrat ad illud duplex genus scientiarum, aliud earum, quæ procedunt ex principijs notis lumine naturali intellectus, aliud earum, quæ procedunt ex principijs notis lumine superioris scientiæ, ut probet theologiam esse verè, & propriè scientiam. Hoc enim est planè supponere scientiam omnem, etiam theologiam debere procedere ex per se notis, sive resolutione facta lumine proprio, si sit superior, sive lumine alieno, si sit inferior, ut sunt musica, perspectiva, & theologia.*

30 Melius ergo Divum Thomam interpretantur, qui dicunt, vel eum loqui de scientia non quo ad substantiam, sed quo ad statum, & perfectionem scientiæ, quod & fundatur loco citato ex quæst. 14. de verit. ad illa verba: *Omnis scientia in visione rei perficitur: ac si antecedenter ad visionem, seu evidentiam, sit solum scientia quo ad substantiam. Vel qui dicunt debere intelligi per se loquendo, per accidens tamen contingere posse esse scientiam cum sola fide principiorum, quod etiam expresse fundatur loco citato ex 1. post. leet. 4. dūm ait: Non enim contingit, aliquem habere scientiam, nisi habeat demonstrationem eorum, quorum potest*

*esse scientia; & hoc dico per se, & non per accidens, & hoc ideo quia possibile esset scire aliquam conclusionem non habens demonstrationem præmissarum, etiam si essent demonstrabiles, quia sciret ea per alia principia, & hoc esset secundum accidens, & lib. 1. top. sic ait: Dicitur, quod demonstratio est ex proprijs, aut his, quæ per ea fidem sumperunt. His enim locis rectè conciliantur loca Divi Thomæ allegata pro ratione scientiæ propriè acceptæ, cum schola thomistica afferente, nostram Theologiam esse vere, & propriè scientiam: namquæ nos dicimus esse propriè scientiam quo ad substantiam, non quo ad statum, & perfectionem, quousque conjungatur cum scientia beata, à qua participat evidentiam, & pariter eam per se petere procedere ex principijs notis lumine scientiæ beatae, quia scientia inferior est, per accidens tamen, quia in subjecto est viatori, procedit ex notis lumine fidei.*

31 Quod non leviter etiam confirmatur ex doctrina ipsius Divi Thomæ 1. 2. quæst. 67. artic. 2. ubi proponit primum argumentum ad probandum virtutes intellectuales non manere post hanc vitam sic: Dicit enim Apostolus 1. ad chorinth. 12. quod scientia destruetur, & ratio est quia ex parte cognoscimus; sed si cognitio scientiæ est ex parte, id est imperfecta, ita etiam, cognitio aliarum virtutum intellectualium quamdiu hæc vita durat: Ergo, & responderet: *Quod verbum Apostoli est intelligendum quantum ad id quod est materiale in scientia, & quantum ad modum intelligendi, quia scilicet neque phantasmatu remanebunt destrueto corpore, neque erit usus scientiæ per conversionem ad phantasmatu: Præmiserat enim in corpore articuli, quod quantum ad ipsa phantasmatu, quæ sunt quasi materialia in virtutibus intellectualibus, quia homo intelligit in hac vita ea respiciendo, id est ad ea applicando species intelligibiles, virtutes intellectuales destruuntur destruendo corpore. Sed quantum ad species intelligibiles, quæ sunt in intellectu possibili, virtutes intellectuales manent; species autem se habent in virtutibus intellectualibus, sicut formales; undè intellectuales virtutes manent post hanc vitam quantum ad id, quod est formale in eis, non autem quantum ad materiale. Ex quibus infertur scientiam omnem manere in patria quantum ad id quod est formale in eis, & consequenter quod nulla scientia est per se, & essentialem obscura, sed omnis scientia ad minus exactivè est evidens. Nec valet D. Thomam nomine scientiæ intelligere alias scientias à theologia, nempe naturales, quia hæc interpretatione est absque fundamento: tum quia loquitur de scientia in communi: tum quia loquitur de illa*

illa scientia de qua Apostolus ait: *Sic è scientia destruetur: Sed Apostolus juxta illos loquitur de omni scientia, etiam theologia: Ergo.*

32 Tandem hoc ipsum adhuc evidentius consumatur, & præcedens solutio rejicitur ex eodem Divo Thoma art. 3. sequenti, ubi etiam objicit primum argumentum ad probandum fidem manere potest hanc vitam sic nobilior est fides quam scientia; sed scientia manet post hanc vitam: Ergo, & fides, & respondet: *Quod fides est nobilior quam scientia ex parte objecti, quia ejus objectum est veritas prima; sed scientia habet per se perfectionem modum cognoscendi, quia non repugnat perfectioni beatitudinis, scilicet visioni, sicut repugnat modus fidei.* Ex quibus sic argumentor: solutio Divi Thome procedit de scientia in cōmuni, & consequenter de omni scientia, loquitur enim de scientia prout conditetur à fide; at secundum Divum Thomam scientia, ut sic distincta à fide non habet modum cognoscendi repugnantem beatitudini, seu visioni Dei, sicut fides: Ergo neque theologia, & consequenter non est per se, & essentialiter obscura, sed evidens, & si non actualiter, exactivè tamen.

33 Ex hucusque dictis sequitur primo; quod Theologia taliter non est per se, & essentialiter obscura, quod est per se determinate exactivè evidens, & nedium præscindit ab obscuritate, & claritate, ut quidam ex seculatoribus nostris sententia tenent: secundo sequitur quod habitus Theologiae via procedit ex principijs notis lumine fidei, quatenus fides subrogatur loco luminis gloriae, & est vicaria illius; tiquidem per se procedit ex principijs notis lumine gloriae, sicut quia notitia per se petit procedere ab objecto, ab objecto enim, & potentia paritur notitia, cum objectum per se ipsum non unitur intellectui, procedit ab specie loco illius, & quia amor Dei per se petit procedere ab habitu charitatis, cum procedit à peccatore illum non habente, procedit ab auxilio loco illius, & pariter quia scientia subalternata: v.g. musica per se petit procedere ex principijs notis lumine scientia subalternantis, cum procedit in absentia illius à fide humana, procedit ab ea loco luminis scientiae subalternantis, & licet in sententia probabili, & mihi probabili scientia subalternata pure naturalis, scientia vere, & propriè non sit in absentia subalternantis, quia loco luminis scientiae subalternantis subrogari non valet fides humana propter sui fallibilitatem, & incertitudinem, hoc tamen de fide Divina dubitari non potest, utpote inititur divino testimonio, Deus namque nō potest fallere, neque falli. Unde in certitudine scientiam superat. Immo sen-

tentia afferens scientiam subalternatam in absentia scientiae subalternantis esse propriè scientiam, quam tenent Cajetanus, Nazarius, Araujo, Flandria, Sanchez, Patres Carmelitæ, Ortiz, Leima, & Prado, & est inter Thomistas communissima: in hac, inquam, sententia etiam fidis humana subrogatur loco luminis scientiae subalternantis, non quidem fallibilis, sed moraliter infallibilis, quatenus omnes fore Doctores periti in subalternante verbis, & scriptis absque contradictione convenient, & conspirat in illis principijs, ea asseverando, & ut demonstrata tradendo. Tunc enim habetur de illis certitudo quadam moralis omnem excludens hesitationem, & formidinem, quia non videtur moraliter credibile tot homines in illis principijs convenisse, si non essent vera, & demonstrata.

34 Secundo, alia via fundatur nostra resolutionis, namque licet theologia procedat ex principijs cognitis per fidem, non tamen ut obscurae cognitis, sed ut certo cognitis: Ergo obscuritas fidei per accidens omnino, & materialiter se habet ad Theologiam viæ. Prebatut antecedens, namque licet theologia via procedat ex principijs cognitis per fidem, procedit tamen ex eis quatenus convicunt, & necessitant intellectum ad assensum conclusionis theologicae; at necessitant, & convicunt intellectum dumtaxat quia certo, & infallibiliter cognita, non vero quia obscurae cognita, licet revera sint cognita certo, & infallibiliter obscurae: Ergo. Patet minor: nam dūm intellectus est certus de veritate predicatorum principiorum, statim sine rectâ disposita in modo, & figura, non potest non cogi, & necessitari ad assensum conclusionis: Ergo sola certitudo principiorum per se conductit ad firmum, & certum conclusionis assensum, & consequenter eorum obscuritas per accidens omnino, & materialiter se habet.

35 Explicatur. Principia theologiae solum necessitant, & convincunt intellectum ad assensum conclusionis theologicae in vi connexionis extremitatum cum medio, supposita ipsorum certitudine, ut sic non est scientia solum consequentia, sed etiam consequentis, hinc, licet theologia attingat principia fidei, non tamen eis assentiendo sicut fides, sed ex eis deducendo conclusiones; qua ratione dicitur, quod theologia non procedit credendo, sed discurrendo, & penetrando naturam eorum, quia per fidem revellantur, neceps demonstrando illorum proprietates, & passiones: v. g. Quod Christus est risibilis ex hoc quod est homo; at hac connexionis extremitatum cum medio eodem modo convincit intellectum ad assensum conclusionis theologicae, sive intellectus clare, sive obscuræ.

prædicta principia attingat, dummodo certo, & infallibiliter ea cognoscatur: licet: Ergo principia theologiae sint certo obscure cognita per fidem pro hoc statu, non tamen, ut obscure, sed solum ut certo cognita per se convicunt intellectum ad assensum conclusionis theologicæ.

36 Nota tamen, quod juxta hoc fundamentum theologia taliter non est per se, & essentialiter obscura, quod determinate neque est evidens adhuc per se, & exactive, neque obscura, sed solum certa; unde præscindit ab obscuritate in via, & à claritate in patria; nisi forte assumptum hujus fundamenti aliter probetur, & potest sic probari ex dictis, fundamento præcedenti theologia solum procedit ex principijs cognitis per fidem, quatenus fides subrogatur loco luminis gloriae, & est vicaria illius: Ergo solum procedit ex eis, quatenus certo, & non obscure cognitis. Probatur consequentia. Namque fides hoc ipso quod solum influat in assensum, vel habitum theologiae loco luminis gloriae, solum influit secundum quod convenit cum illo, non vero secundum id, in quo ei opponitur; at solum convenit cum illo in certitudine, non vero in obscuritate: Ergo solum influit secundum certitudinem, non secundum obscuritatem. Antecedens constat. Tum ab exemplis, namque species eatenus solum influit in notitiam objecti loco, cuius substituit in quantum est ejusdem quidditatis cum illo, & auxilium præcise influit in actum charitatis loco habitus, in quantum est participatio quedam supernaturalis voluntatis Divinae, licet imperfecta, cuius habitus charitatis est perfecta participatio; pariter fides humana solum influit in conclusionem subalternatam secundum certitudinem, in qua convenit cum subalternante, non vero secundum obscuritatem. Tum namque substituens pro aliquo non potest effectui communicare, & in eum derivare aliquid ratione cuius repugnet conjungi cum sua causa, & ab ea perfici, & conservari: contritus enim à peccatore medio auxilio elicta, optime continuatur cum habitu charitatis, & scientia subalternata adquisita in absentia subalternantis optime continuaretur cum scientia subalternante, si de novo fuisset adquisita. Si ergo fides Divina influit in habitum theologiae, ut vicaria luminis gloriae, non poterit in eum influere obscuritatem, ita ut cum lumine gloriae inconjungibilis sit, sed solum certitudinem, consequenterque solum secundum hanc, in qua convenit cum lumine gloriae, influit, & non secundum obscuritatem. Juxta hanc enim probationem salvatur etiam theologiam viæ esse determinate per se, & exactive claram, sicut & per se, & exactive procedere ex lumine gloriae seu scientia beatae.

37 Tandem fundatur nostra resolutio ab exemplis, & primum est: donum intellectus ad quod pertinet quod intellectus sane capiat ea, quæ proponuntur per fidem, & donum scientie ad quod pertinet quod intellectus habeat certum, & rectum iudicium de eis discernendo credenda à non credendis, unde hujusmodi dona ordinantur, ut ad finem ad perfectionem fidei, sicut, & omnia dona, ut ad finem ordinantur ad perfectionem theologicarum virtutum: sic D. Thom. 2.2. q. 9. art. 1. hujusmodi enim dona, licet non sint habitus causati effectivè ex lumine fidei, sicut habitus theologiae, sed sint habitus immediate à Deo insuvi, sicut, & cetera dona, ut secundum ea perficiatur mens humana ad sequendam motionem Spiritus Sancti, ut ait Divus Thomas 1. 2. q. 68. art. 8. & similiter non sint habitus discursivi ex his, quæ per fidem cognoscuntur, sed absque omni discursu per simplicem intuitum attingant veritates fidei, sicut & scientia Dei, cujus sunt participata similitudo, ut etiam docet Divus Thomas loco citato ex 2.2. ad 1. licet enim in hoc prædicta dona parificari nequeant habitui theologiae, parificantur tamen in eo quod in via sunt obscura, suaque principia ex fide desumunt, ut potest in via è nullo alio lumine regulantur: quod etiam docet Divus Thomas: loco citato ex 1.2. in corp. articuli, ubi sic habet: *Sicut virtutes intellectuales preferuntur virtutibus moralibus, & regulant eas, ita virtutes Theologice preferuntur donis Spiritus Sancti, & regulant ea;* ac quamvis sic in via obscura, in patria spoliatur obscuritate, & claritate vestiuntur, quia eadem essentialiter invariata manent in patria, ut etiam docet Divus Thomas quæstione citata ex 1. 2. art. 6. ubi ait: quod dona Spiritus Sancti manent in patria quantum ad essentiam, nimis in quantum perficiunt mentem humanam ad sequendam motionem Spiritus Sancti, quæ præcipue erit in patria, quando Deus erit omnia in omnibus, ut dicitur primæ ad Chorinth. 15. & quando homo erit totaliter subditus Deo; licet in præsenti habeant aliquam operationem circa aliquam materiam, circa quam non habebunt operationem in statu gloriae: Ergo à simili de habitu theologiae. Namquæ si recte percipitur, quod dona prædicta ex fide, qua regulantur, & ex qua principia desumunt, sint certa certitudine obscura, & nihilominus eadem essentialiter invariata sint in patria clara, quia illa obscuritas eis convenit peraccidens ex conditione subiecti viatoris, per se tamen exigunt regulari lumine gloriae, quia infusa sunt ad sequendam motionem Spiritus Sancti, quæ præcipue erit in patria; cur pariter non percipietur, quod quamvis

quamvis habitus theologiae ex fide ex qua causatur sit certus certitudine obscura, idem essentialiter invariatus sit in patria clarus, quia praedicta obscuritas ei convenit per accidens ex conditione subjecti viatoris, per se tamen exigit effectivè procedere ex lumine gloriae, quia scientia subalternata est scientiae Dei, & beatorum.

38 Secundum exemplum est in charitate, quae per se, & essentialiter inamissibilis est, cum de sui ratione solum inclinet in dilectionem, & nullo modo in peccatum, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 24. art. 15. & nihilominus per accidens ex conditione subjecti vertibilis secundum arbitrij libertatem est amissibilis; unde quia in patria voluntas hominis vertibilis in malum non est; non potest amitti: cur ergo idem contingere non potest in habitu theologiae, qui nimur per se, & essentialiter evidens, & clarus sit, & tolum inclinet in aspersus claros, & evidenter, quia scientia subalternata est scientiae Dei, & beatorum, & nihilominus per accidens ex conditione subjecti viatoris, cuius intellectus dumtaxat regulatur fide, sit obscurus, & inevidens? Immò in via caritas regulatur per fidem, & ab ea dependet, quo non obstante, eadem essentialiter invariata in patria regulatur lumine gloriae, ab eoque dependet.

39 Tertium exemplum est in virtutibus cardinalibus, de quibus inquirit D. Thom. q. 5. de virtut. art. 4. an manent in patria, & respondeat affirmativè, loquendo de virtutibus cardinalibus infusis, secus verò de acquisitis, cuius ratio est: *Quia si illud ultimum, ad quod pertinet virtus vite, ordinatur ad ultimum illud, ad quod pertinet virtus patriæ, necesse est, quod sit eadem virtus secundum speciem, sed actus erunt differentes.* Si autem non accipiatur unius in ordine ad aliud, tunc non erunt eadem virtutes, neque secundum habitum, neque secundum actum. Manifestum est autem, quod virtutes civiles acquisitæ, de quibus loqui sunt philosophi, ordinantur tantum ad perficiendum homines in vita civili, non secundum quod ordinantur ad celestem gloriam consequendam, & ideo posuerunt quod hujusmodi virtutes non manent post hanc vitam. Sed virtutes cardinales, secundum quod sunt gratuitae, & infuse, prout de eis nunc loquimur, perficiunt hominem in vita presenti in ordine ad celestem gloriam, & ideo necesse est dicere, quod sit idem habitus harum virtutum, hic, & ibi, sed quod actus sunt differentes, nam hic habent actus, qui competunt tendentibus in finem ultimum; illie autem habent actus, qui competunt jam in fine ultimo, quiescentibus. Hec post alia D. Thom. ex quibus urgenter possumus discurrere in favorem

nostræ sententiaz. Namque habitus theologiae viae quamvis adquisitus, hanc dubium quod perficiat hominem in hac vita in ordine ad cœlestem gloriam; est enim scientia architectonia, omniumque suprema, non solumque habet rationem scientiae, sed sapientiae, nomenque sacrae doctrinæ sibi inter omnes scientias usurpat; & D. Thom. hic art. 1. fatetur esse necessariæ, ut salus hominibus, convenientius, & certius proveniat: Ergo dicendum est, quod sit idem habitus in via, & in patria secundum speciem, licet actus sint differentes; quia hic habet actus, qui competunt tendentibus in finem ultimum, nempe viatoribus, qui non possunt non esse obscuri, sicut, & eliciti ex habitu fidei, in patria tamen habet actus, qui competunt quiescentibus in fine ultimo, videlicet claros, & evidentes, sicut, & elicitos ex lumine glorie.

40 Sed dizes: si hoc argumentum aliquid probat, etiam probat in patria manere fidem, & spem; namque haec etiam virtutes perficiunt hominem in praesenti vita in ordine ad celestem gloriam, non minus quam theologia; immo sunt digniores ipsa theologia, & virtutibus cardinalibus; sed hoc argumentum objicitur à Div. Thom. & est ordine primum, quod sic procedit: Apostolus probat 1. ad Corinth. 3. quod charitas est excellentior alijs, quia non evanescit, sed fides, & spes, que evanescunt, sunt nobiliores virtutibus cardinalibus, quia habent nobilis objectum, scilicet Deum: Ergo virtutes cardinales non evanescunt. Et respondet Div. Thom. *Quod fides ordinatur ad veritatem non apparentem, & spes ad arduum non habitum, sicut a quo speciem habent; & ideo quamvis excellentiores sunt virtutibus cardinalibus propter altius objectum, evanescunt tamen propter hec, quod habent speciem ab eo, quod non manet.* Ex quibus patet disparitas etiam inter fidem, & habitum theologiae; namque nunquam concedimus, habitum theologiae viae habere speciem ab eo, quod in patria non manet. Et quidem hoc argumentum que probat habitum theologiae non manere in patria, sicut & in patria non manere virtutes cardinales, cum tamen virtutes cardinales in patria manere, negari non possit in via D. Thom.

41 Et quod parificetur in hoc habitus theologiae cum virtutibus cardinalibus, liquet etiam expressè ex ipso contextu D. Thom. namque etiam ibi proponit primum argumentum sic: *Virtutes intellectuales sunt nobiliores moralibus; sed virtutes intellectuales non manent, quia scientia defruetur, ut dicitur 1. ad Chor. 13.* Ergo neque virtutes cardinales. Et responderet: *Quod scientia non defruetur secundum habitum,*

bitum, sed habebit alium actum. Et patet, quod loquitur de omni scientia; tum quia loquitur de scientia in communi; tum quia loquitur de virtutibus intellectualibus, ut distinctis à moralibus; tum quia loquitur de scientia, de qua ait Apostolus, quod destruetur, quæ in contraria sententia est scientia theologæ.

42 Ac tandem hæc eadem doctrina elucidatur in prudentia infusa, quæ in via suas conclusiones deducit ex fide, & in patria eisdem deducit ex visione beata, ut supponunt contrarij juxta relatum doctrinam Div. Thom. Cùr ergo tam difficile apparet, quod theologia in via syllogicæ ex cognitis per fidem, & eadem in patria ex cognitis per visionem beatam? Sed respondeat Zamorensis, esse magnum discrimen inter theologiam, & prudentiam, nam habitus, speculativus, ut est theologia, essentialiter contrahitur, & dividitur per claritatem, & obscuritatem; eoquod finis speculationis est percipere verum, & hoc variatur essentialiter per percipere obscurum, & percipere clarum; at vero habitus practicus, ut prudentia, intendit, non quod percipiatur verum, sed quod operetur bonum, ad quod non conductit essentialiter, neque determinatè claritas, vel obscuritas: sed hujus discriminis restat assignare rationem, namquæ in primis habitus practicus respicit bonum, sed non nisi sub ratione veri. Deinde, ut probatum relinquimus, ad assensum scientificum conclusionis theologæ per se solum conductit certitudine præmissarum, obscuritas verò dumtaxat per accidens.

### Objiciuntur, & solvuntur argumenta.

43 **S**ED contra nostram resolutionem objicies 1. vulgare argumentum: Habitus procedens ex principijs per se obscuris, non potest non esse per se obscurus; sed habitus theologæ viæ procedit ex principijs per se obscuris, nempe cognitis solum lumine fidei, quod per se, & essentialiter obscurum est: Ergo. Confirmatur. Universaliter loquendo, quales sunt causæ, tales sunt effectus causati: Ergo si semel principia, ex quibus causatur habitus theologæ viæ sunt per se obscura, non potest non per se ipse evadere obscurus.

44 Sed in primis principia, ex quibus theologia viæ procedit, absolute, & secundum se non sunt per se obscura, sed abstrahunt à claritate, & obscuritate; eadem enim cognoscuntur clare lumine gloriae, & obscure lumine fidei; namque quod Christus est homo, clare, & evidentè cognoscunt beati, & viatores obscuræ: Unde cum dicitur principia; ex quibus procedit theologia viæ, esse per se obscura, obscu-

ritas appellat supra lumen fidei, quo in via cognoscuntur, non verò supra ipsa principia cognita, & in hoc sensu respondet duplexiter juxta duplex nostrum fundamentum. Primo, quod licet habitus theologæ viæ procedat ex principijs per se obscuris, non tamen procedit per se ex illis, sed per accidens solum. Aliud enim est, principia, ex quibus theologia generatur, esse per se obscura, & aliud per se ex eis generari. Primum est verum, & secundum falsū; namque cum per se procedat ex principijs notis lumine supernaturalis scientie, quia alter neque erit scientia subalternata scientie Dei, & beatorum; neque absolutè scientia; consequenter ex lumine fidei solum per accidens potest procedere, nempe loco luminis gloriae propter conditionem, & statum subjecti. Cujus pone exemplum in scientia subalternata acquisita in absentia subalternantis; quo in casu etiam procedit ex per se obscuris, ut potest cognitis solum fide humana moraliter infallibili, sed non per se, sed per accidens ex illis procedit. Quod etiam exemplificatur in actu charitatis procedentis ab auxilio in peccatore. Sicut enim in primo exemplo subjectum caret scientia subalternante, & loco illius subrogatur fides humana, & in secundo exemplo peccator caret habitu charitatis, & loco illius subrogatur auxilium; sic quia viator eo ipso caret lumine gloriae, loco illius substituitur fides.

45 Sed objicies contra multipliciter. 1. Habitus procedens ex principijs per se claris, & evidenter, non potest non esse per se clarus, & evidens: Ergo, & habitus procedens ex principijs per se obscuris non potest non esse per se obscurus. 2. Licet principia per se obscura sint causa per accidens primæ conclusionis theologæ, media, qua adquiritur habitus, quantum ad hunc sensum, quod veritas illa veritas illata ex principijs per se obscuris, potest deduci ex eisdem evidenter cognitis lumine gloriae, ex suppositione tamen, quod ex principijs per se obscuris procedat, ab eis dependet, habet esse, certitudinem, & obscuritatem; sicut licet hec præpositio, *homo est rationalis*, sit demonstrabilis; quia ex se radicatur in rationalitate, ex suppositione tamen, quod deducatur ex aliqua propositione thopica, & probabili, solum est probabilis, & thopica: Ergo pariter in præsenti: 3. Ea sunt principia per se alicuius actus, sine quibus habitus acquiri nequit de lege ordinaria; at habitus theologæ de lege ordinaria acquiri nequit sine fide: Ergo principia ut cognita per fidem sunt causa per se illius.

46 Sed ad primum respondet duplexiter: primo negando consequentiam, namque hoc

hoc ipso, quod lumen, quo cognoscuntur principia, sit per se, & essentialiter clarum, & evidens, non subrogatur loco alterius luminis, quia lumen clarum nequit subrogari loco luminis obscuri, sicut est contra, quia id, quod substituit pro alio, eo ipso est illo imperfectius. Secundò respondet quod ideo habitus procedens ex per se claris, & evidentibus non potest non esse clarus, & evidens; quia evidentia per se non repugnat habitui ex exigentia aliorum principiorum, seu ex vi subalternationis ad aliam superiorem scientiam: in nostro autem casu obscuritas per se talis repugnat habitui theologiae ex exigentia principiorum per se evidenter, sicut ex vi subalternationis ad scientiam Dei, & beatorum; ratione enim hujus exigentiae per se, & exactive evidens est, & consequenter incapax recipiendi per se obscuritatem. Neque valet, quod quia vitalitas voluntatis per se, & essentialiter est naturalis, nullus actus immediatè à voluntate procedens, potest ab ea participare vitalitatem, quin naturalitatem participet; non inquam valet, quia hoc ipso quod actus immediatè procedit à voluntate, procedit ab illa, ut à causa per se, quod in nostro casu non contingit.

47 Ad secundum respondet quod aliud est loqui de conclusione demonstrata, & aliud de assensu demonstrationis; veritas ipsa objective demonstrata secundum se, neque petit demonstrari, neque thopice attingi, sed permissivè se habet ad utrumque assensum, & in hoc parificatur hæc conclusio *homo est risibilis* conclusio theologiae, quæ etiam secundum se neque petit evidenter attingi lumine gloriae, neque obscure attingi lumine fidei, sed permissivè se habet ad utrumque, & cum attingitur à fide est obscura, cum vero à lumine gloriae est evidens; quæ proinde est denominatio pure extrinseca, sicut denominatio cogniti in objecto. Loquendo vero de assensu ipso theologicō est nota disparitas, namque medium probabile, & thopicum, utpote in certum, non potest subrogari loco mediij demonstrativi, & sic cum propositio alias demonstrabilis attingitur per medium probabile, assensus ille non potest esse per se, seu exactive evidens, & scientificus, sed per se evadit solum probabilis, & thopicus. In nostro tamen casu fides propter suam infallibilem certitudinem subrogatur loco luminis gloriae, & sic assensus elicitus ex principijs obscure, & per fidem cognitis, licet evadat obscurus accidentaliter, per se tamen, & exactivè evadit evidens, sicut & scientificus.

48 Ad tertium respondet quod prin-  
*M. Carrafoe.*

cipia sine quibus habitus acquiri nequit de lege ordinaria, sunt principia per se illius perfectate status, non tamen perfectate naturæ; quia hæc sunt sine quibus de lege ordinaria neque potest acquiri, neque infundi, neque manere. Licet autem habitus theologiae non possit de lege ordinaria acquiri sine fide, benetamen infundi, utpote non habentibus in via habitum theologiae, infunditur, in patria, proindeque sine fide. Et pone exemplum in scientia pure naturali, quæ acquiri non potest de lege ordinaria sine conversione ad phantasmatum; & tamen conversio ad phantasmatum non est principium per se illius perfectate naturæ, sed tantum perfectate status, & hoc; quia absque conversione ad phantasmatum potest manere in patria.

49 Secundo potest argumento responderi à principio juxta secundum fundamentum, quod habitus procedens ex principijs per se obscurois, ut obscurus est per se obscurus; secus autem habitus procedens ex principijs per se obscurois obscuroitate se habente per accidens, & materialiter, & solum per se concurrente illorum certitudine. Sed dices 1. principia per se evidenter non possunt causare nisi ut per se evidenter. Ergo principia per se obscura nequeunt causare, nisi ut per se obscura. 2. Nam causa vitalis per se naturalis nequit causare ut vitalis, quin causet, etiam ut naturalis, quod patet ex doctrina thomistari hac ratione probantem intellectu non posse partialiter concurrere ad visionem beatam: Ergo a simili, causa certa per se obscura nequit causare solum ut certa, sed si semel causat, debet causare, ut certa & obscura. Neque valet quod vitalitas, & naturalitas desumuntur ex eadem in divisibili forma, secus vero certitudo, & obscuritas fidei, nam contra est; quia certitudo, & obscuritas fidei desumuntur ex revelatione divina: Ergo ex eadem indivisibili forma.

50 Sed ad primum concessio antecedenti negatur consequentia, disparitasque est clara, namque principia per se evidenter non habent certitudinem, nisi ex ipsa evidenter, cum eorum certitudo desumatur, vel ex cognitione rerum in se ipsis, vel ex quo lumine naturali innotescunt, & propterea non possunt causare ut certa, quin causent ut evidenter. Attamen principia per se obscura non habent certitudinem ex ipsa obscuroitate, sed ex divina revelatione, neque enim certo assentio huic principio *Verbum caro factum est*, quia Deus illud revelavit, quod statim explico. Ad secundum recte ibi dictum est; ad replicam nego quod certitudo, & obscuritas fidei desumuntur ex divina

revelatione ; ex divina enim revelatione solum habet certitudinem , obscuritatem vero ex quo est de non visis. Neque valet quod divina revelatio est per se obscura, consequenterque si ex ea habet fides certitudinem , necesse est , quod ex ea habeat etiam obscuritatem ; non inquam valet; quia licet revelatio divina sit per se obscura negative in quantum per se non facit evidentiam , non tamen positive , alias revelatio divina non posset esse clara ; cuius opositum contingit in patria. Dices : revelatio divina specificat fidem: Ergo est per se obscura , nedum negative , verum & positive sicut est ipsa fides. Respondeo: quod specificat fidem quantum ad certitudinem , est enim fides certa in quantum nitor divinae revelationi ; secus tamen quantum ad obscuritatem , ut sic enim tantum specificatur a non visis. Hinc fides est per se , & essentialiter obscura , quia per se convenit illi esse de his , que nullo modo videntur a credente, divinae autem revelationi hoc per se , & essentialiter non convenit , sed solum accidentaliter ex conditione status subjecti , cui revelatio fit. Et in hoc sensu communiter dicitur, quod adaequare specificat fidem facta reduplicatione , nempe in quantum est revelatio rei non visae , quod ei convenit accidentaliter.

51 Ad confirmationem argumenti a principio juxta primum fundamentum responderetur, quod quales sunt causae per se tales , tales sunt effectus causati , secus verò quales sunt causae per accidens tales , ut sunt principia fidei. Juxta secundum fundamentum responderetur , quod quales sunt causae formaliter ut tales , tales sunt effectus causati , non verò quales sunt causae , alias , & in se , aliter si causa est in se libera effectus erit liber , cum tamen voluntas libera sit , & aliquis actus illius sit necessarius ; & hoc ideo quia licet in se semper sit libera , non tamen semper influit ut libera, principia autem ex quibus causatur habitus theologiae per se obscura sunt in se , non tamen ut obscura eum causant , sed ut certa, obscuritate per accidens se habente , & sic nihil contra nos.

53 Objicies 2. & obiter replicatur contra dicta ad praecedens argumentum : ratio sub qua habitus theologiae via est per se , & essentialiter obscura : Ergo , & ipse habitus. Probo antecedens , quia praedicta ratio non est alia prater divinam revelationem virtualem, seu mediatam ; sed haec per se , & essentialiter est obscura : Ergo. Prob. min. nam revelatio mediata , & virtualis est ipsa revelatio cui fides nitoritur ; haec enim immediate terminatur

ad principia fidei , & mediate ad conclusiones theologicas , quae ex illis deducuntur per legitimam consequentiam ; sed revelatio , cui nitor fides per se , & essentialiter est obscura: Ergo. Confirmatur : eidem revelationi inititur veritas hujus propositionis. Christus habet voluntatem humanam , ut revelata in Sacra Scriptura , ac ut conclusio theologica deducta ex illo principio : Christus est verus homo ; quia ut revelata in Sacra Scriptura inititur solum revelationi mediata , hoc enim ipso quod immediate revelatur in Sacra Scriptura, Christum esse verum hominem , mediare revelatur cum habere voluntatem humanam , & sic fide creditur. Ut autem est conclusio theologica etiam inititur revelationi mediata , ut dictum est tunc sic; sed revelatio cui inititur ut revelata in Sacra Scriptura, est per se , & essentialiter obscura: Ergo etiam est per se , & essentialiter obscura revelatio , cui inititur ut conclusio theologica.

54 Ad hoc argumentum dupli etiam via potest responderi similiter juxta duplex nostrum fundamentum. Et quidem juxta primum respondetur , quod ratio sub qua habitus theologiae per accidens talis est per se , & essentialiter obscura , quia est ipsa revelatio specificans fidem , ut argumentum probat ; secus tamen ratio formalis sub qua per se talis ; namque haec est revelatio clara , & evidens , quam per se exigit in patria , utpote subalternata scientie Dei , & beatorum. Ex hac enim exigit suas deducere conclusiones in statu perfecto exclare revelatis a Deo. Unde sicut dicimus fidem se habere in via loco luminis gloriae , sic & revelatio obscura specificans fidem se habet in via loco revelationis clarae.

55 Juxta secundum fundamentum respondetur etiam duplicitate : primo juxta dicta ad precedens argumentum : neque divinam revelationem solum specificare fidem quoad certitudinem , non vero quoad obscuritatem , in quo modo dicendi negatur, eam esse obscuram. Deinde dicimus , quod licet revelatio divina ut specificans fidem , seu ut est ratio affinitati rebus fidei , sive immediate , sive mediaete sit per se , & essentialiter obscura , secus tamen , ut est ratio inferendi conclusiones ex principijs fidei ; namque ad hoc per accidens omnino , & materialiter se habet illius obscuritas , & per se solum conductit certitudo ipsius. Et ex his patet etiam ad confirmationem.

56 Tertio objicies: habitus theologiae non est per se , & essentialiter clarus : Ergo est per se & essentialiter obscurus. Antecedens videtur certum; namque si esset per se , & essentialiter clarus , nunc in via etiam esset clarus: utpote quod

convenit alicui secundum se, in quocumque statu debet illi convenire; at nunc in via non est clarus: Ergo non est per se, & essentialiter clarus. Consequentia vero probat. nam claritas, & obscuritas sunt differentiae essentiales habituum intellectualium; sed theologia nostra est habitus intellectualis: Ergo si per se, & essentialiter non est clarus, debet esse per se, & essentialiter obscurus.

57 Sed hoc argumentum instatur in exemplis supra allatis donorum, & prudentiae insuffice, qui actus nunc in via actu non sunt claris, & tamen non sunt per se, & essentialiter obscuri, alias non remanerent in patria. Unde dicimus quod esto habitus theologiae nunc in via non sit actu clarus, est tamen exactivè clarus, quo insensu dicitur a nobis per se clarus, id est per se exigens claritatem. Hinc differentiae essentiales habituum intellectualium sunt claritas, & obscuritas, sive actualiter talis, sive talis exactivè; sicut enim habitus sufficienter distinguitur a dispositione per hoc quod exactivè sit difficile movilis a subiecto, licet actu difficile movilis non sit, sic habitus theologiae, sicut & quilibet alter subalternatus per exigentiam claritatis sufficienter distinguitur ab habitu essentialiter obscuro, ut est habitus fidei. Hinc etiam cum habitui theologiae solum competit per se, & essentialiter exigere evidenciam, & hanc exigentiam ei conveniat pro hoc statu, jam verificatur, quod id quod ei convenit secundum se, ei convenit in omni statu.

58 Nec valet hinc sequi habitum fidei sufficienter constitui per se obscurum, per hoc quod exigat obscuritatem, & si actu obscurus non sit. Non inquam valet, sicut non sequitur scientiam subalternantem sufficienter constitui per se claram per hoc quod claritatem per se exigat, & si actu clara non sit. Et hoc ideo, quia scientia subalternans est per se evidens evidentia nata ex proprio lumine, ratione cuius suas conclusiones resolvit in principia prima, & per se nota, non vero ex lumine alio superiori. Unde sicut ex se est evidens, sic per se, & essentialiter est actu, & nedum exactivè evidens, utpote eo ipso non spectat scientiam aliam superiorem, a qua participet evidentiam, cuius contrarium contingit in subalternata ut dictum est. Cum ergo fides ex se sit obscura, id est, obscuritate orta immediate ex revelatione sui specificativa, & non ex alio lumine superiori, consequenter non potest non esse actu, & essentialiter obscura.

59 Sed dices: unde seu ex quo principio theologia via participat illam exigentiam claritatis? Non enim videtur assignabile; si enim

assignetur fides, contra est: nam si nemo dat, quod non habet, quanto minus quod ei essentialiter repugnat: cum ergo fidei essentialiter repugnet, nedum claritas, verum, & exigentia claritatis, ab ea theologia via exigentiam claritatis participare nequit. Nec valet quod esto fidei secundum se praedicta exigentia repugnet, non tamen ei repugnat, quod ut vicaria luminis glorie illam causet, sicut accidenti, & si secundum se repugnet esse substantiam, nihilominus ut est virtus substantiae ei non repugnat illam causare. Non inquam valet: nam contra instat Magister Ferre, quod si fides sic ponitur virtus luminis glorie, quod potest causare exigentiam claritatis in theologia, etiam poterit dici, quod ut virtus luminis gloria possit in theologia causare actualem claritatem. Si enim accidens, ut virtus substantiae potest producere substantiam, & non solum exigentiam substantiae, cur fides si vere ponitur virtus luminis gloria causans in theologia exigentiam claritatis, non causabit similiter actualem claritatem? Non minus enim repugnat fidei exigentia claritatis, ac ipsa actuallis claritas.

60 Sed nihilominus respondetur, quod licet fidei secundum se ita essentialiter repugnet exigentia claritatis, sicut & claritas ipsa, potest tamen ut vicaria, & virtus luminis glorie exigentiam claritatis causare, & non actualem claritatem. Et hoc ideo quia exigentia claritatis in theologia compatibilis est cum fide in eodem subiecto, non vero claritas ipsa actualis. Cujus ratio est, namque claritas hæc actualis est propria scientiae beatæ, & ex lumine gloria orta, non vero ipsius theologiae, quia ut diximus theologia adhuc in patria non est evidens evidentia nata ex proprio lumine, sed participata ex lumine scientiae beatæ. Cum ergo scientia beatæ incompatibilis sit cum fide in eodem subiecto incompatible etiam est cum fide in subiecto eodem actualis claritas theologiae, non vero exigentia illius: utpote hæc est propria ipsius theologiae ei competens quia subalternata scientia beatæ; unde sicut cum fide in eodem subiecto compatitur scientia theologiae, pariter compatitur exigentia claritatis, seu conjunctio cum ipsa scientia beatæ. Et hinc patet, cur accidens ut virtus substantiae possit producere nedum exigentiam substantiae, verum & substantiam ipsam; namque inter accidens, & substantiam nulla est in compatibilitas; accidens enim naturaliter concomitant substantiam, & ab ea profitit. Secus fides, quæ nec compatibilis est cum lumine gloria, nec ab eo diminuat, sed a Deo immediata insunditur.

61 Sed contra fuit mihi publicè in Acadē

mia Pynciana objectum: quod fides nequit participare virtutem à lumine gloriae, quin lumen gloriae præexistat, vel præextiterit ad fidem; at lumen gloriae nec præexistit, nec præextiterit ad fidem, immo in pluribus theologis nec præextiterus est, ut patet in reprobis: Ergò. Sed fuit responsum, quod fides non dicitur subrogari loco luminis gloriae; quia ab eo participet virtutem influendi in habitum theologiae; ad hoc enim (ut argumentum convincit) necesse esset, lumen gloriae præexistere, sicut præexistit ante fidem, si eum hac ratione substantia præexistit ad accidens, ut accidens ab ea dimanando participet virtutem productivam substantiae, & similiter generans necesse est præexistere, seu præexistisse ad gravia, & levia, ut ad eo participant rationem sui motus: dicitur ergò fides subrogari loco luminis gloriae præcise, quia à Deo infunditur loco illius, sicut posset à Deo produci accidens productivum substantiae, quin tale accidens à substantia dimanaret, nec ab ea virtutem aliquam reciperet. Et ponitur exemplum in auxilio, quod etiam subrogatur loco habitus charitatis, sed non quia ab illo participet virtutem productivam actus charitatis; alioquin similiter oportet, habitum charitatis præexistisse ad auxiliū, sed solū quia à Deo infunditur loco illius: pariter ergò.

62. Aliter respondet Mag. Ferre, dicendo quod prædicta exigentia in theologia causatur ex ipsis principijs creditis, non quatenus creditis, sed quatenus notificatis lumine superioris scientiae; sicut enim ex hoc habet theologia, quod sit scientia, & subalternata, sic ex hoc habet exigere claritatem, & evidentiam. Nec valet quod esto principia per fidem credita sint notificata lumine superioris scientiae, non propterea derivant in fidem exigentiam claritatis. Non inquam valet: namque quod principia fidei sint notificata lumine scientie beatæ, materialiter se habet omnino ad illam, quia fides procedit solum credendo, & assentiendo pure, quia Deus revelavit; unde sicut ex hoc, quamvis principia fidei notificantur per scientiam beatam, non habet quod sit scientia, nec quod exigat claritatem. Secus tamen theologia, quæ procedit deducendo conclusiones ex principijs creditis, & penetrando eorum naturam, ad quod non materialiter, sed formaliter se habet quod prædicta principia sint demonstrata, & probata per scientiam superiorem; unde sicut ex hoc habet quod sit scientia, sic & quod exigat claritatem. Sed hec solutio mihi imperceptibilis est: quia exigentia claritatis hic, & nunc est producta in habitu theologiae via: Ergò oportet, ut habitus theologiae via sit exactivè evidens, nendum principia illius esse alias notificata per scientiam

beatam, verum & ipsam scientiam beatam, vel immediate per se ipsam influere, operando in eodem subiecto, in quo theologia via est, vel mediately: hoc est, media fide subrogata loco illius. Primum est aperte falsum: Ergo standum est secundo.

63. Objicies quarto, habitus theologiae patriæ, & habitus theologiae via essentialiter distinguuntur; sed non nisi per obscuritatem, & claritatem: Ergò cum habitus theologiae patriæ per se, & essentialiter sit clarus, dicendum est habitum theologiae via per se, & essentialiter esse obscurum. Probat. major: nam medium theologiae patriæ, ut potè per se, & essentialiter clarum, essentialiter distinguuntur à medio theologiae via, quod per se, & essentialiter obscurum est; sed distinctio essentialis mediorum inferat distinctionē essentialē scientiarum: Ergò.

64. Confirmatur: ista duo judicia specie, & essentialiter distinguuntur: *Judico Verbum Divinum esse hominem, quia sic Deus revelavit;* *Judico Verbum Divinum esse hominem, quia sic video;* primum enim judicium est per se, & essentialiter obscurum, ut potè fidei; & secundum essentialiter clarum, ut potè scientia beatæ: Ergò, & ista duo judicia theologica specie distinguuntur: *Judico Verbum Divinum esse risibile, quia video esse hominem;* *Judico Verbum Divinum esse risibile, quia credo esse hominem.* Probatur consequentia. Nam horum etiam primum judicium inititur fidei, quæ specie distinguitur à scientia beatæ, cui inititur judicium secundum. Secundo: nam conclusiones deducuntur per theogiam patriæ sub nova claritate, & luce apparent, quam conclusiones deducuntur per theogiam via: nimur sub evidentiâ supernaturali: Ergò tali claritati objectivè debet correspondere nova virtus, & consequenter novus habitus. Tertio: quia si daretur theologia per se infusa, & videns, absque dubio distinguatur specie à nostra acquisita; sed illa non aliter haberet evidentiam, quam deducendo conclusiones ex principijs evidenter cognitis lumine gloriae, sicut theologia patriæ: Ergò etiā theologia patriæ essentialiter distinguuntur à theologia via. Quarto inferre conclusiones ex lumine gloriae, & scientia beatæ convenire nequit habitui naturali, & acquisito, unde si ponamus in animabus beatis scientiam per se infusam, sicut theologi ponunt in Christo, illa non alia ratione esset supernaturalis, nisi quia conclusiones deduceret ex lumine gloriae, & scientia beatæ: si ergò theologia via est habitus naturalis, & acquisitus, implicat, quod in patria conclusiones deducat ex lumine gloriae, & visione beatæ, sed hoc ad scientiā aliā non naturalē, & acquisitam,

tam, sed supernaturalem, & infusam pertinebit: Immo lumen supernaturale, ut est lumen gloriæ indebitum, & improportionatum est habitui naturali, quomodo ergo habitus naturalis uti poterit in patria lumine supernaturali?

65 Sed argumentum nullam addit difficultatem supra primum relatum: unde eadem dupli solutione respondetur: primo, quod medium per se tale theologia via non est per se, & essentialiter obscurum, sed clarum; quia est ipsum medium theologiae patriæ, nempe lumen gloriæ; & fides solum est medium per accidens, & loco illius. Et quando dicitur, quod distinctio essentialis mediorū infert distinctionē essentiali scientiarum, intelligitur de medijs, quæ sunt per se talia; non vero cum unum est per se tale, & aliud subrogatum loco illius; sicut auxilium specie distinguitur ab habitu charitatis; non tamen inde sequitur, quod amor ab auxilio procedens specie distinguitur ab amore procedente ab habitu; utpote quia ab auxilio procedit loco habitus. Etsi esset possibilis species impressa creata quidativa Dei, visio beata ab ea elicitive proveniens ejusdem esset speciei cum visione beata, que defacto à Deo immediate procedit, quia in eo casu visio beata procederet ab specie loco ipsius Dei.

66 Secundo respondetur, quod medium theologiae patriæ, & medium theologiae via distinguntur essentialiter penes obscuritatem, & claritatem, non tamen penes certitudinem, cum in hac convenientiant; in medio autem theologiae via obscuritas se habet peraccidens, & materialiter, & solum per se, & formaliter concurredit illius certitudo; & sic eorum essentialis distinctio inter se non infert distinctionem esentiali utriusque theologiae. Quod explicatur exemplis supra allatis; lumen enim gloriæ, & lumen fidei, & si penes obscuritatem, & claritatem essentialiter distinguatur, non tamen quatenus regulant charitatem, & dona Spiritu Sancti, sicut & virtutes cardinales; & hoc ideo quia regulant secundum certitudinem, in qua convenient, obscuritate se habente materialiter.

67 Sed objicies contra, & i. quod si hoc ita est, sequitur quod lumen fidei, quatenus certum, & principium ad nostram theogiam, possit cum illa manere in patria, quia propter sic non repugnat cum lumine gloriæ, sed potius cum eo convenit. Secundo: si beatus iterum reddiret ad viam, theologia ab eo acquisita in patria non posset manere in via loco luminis gloriæ subrogato lumine fidei: Ergo signum est quod utrumque istud lumen nostram theogiam non principiat purè secundum certitudinem, in

qua conveniunt. Sed ad primū responderetur, probare, quod nō repugnat fidem manere in patria ex formalitate certitudinis, secundū quam regulat, scilicet principiat nostram theogiam; secundū tamē ex alio capite; namque principiare, & regularre nostram theogiam, est actus secundarius fidei actus autem secundarius repugnat, ubi repugnat primarius. Cum ergo primarius actus fidei sit assentiri non visus, qui actus repugnat in patria, consequenter etiam repugnat, quod in patria principiet nostram theogiam. Immò si nec quoad ornatum potest manere in patria, quia ratio formalis objecti illius, utpote ratio non visi est ratio opposita cum ratione formalii beatitudinis; quanto minis poterit esse in patria quoad exercitum aliquod, sive primarium, sive secundarium? Ad secundum respondetur, negando antecedens; sicut enim dicimus, theogiam acquisitam in via, posse manere in patria, ita dicimus theogiam acquisitam in patria posse manere in via, si beatus iterum ad viam reddiret, quo in casu loco luminis gloriæ substitueret fides, ut defacto substituit.

68 Ad primam confirmationem patet ex dictis. Ad secundam distinguo antecedens: sub nova claritate, & luce nata ex lumine proprio ipsius theologiae patriæ, nego; participata ex lumine scientiæ beatæ, concedo, & nego consequentiam: namque ut nova claritati objectivæ corresponderet nova virtus, novusque scientiæ habitus, oportet claritatem ortum habere ex lumine proprio ipsius scientiæ, cuius conclusiones sub nova luce, novaque claritate apparerent; secus vero si claritas sit participata à superiori scientia, tunc enim scientia inferior perficitur, & non destruitur: perficitur, inquam, ex sui coniunctione cum superiori scientia, à qua eo ipso habet evidentiam suorum principiorum, quam antea non habebat; sicut, & virtutes morales perficiuntur per sui coniunctionem cum prudentia, à qua participant passiva directionem, & fides perficitur per sui coniunctionem cum charitate, per quam formatur. Et hoc ideo, quia nec directio passiva virtutum moralium est ex ipsarum principijs, sed participata à prudentia, & pariter nec formatio fidei est ex propria virtute, sed participata à charitate: à simili, ergo.

69 Ad tertiam respondetur, quod theologia illa per se infusa, si daretur, non solum haberet evidentiam deducendo conclusiones ex principijs evidenter cognitis lumine gloriæ, verum, & eas resolvendo in principia per se nota; unde, & immediate ex natura sua ortum haberet ex lumine gloriæ; & sic nec esset extra Verbum, sed intra verbum, nec consequenter

esset theologia formaliter, sed eminenter. Nec video in quo distingueretur à scientia beata, nisi forte in eo quod esset formaliter discursiva; sed quomodo formaliter discursiva, si lumine naturali non titatur?

70 Ad quartam respondetur, quod sicut quāvis theologia viæ habitus naturalis, & acquisitus sit formaliter, est tamen supernaturalis, & infussus radicaliter, quatenus non ex principijs naturalibus, sed infussis, & supernaturalibus acquiritur; si ex eadem ratione potest suas conclusiones deducere in patria ex principio, seu medio supernaturali, quod est lumen gloriae, licet semper quoad substantiam sit habitus naturalis, & acquisitus, utpote acquisitus per discursum naturalem, & immediate causatus à virtute naturali intellectus, & solum mediata, & radicaliter à supernaturali lumine, quia, quod effectus sit naturalis, vel supernaturalis, pensatur duntaxat penes causam proximam, & immediatam, non penes radicalem, & remotam: utpote quia hæc non influit nisi ut modificata per proximam, de quo dubio 3. sequenti. Hinc lumen supernaturale per modum causa proximæ est habitui naturali indebitum, & in proportionatum, secus verò ut modificatum per lumen naturale intellectus. Ad id quod additur de scientia per se infusa, negamus quod ideo esset supernaturalis, quia conclusiones deduceret ex lumine gloriae, & scientia beata, sed quia omnia supernaturalia per species proprias per se infusas cognosceret in se ipsis, non illativè, quia tunc non distingueretur à nostra theologia.

71 Quinto objicies: actus quibuscum acquiritur habitus theologiae via sunt essentialiter, & per se obscuri: Ergo, & habitus. Antecedens conceditur à sectatoribus nostræ sententia, ut videre est in Lisboniensi. Consequentia verò probat. 1. Nam habitus specificantur per actus, ex quibus causantur, & ad quos inclinant: non ergo possunt actus esse per se, & essentialiter obscuri, quin etiam habitus ex eis generatus evadat per se, & essentialiter obscurus. 2. Nam habitus est semen actus relictum in potentia, ut actu transacto alios actus similes producat, ut sic conservetur natura, & species actus: Ergo si actus theologici sunt essentialiter obscuri, fit, quod habitus theologicus genitus per hos actus obscuros sit essentialiter obscurus, siquidem solum est semen decisum ab actu essentialiter obseuro. 3. Non minus concurrevit demonstratio totalis ad habitus productionem, quam præmissæ ad conclusionis assensum generandum; sed quia præmissæ causant conclusionem, quales sunt præmissæ est conclusio: Ergo quia de-

monstratio tota causat habitum, non poterit habitus per se, & ex natura sua esse evidens, quin demonstratio ipsa sit essentialiter evidens.

72 Fateor sanè, argumentum factum evidentiter convincere, inconsequenterque loqui, qui dicunt, habitus theologiae, non esse essentialiter obscurum, & actus, ex quibus generatur, esse per se essentialiter obscuros. Et quidem præter dicta, lumen fidei in nostra sententia duntaxat per accidens concurrit ad assensus theologicos, nempe loco luminis gloriae, solumque in eos influit secundum certitudinem, non secundum obscuritatem: Ergo ex eadem ratione, qua nos probamus, habitus theologiae non esse per se, & essentialiter obscurum, probatur, & ipsos assensus theologicos, solum per accidens esse obscuros. Et, ni fallor, Lisbonensis non asserit, actus theologicos esse essentialiter obscuros, sed esse sic obscuros, ut non possint esse clari, Verba enim ejus sunt: quod tam habitus quam actus scientiarum subalternarum convenient in hoc, quod uterque est evidens, evidentia participata à scientia Superiori, non à se facta. Est autem differentia, quod habitus solum est actus primus cum indifferentia ad procedendum cum tali applicatione evidentiae superioris, vel sine illa, quia actus primus de se solum est applicabilis, non defacto applicatur, potestque hoc vel illo modo applicari; at verò actus secundus determinate applicationem importat, quia jam defacto est exiens à suo principio; undè actus semel evidens evidentia presupposita, & applicata ab alio, non potest reddi inevidens, quia non potest applicatio jam facta, & exiens à suo principio sic manifestata, & probato tolli. Hac ille sapientissimus Magister, qui potius supponit actum, & habitum theologiae convenire in hoc, quod uterque est evidens, evidentia participata à scientia beata, quo non obstante habitus potest transire de incogniti ad evidenter; quia actus primus est, proptereraque de se solum applicabilis, non defacto applicatus, & consequenter indifferens, ut hoc vel illo modo applicetur, nempe applicatione evidentiae superioris, vel sine illa; secus tamèn actus, qui determinatè applicacionem importat.

73 Ad argumentum ergo negamus antecedens, quod non probant adversarij, sed supponunt. Sed dices: sic ad minus actus theologici sunt inevidentes, ita ut implicit, salva eorum entitate, evidentes fieri: ergo ad minus habitus theologiae sic erit inevidens, quod manente ipsis entitate, & substantia, non possit fieri evidens, & consequenter nec manere in patria. Consequentia videtur bona, & antecedens probatur:

batur: nam implicatio est, quod idem numero, & entitative actus sit visio, & non visio ejusdem objecti, sicut & quod eadem numero notitia transeat de intuitiva in abstractivam, vel de abstractiva in intuitivam respectu ejusdem objecti: Ergo. Sed in primis, si notetur doctrina D. Thomae supra relata ex questione quinta de virtutibus, articulo quarto, loquendo de virtutibus cardinalibus, potest aliqualiter instari hoc argumentum: ibi enim docet D. Thomas, quod idem est habitus in fulsum virtutum cardinalium in via, & in patria; actus tamen sunt differentes; quia in via habent actus competentes tendentibus in finem, in patria vero habent actus competentes quiescentibus in fine. Hinc actus prudentiae in via est praecavere insidias, in patria vero nullum bonum Deo preponere, vel aequaliter; actus etiam fortitudinis in via est perferre molestias, in patria vero est Deo firmissime coherere; similiter actus temperantiae in via est coercere delectationes pravas, in patria vero est nullo defectu noxio delectari. Ex quibus sic instatur argumentum: namque non obstante, quod idem numero actus virtutum cardinalium habitus in via non possint manere in patria; quia in patria nullum malum est, non inde licet inferre, habitus earum in patria non manere cum alijs differentibus actibus: Ergo ex quo assensus theologiae habitus in via non possint manere in patria, quia in patria obscuritas, ulla non est, non inde licebit inferre habitum theologiae viae in patria non manere cum alijs differentibus actibus, nempe evidenteribus, & claris. Immò quod scientia in patria habebit alium actum, docet expressè D. Thomas ibi ad primum.

74 Deinde resp. neg. assumptum: namque cum non sint per se, & essentialiter in evidentes, sed solum accidentaliter, seu per accidens, possunt (salva eorum entitate) de in evidentibus in via transire ad evidentes in patria. Hac enim ratione idem numero amor potest transire de libero in via in necessarium in patria, ut in plurim sententia contingit in Beata Virgine, quæ amorem viae absque sui interruptione conservat modo in patria; & similiter eadem numero propositio potest transire de vera infalsam. Unde negamus, quod eadem numero notitia non possit transire de abstractiva in intuitivam, & hoc, dato, quod denominations intuitivæ, & abstractivæ sint intrinsecæ, quia ex hoc solum sequitur variatio accidentalis intrinseca, non vero substantialis, sicut homo, cum transit de albo in nigrum. Præterquam quod evidentia, vel in evidentia in scientia subalternata non est intrinseca, sed extrinseca, nimurum ei conveniens ratione subjecti in quo est, vel non est scientia

subalternans, à qua solum evidentiam participat, ipsa tamen de se nullam evidentiam facit, nullam inquit consequentis, licet faciat evidentiam consequentia. Sed dices: Ergo sicut habitus, ita, & assensus theologicus elicitus in via potest continuari usque ad patriam. Resp. hoc in primis non repugnat, ex quo obscurus est propter rationem assignatam, quia tamen per mortem naturaliter interrupitur, propterea usque ad patriam non continuatur; non tamen repugnat continuari, sicut diximus de amore beatæ Virginis.

75 Sexto obiectis fides ut potest habitus supernaturalis, & infusus est habitus perfectior habitu theologiae, qui naturalis, & acquisitus est: ergo si habitus fidei est per se obscurus, etiam habitus theologiae viae. Prob. consequentia, nam si theologia ponatur habitus solum per accidens obscurus, eo ipso non potest non esse perfectior habitu fidei: si ergo non est perfectior, sed imperfectior, neceesse est eum esse essentialiter obscurum. Prob. antecedens: namque intra genus intellectuale, & cognoscibile, quod per se est obscurum, imperfectius est eo, quod tantum per accidens obscurum est; si ergo fides ponatur habitus per se obscurus, theologia erit habitus perfectior fidei. Confirmatur: nam ex illis verbis Pauli. 1. ad Corinth. 13. quod adveniente perfectio, et evanescit quod ex parte est, id est imperfectum, ut ibi explicat D. Thom. prob. fidem evacuari per visionem beatam: ergo si theologia nostra habitus est imperfectior ipsa fide, à fortiori evacuat, consequenterque non manebit in patria.

76 Ad argumentum respondetur: quod id, quod per se est obscurum, imperfectius est eo quod, tantum per accidens obscurum est, imperfectione penes recessum à claritate, non vero à toto genere imperfectionis; licet enim fides quantum ad obscuritatem, vel recessum à claritate, à theologia, immo à qualibet scientia naturali excedatur; excedit tamen theogiam ex parte objecti, quod est prima veritas, ut supra diximus ex D. Thom. 12. quæst. 67. art. 3, qua ratione est habitus formaliter supernaturalis, & infusus. Unde à toto genere perfectionis perfectior est fides, sicut à toto genere imperfectionis imperfectior est theologia, & qualibet alia scientia. Qua ratione dicitur, substantiam imperfectiorem esse gratia, absolute loquendo; quia hæc super naturalis, illa naturalis est, & si quantum ad existentiam substantia perfectior sit gratia, quia per se existens, & gratia in alio, cum sit accidens. Ad confirmationem respondetur, probare etiam per visionem beatam evacuari scientias naturales, ut potest fide imperfectiores:

Unde dicimus D. Paulum debere intelligi de imperfecto essentialiter repugnati perfecto, seu cum perfecto incompatibili, sicut fides incompatibilis est cum visione beata; tunc enim adveniente perfecto, necesse est evacuari, quod imperfectum est. Secus tamen de imperfecto, quod compatibile est cum perfecto, sicut scientia naturalis compatibilis est cum visione Dei. Quinimmo theologia in sui coniunctionem cum ea inclinat, sicut, & in evidentiā suorum principiorum; unde per visionem beatam perficitur, ut plures dictum est.

77 Septimo objicies ex nostro Zamorenſi: quod si theologia eſſet per ſe, & essentialiter clara, non poſlet ſimul conservari cum fide; at cum ea conservatur: Ergo. Prob. maj. Nam fides eſſet essentialiter obscura, & uterque iſte habitus habet idem objectum, nempe Deum: Ergo si theologia eſſet per ſe, & essentialiter clara, clarificaret intellectum, in quo eſt in ordine ad Deum, quem per fidem idem intellectus obſcure attingit. Sed hoc argumentum multum probat; probat namque theologiam nedum per ſe, & essentialiter non eſſe claram, verum nec eſſe scientiam; nam de eodem objecto non minus repugnat fides, & viſio, quam fides, & scientia. Si ergo non obſt quod scientia eſt, ut ſimul conservetur cum fide, nec obſtabit, quod per ſe, & essentialiter clara eſt, ut cum ea converetur. Unde reſpondet: quod scientia per ſe, & essentialiter actu clara, & fides de eodem objecto repugnat; ſecus autem scientia ſolum per ſe, & essentialiter exactivè clara. Ut autem ſapientia dictum eſt, theologia non eſt clara claritate nata ex proprio lumine, conſequenterque non eſt per ſe, & essentialiter actu clara, ſed eſt clara participative à scientia superiori, ex cuius defectu in ſubjecto, in quo eſt theologica, in eam inclinat, eamque exigit. Non enim opponitur circa idem objectum fides per ſe actu obſcura, & scientia dumtaxat exactivè clara, præcipue cum objectum fidei ſit Deus ut imme diate revelatus, theologia verò objectum eſt Deus, ut revelatus ſolum mediate, unde theologia non attingit principia, quæ imme diate per fidem revelantur, ſed ſolum conſluſiones cum eis conexas, & ex eis inferibiles.

78 Tandem objicies: theologia via ſecundum ſe non aliud finem habet, niſi declaratio nem, & defenſionem fidei: Ergo ceſtante fide, ut ceſt in patria, ceſt finis theologia via ſecundum ſe, ac per conſequens ipſa theologia. Conſequentia patet, & antecedens oſtenditur ex verbis Auguſt., lib. 4. de Trin. cap. 1. ubi ſic habet: *Huius scientiae illud tantummodo tribuitur, quo fides saluberrima, quæ ad veram bea-*

*titudinem dicit, dignitur, nutritur, defenditur, roboratur; qua scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleat fide ipſa plurimum. Altius enim eſt ſcire tantummodo, quod homo credere debet, propter adipiſcendam vitam beatam; aliud autem ſcire quæmadmodum hoc ipsum, & pījs opituletur, & contra impios defendatur. Hęc Auguſtinus.*

79 Sed ad hoc facile reſpondet: D. Auguſtinus non loqui de theologia via ſecundum ſe, & essentialiter conſiderata, ſed reduplicativè quatenus via eſt, ſeu in ſubjecto viatore; ut ſic enim non ad aliū finem ordinatur, niſi ad defendendum, & roborandum fidem, & hoc tanquam ad finem ſecundarium; namque finis primarius, ſicut, & cujuslibet alterius scientia, eſt ſola contemplatio ſuī objecti, ex illo paſſiones, & proprietates demonſtrando, qui finis non ceſt in patria. Et inſtitutus etiam evidenter argumentum in donis intellectus, & ſcientia, de quibus etiam ait D. Thom. loco ſupra citato, quod ut ad finem ordinantur ad perfectionem fidei; unde non licet inſferre dona praedita ceſſare in patria, quia in ea ceſt fides, & hoc ideo quia ille finis eſt ſecundarius, & folium pro ſtatu via. Finis autem primarius, & pro omni ſtatu eſt motio Spiritus Sancti, quæ precepit erit in patria, ad quam, &c.

### DUBIUM III.

*Utrum theologia ſit habitus acquisitus, & entitative naturalis, vel ſupernaturalis, & infuſus.*

1 **S**upposito, theologiam eſſe ſcientiam verè, & propriam alternatam ſcientiam Dei, & beatorum, eſſe que per ſe, & essentialiter evidentem, & claram; non leve dubium eſt inter doctores: an ſit habitus acquisitus, & naturalis, ſit ne ſupernaturalis, & infuſus. Et quidem eſt ſupernaturalem radicaliter, & praesuppositivè, nullus eſt qui neget: utpote principia, ex quibus procedit, ſunt ſupernaturalia, nempe articuli fidei, ſea quæ lumine fidei notificantur, immo ſcientia Dei, & beatorum clarè, & evidenter cognoscuntur. Et quia magis communiter Autores defendentes, eum eſſe acquisitum, tenent eſſe entitative naturale, ſicut qui defendunt, eſſe ſupernaturale, ſentiant, eſſe infuſum; ideo ut magis diſtincte procedamus, opere pretium duxi prius examinare, an ſit per ſe acquisitus noſtris actibus, ſit ne per ſe infuſus a Deo. Et dico per ſe, quia ſupponimus habitum per ſe acquisibilem poſſe eſſe per acci-

accidens à Deo infusum, quia ut ait D. Th. 12. quæst. 7. art. 4. in corp. Deus potest producere effectus causarum secundarum absque ipsis causis secundis, ut in primo dictum est; sicut enim quandoque ad ostensionem sue virtutis producit sanitatem absque naturali causa, que tamen per naturam posset causari, tractam quandoque ad ostendendam suam virtutem, infundit homini illos habitus, qui naturali virtute possunt acquiri. Hinc supponimus, Deum potuisse, immò defacto infundisse pluribus hominibus habitum theologiae. Unde D. Thom. aperte de se fatetur. *Quia quid sciret, non tam studio, aut labore suo peperisse, quād divinitus traditum accepisse.* Unde in hoc dubio triplex se offert difficultas: prima, an sit acquisitus, vel infusus; secunda, an (supposito, quod sit acquisitus) possit esse entitative supernaturalis; tertia, an absolute sit supernaturalis, vel solum naturalis: unde sit.

## RESOLUTIO I.

*Theologia est habitus per se nostris actibus acquisitus, & non infusus à Deo.*

<sup>2</sup> **E**st contra nostrum Zamorensem, qui pro se plures refert authores, plane supponens, quod, si theologia est habitus supernaturalis, sit consequenter infusus; cum tamen plures ex Author. defendantibus illius supernaturalitatem, simul affirment non esse infusum, sed acquisitum. Nostram tamen resolutionem tenent Herveus, Cano, Viescas, Curiel, Nazarius, Molina, Bañez, Navarrete, Albelda, Araujo, Suarez, Arrubal, Torres, Lisboniensis, Philipus à Santa Trinitate, Lezana, & Gonet.

<sup>3</sup> Et fundatur primo authoritate D. Thm. hic art. 7. ad 3. Ubi loquendo de theologia, prout distinguitur à sapientia, quæ est donum Spiritus Sancti, ait: *Quod hæc per studium habetur, licet ejus principia ex revelatione habeantur.* Et in prol. lib. 1. sent. q. un. art. 3. in resp. ad 3. secund. quæst. sic habet: *Sicut habitus primorum principiorum non acquiritur in alijs scientijs, sed habetur à natura; sed habitus conclusionum ex primis principijs deductarum acquiritur: ita in theologia non acquiritur habitus fidei, qui est quasi habitus primorum principiorum, sed acquiritur habitus eorum, quæ ex eis deducuntur.*

<sup>4</sup> Sed dices 1. Div. Thom. debere intelligi de acquisitione theologiae dispositivè tali, non formaliter tali: id est non quod theologia sit formaliter acquisita, sed quod ad sui infusionem prærequisitum tanquam dispositionem

nostrum studium, & laborem. Sed hanc interpretationem nullum habere fundamentum, esse que omnino voluntariam patefit, primo ex quo in primo loco loquitur D. Thomas de acquisitione theologiae contrapositive ad principia illius: nempe quod licet hæc habeantur ex infusione, seu revelatione, sicut fides ipsa, theologia tamen non habetur nisi per studium. At principia theologiae habentur ex infusione, seu revelatione, nedum dispositivè, sed etiam formaliter: Ergo è contra theologia juxta D. Thomam habetur per studium etiam formaliter, & nedum dispositivè. Deinde in eodem loco loquitur D. Thom. de theologia etiam contrapositivè ad sapientiam, quæ est donum Spiritus Sancti; patet autem, etiam sapientiam, quæ est donum Spiritus Sancti, prærequirere nostrum studium, & laborem, ut infundatur à Deo extra Baptismum, sicut & gratia, & ceteræ virtutes infusa hoc studium, & laborem præ exigunt, nec aliter adultis infunduntur à Deo ad minus de potentia ordinaria. In secundo autem loco pariter, & in eodem sensu afferit D. Thom. theogiam esse aquisitam, in quo habitus conclusionum ex primis principijs deductarum dicitur, & est acquisitus; ridiculum autem esset interpretari D. Thom. dicendo, habitum conclusionum ex primis principijs deductarum esse acquisitum dispositivè, & non formaliter.

<sup>5</sup> Dices 2. solere D. Thom. quando non agit ex professo de aliqua re, admittere circa illam id, quod est probabile, immò aliquando quod est falsum, dando disparitatem concorrentem ad suum propositum. In locis ergò adductis non agebat D. Thom. ex professo, an theologia sit acquisita, vel infusa, sed in primo loco inquirit, an sit sapientia, & in 2. loco an sit scientia? Et quia resolutio istarum difficultatum non pendet ab eo, quod theologia sit acquisita, vel infusa, admittens esse aquisitam, respondet benè argumento, quasi dicendo: transeat.

<sup>6</sup> Sed hinc sequitur, omnia, quæ docet D. Thom. non agendo ex professo de illis, posse rectè interpretari: quasi diceret transeat, vel omitto. Quod si hoc ita est, assignet ipse autoritatem D. Thom. in qua ex professo agat an theologia acquisita sit, vel infusa, eamque affirmet esse infusam, & non aquisitam; si enim hoc ex professo ageret, præterim in procœmialibus theologiae, cum tamen ineis solum in dubium vertat: an necessaria sit, an sit scientia, an una scientia, an sit practica, an sit dignior, an sit sapientia, &c. eadem ergò facilitate, qua ipse interpretatur D. Thom. loqui in præallegatis locis

locis non afferendo, sed omittendo, poterunt etiam interpretari loca ab ipso adducta pro sua sententia; maximè cum in nullo illorum Div. Thom. affirmet esse infusam, sed ad sumum esse supernaturalem. Et quis dicat extra propositionem esse, an theologia sit scientia acquisita, vel infusa, cum de ea ex professo inquiritur an sit scientia, vel sapientia? Cum potius D. Thom. probet esse scientiam, quia procedit ex principijs notis lumine superioris scientie, sicut perspectiva ex principijs notificatis per arithmeticam, probatque esse sapientiam, quia procedit per altissimas causas, seu per cognitionem divinam, esse autem scientiam acquisitam, vel infusam, maximè attenditur penes processum ex principijs, ex quibus iwas conclusiones deducit: dependet ergo quod theologia sit scientia, vel sapientia, ab eo quod est esse acquisitam, vel infusam. Unde unum ex fundamentis à ratione nostrae sententie, ut sit acquisita defumitur ex quo est verè scientia, & sapientia condilinetur à dono sapientiae. Hinc argumentum D. Thom. unicè intendebat, theologiam non esse sapientiam, quia theologia per studium acquiritur, sapientia autem per infusionem habetur. Cui respondet D. Thom. distinguendo duplēcē sapientiam: alteram, quæ est donum Spiritus Sancti, & est sapientia per modum inclinationis: & alteram, quæ per studium acquiritur, & est sapientia permodum cognitionis. Et hoc secundo modo ait, theologiam esse sapientiam, non primo: quasi diceret sapientiam, quæ per infusionem habetur, esse donum Spiritus Sancti; quæ verò non est donum Spiritus Sancti, ut est theologia, non habetur per infusionem, sed per acquisitionem. Quis, inquam, dicat hanc solutionem esse extra propositionem quæsiti?

7 Ideo terro dices, quod illud verbum *acquiri* potest accipi in sensu riguroso, in quo solū verificatur de rebus, quæ per nostros actus producuntur, & potest accipi intensu magis latu, in quo verificatur de eo, quod habetur de novo, sive illud fiat per nostros actus, sive fiat à solo Deo per infusionem. Et in hoc secundo sensu loquitur Div. Thom. cum ait, theologiam esse acquisitam. Sed contra est evidenter ex dictis: namque D. Thom. docet, theologiam esse acquisitam in sensu, in quo donum sapientiae non est acquisitum, aliter nullam assignaret differentiam inter sapientiam, quæ est donum, & theologiam; at sapientia, quæ est donum etiam est acquisita in sensu illo, utpote etiam habetur de novo, sicut & de novo cum gratia infunditur à Deo pluribus hominibus. Ergo. Immo fides hoc eodem modo potest dici acquisita, quando de novo habetur; cum ta-

men D. Thom. docendo fidem semper esse infusam, & non acquisitam; de theologia planè, & expreſſe affirmet esse habitum acquisitum.

8 Ratione autem fundatur nostra resolutionis, & 1. Nam in theologia plures sunt demonstrationes; est autem compertum in logica, vel omnem demonstrationem generare habitum in scientia, si hæc sit composita qualitas, ut dicunt Jesuitæ; vel adminis primam demonstrationem, seu non supponentem habitum acquisitum, eum generare: cum ergo habitus acquisitus per demonstrationem theologicam theologicus sit, sicut habitus acquisitus per demonstrationem philosophicam philosophicus est; theologia non potest non esse habitus per se acquisitus. Confirmatur: principia philosophiæ eatenus habent vim generativam habitus philosophiæ, quatenus recte disposita in modo, & figura, vim habent inferendi infallibiliter conclusiones, ratione cuius continent intellectum, eumque necessitant ad illarum asensem; hoc enim ipso faciunt scire, assensusque illarum scientificus est; sed principia theologiæ recte disposita in modo, & figura non minorem activitatem habent ad inferendas conclusiones, & convincendum, seu necessitandum intellectum ad illarum asensem; unde & theologia in sui certitudine, & infallibilitate longè superat cæteras scientias naturales. Ergo. Confirmatur 2. juxta D. Thomam loco proxime citato fides infusa à Deo se habet respectu conclusionum, quæ per theogiam deducuntur, sicut habitus primorum principiorum inditus à natura respectu conclusionum, quæ deducuntur per scientias naturales; sed ex habitu primorum principiorum indito à natura deducuntur conclusiones, ita ut earum assensus propriè generet habitum scientiæ naturalis: Ergo pariter. Confirmatur 3. habitus intellectualis non est aliud, quam qualitas facilitas, seu habitualans intellectum ad discurrendum in hac, vel illa materia; experientia autem nostrum est, quod theologus suis actibus, vel discursibus acquirit hanc facilitatem, seu habilitatem, ad discurrendum in materijs theologicis: suis ergo actibus acquirit sibi habitum theologiae, quilibet ille sit: nempe, vel opinativus, vel scientificus. Unde infertur, quod si opinativa dumtaxat, vel probabiliter discurrat, sibi acquirat habitum theologiae opinativum, si vero scientifice, acquirat habitum scientificum.

9 Huic fundamento cum suis confirmationibus una sola adhibetur solutio ab adversariis: nempe demonstrationibus theologicis non produci habitum, licet alijs demonstrationibus in alijs scientijs naturalibus producatur; sicut nec acti-

aetibus virtutum infusarum productuntur habitus infusi, & si aetibus virtutum acquisitarum habitus producantur. Et non esse de ratione demonstrationis accepta in tota sua latitudine, prout abstrahit a demonstratione naturali, & supernaturali, producere habitum, probatur in scientia infusa anima Christi, cuius actus scientifici discursivi nequaquam producebant, nec poterant producere habitum scientiae in Christo Domino.

10 Sed in primis: quod alijs demonstrationibus generetur habitus, secus vero demonstratione theologica est voluntarie assertum; rationi enim stando eatenus alijs demonstrationibus generatur habitus, quia convincent intellectum ad assentiendum conclusionibus ex eis legitimè illatis, quæ ratio procedit etiam de demonstratione theologica, in qua principia alias infallibilia, & recte disposita non minorem vim, seu virtutem habent ad inferendam conclusionem, quam prælia in alijs demonstrationibus. Quod etiam patet ex confirmationibus præallegatis. Quod autem aetibus virtutum infusarum non producatur habitus, est supponere theologiam esse habitum infusum, unde est petitio principij. Nec mirum, quod aetibus virtutum infusarum non generetur habitus, si etiam supponunt jam infusum: immo juxta omnes thomistas in scientijs acquisitijs secunda demonstratio, vel tertia non generat habitum, quia cum generatum supponit per primam, sed tantum habitum præexistentem perficit, extendit, & auget. Quis autem dicat primam demonstrationem theologicam habitum theologiæ supponere? Quod si non supponit, ut est certum, signum est eum per primam demonstrationem acquiri; aliter eadē facilitate possemus affirmare ceteros habitus quantuvis inferiores, & naturales esse a Deo infusos, primamque demonstrationem se habere pure dispositivæ, ut infundantur a Deo.

11 Ac tandem prædicta solutio meo videti evidenter rejicitur retorquendo ad hominem exemplum allatum scientiæ infusæ in Christo Domino. Pro quo est notanda doctrina D. Th. tertia parte quæst. 11. art. 3, ubi inquirit utrum scientia infusa anima Christi fuerit collativa, & discursiva, & respondet in corpore: *Quod aliqua scientia potest esse discursiva, vel collativa duplicitate: uno modo quantum ad scientiæ acquisitionem, sicut accidit in nobis, qui procedimus ad cognoscendum unum per aliud sicut effectus per causas, vel è converso. Et hoc modo scientia anima Christi non fuit discursiva, vel collativa, quia hac scientia, de qua nunc loquimur, fuit sibi divinitus indita, non*

*per investigationem rationis acquisita. Alio modo potest dici aliqua scientia discursiva, vel collativa, quantum ad usum, sicut interdum, scientes ex causis concludunt effectus, non ut de novo adiscant, sed volentes uti scientia quam habebant. Et hoc modo scientia anima Christi poterat esse collativa, & discursiva, poterat enim ex uno aliud concludere, sicut sibi placebat. Hæc D. Thom. ubi distinguit scientiam discursivam quantum ad acquisitionem, id est, quæ per discursum acquiritur, sicut accidit in nobis, qui procedimus ad cognoscendum unum per aliud. Nunc inquiero: theologus procedit ad cognoscendum unum per aliud, nempe effectus per causas? Experientia hoc comprobatur: Ergo theologiæ scientiæ discursiva est quantum ad sui acquisitionem. Quod si discursiva est cunctaxat quantum ad usum, est dicere theologos discurrere non ut de novo addiscant, sed jam scientes voluntarie utendo scientia præhabita, concludere effectus ex causis; cujus oppositum etiam experientia notum est. Ex his ergo dicimus, quod actus discursivi scientifici scientiæ infusæ Animæ Christi, nec producebant habitum, nec poterant producere, quia illos exercebat non sciendo aliquid de novo, sed voluntarie solum utebatur scientia præhabita; cujus oppositum contingit in nobis etiam theologis. Quod si ponatur theologus in theologiæ consumatus, qui pro fab beneplacito conluit demonstrationes, non ut de novo aliquid addiscat, sed veluti utendo theologiæ jam a te acquisita, fatemur etiam per has demonstrationes theologiam non acquirere; secus tamen cum à principio incipit theologiam addiscere, nempe eum procedit utendo demonstrationibus ad cognoscendum unum per aliud, i.e. effectus per causas.*

12 Hinc secundo breviter fundatur nostra resolutio: nam vel theologiæ infunditur nobis ante primam demonstrationem, vel post illam? Si primum? Ergo dum utimur prima demonstratione non procedimus de novo aliquid scientificè cognoscendo. Si secundum? Ergo dum utimur prima demonstratione, procedimus pure voluntarie utendo scientia præhabita; utrumque est contra D. Thom. ergo. Confirmatur: nam ut adverarij fatentur, in scientijs inferioribus, seu naturalibus demonstratione generat habitum; hujus nulla alia potest assignari ratio, nisi quia in prædictis scientijs demonstratio facit scire aliquid de novo, nempe, quod antea non sciebat: Si ergo pariter in theologiæ demonstratio facit scire aliquid de novo, generat consequenter habitum, aliter est demonstrare, supponendo habitum, & consequenter

quenter utendo voluntarie de scientia præhabita.

13 Tertio, & à priori fundatur nostra resolutio, simulque interpretationes præcedentes impugnantur ex eod. D. Thom. 1. 2. quæst. 71. art. 2. ubi ex professio inquirit, utrum aliquis habitus cauierit ex actibus? Et distinguit: *Quod in agente, quandòque est solum activum sui actus, sicut in igne est solum principium activum calefacientia;* & in tali agente non potest aliquis habitus acquiri ex proprio actu; & inde est, quod res naturales non possunt aliquid consuescere, vel disuescere, ut dicitur in secundo; etiam est autem aliquid agens, in quo est principium activum, & passivum sui actus, sicut patet in actibus humanis; nam actus appetitivæ virtutis procedunt à vi appetitiva, secundum quod movetur à vi appreensiva representante obiectum; & ulterius vis intellectiva, secundum quod ratiocinatur de conclusione, habet sicut principium activum propositionem per se notam. Unde ex talibus actibus possunt in agentibus habitus causari, sicut habitus virtutum moralium causantur in appetitivis potentijs, secundum quod moventur à ratione, & habitus scientiarum causantur in intellectu, secundum quod movetur à primis propositionibus. Hæc D. Thom. ex quibus sic à priori 3. fundatur nostra resolutio; quandò in agente nedum est principium activum, verum & passivum sui actus, ex tali actu potest acquiri habitus, qui proinde dicitur per se acquisitus, seu acquisibilis; sed in vi intellectiva, secundum quod ratiocinatur de conclusione theologica, nedum datur principium activum, verum & passivum: Ergo ex predicto actu potest per se acquiri habitus, qui habitus theologicus est. Maj. prob. à D. Thom. exemplo virtutis appetitivæ per quā, quia datur principium activum, & passivum respectu illius, cum virtus appetitiva operetur, ut mota à ratione, acquiritur habitus. Minor verò etiam prob. à D. Th. namquæ ratiocinatio de conclusione theologica procedit ab intellectu, secundum quod movetur à propositionibus notis lumine fidei, sicut in alijs scientijs à propositionibus per se notis. Dices, quod actus scientiae per se infusa etiam procedit ab intellectu, ut moto propositionibus per se notis; & tamen ex illo non generatur habitus. Sed nego assumptum; namque actus etenim procedit ab intellectu, ut moto à propositionibus per se notis, quatenus intellectus ex propositionibus per se notis, procedit ad cognoscendum conclusionem, quam antea non iciebat, quod est procedere addiscendo de novo; non sic autem con-

tingit in actu scientiae infusa, per quem supponitur jām conclusio scita, ut patet ex D. Th. loco proximè citato, & sic in hoc casu non movetur intellectus à propositionibus per se notis, licet voluntarie quantum ad usum propositionibus per se notis utatur ad concludendum conclusionem jam præscitam.

14 Tandem potest fundari nostra resolutio ex quo habitus, qui per se est infusus, per se infunditur hominibus cum gratia; sed theologia per se non sic infunditur: ergo. Major videtur certa; nam ceteri habitus per se infusi, per se infunduntur hominibus cum gratia: ergo pariter habitus theologia si per se est infusus. Minor verò etiam constat; namque in peccatore, in quo non est gratia, nec alia virtutes infusa, reperitur theologia, & è contra in rustico, qui est in gratia, reperiuntur alij habitus infusi, & non reperitur theologia: Ergo.

15 Dices theologiam reperiri in peccatore, quia theologia potius sequitur fidem, quam gratiam, cum fides sit reperciens habitus principiorum; fides autem in peccatore reperitur; & sicut sine inconvenienti, fides reperitur sine gratia in peccatore, ita & theologia. Sed contra est: namque licet fides in peccatore reperiatur sine gratia, quia tamen est habitus per se infusus, non infunditur sine gratia: ergo ex solutione solum sequitur, quod sicut fides in conservari non dependet à gratia, pariter nec theologia, secus verò quantum ad infundi, quia habitus est per se infusus. Immò ex quo fides reperiatur sine gratia, non licet inferre, ceteros habitus per se infusos, reperiri sine gratia: Ergo pariter nec licet inferre, theologiam reperiri sine illa, utpote theologia, si semel est habitus per se infusus, non tam debet assimilari quantum ad sui conservationem fidei, quam alijs habitibus per se infusis.

16 Dices, quod prophetia est habitus per se infusus; & tamen de facto fuit in aliquibus peccatoribus, ut docet D. Thom. 22. q. 172. art. 4. Sed nego esse habitum per se infusum, sicut, & esse habitum, vel virtutem, ut patet ex D. Thom. q. 14. de veritate art. 3. ad 11. ubi ait: *Quod prophetia non dependet ex voluntate prophetantis, sicut fides pendet ex voluntate credentis,* & ideo prophetia non potest dici virtus sicut fides. Et 12. q. 68. art. 3. ad 3. ait: *Quod prophetia non est habitus, nec qualitas permanens, sed est passio transiens.* Et 22. q. 171. art. 2. in corp. docet: *Quod lumen propheticum non est per modum formæ permanentis, sicut lumen corporale est in sole, vel igne, sed per modum cuiusdam passionis, sive impressio- nis transiuntis, sicut lumen est in aere.* Idem

docet. q. 174. ar. 3. ad 2. undē non est simile.

17 Contra hanc resolutionem nullum se offert argumentum præter ea, quæ objiciuntur ad probandum theologiam esse habitum entitative supernaturalem; hoc enim ipso quod entitativè ponatur supernaturalis, videtur, implicare esse nostris actibus acquisitum, non tamen implicare tenent plures, & graves Doct. Pro cuius resolutione sit.

## RESOLUTIO II.

*Supposito, quod theologia est habitus acquisitus, non potest esse entitative supernaturalis.*

18 Et contra Herveum, Caio, Viecas, Curiel, Nazarum, Molinam, Lezana, & plures alios in manu scriptis. Eam tamen tenent Navarrete, Lisboniensis, Philippus à Sancta Trinitate, Zamorensis, Gonet, & communiter, omnes qui censent esse habitum infusum. Et fundatur in D. Thom. 12. q. 5. 1. art. in ex 4. in corp. Ubi inquirit, utrum aliqui habitus sint hominibus infusi à Deo? & respondet affirmativè, cuius prima ratio est: *Quia aliqui habitus sunt, quibus homo bene disponitur ad finem excedentem facultatem humanae naturæ, que est ultima, & perfecta beatitudine, ut supra dictum est, & qui a habitus oportet esse proportionatos ei, ad quod homo disponitur secundum ipsum; ideo necesse est, quod etiam habitus ad hujusmodi finem disponentes, excedant facultatem humanae nature; unde tales habitus numquam possunt homini inesse nisi ex infusione divina. sicut est de omnibus gratutis virtutibus.* Hæc ratio D. Thom. Patet autem, quod habitus entitative supernaturalis est ille, quo homo bene disponitur ad finem excedentem facultatem humanae nature: ille ergo hoc ipso, quod entitative supernaturalis sit, nequit homini inesse nisi ex infusione divina, & consequenter nequit esse acquisitus; unde ab opposito si acquisitus est, supernaturalis esse non potest.

19 Quod, & maximè confirmatur ex solutione ad tertium, quod erat hujusmodi: si aliquis habitus à Deo infunditur, per illum habitum homo potest multos actus producere; sed ex illis actibus causantur similes habitus, ut in 2. ethi. dicitur: sequitur ergo duos habitus ejusdem speciei esse in eodem, unum acquisitum, & alterum infusum, quod videtur esse impossibile. Et resp. D. Thom. *Quod actus, qui producuntur ex habitu infuso, non causant aliquem habitum, sed confirmant habitum præexistentem, sicut medicina remedia adhibita homini sano per naturam, non causant aliquam sanitatem, sed sanitatem prius habitam corroborant.* Ex quibus sic argu-

mentor: habitus supernaturalis non potest acquiri à potentia proprijs viribus, ut potè excedens illius facultatem; nec potest acquiri à potentia elevata per alium habitum acquisitum supernaturalem; quia de illo esset eadem difficultas. Ergo necessario ille habitus procederet à potentia elevata per habitum infusum. Tunc sic; sed actus, qui producuntur ex habitu infuso, non causant aliquem habitum, sed confirmant præexistentem juxta D. Tho. relinquunt ergo, quod habitus supernaturalis non posset aliquibus actibus produci, seu acquiri.

20 Et ex his patet, nullam esse disparitatē, quam tradunt adversarij inter habitum theologiae, & ceteros habitus supernaturales; dicunt enim, quod & si ceteri habitus supernaturales non possint actibus nostris acquiri, sicut tamen habitus supernaturalis theologiae; quia videlicet habitus theologiae supponit fidem, à qua potest causari tamquam ab habitu principiorum. Contra tamen est: nam hoc est dicere theologiam supernaturalem, posse acquiri ex actibus procedentibus ab habitu infuso supernaturali, ut est fides; hoc autem aperte procedit contra D. Thom. ergo. Immò eadē facilitate posset dici omnes virtutes morales supernaturales esse nostris actibus acquisitas, proindeque non esse per se infusas, siquidem sicut theologia supponit fidem tamquam habitum primorum principiorum; pariter, prædictæ virtutes supponunt charitatem, per quam voluntas adheret fini ultimo, qui se habet in operabilibus respectu electionis medium, quām virtutes morales respiciunt, sicut 1. principia in speculabilibus respectu conclusionum, quas respiciunt scientia. Nec in hoc inventio disparitatem. Est autem compertum in D. Tho. ex actibus procedentibus à charitate non posse generari habitum alium supernaturalis, propter ræque virtutes morales supernaturales solum produci per infusionem à Deo: pariter ergo in nostro casu.

21 Tandem nostra resolutio fundatur ex alia doctrina D. Thom. 12. q. 63. art. 3. ubi inquirit: utrum aliquæ virtutes morales sint in nobis per infusionem, & sic habet in corp. *Quod oportet effectus suis causis, & principijs esse proportionatos; omnes autem virtutes tam intellectus, quām morales, quæ ex nostris actibus acquiruntur, procedunt ex quibusdam naturalibus principijs in nobis præexistētibus, ut supradictū est: loco quorū naturaliū principiorū conferuntur nobis à Deo virtutes theologicæ, quibus ordinamur ad finem supernaturalē, ut supra dictū est.* Unde oportet, quod his etiam actibus theologicis proportionabiliter respondeant alij habitus divinitus causati in nobis, qui sic se habeant ad

*virtutes theologicas, sicut se habent virtutes morales, & intellectuales ad principia naturalia. Hac D. Th. Ex quibus habetur in primis, quod omnes virtutes, tam intellectuales, quam morales, quæ ex nostris actibus acquiruntur, procedunt ex quibusdam naturalibus principijs in nobis præexistentibus: si ergo theologia virtus intellectualis est acquisita, procedere debet ex quibusdam naturalibus principijs in nobis præexistentibus; at si supernaturalis est, non sic procedit, utpote juxta adversarios propteræ est supernaturalis, quia ex principijs supernaturalibus procedit: dicendum ergo est, quod si semel est acquisita, non potest esse supernaturalis. Deinde si habitus supernaturalis est, debet esse ex his, quæ proportionaliter respondet virtutibus theologicas, quibus ordinamur ad finem supernaturalem, ut ipsi fatentur; at illæ juxta D. Thomam habitus divinitus cauati à Deo: Ergo ex omni parte theologia si semel habitus supernaturalis est, non potest esse habitus acquisitus, sed necessario debet esse infusus. Contra hanc etiam resolutionem nullum se offert speciale argumentum, præter ea, quæ objiciuntur ad probandum esse habitum entitativerem supernaturalē, quæ objiciemus contra resolutionē sequentē. Unde sit,*

### RESOLUTIO III.

*Theologia absolute non est habitus entitativerem supernaturalis, sed naturalis.*

22 **E**st contra omnes asserentes esse habitum infusum; eam tamen tenent plures relati pro prima, & secunda resolutione, cuius præcipuum fundamentum est, quod, licet theologia procedat deducendo conclusiones ex principijs supernaturalibus fidei, sed non nisi ut sublunt potentia naturali intellectus, qui juxta vim propriam naturalis rationis, plures, vel pauciores conclusiones ex eis deducit: Ergo theologia quantumvis præsuppositive, & radicaliter supernaturalis sit, utpote procedens ex principijs supernaturalibus, formaliter tamen, & entitativerem naturalis est. Cösequentia patet: quia naturalitas, vel supernaturalitas habitus pensanda est purè penes causam immediatam, & proximā illius. Antecedens autem videtur notum experientia; nam propteræ theologus acutioris intellectus, majorisque ingenij, plures ex eisdem principijs deducit conclusiones, breviusque, & præstantius habitum theologia consequitur, quam qui hebetioris, seu ruddoris est intellectus: aliter si fides est tota ratio proxima theologizandi, intellectusque purè ut elevatus per fidem discursus theologicos efficit, qui excedit in fide, excedet, & in theologia; sicut

qui perfectius habet lumen gloriarum, perfectius videt Deum. Hinc thomistæ uno ore fatentur, quod duo egales in lumine gloriae, disparetes tamen in intellectu, aequaliter Deum vident, nec unus videt Deum perfectius, altero, quia intellectus non videt Deum, nisi ut supernaturaliter elevatus lumine gloriae, ita ut illud sit tota ratio proxima, & immediata videndi illum. Si ergo hoc modo intellectus concurrat ad alensem theologicum, nempe ut elevatus lumine fidei, ita ut hoc lumine sit tota ratio proxima theologizandi; quamvis intellectus sint disparetes, si fides est aequalis, pariteraque perfecte theologizabunt. In modo qui hebetioris est intellectus, si in fide esset præstator, perfectius theologizaret, cujus oppositum experientia comprobatur: Ergo.

23 Dices, quod discursus theologicus non efficiunt, vel producunt habitum theologiae, sed solum deserviunt, ut ad illorum prætentia Deus infundat habitum perfectiorē, vel imperfectiorē theologiae. Congruū enim est, & divinitas misericordiae condescens, quod acutioribus, & magis ingeniosis, seu laboriosis, conferat, seu infundat ubiorem habitum, sicut superioribus Angelis confert, & infundit majorē gratiam. Et sic quamvis actus discursivi scientifici procedat ab intellectu secundum propriam vim naturalis rationis, proindeque entitativerem naturales sint, ut nostrum fundamentum convincit, non inde interfertur habitum theologiae naturalē esse, & non supernaturalē, & infusum. Sed hæc solutio mihi in intelligibili est; nam est ponere actus theologicos entitativerem naturales, & ipsum habitum theologiae entitativerem supernaturalē. Dices solutionem procedere de actibus theologicos præcedentibus infusionē habitus theologiae, nempe qui deserviunt dispositivę ad infusionem illius, secus verò est de actibus theologiae supponentiibus eam jam infusam, qui consequenter ab ea procedunt: proindeque sicut habitus theologiae supernaturalis est, pariter illius actus supernaturales sunt. Sed contra est; nam fundamentū nostrum procedit de actibus theologiae, quilibet illi sint, dummodo sint scientifici, sive antecedari, sive subsequantur habitum theologiae, utpote omnes illi sunt perfectiores, vel imperfectiores juxta majorem, vel minorē activitatem, & perfectionem intellectus: sicut ergo, qui præcedunt habitū theologiae, propter hoc naturales entitativerem sunt pariter, & qui eum subsequuntur.

24 Præterquam quod vel actus, seu discursus illi, qui habitum theologiae præcedunt, sunt scientifici, vel solum probabiles? Si hoc secundum? Est dicere, quod ante infusionem habitus theologiae non potest intellectus scientificus, & per demonstrationem attingere conclusionem theo-

theologicam , & quod Deus solum ad præsentiam illorum actuum , quibus probabilitè dūtaxat infertur conclusio theologica, theologiam infundat , quod ridiculum est. Si dicatur pri-  
mum? Est dicere, actus aliquos scientificos theo-  
logicos esse naturales , & alios supernaturales;  
naturales quidem, qui præcedunt habitu theo-  
logia, & supernaturales, qui illum subsequuntur.  
Quod etiam extra rationē est; ut potè actus sci-  
entifici theologici eam præcedentes ad ipsam per-  
tinent, sicut & actus theologici scientifici proce-  
dentes ab illa, ut patet in actibus scientificis cau-  
santibus scientias alias naturales, qui eas præce-  
dunt, & actibus scientificis procedentibus ab il-  
lis jam causatis , & productis per primos actus;  
implicat autem, actus scientificos ad theologiam  
scientiarum pertinentes esse naturales , si temel  
theologia scientia supernaturalis est.

25 Si autem his convictus dicas , quod adhuc discursus scientifici præcedentes habi-  
tum theologia sunt supernaturales, & ad theo-  
logiam pertinere; quia licet non procedant ab  
habitu theologiae, procedunt tamen ab auxilio  
loco illius , ut patet in actu charitatis elicito à  
peccatore medio auxilio , qui ejusdem speciei  
est cum eo , qui procedit ab ipso habitu chari-  
tatis. Contra est : nam hoc contradicit ipsorum  
doctrinæ; utpote istud auxilium antecedit om-  
nem laborem , & studium : Ergo quod iste , &  
non alter consequatur habitum theologiae , re-  
ducitur pure in voluntatem Dei , non in illius  
studium, & laborem; unde adhuc nec reducitur  
in actus illius scientificos, ut præviè disponen-  
tes ad infusionem habitus theologiae. Præter-  
quamquod, si intellectus elevatus lumine fidei  
sic est sufficenter potens deducere conclusio-  
nes ex principijs fidei : Ergo non indiget auxil-  
lio speciali ad illas deducendas , sed solùm ge-  
nerali , hoc autem auxilium ad providentiam  
generalem pertinet , nec ex illo infertur super-  
naturalitas actus scientifici. Hinc patet dispari-  
tas de auxilio collato peccatori ad amorem  
Dei; hoc enim non supponit voluntatem suffi-  
cienter potentem illum elicere , & sic est auxil-  
lium speciale, quod proinde potest loco chari-  
tatis subrogari, secus vero in nostro casu.

26 Secundò fundatur nostra resolutio , &  
præcedens roboratur ; nam proculdubio ratio  
sub qua theologia est revelatio mediata, & vir-  
tualis, sicut & fidei est revelatio formalis, & im-  
mediata ; in hoc enim theologia distinguitur à  
fide, & ab alijs scientijs inferioribus; tunc sic, sed  
licet revelatio formalis, & immediata sit super-  
naturalis, revelatio tamen mediata, & virtualis  
est naturalis : Ergo & theologia naturalis est.  
Contra patet, & min. prob. Revelatio immediata,

& formalis in eo distinguitur à revelatione me-  
diata, & virtuali, quod illa sit immediate à Deo  
medio lumine fidei ; hæc verò fit à Deo medio  
lumine naturalis rationis deducentis conclu-  
siones ex immediate à Deo revelatis: hæc ergo  
naturalis est. Dices, quod revelatio virtualis, &  
mediata propterea sic dicitur , quia Deo reve-  
lante principia immediata, nempè articulos fi-  
dei,mediate revelat conclusiones in eis conté-  
tas ; & sic ipsa revelatio formalis , & imme-  
diata principiorum est, & dicitur revelatio me-  
diata, & virtualis conclusionum; propterea quod  
sicut illa supernaturalis est , pariter & hæc est, &  
debet dici supernaturalis. Sed contra est ; nam  
hinc sequitur, quod fides discursiva sit ; siquidē  
ad eam pertinent in mediata, & primariò prin-  
cipia revelata, & secundariò, seu mediata, con-  
clusiones in eis contentæ, seu secundariò, & me-  
diata revelata; sed oppositum communiter af-  
serunt thomistæ: Ergo. Dices, quod fides, ut fi-  
des non est discursiva, quia sic assentitur secun-  
dum primariam, & essentialē rationem, quia  
Deus dicit , & nullatenus innititur illationi; ut  
verò substituit pro lumine gloriæ , & ut semi-  
narium scientia theologia discursiva est; nā si-  
cuit in naturalibus lumine principiorum natura-  
lium ob suam eminentiam , duplē habet for-  
malitatem, unam primariam simplicis intuitus,  
quo tantummodo fertur in propositiones im-  
mediatas per se notas, aliam secundariam semi-  
narij scientiarum, ratione cujus attingit prin-  
cipia per se nota, ut cōtinentia primas paſſiones,  
& inferentia primas conclusiones, quibus habi-  
tus scientifici acquiruntur, & protūc supplens  
defectum eorum nondūm acquisitorum; ita in  
supernaturalibus fides habet duplē formalitatem,  
secundū primariam assentitur, quia Deus  
dicit, secundum aliam seminarij theologicī ele-  
vat intelle&tum ut discursivū ad assentum pri-  
ma conclusionis, quo acquiritur theologia. Sed  
contra est; nam hoc est dicere , quod revelatio  
mediata, & virtualis non pertinet ad fidē, ut fi-  
des est, sed solū ut substituit loco habitus theo-  
logiae, qui venturus est: Ergo revelatio ipsa im-  
mediata, & formalis principiorum pertinens ad  
fidem, ut fides est, non est revelatio mediata, &  
virtualis eorum, quæ in principijs continentur.  
Et sic, ex quo revelatio immediata, & formalis  
pertinens ad fidē, ut fides est, supernaturalis sit,  
non sequitur revelationē mediata, & virtua-  
lem conclusionū, quæ in eis continentur, super-  
naturalē esse. Restat ergo examinandum, nū  
revelatio illa mediata, & virtualis, qua ad fidē  
pertinet, ut substituens loco habitus theologicī  
supernaturalis sit, vel naturalis? Nosque dicimus  
revelationem illam inniti illationi, qua intellex-

etius suppositis principijs supernaturalibus per fidem revelatis discurrit suo lumine naturalis rationis, deducendo conclusiones in illis contentas; cujas proinde illatio naturalis est, & consequenter habitus theologie ex ea subsequens. Hinc inter habitum naturalem primorum principiorum, & habitum fidei, quantum ad præsens sola est differentia, quod per primum principia secundum se sunt naturaliter nota, per fidem vero sunt nota supernaturaliter; atamen in discurso, & illatione convenienter; nam sicut suppositis principijs naturaliter notis, intellectus suo lumine naturalis rationis discurrit deducendo conclusiones in eis contentas, pariter suppositis principijs supernaturaliter notis per fidem, intellectus suo lumine naturalis rationis discurrit deducendo conclusiones in eis contentas. Et propterea inter theologiam, & scientias alias naturales solum est differentia, in eo, quod illa est supernaturalis præsuppositivæ, & radicaliter, ceteræ vero nullo modo.

27 Tertio fundatur nostra refutatio non minus urgenter: certum est theologiam esse unam specie aethera per ordinem ad omnes trias conclusiones scientificè deductas; sed in ordine ad aliquas est entitativæ naturales: Ergo absolutè est entitativæ naturalis. Consequentia patet, major supponitur, & minor probatur; theologia in ordine ad conclusiones scientificè deductas ex una præmissa de fide, & altera naturali, non potest non esse entitativæ naturalis: Ergo vera est minor. Probatur antecedens, & claritatis gratia ponitur exemplum in hac demonstracione: *Omnis homo est risibilis; Christus est homo; Ergo Christus est risibilis;* probatur ergo 1. ex dictis, nam tunc theologia in ordine ad conclusionem scientificè deductam ex una præmissa de fide, & altera naturali, influit solo lumine naturalis rationis, quamvis præsupposita cognitione supernaturali præmissæ supernaturalis: Ergo est entitativæ naturalis. Consequentia patet, & antecedens probatur: eo lumine influit in conclusionem, quo extremitates conclusionis unit cum medio in præmissis; at extremitates conclusionis unit cum medio in præmissis solo lumine naturalis rationis: Ergo solo lumine naturalis rationis influit in conclusionem. Major est evidens: utpote connexionio extremitatum cum medio est ratio assentiendi scientificè conclusioni, in qua uniuntur extremitates inter se. Minor in qua est difficultas, ostenditur; nam supposita cognitione fidei, nempe quod Christus est homo, non alio lumine utitur intellectus ad uniuersum Christum, & risibile cum homine in præmissis, nisi quo cognoscit præmissam universalem continere particularem, & quod si universalis

est vera, particularis etiam debet esse vera; at hoc cognoscit solo lumine naturalis rationis: Ergo, & lumine naturalis rationis unit extremitates prædictæ demonstrationis cum medio, & consequenter risibilitatem cum Christo.

28 Confirmatur: licet Christū esse hominem sit cognitū tantū per lumen fidei; proindeq; hæc cognitio supernaturalis sit, hac tamē cognitione fidei supposita; quod Christus, & risibilitas conjungantur cum homine, non alio lumine cognoscit theologus nisi eo, quod cognoscit risibilitatē connecti, seu dimanare à natura hominis; hoc enim ipso cognoscit, quod, si Christus factus est homo per incarnationem, non potest non esse risibilis, cum sit homo; at risibilitatem connecti, & dimanere à natura hominis cognoscit theologus lumine naturalis rationis: Ergo. Explicatur hoc ipsum radicitus: distincta est cognitio hujus minoris: *Christus est homo,* considerata secundum se, & cognitio illius quatenus præmissa est, seu influens in conclusionem: *Christus est risibilis;* hæc autem est differentia, quod secundum se præscindit ab altera universalis; *omnis homo est risibilis,* secus autem ut præmissa, seu influens in conclusionem; nam nec est præmissa, nec influens in conclusionem nisi connexivè considerata: nempe quatenus utraque affirmat identitatem extremitatum unius cuiuslibet cum medio quod est homo; hæc autem identitas Christi, & risibilitatis cum homine lumine naturalis rationis cognoscitur; namque hæc identitas sita est in copreciis, quod risibilitas dimanat à natura hominis, proindeque, quod debet cōpetere omnī homini; unde supposito, quod Christus est homo id est supposita cognitione fidei de Christi humanitate, quod Christus est risibilis deducitur ex illis præmissis solo lumine, seu discurso naturali.

29 Huic duplici fundamento non video quid momenti possit responderi à contrarijs; dicere enim cum nostro Zamorensi, quod illa cōclusio: *Christus est risibilis,* non infertur ex illa universalis; *omnis homo est risibilis,* ut purè naturalis est sed ut ingreditur ordinē hypostaticum, quæ attingit, quatenus attingit, & infert Christū ut risibile: est petitio principij; cum in hoc situm sit nostrum fundamentū, quod attingit, & infert Christū ut risibile, quatenus affirmat connexionē, seu dimanationē risibilitatis à natura hominis; ex hoc enim vim habet inferendi Christum esse risibilem, si semel per fidem supponitur Christū esse hominem; ut verò affirmat connexionem, seu dimanationē risibilitatis à natura hominis, quis ambiget esse naturalem sicut, & prædicta connexionē, seu dimanatio naturalis est.

30 Dicere etiam cum eodem, quod licet illa universalis sit naturalis, non tamen infert

conclusionem illam, nisi ut elevata per minorem, nempe Christus est homo; est falsissimum; nam preterquam quod hec elevatio est in intelligibilis, ratio evidenter ostendit oppositum, ut pote nulla intellecta elevatione, illa universalis se sola, & secundum propriam vim infert, quod quilibet homo sit risibilis; supposito ergo juxta fidem, quod Christus est homo, illa se sola, & omni elevatione pracissa, infert Christum esse risibilem.

31 Dicere etiam cum nostro Lezana, quod theologia non acquiritur per conclusiones, seu actus secundarios, sed primarios, scilicet habentes duas pramistas revelatas; isti enim entitative sunt supernaturales, & primarij; habentes autem pro principijs unam pramissam de fide, & alteram naturalem, secundarij sunt, & transseant, quod sint naturales ratione pramisse naturalis: est dicere, quod in scientia qualibet lumen prima demonstratio, quae generat habitum, est actus primarius illius scientiae, quod falsissimum est. Omnes enim demonstrationes, quae in qualibet scientia fiunt, omnesque illius assensus scientifici, actus primarij sunt, & non secundarij; nam licet habitum non acquirant, sed supponant acquisitum, habitus tamen acquisitus primario, & per se in predictos actus inclinat, eos causat & efficit; aliter secunda demonstratio, vel tertia in philosophia non erit actus primarius, nisi forte per secundarios actus idem intelligat ac esse secundam, vel tertiam demonstrationem, ordine supponentem primam. Quis autem ambiget syllogismum propositum esse demonstrationem theologicam? Sic ergo secunda demonstratio vel tertia, vel quinta, & sic ordine non sint primarius actus, sunt autem primarius actus formaliter, & specifice: id est cadens sub eadem ratione formalis, seu abstractione, qua theologia ceteros actus producit, quod stare non potest, si predictus actus naturalis sit, & theologia sit habitus supernaturalis.

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

32 **P**lura ex argumentis, quae contra nostram resolutionem objiciuntur a contrariis, soluta manent ex dictis. Claritatis tamen gratia objicies 1. ex D. Thom. qui hic art. 1. in corpore vocat theologiam scientiam secundum revelationem divinam. Et ad secundum dicit: *Unde nihil prohibet de eisdem rebus de quibus phisice disciplina tractaret secundum, quod sunt cognoscibilia lumine naturalis rationis, & aliam scientiam tractare secundum, quod cognoscuntur lumine divine revelationis:* theologia ergo secundum D. Thom. non agit de rebus secundum quod cognosci-

bilia sunt lumine naturalis rationis, sed lumine divinae revelationis, quod sic condiscendum, lumen supernaturale est. Et art. 3. ad 2. vocat theogiam impressionem quandam divinę scientię. Item in 1. al. dist. 1. q. 1. art. 3. quasiūcula 1. in corpore ait: *Unde, & ista doctrina magis etiam divina est, quam metaphysica, quia est divina quantum ad subiectum, & quantum ad modum accipiendi; metaphysica autem quantum ad subiectum tantum.* Et art. 5. sequenti explicat quis sit iste modus sic: *respondeo dicendum, quod medium cuiusque scientiae debet inquiri secundum conditiones materiae; principia autem hujus scientiae sunt per revelationem accepta, & ideo modus accipiendo ipsa principia est relativus ex parte infundentis, & oratus ex parte recipientis.*

33 Sed his authoritatibus sufficienter manet responsum ex dictis dicendo, theogiam vocari a D. Thom. scientiam secundum revelationem divinam, radicaliter, & prespopositivè loquendo: ut pote ejus principia secundum se non nisi per revelationem accipiuntur. Secus vero formaliter, & entitative; nam theologia illis principijs semel per fidem acceptis, utitur ad inferendas conclusiones per lumen naturalis rationis, ut patet ex nostris fundamentis. Et in hoc sensu est intelligenda differentia, quam D. Tho. assignat inter phisicas disciplinas, & theogiam: nempe quod phisicae disciplinae agunt de rebus, ut sunt cognoscibilia lumine naturalis rationis: id est medijs principijs cognitis secundum se lumine naturalis rationis; theologia vero agit de eisdem secundum quod cognoscuntur lumine divinæ revelationis: id est medijs principijs secundum se solum cognitis lumine divinæ revelationis, licet illativè lumine naturalis rationis etiam cognoscantur. Et propter hoc illam vocat impressionem quandam divinæ scientiae: ut pote inventa per principia secundum se notificata lumine divinæ scientiae in patria, & loco illius in via lumine fidei. Et hoc sufficit, ut theologia magis divina sit, quam metaphysica, quia licet haec etiam agat de Deo, principia tamen non accipit a divina scientia, id est, non notificantur lumine divinæ scientiae, sed lumine primorum principiorum, secus tamen theogiam. Qua etiam ratione dicitur in art. 5. sequenti, quod principia hujus scientiae sunt per revelationem accepta, modumque accipiendi illa esse relativum ex parte infundentis, non quia theogiam infundat Deus; sed quia infundit lumen fidei, quo ejus principia revelantur.

34 Secundo objicies vulgate argumentum: quod, cum scientia specificetur a principijs, illa censenda est scientia supernaturalis,

cujus principia sunt supernaturalia , at principia theologiae supernaturalia sunt , sicut & solum per divinam revelationem accepta: ergo & theologia scientia supernaturalis est. Ad hoc argumentum patet etiam ex dictis ; disting. maj. illa centenda est scientia supernaturalis , cuius principia sunt supernaturalia pure secundum se , nego ; etiam illativè , seu influxive , id est , ut influunt , seu inferunt asensum theologicum , concedo ; & eisdem terminis dist. min. Principia theologiae supernaturalia sunt secundum se , ut potest secundum se per revelationem accepta , concedo ; influxivè , seu illativè , nego , & nego consequentiam. Constat enim planè ex dictis , quod non interunt conclusionem , nec influunt in asensum scientificum , nisi quatenus substant lumini naturalis rationis , seu discursus naturali intellectus , & sic illativè , seu ut pertinet ad theogiam principia naturalia sunt , licet secundum se , ut attingunt à fide , sint supernaturalia.

35 Sed dices ex nostro Lezana : discursus naturalis , sive syllogisticus , non est ratio formalis asentiendi conclusioni theologicæ , sed solum conditio exercita ; medium autem assumptum in præmissis eujusvis scientie est ratio formalis asentiendi illi : cum ergo medium in demonstratione theologica secundum se , & formaliter sit supernaturale , asensus ex ea deducetur erit etiam formaliter , & entitative supernaturalis , mediante conditione naturali , exercetur , sicut asensus fidei divinae entitative supernaturalis est , quia ratio formalis asentiendi supernaturalis est , licet dependeat ex auditis naturaliter ; nam fides ex auditu : effectus quoque sacramentorum entitative est supernaturalis , scilicet gratia , & ejus augmentum , licet dependeat , ut à conditione ab intentione naturali ministri . Sed respondeo , quod licet discursus naturalis , vel syllogisticus non sit in recto ratio formalis asentiendi conclusioni theologicæ , sed dumtaxat medium ; secus tamen in obliquo , & de conotato ; nam medium non est ratio formalis asentiendi conclusioni , nisi ut subest discursui , vi cuius dederit illam , in hoc enim scientie naturales distinguuntur à fide , & ab habitu primorum principiorum , quod tam fides , quam habitus primorum principiorum respiciunt qui dem principia secundum se , & praetitive à discursu , secus tamen scientie , unde nec fides , nec habitus primorum principiorum ponuntur habitus discursivi , sicut & scientia discursiva sunt . Si ergo medium non est formaliter tale , nisi ut subest discursui , si discursus est naturalis , medium , ut formaliter tale , erit naturale , licet alias , seu secundum se supernaturale sit . Immo quis potest dubitare discursum scientificum , si

est & scientiæ asensum , qui pars illius est , procedere effectivè à scientia , cuius conclusio- nem attingit ? Quis autem dicat discutum , vel asensum scientificum naturalem procedere effectivè à scientia supernaturali , sicut nec à scientia naturali procedere posse asensum , seu discursum supernaturalem , cum effectus debeat esse ejusdem ordinis cum causa ? Si ergo semel rupponitur , quod discursus , seu asensus theologicus est naturalis , haud dubium quod theologia etiam naturalis sit ? Sed dices , quod Christus scientie indita utebatur simili discursu , ut patet ex D. Thom. 3. p. q. 11. art. 3. & tamen ex hoc non licet inferre scientiam inditam animæ Christi esse naturalem . Sed ad hoc patet ex dictis prima resolutione : quod Christus scientia indita utebatur simili discursu , non ut deneovo addiceret , sed voluntarie , utendo scientia præhabita , unde talis discursus non erat acquisitus scientie , & sic exnaturalitate illius discursus non inferatur naturalitas scientie à qua procedebat , secus verò in nostro casu .

36 Tertio objecies : theologia in sententia probabiliori , & nostra , ut patet ex dubio 1. est scientia vere , & propriè subalternata scientie Dei , & beatorum , hinc per se exigit , & præsupponit illam , ab eaque essentialiter dependet , eaque essentialiter subordinatur , licet ratione status loco illius subrogetur fides , ut diximus in 2. dubio ; sed hoc stare non potest , si entitative scientia naturalis est : Ergo Prob. min. quia supernaturale , ut nomen præfert , est supra omnem exigentiam naturalem , ut docent thomisti supra q. 12. art. 2. Ergo .

37 Respondetur : quod sicut dubio 1. diximus , ut theologia sit vere , & propriè subalternata scientie Dei , & beatorum , sufficit , quod procedat ex principijs notis scientia Dei , & beatorum , locoque illius in via lumine fidei , non tamen est necesse , quod si talia principia sint nota supernaturaliter scientia Dei , & beatorum , pariter ut sic supernaturaliter nota , sint rationes formales asentiendi conclusiæ theologicis , sed sufficit , quod illorum præcognitione supernaturali supposita , intellectus ex eis lumine naturalis rationis , seu per discursum naturalem , conclusiones theologicas deditat . Hinc concedimus , quod per se exigit , & præsupponit illam , ab eaque essentialiter dependet , eaque essentialiter subordinatur , quia nisi principia illius præsupponerentur nota lumine scientie Dei , & beatorum , locoque illius lumine fidei , nec intellectus posset certo , & infallibiliter ex eis conclusiones theologicas lumine naturalis rationis , seu per naturalem discursum deducere . Sicut patet à paritate cuiuslibet alterius sci-

tię subalternatę, quę necesse habet præsupponere sua principia nota lumine scientię subalternantis; non tamen est necesse, quod ut nota lumine scientię subalternantis influant in conclusiones scientię subalternatę, aliter non erunt scientię specificè distinctae. Nec valet, quod subalternata perit ad minus, quod sit ejusdem ordinis naturalis cum subalternante; nam hoc non petit, quia subalternata, seu ex conneptu subalternationis, uto potē hęc inferior est illa, sicut ab illa dependens, eique subordinata: sed quia subalternata subalternanti acquisitę lumine naturalis rationis, seu per discursum naturalem, cuius oppositum contingit in nostro casu.

38 Et ex his negatur min. ad primam probationem dico, quod supernaturale formaliter, ut tale est supra omnem exigentiam naturalem, fecis vero supernaturale materialiter, & concomitantē tale, scilicet autem scientia Dei, & beatorum sit formaliter supernaturalis, eam tamen non præexigit theologia quatenus supernaturalis formaliter est, sed pure quatenus principia illius notificat, præscindendo ab eo, quod supernaturalis sit, vel naturalis; unde, quod sit supernaturalis, se habet pure concomitantē, & per accidens respectu theologie. Sicut enim dubio 2. diximus, quod connexio extremitatum cum medio eodem modo convincit intellectū ad aenam conclusionis theologicā, sive intellectus clarē, sive obscure principia illius attingat, dummodo certo, & infallibiliter ea cognoscat; pariter in præsenti sola certitudo, & infallibilitas principiorum se habet formaliter respectu theologie, supernaturalitas autem dumtaxat concomitantē, & per accidens.

39 Tandem objicies: practicum, & speculativum sunt differentię divisivę scientiarum naturalium: Ergo non possunt adunari nisi in habitu supernaturali; at theologia habitus est simul speculativus, & practicus: Ergo non potest non esse habitus supernaturalis. Confirmatur 1. theologia, qua parte est practica, est regula actuum pertinentium ad voluntatem; sed non actuum naturalium: Ergo supernaturali. 2. secundum omnes theologos contra Pelagianos, & Semipelagianos nullum opus naturale conducere potest ad justificationem, seu vitam supernaturalem, nec connexionem habere cum illa; sed theologia, ut practica movet, & conductit ad justificationem, & vitam supernaturalem: Non ergo potest esse entitativę naturalis.

40 Ad argumentum respondetur: quod practicum, & speculativum sunt differentię scientiarum, quę sunt purę naturales; secus verò quando altera est radicaliter supernaturalis, ut est theologia, quę quia inititur hęci, quę si-

mul practica, & speculativa est, & habet pro objecto Deum, ut cadit sub revelatione virtuali, qui prima veritas, & ultimus finis est, proinde prima regula speculationis, & praxis, potest esse simil speculativa, & practica.

41 Hinc ad primam confirmationem respondetur, quod sicut, quia theologia radicaliter, & præsuppositivę supernaturalis est, attingit ut speculativa medio lumine naturalis rationis conclusiones supernaturales, pariter ex eodem capite est ut practica regula actuum supernaturalium pertinentium ad voluntatem, licet medio lumine naturalis rationis. Ad 2. respondetur, quod theologia movet, & conductit ad justificationem, seu vitam supernaturalem regulativę tantum juxta modo dicta. Theologi autem loquuntur de motione efficaci, & quo ad exercitium; nam hoc modo dumtaxat movet divinum auxilium, quo Deus movet animam ad bonum, ut docet D. Th. 3.p. q. 121. art. 2. & ut ipi dicunt, quod discursus nostri theologici deserviunt solum, ut ad ipsorum presentiam Deus infundat theogiam, pariter & nos dicimus, quod discursus nostri practici, seu morales ad summum deserviunt, ut ad illorum presentiam Deus ex misericordia sua infundat auxilium, quo theologus moveatur, & disponatur ad gratiam, & justificationem, qui modus conducentis non infert theogiam supernaturalem esse; cum & competit in metaphysicę, quę agit de Deo, ut authore naturę; proindeque entitativę naturalis est, cum tamē dicit Apostolus quod invisibilia Dei per ea quę facta sunt, intellecta conspiciuntur.

Cetera argumenta soluta manent, tum ex dictis, tum ex fundamentis pro nostra resolutione propensis.



## DE VISIONE DEI

### Dubia V.

#### DUBIUM I.

*Utrum sit possibilis species impressa creata Deum quidditativę, & prout est in se representans.*

\* **S**upponimus prædictam speciem de facto non dari. Sententiaque Divi Thom. est negativa, quam triplici ratione suadet, prima est: *Quia sicut dicit Dionysius primo de divinis nominibus, per similitudines inferioris ordinis rerum nullo modo super-*

riora possunt cognosci, sicut per speciem corporis nullo modo potest cognosci essentia rei incorporarea: multo igitur minus per speciem creatam quamcumque potest essentia Dei videri. Secunda est: Essentia Dei est ipsum esse ejus, quod nulli formae creatae competere potest: non potest igitur aliqua forma creata esse similitudo representans videnti Dei essentiam. Tertia est: Essentia Divina est aliquid in circumscripsum, & illimitatum contineat enim cetera quidquid ab intellectu creato intelligi potest: sed hoc per nullam speciem creatam representari potest, quia omnis species creata est determinata secundum aliquam rationem, vel sapientie, vel virtutis, vel alicuius hujusmodi: Ergo dicere, quod Deus videtur per aliquam similitudinem, est dicere dicinam essentiam non videri. Est ergo in praesenti dubio triplex difficultas circa triplicem predictam rationem; unde sit.

## RESOLUTIO I.

Prima ratio D. Thomae recte suadet impossibilitatem praedictae speciei impreesse.

**E**st contra Suarez, Bazquez, Molinam, & alios recentiores societatis. Eam tamē tenent universi Thomistæ. Pro cuius intelligentia est notandum, quod principium Dyonisij assumptum à Divo Thom. procedit de speciebus inferioris ordinis rerum quantum ad immaterialitatem; & est sensus, quod species existentes in ordine, seu gradu inferiori immaterialitatis non possunt representare res existentes in ordine, & gradu superiori immaterialitatis. Cujus ratio est, namque immaterialitas est ratio, & radix representationis speciei, sicut & intelligibilitatis objecti, ita ut ratione illius species quidditatem objecti intentionaliter, & intelligibiliter præcontinet; non autem potest illam præcontinere si sit superioris ordinis immaterialitas: unde oportet, quod immaterialitas speciei, sicut & intellectus proportionetur cum immaterialitate objecti, ita ut ad minus sint in eodem ordine, & gradu immaterialitatis.

3 Quatuor autem solent distingui ordines seu gradus immaterialitatis rerum: primus constituitur per actualitatem sufficiensem solum immutare sensum, in quo ordine sunt individua sensibilia, proindeque est infimus gradus immaterialitatis, quia est cum inclusione materiae etiam individualis, & in hoc eodem ordine sunt facultates sensitivæ, & illarum species. Secundus ordo constituitur per exclusionem materiae individualis, cum inclusione tamen materiae communis; in quo ordine sunt quidditates rerum materialium, quæ essentialiter includunt mate-

riam communem, utpotè essentialiter compotest ex materia; non tamen individualem, cum hæc sit extra conceptum illius. Et in hoc eodem ordine est intellectus humanus reduplicative, ut unitus corpori, & pariter species, quibus pro hoc statu utitur, nempe abstractæ à phantasmatibus. Tertius ordo constituitur per exclusionem omnis materiae phisicæ tam individualis, quam communis, cum inclusione tamen materiae metaphysicæ, potentialitatis scilicet, & compositionis. In quo ordine sunt quidditates angelicæ, quæ licet omni phisica materia expertes sint, sunt tamen potentiales, sicut & composite ex genere, & differentia, ex essentia, & existentia. Et in hoc eodem ordine est intellectus angelicus, & species quibus utitur, nempe non abstractæ à phantasmatibus, sed immediate à Deo inditæ. Quartus denique ordo constituitur per exclusionem omnis materiae tam particularis, quam communis, tam phisicæ, quam metaphysicæ, in quo ordine est Deus, qui est actus purus: & in hoc eodem ordine est divinus intellectus, essentiaque divina ei unita per modum speciei.

4 Unde infertur: quod, si species, vel potentia sit in primo gradu immaterialitatis, & objectum in secundo, species nequit eum quidditative representare, neque potentia eum quidditative cognoscere; qua ratione species sensitibilis nequit quidditative representare quidditatem rei materialis, neque sensus eam cognoscere: Similiter, si species, & potentia sint in secundo gradu, & objectum in tertio; qua ratione species abstractæ à phantasmatibus non potest angelum quidditative representare, neque intellectus humanus eum quidditative cognoscere. Et pariter, si species, & potentia sint in tertio gradu, & objectum in quarto; qua ratione nulla species angelica potest Deum quidditative representare, nullusque intellectus angelicus eum quidditative proprijs viribus cognoscere.

3 Hæc cum certissima sint, & ad oculum patenteant, statim subsumitur minor; sed nulla species creata possibilis est, quæ in eodem ordine, & gradu immaterialitatis existat cū Deo, cum hoc ipso quod creata, potentialis esset, & composita: Ergo nulla species creata possibilis est, quæ Deum quidditative representet, sicut & nullus intellectus creatus, qui eum proprijs viribus quidditative cognoscet. Hæc est prima ratio D. Thom.

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

6 **S**ed contra nostram resolutionem objicies primo vulgare argumentum: nempè quod species inferioris ordinis in esse entis potest esse ejusdem ordinis immaterialitatis cum objecto superioris ordinis: v. g. species quidditative representans substantiam est inferioris ordinis in esse entis, utpote accidens, & est ejusdem ordinis immaterialitatis cum ipsa, aliter eam quidditative non representaret: ergò pariter, licet species hoc ipso quod creata, sit inferioris ordinis in esse entis respectu Dei, poterit esse ejusdem ordinis immaterialitatis cum illo. Confirmatur: eo species entitative accidens potest quidditative representare substantiam, quia licet inferioris ordinis immaterialitatis sit ad substantiam in esse entis, est tamen ejusdem ordinis immaterialitatis ad illam in esse intelligibili, & representativo: licet ergò species entitative creata inferioris ordinis immaterialitatis sit ad Deū in esse entis, poterit esse ejusdem ordinis immaterialitatis cum ipso in esse intelligibili, & representativo.

7 Ad argumentum respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, utpote instatur evidenter: namque licet species inferioris ordinis in esse entis possit esse in eodem ordine immaterialitatis cum substantia, non inde licet inferre speciem entitative corpoream posse esse ejusdem ordinis cum quidditate rei materialis, neque speciem abstractam à phantasmatibus posse esse ejusdem ordinis immaterialitatis cum quidditate angelica, sicut neque speciem angelicam cum Dco. Ratioque liquido constat; namque si substantia sit immaterialis immaterialitate secundi ordinis, nempè per solam exclusionem materiae individualis, qualiter immateriales sunt quidditates rerum sensibilium, hanc eandem materiam excludit species abstracta à phantasmatibus. Etsi sit immaterialis immaterialitate tertij ordinis, nempè per exclusionem omnis materiae phisice, qualiter immateriales sunt quidditates angelicae, hanc eandem materiam excludit species ipsis Angelis à Deo indita. Species autem corporea includit materiam individualē, quam non includit quidditas rei corporearum; & species abstracta à phantasmatibus includit materiam communem, quam non includit natura angelica; ac tandem species quęcumque possibilis creata non potest non includere potentialitatem, quam positivè excludit natura divina: non ergo currit paritas.

8 Ad confirmationem negatur antecedens,

videlicet speciem entitative accidens esse inferioris ordinis immaterialitatis ad substantiam in esse entis, nam licet species entitative accidens sit, entitative, & phisice caret materia individuali; immò, si entitative esset inferioris ordinis immaterialitatis; eo ipso non posset quidditative substantiam representare, sicut neque ejus quidditatem præcōtinere; utpote immaterialitas, quę est ratio, & radix representationis speciei, est immaterialitas phisica, & in essendo, sicut, & quę est ratio, & radix intellectualitatis, seu intelligibilitatis; unde penes diversos modos effendi distinguit Div. Thom. diversos ordines immaterialitatis; immaterialitas autem in esse representativo, & intentionalis potius est immaterialitas objecti in ea præcontenti, & per eam representati, cum tamen ad hoc ponatur species ejusdem ordinis immaterialitatis cum objecto, ut cum intelligibiliter, seu intentionaliter præcontineat.

9 Sed dices: accidens inferioris ordinis est in esse entis respectivè ad substantiam: ergò non potest esse ejusdem ordinis immaterialitatis in esse entis cum illa. Resp. negando consequentiam; namque cum dicitur, accidens esse inferioris ordinis in esse entis, summittur ens secundum quod dicit ordinem ad esse absolutè consideratum, ut sic enim cum esse illius sit in esse, ratione accidens non dicitur ens, sed entis ens, est inferioris ordinis ad substantiam, qua habet esse per se, & dicitur ens simpliciter; non tamen summittur ens in ratione immaterialis, & radicaliter intelligibilis, alioquin neque accidens cum substantia univocè conveniret in ratione immaterialis; unde neque objectum metaphysicæ, vel nostri intellectus esset ens, ut abstrahens à substantia, & accidenti.

10 Secundo objicies, ex ratione Div. Thom. solum probatur, quod per speciem creatam cōnotativam non possit Deus videri quidditative, & pro ut in se: ergò non probatur non esse possibilem speciem propriam, & quidditativam Dei. Prob. ant. 1. D. Thom. solum ex Dionysio habet per species inferioris ordinis rerum non posse superiora cognosci; sed idem est, per species inferioris ordinis rerum non posse superiora cognosci, ac non posse superiora cognosci per species representantes res inferioris ordinis, proindeque, per speciem cōnotativam, quę est propria rei creatæ, non posse Deū quidditative representari: ergo. 2. Div. Thom. ponit exemplum, non quod per speciem corpoream non potest representari essentia rei incorporeæ, sed quod essentia rei in corporeæ non potest representari per speciem corporis; id est, per speciem representantem corpus: ergo pariter.

Sed

11 Sed in primis ex consequentia Divi Thom. oppositum colligitur; non enim infert: Ergò per speciem rei creatæ non potest essentia Dei videri, sed infert: ergò multo minus per speciem quamcumque creatam potest essentia Dei videri, planè inferens, essentiam Dei videri non posse, nedum per speciem creatam propriam rei creatæ, verum neque per quamlibet aliam speciem creatam. Undè dico, quod per species inferioris ordinis rerum non intelligit Diuis Thom. species representantes res inferioris ordinis, sed species existentes in inferiori ordine rerum, secundum quod species dicuntur esse in eodem ordine, in quo sunt res representatae, ac si diceret, hoc ipso, quod species sunt in inferiori ordine immaterialitatis rerum, non possunt non representare res inferioris ordinis, & implicat, res superioris ordinis representare, cum species, & objecta debeat esse in eodem ordine immaterialitatis. Hinc in exemplo per speciem corporis non intelligit speciem representantem corpus, sed speciem existentem in eodem ordine immaterialitatis cum corpore, licet arguitur ex hoc ipso deducatur esse speciem representantem corpus. Cum ergò certum sit speciem creatam quamcumque debere esse in ordine immaterialitatis inferiori ad Deum, evidenter suadetur, nullam speciem creatam posse Deum quidditativè, & prout in se representare.

12 Tertio objicies, & est replica contra dicta: hęc consequentia non valet; species corporea non potest representare Spiritum: Ergò neque species creatæ potest representare Deum: ergo exemplum Divi Thom. non convincit ad propositum. Probatur antecedens: hęc consequentia non valet; potentia corporea non potest elevari ad videndum Spiritum: ergò neque intellectus creatus ad videndum Deum: ergo neque illa.

13 Respondetur negando consequentiam; nam quod species corporea non posse representare spiritum provenit ex eo, quod non est in eodem gradu immaterialitatis cum illo; quia hoc necessario exposcitur ad rationem speciei quidditativa. Unde cum species ulla creata non possit esse in eodem gradu immaterialitatis cū Deo, licet arguitur neque posse Deum quidditativè representare; attamen, quod potentia corporea elevari non posse ad videndum spiritum, solum provenit, ex quo spiritus non continetur sub illius objecto extensivo, & adæquo, seu specificativo, quia hoc necessario exposcitur ad prædictam elevationem, cum nulla potentia elevari possit extra latitudinem sui objecti. Cumque Deus contineatur sub objecto ade-

quato, seu extensivo intellectus creatus, quod est ens in communi, consequenter non rectè infertur potentiam creatam non posse elevari ad Deum videndum, ex quo potentia corporea elevari non posse ad spiritum videndum.

14 Sed dices, etiam stat, species naturales elevari ad objectum supernaturale representandum: Ergò. Probatur antecedens, namque species deservientes fidei entitativè sunt naturales; & tamen elevantur ad representandum mysteria fidei, quæ supernaturalia, immò in creatæ sunt: Ergò. Respondetur quod elevantur ad representandum mysteria fidei quoad an est, seu connotativè ad res naturales, quas quidditativè representant; non tamen elevari possunt ad quidditativè ea representandum, sicut neque species corporea potest elevari ad representandum quidditativè spiritum, quia elevatio non potest communicare ipsie gradum immaterialitatis; hunc enim vel habet ex se, vel non potest illum habere.

15 Quarto objicies: species impræssa, quæ Angelus inferior cognoscit superiorem, est inferioris immaterialitatis ad ipsum; & tamē eum quidditativè representant: Ergò. Minor patet, & major probatur; namque Angelus inferior est inferioris immaterialitatis ad superiorem; sed juxta D. Thom. infra q. 55. art. 3. species impræssa in Angelis sunt in æquales juxta in æqualitatem ipsorum: Ergò. Dices esse inferioris immaterialitatis specificę, non verò gradualis, ut potest immaterialis per exclusionem omnis materia pliſicę cum inclusione materię methaphysicę. Sed contra: Ergò, ut species objectum quidditativè representet, non oportet quod sit ejusdem specificę immaterialitatis cum illo, dummodo sit ejusdem gradualis immaterialitatis. Tunc sic: Ergò pariter, ut species aliqua Deum quidditativè representet, sufficit, quod sit in eodem gradu immaterialitatis cum illo, licet ab ejus immaterialitate specificę descendat; at eo in casu no in creatæ, sed creata est: Ergò.

16 Confirmatur 1. in 3. ordine dantur species inæquales specificę immaterialitatis, quales sunt species Angeli superioris, & inferioris, ut omnium supræmæ sint species Angeli supremi: Ergò in quarto ordine poterunt similiiter dari species inæqualis specificę immaterialitatis, ita ut omnium suprema sit species intellectus supremi, nempè divina essentia. 2. duæ species inferiorum Angelorum representantes eundem Angelum superiorem sunt inæqualis immaterialitatis specificę: Ergò poterunt pariter dari duæ species inæqualis specificę immaterialitatis representantes eundem Deum, videlicet essentia divina, & species creata.

17 Ad argumentum statim se offert insta-  
tia; namque ex quo in 3. ordine dentur plures  
Angeli in æqualis immaterialitatis specificæ, nō  
licet inferre in 4. ordine, esse possibles plures  
Deos similis in æqualitatis immaterialitatis. Et  
hoc ideo quia tertius ordo constituitur per ex-  
clusionem omnis materiæ phisicæ cum inclusio-  
ne materiæ metaphysicæ, proindeque est ordo  
entis potentialis, quod eo ipso patitur latitudi-  
nem, suscipitque magis, & minus, estque divisibile  
per in æquales differentias perfectiores, &  
imperfectiores. Quartus tamen ordo constitui-  
tur per exclusionem etiam potentialitatis, & sic  
est ordo entis pure actualis, quod proinde in  
indivisiibili consistit, neque suscipit magis, & mi-  
nus, si enim aliud esset minus actuale, eo ipso  
pure actuale non esset. Hinc si darentur plures  
Dij, omnes essent ejusdem specificæ immateriali-  
tatis. Similiter ergo de speciebus; unde distin-  
guitur primum consequens subsumptum, &  
conceditur si ordo, vel gradus immaterialitatis  
patiatur latitudinem, qualis est ordo, & gradus  
angelicus; secus verò si indivisiibili consistat,  
qualis est gradus divinus. Et inde patet ad utrā-  
que confirmationem.

18 Sed objicies, non obstante quod spe-  
cies Angeli inferioris excedatur in specifica im-  
materialitate ab angelo superiori, eum quiddi-  
tative repreſentat: ergo pariter licet excedatur  
in gradu generico immaterialitatis. Resp. neg.  
conseq. aliter posset species sensibilis, & corpo-  
rea repreſentare quidditatem materialem si-  
cū species abstracta à phantasmatibus quiddi-  
tatem angelicam, & species angelica naturam  
divinam, namque eo in casu nulla esset neceſ-  
ſaria proportio speciei cum objecto in imma-  
terialitate. Cum hoc tamen stat, quod specificæ  
ab immaterialitate objecti descendat, utpote  
ex hoc ipso, quod est virtus motiva illius, ei  
subordinatur, & est propter illud, unde, & ab  
eo dependet, sicut, & ab eo specificatur, ut à  
simili patet de intellectu.

19 Quinto objicies: ut lumen gloriæ sit  
principium cognoscendi Deum quidditativè, &  
prout in se, non requiritur, quod sit in eodem  
ordine, & gradu immaterialitatis cum illo: ergò  
pariter ut species Deum quidditativè repreſen-  
tent. Confirmatur primo: non minus species de-  
bet esse in eodem ordine immaterialitatis cum  
objecto, quod quidditativè repreſentat, quam  
principium intellectuale cum objecto, quod  
connaturaliter attingit; unde quia implicat intel-  
lectus creatus, qui in eodem ordine, & gradu  
immortalitatis sit cum Deo, dicunt Thom.  
repugnare intellectum creatum, qui connatura-  
liter videat Deum; at hoc non obstante datur

defacto principium intellectuale creatum cóna-  
turaliter videntis Deum, nempè lumen gloriæ,  
quia est participatum à divino lumine, cuius  
objectum connaturale est divina essentia: Ergo.  
2. Quod est creatum, potest esse ejusdem ordi-  
nis divini cum eo, quod est increatum: Ergo &  
ejusdem ordinis immaterialitatis. Prob. ant.  
namque gratia, lumen gloriæ, & charitas sunt  
aliquid creatum; & tamen sunt ejusdem ordinis  
divini cum natura divina, intellectu divino, di-  
vinaque voluntate: Ergo.

20 Ad argumentum respondeatur esse ma-  
ximam disparitatem; namque species repreſen-  
tat quidditativè objectum, quatenus ejus quid-  
ditatem intelligibiliter präcontinet, ita ut intel-  
ligibiliter sit ipsa quidditas objecti, sitque vir-  
tus motiva illius; cumque hujus ratio, & radix  
sit immaterialitas, non potest non esse inter  
utriusque immaterialitatem proportio, qua  
salvari nequit, quin convenienter ad minus in eo-  
dem gradu immaterialitatis. Attamen lumen  
gloriæ non attingit Deum quidditativè, & prout  
in se, quatenus ejus quidditatem intelligibiliter  
präcontinet, nec est virtus illius, qua faciliè  
Deus concurrat ad visionem, sed eum respicit  
pure objective, & extrinſicè, estque virtus pure,  
& dumtaxat elevans intellectum beati, totaque  
se tenet ex parte illius; & idem dicimus de vi-  
ſione beatifica, qua solum Deum respicit per  
modum viæ seu actualitatis tēdantis in ipsum,  
propter eaque pure extrinſice, & objective.

21 Ad primam confirmationem respon-  
detur, quod lumen gloriæ connaturaliter Deum  
videt connaturalitate participationis; non ve-  
rò dimanationis: id est tanquam principium  
participatum à divino lumine, non tanquam  
principium dimanans à natura beati, cuius est  
principium, & solum hujusmodi principium  
petit esse in eodem ordine, & gradu immate-  
rialitatis cum objecto connaturaliter attracto;  
quia hoc ipso quod à natura dimanat omnia  
intelligit secundum modum, & ad modum il-  
lius; proindeque si modus rei cognitæ excedat  
in gradu, & ordine modum naturæ cognoscen-  
tis, non potest eam cognoscere quidditativè,  
sed solum connaturaliter. Attamen lumen gloriæ,  
quia non à natura beati dimanat, non ex hoc  
habet intelligere Deum ad modum, & secun-  
dum modum talis naturæ, sed quia participa-  
tum à divino lumine potest eum prout in se, &  
quidditatively cognoscere.

22 Sed contra primo: ergo eodem  
modo licet impliceſ species creata Deum con-  
naturaliter repreſentans connaturalitate dima-  
nationis, non tam connaturalitate participa-  
tionis. 2. si daretur intellectus creatus superna-  
tu-

toralis, ille connaturaliter videret Deum connaturalitate dimanationis, nempe à substantia supernaturali creata, & tamen adhuc non esset in eodem gradu immaterialitatis cum illo: Ergo Sed ad 1. resp. neg. cons. quia species est virtus tota se tenens ex parte objecti, qua videlicet media objectum movet, & secundat intellectum, eumque constituit in actu intelligibili, unde si illa daretur, informaret intellectum beatitudini non per modum virtutis illius, ut lumen gloriarum, sed ut virtus ipsius Dei; quod implicatorium est: nempe Deum movere, & secundare intellectum, constituique in actu intelligibili media specie participata, quippe Deus non minus est actus purus in linea motiva, seu intelligibili, quam in linea operativa: unde sicut non potest non identificare suam virtutem operativam, immo & operationem, sic non potest non identificare suam virtutem motivam, immo & suum intelligi, & hec est ratio Div. Thom. quod libeto 7. art. 1. & 1. contr. gent. cap. 56.

23 Neque valet, quod defacto datur participatio creata divinae naturae per modum naturae, & consequenter à fortiori non repugnabit participatio creata ejusdem per modum speciei, præcipue si in Deo ponatur species per modum attributi. Non, inquam, valet, namque virtus creativa Dei est etiam ejus attributum, cum tamen imparticipabilis ponatur (ipsa natura divina participata) aliter posset creatura participative esse causa principalis creationis; sicut, & gratia sanctificationis. Ratioque à priori constat ex dictis, namque gratia est participatio divinae naturae tamquam forma elevans animam, ut radicaliter sit potens exercere operationes supernaturales, quemadmodum lumen gloriae est participatio divini intellectus tamquam virtus intellectum naturalem confortans, & elevans ad proximè videndum Deum, & pariter charitas ad eum proximè amandum. Quod, & proventum ex quo anima, intellectus, & voluntas non habent vires sufficientes ad prædictas operationes. Species vero illa participata si daretur, tota se teneret ex parte objecti, cum tamen Deus habeat per se ipsum immediate sufficientes vires ad movendum intellectum creatum, sicut, & est infinitè intelligibilis, & in linea intelligibili, seu motiva actus puri; unde neque potest non secum identificare suam intelligibilitatem in actu, suamque virtutem motivam.

24 Ad secundam replicam respondeatur, quod si daretur intellectus creatus supernaturalis, ille connaturaliter videret Deum; & non videret: videret, quia supernaturalis; cum eo ipso objectum illius proportionatum esset ens supernaturale, sub quo contineretur Deus

prout in se, & clare visibilis: & non videret, quia non esset in eodem gradu immaterialitatis cum illo, qua ratiene probat Div. Thom. in praesenti questione art. 4. nullum intellectum creatum posse per sua naturalia Deum per essentiam videre.

25 Ad secundam confirmationem respondet negando antecedens, namque divina natura, divinusque intellectus, sicut & divina voluntas sunt ordinis divini per essentiam talis, gratia tamen, lumen gloriae, & charitas sunt ordinis divini solum participative; unde solum convenient analogice, de quo latius in secunda resolutione loquendo de gratia.

26 Sexto objicione species Angelica representans rem materiale est altioris ordinis immaterialitatis, quam ipsa res materialis, & tamen quidditative, immo & comprehensive eam representant: Non ergo est necesse, quod species sit ejusdem ordinis immaterialitatis cum objecto, ut eum quidditative representent. Resp. quod, cum dicimus speciem debere esse ejusdem ordinis immaterialitatis cum objecto, ut eum quidditative representet, debet intelligi administrus, ita ut non sit inferioris ordinis, non tamen obest prædictæ representationi, quod sit superioris, immo & juvat, ut potè eo ipso perfectius, & eminentius quidditatem objecti præcontinere potest. Sicut à simili elicetur, quod ad comprehendendū objectū requiritur, quod modis cognoscendi adæquet, vel superret modum rei cogniti, si tamen ad minus non adæquat, eum comprehendere non potest.

## RESOLUTIO II.

*Secunda ratio D. Thome etiam convincit impossibilitatem prædictæ speciei.*

27 **P**ro cuius intelligentia notandum est, quod species, & objectum solum differunt penes diversum modum essendi, ita quod objectum ipsum intentionaliter existens est ipsa species impressa, qua objectum representat sub modo proprio, & naturali, quem habet à parte rei. Quod proportionabiliter est intelligendum juxta diversitatem specimen; si enim species representat quidditatem objecti, non verò illius singularitatem, qualiter representat species intelligibilis, talis species est ipsa quidditas objecti sub modo intentionalis. Si verò illius singularitatem representet, qualiter representat species sensibilis, est ipsum numero objectum etiam sub modo intentionalis. In hoc tenetur theologi convenire, præcipue thomistæ, aliter non verificantur communia philosophorum, & theologorum

proloquia, nempe quod ab objecto, & potentia paratur notitia, quod cognitio sit secundum quod cognitum est in cognoscente, quod intellectus intelligit trahendo res ad se, quod cognoscencia nata sunt recipere formas aliorum, quod intellectus natura est fieri omnia, & alia hujusmodi, quae verificantur propter amplitudinem rei immaterialis, ut late declarabamus dubio i. ubi de Scientia Dei.

28 Et licet explicari queant per hoc, quod species sit aequivalenter ipsum objectum, hoc tamen est expresse contra Div. Thom. qui in 2. de anim. lect. 24. ait: *Speciem rei intellectus esse quidditatem ejus.* Et 3. contr. gent. cap. 49: *Similitudo intelligibilis, per quam intelligitur aliquid secundum suam substantiam, oportet, quod sit eiusdem speciei, vel magis species ejus, sicut forma domus, quae est in mente artificis est eiusdem speciei cum forma domus, que est in materia, vel potius species ejus.* Et q. 8. de veritat. art. 7. probat angelos non posse cognoscere alios per suam substantialiam tanquam per speciem, quia cum omnis cognitio fiat per a simulationem, angelus per essentiam suam non potest plus de alio cognoscere, eo in quo essentia est similis: *Unus autem angelus alteri non a similitudine, nisi in natura communii, & sic sequeretur, quod unus aliud non cognosceret cognitione completa.* Et q. de verit. art. 2. afferit: *Quod forma cogniti non potest esse in cognoscente secundum modum essendi naturalem, quem habet in objecto cognito, sed secundum aliud esse elevatum, & separationem a materia.* Unde sic arguitur: forma aequivalenter talis alicuius objecti non est in objecto cognito secundum modum essendi naturalem; at juxta D. Thom. forma, quae est in cognoscente est illa, quae in objecto cognito est secundum modum essendi naturalem: Ergo illa non est forma objecti per aequivalentiam, sed per identitatem formalem.

29 Quod, confirmatur ex doctrina Div. Thom. satis communi; nam res, quae sunt supra nos, perfectiori modo sunt in se ipsis, quam in intellectu; res vero, quae sunt infra nos, perfectiori modo sunt in intellectu, quam in se ipsis, hoc autem verificari nequit nisi ipsa eadem res a parte rei, & phisice existens sit intentionaliter in intellectu; quia, si non sit eadem res, sed illius pura imago, vel signum, jam res neque perfectius, neque imperfectius esse habet in intellectu. Immo, cum esse rei in sui imagine, vel signo si imperfectius ipso esse rei prout in se, jam res, quae sunt infra nos, imperfectiori modo essent in nostro intellectu. *Quibus*

*M. Garrasco.*

adde, communiter logicos in tractatu de universalibus triplicem distinguere statum naturae, videlicet natura secundum se, prout in rebus, & prout in intellectu, qui triplex status distinguibilis non esset, si eadem formalissime natura non esset, in intellectu, & a parte rei, cui etiam consonat illud philosophi axioma 7. metaph. ex sanitate feri sanctorum, ex domo domum, ex ea que est sine materia in anima existente, illam, que habet materiam.

30 Quod tandem fit evidentius hoc argumento: species impressa est similitudo formalis objecti; sed similitudo formalis est convenientia in forma: Ergo non potest non eadem forma, seu quidditas, quae est in objecto, esse in specie impressa, licet secundum diversum modum essendi. Prob. maj. species expressa est similitudo formalis objecti: Ergo, & impressa. Antecedens negari non potest praecepit in doctrina D. Thom. aliter non esset ratio cur processio Verbi in divinis generatio sit, & non processio Spiritus Sancti, ut patet infra ex Div. Thom. q. 27. art. 2. consequentia vero prob. nam de ratione verbi est, quod procedat, ut formaliter simile suo principio in objecto quo cum movente, & secundante, quod est species impressa, at si species expressa sit formalis similitudo objecti, non vero species impressa, non potest verbum procedere, ut simile formaliter principio in objecto quo eum movente, & secundante, nempe in specie impressa: Ergo. Immo secundum D. Thom. i. cont. gent. cap. 55. species expressa est rei formalis similitudo, ex quo procedit ab specie impressa, que est formalis similitudo illius, ait enim: *per hoc, quod species intelligibilis, quae est forma intellectus, & intelligendi principium, est similitudo rei exterioris, sequitur quod intellectus intentionem formet illi rei similem.* Quid exprimit?

31 Quibus suppositis sic 2. ratio D. Thom. formatur species quidditativa objecti est eiusdem quidditatis cum illo, & solum ab eo differt in modo essendi intentionaliter: Ergo si daretur species creata quidditativa Dei, esset consequenter eiusdem quidditatis cum Deo, & solum ab eo differret in modo essendi intentionaliter: esset ergo essentialiter Deus sub modo essendi pure intentionaliter; at Deus essentialiter sub modo essendi pure intentionaliter repugnat: Ergo repugnat praedicta species. Prob. min. Dens essentialiter est suum esse, nempe esse phisicum, reale quod habet a parte rei; sed ex terminis repugnat Deum esse essentialiter suum esse phisicum, & naturale, quod habet a parte rei, & esse essentialiter

liter Deum sub modo essendi pure intentionalis, cum eo ipso essentialiter praescinderet ab ipso esse phisico, & reali, quod habet à parte rei. Ergo. Explicatur: eatenus quidditas hominis, quæ in homine est secundum esse phisicum, & naturale, est in specie iub modo essendi pure intentionalis, quia quiditas hominis secundum se præcindit ab esse phisico, & naturali, quod habet à parte rei, & ab esse intentionalis, quod habet in intellectu, ita ut utrumque hoc esse ei contingenter adveniat, cuius oppositum contingere, si essentialiter esset suum esse, quod habet à parte rei: si ergo quidditas Dei à suo esse phisico, & naturali non præcindit, aliter Deus non esset essentialiter illud esse, implicationem involvit in specie illa contineri quidditatem Dei sub modo essendi pure intentionalis.

32 Confirmatur 1. Deus sub modo essendi pure intentionalis est Deus cum admixtione potentialitatis, cum illud esse pure intentionale non possit non realiter distingui ab ipso Deo; at Deus cum admixtione potentialitatis ex terminis repugnat, cum essentialiter sit actus purus: immo ex hoc theologi demonstrant Deum esse essentialiter suum esse: Ergo. 2. Deus sub nullo genere ponitur, neque cum creatura in aliquo verò, & reali prædicato univoce convenit, aliquin esset compositus ex genere, & differentia, neque essentialiter esset actus purus, sed haberet admixtam potentialitatem; at si illa species esset ejusdem quidditatis cum Deo, & solum ab eo differret in modo essendi intentionaliter, univoce cum Deo conveniret, sicut defacto cum homine convenit univoco species quidditativa illius: Ergo.

33 Quibus addit doctrinam communem theologorum, & præcipue thomistarum loquendo de processione Verbi, nempè quod in Deo neque virtualiter adæquate distinguitur modus essendi intelligibilis à modo essendi naturali, sicut neque in eo virtualiter adæquate distinguitur ratio immaterialis, & ratio intelligibilis; unumquodque enim est intelligibile in quantum est immateriale: unde quod natura aliqua per se ipsam non sit actu intelligibilis, provenit ex defectu, & potentialitate immaterialitatis ipsius, quatenus non habet per se ipsam immaterialitatem ita in actu, ut per se ipsam possit servire loco speciei; divina autem natura per se ipsam est summè, & infinitè immaterialis, sicut & actus purus. Neque est simile de intellectu, & de intellecione, namque de conceptu formalis intellectus est dimanatio à natura, sicut de conceptu formalis intellectionis est egressio ab intellectu, consequenter divinus intellectus, & à fortiori divina intellecio non

poteſt non ſupponere naturam divinam conſtitutam, & ab ea virtualiter adæquate diſtingui ſecundum modum effendi intelligibilem condiſtum à modo effendi naturali; hęc autem ratio non militat de intelligibilitate, immo neque de ipſo intelligi: ex quo deducimur in trātatu de Trinitate non poſſe Verbum Divinum procedere ut ſimile Patri in natura divina intellegibiliter ſumpta, quin procedat ut ſimile ei ſubſtantialiter, & naturaliter accepta. Unde etiam plane infertur, ſpeciem illam creatam non poſſe esse ejusdem quidditatis cum Deo in effe intelligibili, quin ſit etiam ejusdem quidditatis cum illo in effe ſubſtantiali, & naturali.

*Objiciuntur, & ſolvuntur argumenta.*

34 **S** Ed contra resolutionem objicīes

vulgare argumentum, quod ſupr̄a objecimus contra primam rationē D. Tho. ſtat quod species, quæ entitatib⁹ eſt accidentis, ſit ejusdem quidditatis cum ſubſtantia: Ergo & poſſibilis erit species, quæ entitatib⁹ ſit creata, & ſit ejusdem quidditatis cum Deo. Ad quod patet ex dictis, quia natura crea- ta non eſt essentialiter ſuum eſſe, ſicut natura divina, ſed eſſe ei accidentaliter convenit; unde non ſequitur, quod, ſi species eſt ejusdem quidditatis cum ſubſtantia, ſit entitatib⁹ ſubſtantia, ſicut ſequeretur, ſi species eſt ejusdem quidditatis cum Deo, quod eſt entitatib⁹, ſeipſi phisicē, & ſubſtantialiter Deus.

35 Secundo objicīes: quidditas Dei sub modo effendi pure intentionalis nullam involvit contradictionem: Ergo eſt poſſibilis, & conſequenter poſſibilis eſt prædicta species. Probat. ant. natura divina ſub modo effendi participato, & accidentaliter nullam involvit contradictionem: Ergo neque quidditas Dei ſub modo effendi pure intentionalis. Anteced. conſtat in ſententia ſatis communi thomistarum aſſerentium, gratiam eſſe participationem formalem divinę naturę, juxta quam gratia convenit in conceptu formalis cum natura divina, ſolumque ab ea diſſert in modo; in hoc enim diſtinguitur participatio formalis à virtuali, quod illa eſt cum convenientia in conceptu formalis forma: unde dicitur participatio formalis quia partem capit formalem, videlicet formalem conceptum & partem relinquit materiale, videlicet modum ſub quo eſt in Deo. Conseq. verò probat. quia non minus quidditas Dei ſub modo effendi pure intentionalis habet admixtam potentialitatē, quam quidditas Dei ſub modo effendi participato, & accidentaliter: ſi igitur hoc ſecondo modo non repugnat, neque repugnabit 1. modo

modo. Conformatur: major est repugnantia in eo, quod aliquid creatum habeat convenientiam formalem cum Deo in esse entitativo, quam in esse intelligibili, seu intentionali: Si ergo non repugnat aliquid creatum, nempè gratiam cum Deo convenire formaliter in esse entitativo, neque repugnabit speciem impræfam creatam cum Deo formaliter convenire in esse intelligibili, vel intentionali.

36 Ad argumentum respondetur negando antecedens. Ad probationem nego similiter antecedens, & ad hujus probationem admitto sententiā, quod gratia sit participatio formalis diuinæ naturæ per modum naturæ, sed non ita, ut aliqui ex thomistis asseverant, nempe quod ipsa Dei natura precontineatur in gratia sub modo essendi participato, & accidentalī; qui enim sic loquuntur, inconsequenter loquantur, & argumentum factum meo videri, efficaciter convincit; non enim esse participatum, & accidentale minus habet ad mixtam potentialitatem, quam esse pure intentionale. Et tane quis unquam potest dicere gratiam esse Deum, cum ipsoque univoce convenire? Ut contingeret in eo casu; non minus quam speciem, que esto accidens sit, est essentialiter objectum representatum, cum eoque univoce convenit, quia in ea quidditas objecti praæcontinetur, licet sub esse accidentali. Et rationi stando, Divina natura non constituitur, v.g. per radicem videnti, & amandi Deum connaturaliter, sed per radicem infinitam, videnti scilicet Deum quidditative, & comprehensive, amandique eum infinito modo. Si ergo gratia pure capit rationem radicis videnti, & amandi connaturaliter Deū; non eo ipso precontinet sub esse participato, & accidentalī naturam Divinam. Quando ergo dicitur, quod participatio formalis est cum convenientia in conceptu formalī formæ participate, non intelligitur de convenientia univoca, sed analoga, non enim dicitur participatio formalis, eoquod capiat ipsum conceptum formalem formæ participatæ, sed aliud ei aliquomodo similem, nempè (ut diximus) quantum ad munus radicandi visionem, & amorem Dei, relinquendo modum infinitatis nedum transcendentalē, sed intra propriam lineam radicis, ratione cuius efficitur ipsissimus, & propriissimus naturæ Divinæ, cum tamen ratio radicis absolutæ communis sit analogicæ naturæ Divinæ, & gratiæ.

37 Tertiō objicis: non minus species expressa est ejusdem quidditatis cum objecto, quam impressa, cum sit etiam objecti formalis similitudo, immò actualior, & perfectior; at hoc non obstante possibilis est species impressa crea-

ta Deum quidditativè representans, ut tenent plures thomistæ: Ergo à similī.

38 Respondetur non admittendo prædictam sententiam; quia rationes D. Thom. à fortiori probant de specie expressa, cum hæc adhuc perfectius præcontineat intelligibiliter objectum, sitque ejusdem quidditatis cum illo, alioquin non erit illius formalis similitudo. Immò illi Authores in eo fundant possibilitatem prædictæ speciei, quod deconceptu illius non est solum representare objectum pro ut in se, sed etiam esse terminum vitaliter expressum ab intelligenti, qua ratione petit essentialiter procedere ab ipso, & ex hoc limitatur ejus representatio, & similitudo. Sed interrogo hæc species est ejusdem quidditatis cum Deo, an non? Si secundum: Ergo non est ipsius formalis similitudo, immò neque impressa à fortiori, & sic quantum ad hoc recedunt à doctrina D. Thom. Si primum: Ergo est essentialiter Deus; si autem est essentialiter Deus: Ergo non sub esse limitato, & consequenter neque sub esse vitaliter expresso ab intelligenti creato.

39 Deinde falsum est de ratione verbi esse, quod sit terminus vitaliter expressus ab intelligenti, sicut falsum est de ratione intellectionis vitalis esse quod sit expressio, seu productio verbi; quod enim sit productio verbi solum habet, vel ratione fecunditatis intelligentis, ut cognitio Patris in Divinis, vel ex indigentia objecti, cum scilicet objectum per se ipsum non sit in ultima actualitate suæ passivæ intellectio- nis, ut contingit in creatis. Cum ergo in visione beata objectum, scilicet Deus, sit in ultima actualitate suæ passivæ intellectio- nis, neque verbo indigeat, cum sit purus actus in omni linea, consequenter visio beata, neque producet, neque erit productiva verbi, sed Deus ipse, & per se ipsum est verbum. Unde communiter theologi distinguunt verbum dictum, & verbum contemplatum; hoc est terminus visionis beata, sicut & intellectionis Divinæ, qua Filius, & Spiritus Sanctus se intelligunt; illud vero solum est terminus divina cognitionis Patris ex fecunditate, vel cognitionis creatæ ex indigentia objecti. Immò est probabile Angelum in sui cognitione non formare verbum. Hinc Magister Ferre negat, quod illi Authores faciant in via Div. Thom. probabilitatem circa illam sententiam; etenim, ait, non consequenter loquuntur, qui propter rationem D. Thom. tenent, non esse possibilem speciem impressam, & dicunt esse possibilem expressam, dum ratio, vel de utraque idem convincat, vel de nulla, unde non debemus stare dictis eorum.

40 Si tamen velimus reddere disparitatem aliquam, debet esse juxta ipsum doctri-nam, nam admissa sententia aliqua, ut probabili, contra eam replicari non potest. Di-cunt ergo predicti AA. esse possibilem spe-ciem expressam crearam quidditativam Dei, non quia reputent speciem expressam non esse idem formaliter cum objecto in esse intentio-nali, neque esse quoad substantiam idem cum specie impressa; sed quia non reputant incon-veniens, speciem expressam esse idem cum Deo modo representativo, & limitato, limi-tatur enim a nostro intellectu, a quo produc-ditur. Attamen species impressa, si daretur, non produceretur a nostra divina, sed pro-cederet a natura divina, sicut a causa naturali, eo ferè modo, quo mittuntur species a suis ob-jectis; & cum naturalis causa operetur quantum potest, essentia divina produceret speciem im-pressam infinite Dei representativam, quæ species prorsus impossibilis est. Sed fateor hanc disparitatem vim tenere juxta tertiam rationem Divi Thomæ, praescindendo ab eo, quod species sit, vel non sit ejusdem quidditatis cum objecto: unde & hac doctrina ute-mur resolutione sequenti; juxta presentem au-tem rationem, disparitatem non invenio.

41 Quarto objicies: licet inter modum effendi naturalem, & modum effendi intelligibilem divina natura non interveniat distinctio virtualis adæquata, bene tamen in adæquata; at hæc sufficit, ut species illa creata sit Deus secundum modum effendi intelligibilem, & non secundum modum effendi naturalem: Ergo. Probatur minor ab exemplis; nam essentia divina unita mentibus beatorum per modum speciei, eis solum unitur secundum modum effendi intelligibilem, & non secun-dum modum effendi naturalem propter solam prædictam distinctionem virtualem. Pariter natu-ra divina absque ulla virtuali distinctione adæ-quata est sanctitas divina; & tamen unitur hu-manitati Christi per modum sanctitatis, quin ei uniat per modum naturæ. Ac tandem in-tellectus beati per unionem divinae essentiae cum ipso in ratione speciei fit ipse Deus in esse intelligibili, & non in esse naturali: Ergo à simili, sicut enim de specie verificatur, quod est ipsum objectum representatum, etiam de intel-lectu verificatur, quod fit ipsu objectu cognitu.

42 Sed ad utrumque exemplum patet, ideo illa verificari, quia intellectus, cui divina essentia unitur per modum speciei, & simili-ter humanitas cui unitur per modum sanctita-tis, incapax est ut ei uniat per modum natu-ræ. Attamen species illa creata si semel ponis-

tur quidditativa Dei, non potest non esse essen-tialiter Deus, & sic non potest non esse in ea capacitas, ut sit Deus, & secundum modum effendi intelligibilem, & secundum modum effendi naturalem, cum Deus sit essentialiter suum esse. Ad tertiam probationem patet etiam disparitas; quia intellectus beati fit Deus in esse intelligibili, non per identitatem cum esse intelligibili Dei, sed per intimam unionem cum illo, sicut & axioma illud, intellectus fit objectum cognitum, intelligitur per intimam unionem cum illo media specie, non tamen intendit esse veram, & realem identitatem intellectus cum objecto adhuc in esse intelligibili; neque valet quod ex intellectu, & re intellecta fit magis unum, quam ex materia, & forma; hoc enim solum verifi-catur de intellectu per accidens, quatenus habet sibi unitam speciem, quæ est ipsum for-malissime objectum; unde per se verificatur solum de ipsa specie, cum dicitur, quod ex con-ceptu, & re concepta fit magis unum, quam ex materia, & forma.

43 Quinto objicies: ex quo species im-pressam quidditativam Dei fit ejusdem quidditatis cum Deo, non sequitur realiter cum Deo iden-tificari, sed posset adhuc realiter ab eo distin-gui, licet esset idem cum Deo in esse intelligibili: Ergo Div. Thom. ratio non convin-cit. Probatur antecedens: Verbum Divinum defacto est ejusdem quidditatis cum Patre, & tamen à Patre realiter distinguitur: Ergo à simili. Sed hoc argumentum retorquetur ex dis-ctis, namque, quia Verbum Divinum pro-cedit, ut simile formaliter Patri in natura, pro-cedit, ut Deus, nedium intentionaliter, sed etiam substantialiter, seu naturaliter: Ergo pariter. Unde distinguitur minor; & tamen à Patre realiter distinguitur in modo effendi ab-soluto naturæ, nego; in modo effendi relativo, nempè ratione filiationis, concedo; species au-tem illa non procederet tanquam Verbum, vel Filius, & sic non haberet, unde realiter distin-gueretur.

44 Sexto objicies: falsum est quod Deus sit essentialiter suum esse, licet sit suum esse per identitatem: Ergo ex quo species illa impressa esset ejusdem quidditatis cum Deo, non inde inferatur debere esse Deum secundum esse physi-cum, & naturale. Consequentia videtur bona, & antecedens est commune thomistarū loquendo de constitutivo divinae naturæ. Sed respondeatur antecedens esse commune thomistarū loquendo de constitutivo metaphysico divinae natu-ræ, nempè quod primo in Deo intelligitur tan-quam radix cateriorū. Loquendo vero de constitu-tivo

vivo physico ; seu Dei prout est in se , cuius prout sic esset formalis similitudo illa species , potius dicunt thomistæ , omnia divina prædicata ingredi constitutivum Dei , quatenus omnia sunt una , & eadem entitas absque reali aliqua distinctione , qua ratione affirmant , non posse videri à beato essentiam divinam sine attributis , & ceteris prædicatis , quæ in Deo formaliter reperiuntur ; quia visio beatifica est quidditativa Dei , non quomodo libet , sed prout est in se .

45 Tandem objicies ex Zamorensi , qui consulto , & ex professo affirmat se abstinuisse ab hac ratione Div. Thom. quia modus iste probabilitatem habet propter AA. thomistas , & modum loquendi Div. Thom. Sed videatur ei , non debere extendi propter in superabiles difficultates , quas continet : namque in primis intelligibilitas est prædicatum intrinsecum cujusque entitatis identificatum transcendentaliter cum entitate ipsa , & solum ratione distinctum ab illa : Ergò impossibile omnino videtur , quod duæ entitates realiter , & essentialiter distinctæ plusquam genere , quarum una est substantia , & alia accidens spirituale , habeant unam , & eandem intelligibilitatem specificam intrinsecè sibi identificatam ; certè difficilis est hoc mysterium , quam mysterium Sanctissimæ Trinitatis .

46 Secundo : nam idem dicunt prædicti Authores de specie impressa , & expressa ; at species impressa , & expressa etiam quando repræsentant idem objectum , distinguuntur species essentiali propter distinctum modum repræsentandi intrinsecum , & proprium uniuscujusque , nam una repræsentat per modum actus primi , & altera tamquam ipsa ultima actualis repræsentatio , & tamquam ultimum exercitium in linea repræsentativa ; cum tamen in omni linea actus primus , & ultimum exercitium distinguantur essentialiter , sicut distinguuntur intellectus , & intellectio , voluntas , & volitio , & quelibet potentia , & ejus actus : Ergò .

47 Tertio : nam semper atque duo extrema ita se habent , quod aliquod , vel aliqua prædicata intrinseca , & essentialia , quæ non reperiuntur in uno , reperiuntur in alio , est omnino impossibile , quod sint ejusdem speciei ; sed intra lineam intentionalem , & intelligibilem , & non solum in linea entitativa ita se habent species impressa , & expressa ex una parte , & objecta illarum ex alia : Ergò . Probatur minor multipliciter : nam imprimis species sunt essentialiter representative objec-

ti , & sive signa illius ; objectum autem neque significat , neque repræsentat ; sed solum terminat , seu repræsentatur . Item species potius dantur à natura , ut repræsentent allia ; objecta autem non dantur , ut repræsentent , sed ut sint , & repræsententur . Deinde , intellectio , & intellectus etiam in linea intellectuali , & intellectuali confituntur essentialiter per ordinem : & habitudinem transcendentalem ad objectum , super quem ordinem fundatur relatio transcendentalis tertij generis ; objecta autem nullam habitudinem dicunt , neque transcendentalem , neque prædicamentalem .

48 Quarto : nam hæc quatuor prædicta : ens , unum , verum , bonum sic se habent , quod una sola veritate sunt vera , & una sola bonitate sunt bona : Ergò in specie entitas , & intelligibilitas una sola unitate sunt unum ; at unitas inter objectum , & speciem in esse entis est secundum quid , & analogia : Ergò etiam unitas in esse intelligibili .

49 Quintum : nam inde sequitur , quod duæ species inferiorum Angelorum repræsentantes idem objectum , sint ejusdem speciei ; sed hoc est contra Divum Thomam supra , quæst. 55. art. 3. dicentem inæquales esse species impressas in Angelis juxta inæqualitatem ipsorum : Ergò . Immò sequitur aliud inconveniens , nimirum , quod species istæ inferiorum Angelorum sint multo perfectiores ipsis Angelis , in quibus connaturaliter recipiuntur , utpote adæquant in intelligibiliitate supremum Angelum .

50 Quibus adde quod Div. Thom. supra , quæst. 42. art. 1. ad 4. negat inter divinas personas relationem realem æqualitatis , quia natura quæ est fundamentum talis relationis , una & eadem est in illis ; quæ ratio procederet etiam de specie , si esset ejusdem quidditatis cum objecto ; ac tandem albedo , & nigredo sunt formæ contrariae , & in gradibus intensis incompositiles in eodem subjecto ; at illarum species simul in eodem intellectu compatiuntur : Ergò .

51 Sed hæc omnia , licet difficultia appareant , non difficile solvuntur . Et ad prium respondetur distinguendo consequens : si sint entitates distinctæ penes diversum modum essendi naturalem concedo ; penes modum essendi naturalem , & intentionalem subdivinquo ; impossibile est , quod habeant unam , & eandem intelligibilitatem specificam sibi intrinsecè identificatam , quo ad substantiam , nemo ; quo admodum concedo . Itaque species , & objectum distinguuntur realiter penes

esse naturale, & intentionale; hoc autem duplex esse, quamvis plusquam genere distinctum, non repugnat, immo necesse est uni, & eidem rei convenire, cum modus rei alter sit, ut sit, & existat in rerum natura, qui dicitur naturalis, & alter ut intelligatur, & existat intra intellectum, quia cognitio fit secundum quod cognitum est in cognoscente, qui propterea dicitur intentionalis. Objectum ergo idem est quoad substantiam sub utroque esse, licet diversum sit quoadmodum. Ex quo apparet, quod eadem etiam sit intelligibilitas quoad substantiam, licet quoadmodum sit diversa; namque eadem intelligibilitas, que in objecto secundum esse naturale erat in potentia, fit in actu per hoc, quod ejus quidditas depuretur a materia per esse intentionale, quod habet in specie.

52 Vel dicitur hoc ipsum alijs terminis: quod species dupliciter potest considerari: uno modo, ut quod, seu subjective, & in esse entis: Alio modo ut quo, seu objectivè, nempe quatenus est formalis similitudo objecti. 1. modo sicut realiter distinguitur ab objecto, sic etiam habet secum identificatam intelligibilitatem ab intelligibilitate objecti realiter distinctam; 2. verò modo, quia prout sic convenit cum objecto in forma, etiam cum eo convenit in intelligibilitate; quapropter 1. solet vocari intelligibilitas subiectiva, & materialis, 2. verò formalis, vel objectiva.

53 Hinc apparet differentia hujus identitatis ab ea, quam fide profiteinur in mysterio Trinitatis; nam hec consili: in eo, quod una & eadem natura secundum esse naturale identificatur realiter cum pluribus personis realiter distinctis; in nostro autem casu ponitur eadem quidditas in uno secundum esse naturale, & in alio secundum esse intentionale: Item eadem quidditas licet formaliter sit eadem in objecto, & specie, materialiter tamen, & subjective multiplicatur, divina tamen natura in divinis personis nullo modo multiplicatur, sed eadem numero est.

54 Ad secundum respondetur: quod species impressa sicut est formalis similitudo ejusdem objecti, cuius est formalis similitudo species expressa, sic sunt ejusdem quidditatis, & essentialiter inter se conveniunt, sicut, & utraque cum objecto. Unde solum differunt penes diversum modum intra modum essendi intentionalem; quia nempe quidditas objecti in specie impressa habet esse intentionale per modum moventis ad intellectionem, in expressa verò per modum terminantis illam. Neque comparantur, ut potentia, & actus, utpote utraque consistit in exercitio, utraque enim est aequalis

repräsentatio objecti, licet illo diverso modo. Si tamen reduplicetur ille diversus modus, ut reduplicatur illis nominibus *species impressa*, & *expressa*, & verum est quod essentialiter distinguuntur, ut statim explico respondendo ad tertium.

55 Itaque ad tertium dico, quod species impressa hominis, species expressa illius, & ipse homo possunt duplicitate considerari, vel absolute, & in se, vel quatenus significantur praedictis nominibus; hoc secundo modo reduplicatur natura humana sub modo essendi proprio unius cuiuslibet, v.g. quatenus significatur hoc nomine *species impressa*, reduplicatur natura humana sub modo intentionalis moventis ad intellectionem, & ut significatur hoc nomine *species expressa*, reduplicatur eadem natura sub modo intentionalis terminantis intellectionem, & quatenus significatur hoc nomine *homo*, reduplicatur eadem natura sub modo essendi naturali. Et sic quatenus praedictis nominibus significantur, essentialiter distinguuntur, sicut homo niger quatenus significatur hoc nomine *Aethiops*, essentialiter distinguitur ab homine albo, ut significatur hoc nomine *Hispanus*, quia esse album, vel nigrum, quod accidentaliter se habet ad hominem, reduplicatur ex vi significacionis illorum terminorum. Attamen sicut homo albus, & niger absolute sunt ejusdem quidditatis, & naturæ, sic species impressa hominis, species expressa illius, & ipse homo, sunt ejusdem naturæ, & quidditatis. Hinc ergo dicimus, quod, si summatur species absolute, & in se, non habet essentialiter repräsentare objectum, neque essentialiter dicere ordinem ad illud, neque ab illo mensurari, id est, hoc non habet ex sua natura, & quidditate, sed ratione modi essendi intentionalis, cui subest, & ei accidentaliter convenit. Et similiter neque homo habet essentialiter repräsentare, vel terminare, seu non dicere habitudinem aliquam, sed hoc ei convenit ratione modi essendi naturalis, & idem patet de specie expressa contrapositive ad impressam. Quia tamen cum dico, *species impressa*, *expressa*, *vel homo*, dico naturam hominis, ut significatur praedictis nominibus, proindeque reduplicato modo essendi proprio uniuscujuslibet, propterea dicitur, quod species impressa habet essentialiter repräsentare objectum per modum moventis, & expressa per modum terminantis, & quod essentialiter ordinantur ad objectum, & ab eo mensurantur, seu specificantur, quorum neutrum habet essentialiter homo. Quod nequit negari, nisi a volente confundi, allucinari, obtenebrari, & falli, ut verbis praedicti Authoris contra nos dictis utamur.

56 Ad quartum respondeatur: quod omnia illa praedicta sunt unum idem in sensu identico; non vero in sensu formalis; omnia enim, quae identificantur in una entitate, habent eandem unitatem numericam in sensu identico, quae tamen in sensu formalis numero distinguntur, ut patet in divinis attributis, alioquin in Deo esset unum solum numero attributum, & non plura numero distincta. Immò proprietas assignatae entis sunt tres proprietates numero distinctae, quod stare non potest sine pluribus unitatibus ratione, & formaliter distinctis, licet identice sint unum eadem unitate. Unde concludo, entitatem speciei, & ejus intelligibilitatem esse unam eadem unitate in sensu identico, diversa tamen in sensu formalis. Unde iterum deduco, posse speciem cum objecto esse unam unitatem secundum quid in esse entis, & unitate simpliciter in esse intelligibili, quod probatur ab exemplo in eadem materia, namque ex sola distinctione rationis, quae est inter entitatem & bonitatem, potest aliquid esse ens simpliciter, & bonum secundum quid, & contra esse ens secundum quid, & bonum simpliciter, ut patet ex Div. Thom. quest. 21. de veritate art. 5. ubi ait: *Quod sicut ens multiplicatur per substantiale, & accidentale sic etiam bonitas: sed est differentia, qua aliquid dicitur esse absolute, & simpliciter propter suum esse substantiale, & propter esse accidentale solum dicitur ens secundum quid. De bono autem est è converso, nam secundum substantiale bonitatem dicitur aliquid bonum secundum quid, secundum accidentalem vero dicitur aliquid bonum simpliciter; unde hominem injustum non dicimus bonum simpliciter, sed secundum quid, in quantum est homo, hominem vero justum dicimus simpliciter bonum.* Hec ibi Div. Thom.

57 Ad quintum respondeatur Div. Thom. debere intelligi de speciebus Angelorum, quantum ad modum, quia res superioris ordinis perfectiori modo sunt in se ipsis, quam in intellectu inferiori, recipiuntur enim juxta modum illius, quippe unumquodque recipitur ad modum recipientis, non tamen quoad substantialiter propter eandem rationem, ac species nostri intellectus est ejusdem quidditatis cum objecto. Ad subiectum autem dico, quod species istae inferiorum Angelorum sunt perfectiores ipsis Angelis secundum quid; in quantum intentionaliter sunt ejusdem quidditatis cum ipso Angelo superiori representato; simpliciter tamen perfectiores sunt ipsi Angeli inferiores, quia excendunt in esse entis, & in modo substantiali propriae intelligibilitatis.

58. Ad sextum respondeatur ex dictis: D.

Thom. non negare praedictam relationem, quia natura divina est eadem in Divinis Personis, sed quia est eadem secundum eundem modum essendi: scilicet naturalem; atamen quidditas in objecto, & specie eadem est secundum diversum modum essendi, ut explicatum est. Ad ultimum tandem respondeo albedinem, & nigredinem esse formas in gradibus intensis incompositiles in eodem subiecto secundum modum essendi phisicum, & naturale, secus verò secundum modum essendi intentionalem. Immò in intellectu praedictæ formæ sunt duntaxat quantum ad quidditatem, non vero quantum ad gradus, non enim forma, seu qualitas intenditur; vel remittitur secundum esse intentionale, sed solum secundum esse naturale.

### RESOLUTIO III.

*Etiam tertia ratio D. Thomæ rectè probat non esse possibilem praedictam speciem.*

59 **E**t reducitur ad formam sic: omnis species creata est diffinita in repræsentando; at si possibilis esset praedicta species, illa esset infinita in repræsentando: Ergo. Prob. min. namque praedicta species haberet vim repræsentativam pertinentem usque ad infinita, cum repræsentaret ipsam essentiam divinam secundum omnes perfections, quae in ea continentur, tam formaliter, quam eminenter, proindeque repræsentaret etiam omnes creaturas possibles, quae infinitè sunt: Ergo.

60 Quæ ratio confirmatur ex eo, quod talis species non haberet unde limitaretur in repræsentando; namque non posset limitari, quia ab intellectu produceretur, qualiter dicitur ipsis expressam limitari, siquidem species impressa non producitur ab intellectu. Neque potest limitari ab intellectu creato per ipsius informationem, & actuationem, modo quo lumen gloriae ab eo limitatur, nam & si species imperfecta subjectivè, & in esse entis intellectum informet, non tamen cuius informat per modum virtutis illius, sicut lumen gloriae, sed per modum virtutis objecti, unde formaliter, & repræsentativè tota se tenet ex parte objecti. Neque potest praedicta species limitari ab objecto: tum quia species non limitatur ab objecto, nisi juxta illius limitationem, & propterea ab eo mensuratur; unde juxta maiorem, vel minorem perfectione objecti species est magis, vel minus perfecta in repræsentando; at in Deo nullum est limitationis principium: ergo. Tum quia talis species procederet à Deo tanquam à causa naturali, & necessaria, quia procederet ab illo tam-

tanquam ab objecto, eo fere modo, quo species mittuntur à suis objectis, nempè tanquam à causis naturalibus, undè se habent ut affectiones naturæ, seu tanquam proprietates, ac veluti quedam semina, quibus sui cognitionem nata sunt parere, sicut per semen naturale producit generans sibi simile; & etiam, quia talis species emanaret à Deo secundum suam essentiam, ut radix est attributorum, ut potè prout sic est objectum formale visionis beatificæ, & species solum emanat à suo objecto formaliter; at essentia divina, ut radix est attributorum antecedit voluntatem: procederet ergo illa species à Deo non tanquam à causa libera, sed tanquam à causa naturali, & necessaria. Tunc sic, sed causa naturalis, & necessaria operatur quantum potest: ergo Deus illam speciem produceret ut infinitè repræsentativam. Immò species illa dūtaxat posset determinati ut unam creaturam magis quam aliam ex possibilibus repræsentaret, ex libera Dei voluntate, quomodo determinatur lumen gloriae: si ergo non libere, sed necessario à Deo procederet, non ab eo procederet, ut determinata, seu limitata.

*Objiciuntur, & solvantur argumenta.*

61 **S**ed contrā nostram resolutionem objicis primò: licet species repræsentativa Dei quidditativer, & comprehensivè sit infinita in repræsentando, secus tamen si solum sit repræsentativa Dei quidditativer, ergo administris species solum repræsentativa Dei quidditativer ex hoc capite non repugnat. Confirmatur: species repræsentans infinitum modo finito non est infinita in repræsentando; sed illa species, licet repræsentaret infinitum, illud repræsentaret modo finito: ergo non esset infinita.

62 Sed respondetur negando suppositum, quod respectu Dei possit dari species quidditativa, & non comprehensiva: tum juxta primam rationem, quia deberet esse in eodem ordine, & gradu immaterialitatis cum Deo, qui ordo cum sit purissimæ actualitatis, non patitur latitudinem, sed in indivisibili consistit: tum juxta secundam rationem; quia illa species esset ipsum esse Dei, cù esset ejusdem quidditatis cum illo, & sic in modo adæquaret etiam divinam repræsentabilitatem: ac tandem juxta tertiam rationem, quia non haberet undè limitaretur in repræsentando, enim pro ut sic tota se tenebat ex parte objecti, cuius esset virtus; undè licet subjectivè, & in esse entis intellectum informarer, & ab eo pro ut sic limitaretur, non tam ea formaliter, & repræsentativè, quia Deus

non potest esse principium limitationis, præsternit (ut diximus) cum non causaretur à Deo, nisi tanquam ab objecto, propterea que tanquam à causa naturali.

63 Quibus additæ sententiam probabilem speciem quidditativam, qua Angelus inferior cognoscit superiorem esse etiam illius comprehensivam; neque inde sequitur, Angelum inferiorem comprehendere superiorem sicut neque, quod beati Deum comprehendant, quanvis eum cognoscant per speciem illius comprehensivam, nempè per essentiam divinam eis unitam per modum speciei. Et hoc ideo, quia ex specie non summittur efficacia cognitionis, sed solum determinatio illius; efficacia autem solum desummitur à lumine: undè quo lumen in beatis est perfectius, eo magis penetrat Deum, & plura possibilia in eo beati vident. Si autem supponamus in probabili sententia speciem Angelii inferioris repræsentantem superiorem non esse illius comprehensivam, non inde sequitur non fore etiam comprehensivam speciem illam creatam Dei repræsentativam, propter rationes nuper allegatas: namque tertius ordo in quo sunt Angelii est ordo entis potentialis, qui patitur latitudinem, & in eo distinguuntur immaterialitates specificè diverse, perfectiores, & imperfectiores, & in universum species sunt in immaterialitate inæquales juxta in qualitatem Angelorum in quibus recipiuntur. Et sic licet species existens in Angelo inferiori sit ejusdem immaterialitatis gradualis cum Angelo superiori, ab eo tamen exceditur immaterialitate specifica, ideoque non eum repræsentat, quantum repræsentabilis est. Et inde neque species illa est Angelus superior secundum esse physicum, & naturale, quippe Angelus superior non est essentialiter suum esse. Ac tandem illa species est causata à Deo libere, proindeque potuit ab eo produci, ut commensurata, & proportionata actualitati, & immaterialitati Angelii inferioris in quo recipitur.

64 Nec valet defacto dari lumen quidditativum Dei tantum, & non comprehensivum: namque patet disparitas ex dictis: tum quia lumen non oportet, quod sit in eodem ordine immaterialitatis cum Deo; tum quia non est ejusdem quidditatis cum illo: tandem habet undè limitetur, quia totum se tenet ex parte intellectus finiti, immò, & liberè à Deo causatur. Neque tandem valet speciem hominis, quæ est in nostro intellectu esse tantum quidditativam, & non comprehensivam: hoc enim ideo est, quia species in nobis sunt abstractæ à phantasmatibus, & consequenter repræsentant res in sui abstractione à differentijs, vel modis, quibus sunt

sunt à parte rei; & licet possit intellectus noster res cognoscere pro ut sunt in se à parte rei, hoc sit per species, ut cónotantes phantasmata, vel ut eis modificate; hoc autem verificari nequit de speciebus Angeli, quæ objecta sua repræsentant, ut sunt in se, & à fortiori species de qua procedit quæstio.

65 Ad confirmationem nego similiter suppositum, nempe quod species illa posset Deum repræsentare modo finito. Vel dicatur, quod cum repræsentaret, & non repræsentaret modo finito: primum, quia esset creata, secundum quia esset quidditativa Dei juxta plures dicta. Neque valet, quod talis species repræsentaret Deum intellectui finito, cui non potest fieri repræsentatio infinita; nam hoc esset per accidens ex defectu luminis, non vero per se ex defectu virtutis repræsentativæ, ut patet in divina clementia defacto unita intellectui finito beati, quæ quantum est ex se infinitè se ipsam repræsentat. Neque valet etiam ad effectum finitum, qualis est visio beatæ, non requiri virtutem infinitam, non inquam valet; quia effectus creatus virtutem infinitum ex poscit ex parte Dei, ut pote agentis infiniti; unde in præfenti illam requirit meritis objecti, quod infinitum est, licet non meritis proptijs ipsius.

66 Hinc solutum manet argumentum quoddam mihi à Patre Societatis in Pinciana Universitate objectum, quod est hujusmodi: nō repugnat species creata quidditativa visionis beatæ. Ergo neque Dei. Antecedens probavit, quia ad visionem beatam quidditative repræsentandum non requiritur species infinita in repræsentando, sicut neque quod sit immaterialitas infinitæ quia visio beatæ finitæ immaterialitas est. Sed negavi antecedens, namque, cum species etenim præcontinet actum, quatenus præcontinet objectum, cum ab objecto, & potentia paratur noticia, sicut negamus speciem aliquam creatam Deum posse præcontinere intelligibiliter, sic pariter debemus negare eam posse intelligibiliter præcontinere visionem beatam, & ad probationem dixi, quod licet ad visionem beatam quidditative repræsentandam non requiratur species infinita, meritis ipsius visionis, bene tamen meritis objecti visi, ut dictum est.

67 Tandem objicies: ita identificantur genus phisicum, & genus moris, sicut genus repræsentativum, & genus entis; at stat aliquid esse finitum in genere entis; & infinitū in genere moris, ut patet in peccato, & in gratia, & operationibus Christi: ergo pariter poterit stare speciem aliquam esse in esse entis finitam, & esse illimitatam, & infinitam in esse repræsentativo.

Sed resp. neg. conseq. Disparitasque in eo stat quod genus entis, & genus intelligibile, seu repræsentativum taliter identificantur, quod intelligibilitas, seu repræsentatio ortum habeat ex ipsa entitate, quatenus immaterialis; est enim immaterialitas radix, & ratio intelligibilitatis objecti, sicut & representationis speciei, proindeque cum ea commensuratur, & propter ea entitas finita nequit esse ratio, & radix intelligibilitatis, seu representationis infinitæ. Atamen genus moris non sic radicatur in entitate, neque cum ea consequenter commensuratur, sed ab alio principio desumitur; non enim habet peccatum quod sit simpliciter infinitum ex ipius entitate, sed ex objecto in quo moraliter subjectatur, quod infinitum est, seu ex ordine ad personam ofensam, quæ etiam infinita est, & similiter operationes Christi non sunt valoris simpliciter infiniti ex earum entitate, sed ex persona aqua efficienter procedunt, quæ infinita etiam est.

### DUBIUM II.

*Utrum sit possibilis substantia creata supernaturalis, & cui connaturale sit lumen glorie, vel visio beatifica.*

1 **S**upponimus, ut certum de fide nullam substantiam defacto dari, cuī connaturale sit videre Deum prout in se, quia omnis substantia creata, quæ defacto datur est naturalis, & ad ordinem naturæ expectans, visio autem beatifica, & Dei ut in se, est supernaturalis, & pariter lumen glorie, quod est principium effectivum illius. Supernaturale autem dicitur quod transcendent, & excedit ordinem, debitum, exigentiam, & vires naturæ. Tota ergo difficultas procedit de substantia possibile, & creabili, qua propter quia talis substantia ( si daretur ) foret necessario supernaturalis, ideo difficultas etiam procedit de substantia supernaturali. Sit ergo.

### RESOLUTIO UNICA.

*Talis substantia prorsus impossibilis est.*

2 **E**st contra Durandum, Molinam, Ripaldam, Arriagam, & alios ex recentioribus Societatis, qua etiam in hac tempestate Vaconistæ intulant. Negativam vero sententiam tenent omnes thomistæ, & cum eis Bazquez. Et fundatur 1. ex D. Aug. lib. 12. de Civitate Dei cap. 1. ubi habet hæc verba: *Quamvis non omnis creatura possit esse beatam*

*beata, creatura tamen intellectualls, que beata potest esse, non ex se ipsa potest, quia ex nihilo creata est. Quæ doctrina procedit de substantia creata defacto, nedum in sensu objectivo, verum etiam in sensu effectivo, ita ut nulla substantia creata defacto possit ex se ipsa esse beata, nedum objectivè, seu tanquam ex objecto, sed neque effectivè, & tanquam ex principio elicito; at hujus non aliam rationem assignat, nisi quia talis substantia ex nihilo creata est, quæ ratio procedit etiā de substantia creabili, utpote hæc etiā esset ex nihilo: Ergo nō est creabilis substantia, quæ ex se ipsa beata possit esse, nedum objectivè, ut ait Ripalda, sed neque effectivè, id est quæ possit visionem elicere ex proprio, connaturali principio, cui pariforme est argumentum ex verbis Cœli lib. i. in Ioann. cap. 13. ubi sic habet: *Creatura, cum serva sit, nutu tantum, & voluntate Patris ad supernaturalia vocatur. Quæ verba clare indicant nullam substantiam creatam defacto ad supernaturalia pervenire naturaliter, sed gratuita, & ex voluntate Dei vocantis, & moventis; at hujus rationem assignat, quia serva est, quæ ratio etiam procedit de substantia creabili; servitus enim creaturæ in creatione fundatur.**

3 Secundo fundatur ratione D. Thom. i. part. q. 12. art. 4. ubi concludit, nullum intellectum creatum posse per sua naturalia Deum per essentiam videre; & est hujusmodi: *cognitio enim contingit secundum quod cognitum est in cognoscente; cognitum autem est in cognoscente secundum modum cognoscens, unde cujuslibet cognoscens cognitio est secundum modum sue naturæ: si igitur modus essendi alicujus rei cognitæ excedat modum naturæ cognoscens, opportet quod cognitio illius rei sit supra naturam illius cognoscens.* Modus autem essendi Dei est quod sit suum esse, qui proinde excedit omnem modum essendi naturæ creatæ; ac proinde Deum per essentiam cognoscere est supra facultatem naturalē cujuslibet intellectus creati, & solum est connaturale intellectui divino. Ut ibi docet D. Thomas.

4 Pro cujus clara intelligentia notandum est, quod est multiplex modus essendi rerum, nam quædam sunt quarum natura non habet esse nisi in hac materia individuali, ut sunt omnia corporalia; quædam verò sunt, quarum natura est per se subsistens: id est non in materia aliqua, non tamen est suum esse, qualis est natura angelica; solum autem Dei proprius modus essendi est, ut sit suum esse subsistens. Argumentatur ergo D. Thom. sic: quia modus essendi naturæ abstractæ à materia per intellectum agentem excedit modum essendi prout in hac

materia individuali, cognoscere naturas in universalis, & à materia individuali abstractas est supra naturalem facultatem sensus, & solum est ei connaturale cognoscere singulare corporeæ. Similiter quia modus essendi naturæ per se subsistentis, & non in materia aliqua, qualis est natura angelica, excedit modum essendi naturæ humanae, quæ essentialiter est composita ex materia, eam cognoscere est supra facultatem naturalis intellectus humani, & solum est ei connaturale cognoscere naturas à materia individuali abstractas, incidentes tamen materiam communem. Pariter quia modus essendi naturæ divinæ excedit modum essendi naturæ angelicæ, quæ non est suum esse, naturam divinam cognoscere est supra facultatem intellectus angelici, & solum est ei connaturale cognoscere naturas per se subsistentes, quæ non sunt suum esse.

5 Patet ergo principium D. Thom. quod quia cognitum est in cognoscente secundum naturæ cognoscens, cum modus essendi rei cognitæ excedit modum essendi naturæ cognoscens, eam cognoscere prout in se, & quidditativè propria virtute non potest, sed solum connotativè, & admodum propriæ ipsius substantiæ, & naturæ, qualiter à nobis pro hoc statu cognoscuntur Angeli, & Deus. Tunc sic, sed nulla est possibilis substantia creata quam in modo essendi natura divina non excedat, quia quilibet imagibilis fit quantumvis perfectissimè per se subsistens non potest esse suum esse, utpote creata, finita, & limitata: Ergo cognoscere naturam divinam per essentiam, & prout in se excedit facultatem cujuslibet intellectus tam creati, quam creabilis, & hoc solum erit connaturale intellectui divino.

6 Pro cujus adhuc radicali intelligētia notandum etiam est primū fundamentū dubij precedentis traditū ad probandū impossibilitatē speciei impressæ creatæ quidditativæ Dei. Ibi enim distinximus quatuor ordines, seu gradus immaterialitatis, & cum immaterialitas sit ratio, & radix intelligibilitatis, diximus quod, ut intellectus objectum aliquod naturaliter attingat, opportet, quod cum eo in immaterialitate proportionetur, ita ut ad minus sit in eodem ordine, & gradu immaterialitatis cum illo. Qua ratione si potentia sit in ordine, & gradu inferiori, nequit naturaliter attingere objectum existens in ordine, & gradu superiori. Cumque quilibet intellectus creatus, vel creabilis non possit non excedi in gradu immaterialitatis à Deo, utpote Deus est in gradu immaterialitatis per exclusionem omnis materiae, etiam metaphysicæ, consequenter nullus intellectus creatus, vel creabilis

bilis potest Deum naturaliter videre, seu quiditativè intelligere. Cum ergò isti quatuor gradus immaterialitatis distinguuntur juxta quatuor praedictos modos essendi, per idem est modum essendi alicujus objecti excedere modum essendi naturæ cognoscentis, ac eam excedere in gradu immaterialitatis: unde idem convincitur mutatis terminis, uno, & altero fundamento.

7 Sed dices: anima separata non est in eodem ordine, & gradu immaterialitatis cum angelis, & tamen in statu separationis eos quidditative connaturaliter cognoscit: Ergo. Si autem dicatur, quod anima separata eo ipso transferatur ad modum essendi angelicum, quia eo ipso excludit omnem materiam phisicam, & solum includit materiam metaphysicam, proindeque est in eodem ordine, & gradu immaterialitatis cum Angelis, contra est: namque licet anima separata actu non sit unita materia, est tamen aptitudinaliter ei unibilis, proptereaque licet eam excludat actu, non tamen in potentia; at angeli actu, & potentia materiam excludunt: non ergo anima separata convenit cum angelis in modo essendi, & gradu immaterialitatis.

8 Melius ergo negatur minor, quod nempe anima separata connaturaliter quidditative angelos cognoseat, quod est expressum Div. Thom. in hac 1.p. q. 89, art. 2, ubi hoc ipsum ex professo examinat, quomodo scilicet anima separata intelligat substantias separatas, & respondet conformiter ad dicta art. 4.cit. *Quod omni substantie separata commune est, quod intelligat id, quod est suprase, & id, quod est infra se per modum sue substantie, sic enim intelligitur aliquid secundum quod est in intelligentie, est autem aliquid in altero per modum ejus, in quo est. Modus autem substantie anima separata est infra modum substantie angelicæ, sed est conformis modo aliaram animalium separatarum;* & ideo de alijs animabus separatis perfectam cognitionem habent, de Angelis autem imperfectam, & deficientem, loquendo de cognitione naturali animæ separatae, de cognitione autem gloriae est alia ratio. Hæc Div. Th. Conformiter ad quæ dicimus, quod modus essendi Angelii est habere esse separatum à materia nedum actu, verum etiam aptitudine, & sic excedit modum essendi animæ separatae, quæ licet actu non uniatur materia, est tamen ei aptitudine unibilis, consequenterque non possunt angelii esse objectum connaturale animæ separatae, neque ab ea propria virtute quidditative cognosci, sed loquendo de cognitione naturali, solum de angelis habet imperfectam, & deficientem cognitionem, nempe connotativam ad modum propriæ ipsius substantie. Objectum

connaturale illius in prædicto statu est ipsa eadem anima separata, & ceteræ animæ separatae, quæ cum ipsa in modo essendi, & gradu immaterialitatis convenientur.

9 Sed dices: perfectiorem cognitionem habet anima de angelis in statu separationis, ac in statu conjunctionis; sed in statu conjunctionis habet de illis cognitionem connotativam: Ergo in statu separationis habet de illis cognitionem quidditativam. Sed respondetur, quod in statu separationis habet de illis cognitionem connotativam ad modum corporis, in statu vero separationis habet de illis cognitionem connotativam ad modum spiritus, seu ad modum sui ipsius, quæ cognitione perfectionis est, & magis juxta naturam angelorum, licet utraque sic connotativa. Alia, quæ contra prædictum fundamentum objici possunt, videantur dubio præcedenti resolutione 1. præcipue objectione quarta, & quinta.

10 Tertio fundatur nostra resolutio ratione etiam Div. Thom. q. cit. art. 5, ad 3. ubi, cum potuisset argumentum, quod illud, quod est creatum, nihil prohibet alicui creature esse connaturale: si ergo per aliquod lumen creatum Dei essentia videtur, poterit illud lumen esse naturale alicui creature, sic responderet, *Quod dispositio ad formam ignis non potest esse naturalis, nisi habenti formam ignis;* unde lumen glorie non potest esse naturale creature, nisi creatura esset naturæ divinae, quod est impossibile: per hoc enim lumen fit creatura rationalis deiformis, ut dictum est. Ex quibus verbis sic formatur ratio: ultima dispositio ad aliquam formam nequit esse connaturalis subiecto, cui connaturalis non est forma ad quam disponit; sed lumen glorie est ultima dispositio ad essentiam Divinam, ut uniadam per modum formæ intelligibilis: Ergo cui connaturalis non est, neque potest esse essentia divina per modum formæ intelligibilis, connaturalis non est, neque potest esse lumen glorie. Maj. prob. exemplo ultimæ dispositionis ad formam ignis, quæ connaturalis non potest esse, nisi habenti formam ignis, unde neque aqua, nec cuilibet alio subiecto ab igne connaturalis esse potest, sed violenta, vel omnino extranea. Et ratio est: nam quod dispositio aliqua ultimæ sit alicui subiecto connaturalis, consilit in eo, quod sit juxta exigentiam, & inclinationem naturalem illius; at inclinatio, & exigentia subiecti non tam est dispositio ratione sui, quam ratione formæ, ad quam disponit, dispositio namque se habet ad formam, ut medium ad finem, inclinatio autem principaliter tendit in finem, cum medium non sit appetibile, nisi ratione fi-

nis: implicat ergo, quod dispositio ultima ad aliquam formam sit alicui subiecto connaturalis, cui connaturalis non potest esse forma, ad quam disponit. Quod autem essentia divina per modum formæ intelligibilis nequeat esse alicui intellectui creato connaturalis, supponitur à Div. Thom. tanquam principium. Nihilominus probatur; quia essentia Divina est forma in creata, & infinita, nèdùm entitative, verum, & intelligibiliter, utpote forma intelligibilis propria, & connaturalis divini intellectus: ergò impossibile est, quod sit connaturalis intellectui creato, & finito.

11 Dices, quod potest esse ei connaturalis, ut finito modo unibilis, sed contra est; nam forma infinita infinito modo petit uniri, cui ut propria, & connaturalis forma unitur: ergò ex terminis implicat, quod sit forma infinita finito modo unita, & sit connaturalis; cuius exemplū est in substance divina, quæ, quia infinita est, non potest non uniri infinito modo, cui ut proprius, & connaturalis terminus unitur. Præterea quia, ut essentia divina esset propria, & connaturalis forma intellectus creati, ut modo finito unita, oporteret, intellectum creatum ex se habere vim, & efficaciam ad illam unionem, nam quilibet intellectus ex se habet vim, & efficaciam ad sibi uniendam propria, & connaturalem formam intelligibilem; at hoc falsissimum est, alioquin habéret etiam ex proprijs vim, & efficaciam in ipsam essentiā divinam, utpote qui habet vim, & efficaciam in aliquam unionem, habet consequenter vim, & efficaciam in ipsa extrema unita: ergo.

12 Quinto fundatur nostra resolutio, etiam ratione Div. Thom. tert. contr. gent. cap. 25. sic ad formam reducta. Videre Deum, ut est in se, est actio propria, & connaturalis divinæ naturæ: ergo implicat, quod sit propria, & connaturalis actio naturæ alicujus creatæ, etiam possibilis. Antecedens patet; namque illa operatio est propria, & connaturalis alicujus naturæ, quæ est secundum propriam illius formam, ut de se patet; sed videre Deum, ut est in se, est operatio secundum propriam formam Dei, id est secundum essentiam divinam, quæ sola est forma intelligibilis propria, & connaturalis divini intellectus: ergo. Conf. verò prob. operatio propria, & connaturalis naturæ superioris non potest esse propria, & connaturalis naturæ inferioris: si ergo visio Dei, ut est in se, est operatio propria, & connaturalis divinæ naturæ, implicatorum est, quod sit propria, & connaturalis naturæ alicujus creatæ etiam possibilis. Conf. patet & ant. prob. operatio propria, & connaturalis naturæ superioris non potest

non esse secundum propriam formam naturæ superioris, sicut si esset propria, & connaturalis naturæ inferioris, oporteret esse secundum propriam formam naturæ inferioris: ergò operatio propria, & connaturalis naturæ superioris non potest esse propria, & connaturalis naturæ inferioris. Præterquamquod operatio propria, & connaturalis alicujus naturæ non potest non cum ea proportionari, & commensurari; superioris enim naturæ superior est operatio: ergò sicut natura superior excedit inferiorem, ita operatio propria, & connaturalis naturæ superioris debet excedere propriam, & connaturalis operationem naturæ inferioris, aliter natura esset inferior, & operatio propria, & connaturalis illius esset superior.

13 Quod & exemplificatur à Div. Thom. exemplo ignis. Quia enim calefacere est propria, & connaturalis operatio ignis, utpote secundum propriam illius formam, non potest esse propria, & connaturalis operatio alterius ab igne, sed si aqua, vel aliud ab igne est calidum, & calefacit, hoc habet ex calore in ipsū derivato ab igne, in eo intrinsece recepto media actione ignis, ei tamen extraneo: ergo à simili; quia visio beatifica est propria, & connaturalis operatio naturæ divinæ, utpote secundum propriam illius formam, non potest esse propria, & connaturalis operatio alicujus naturæ creatæ, sed si natura creatæ est beata, & videt Deum prout in se, hoc solum potest habere ex lumine impresso, & participato ab ipso, ei tamen extraneo, & nullo modo connaturali.

14 Dices, quod visio beatifica, quæ est propria, & connaturalis operatio naturæ divinæ, est visio beatifica, quæ est quidditativa, & comprehensiva simul; aliter posset Deus se quidditativè tantum videre, cum quodlibet agens sit potens exercere operationem, qua sibi propria, & connaturalis est. Et sic ratio facta solum convincit visionem beatificam quidditativam, & comprehensivam simul non posse esse propriam, & connaturalem operationem alicujus naturæ creatæ, non tamen convincit de visione beatifica quidditativa tantum.

15 Sed dico, quod visio, quæ est propria, & connaturalis Dei, potest considerari, & secundum proprium, & formalem illius conceptum, & secundum modum, quo reperitur in Deo. Si secundum proprium, & formalem illius conceptum, consideratur pure penes ordinem, & tendentiam ad Deum vitum in se, tanquam ad objec- tum connaturale, & proportionatum, in quo consilit, quod sit visio quidditativa. Secundum medium autem quo reperitur in Deo, consideratur, ut comprehensiva, namque ex quo est in Deo,

Deo per modū puri aëris, & infiniti, ex hoc habet, quod comprehensiva sit, immò non est aliud, esse comprehensivam, quām esse infinitā; patet autem infinitatem esse modum divinæ visionis, non verò attinere ad conceptum illius formalem. Visio autem quidditativa tantum est participatio hujus divinæ visionis, participare autem est partem capere, & partem relinquerē: id est, capere divinam perfectionem secundum proprium illius conceptum formalem, aliter non esset participatio perfectionis propriae Dei, & relinquerē modum secundum quē est in Deo. Secundum modum enim secundum quem est in Deo nulla divina perfectio est à creatura participabilis, & sic visio Dei quidditativa tantum etiam secundum proprium illius conceptum formalem est propria, & connaturalis operatio Dei: unde dicit ordinem, & tendentiam ad Deum vitum in se tanquam ad objectum connaturale, & proportionatum, licet non sit propria Dei secundum modum exclusionis, immò hoc habet ex quo participata est; vnde si poneretur connaturalis, & non participativè à Deo, eo ipso neque pone-retur quidditativa tantum, sed simili comprehensiva; immò eo ipso poneretur divina essentia intellectui creato unita, ut forma connaturalis, & cum forma petat suo modo uniti, cui ut connaturalis forma unitur, eo ipso ponere-tur divina essentia unitata infinito modo, proindeque etiam visio ab ea sic procedens foret necstario infinita, & consequēter comprehensiva; neque ex hoc quod visio Dei quidditativa tantum sit propria ipsius secundum proprium, & formalem conceptum, sequitur Deum posse se videre quidditativè tantum, nam ad hoc oportet esse propriam Dei, etiam secundum modum exclusionis, ut autem sit propria Dei secundum formalem illius conceptum sufficit vi-sionem, qua Dens se videt, in conceptu formalí convenire cum visione quidditativa Dei tantū, visionemque quidditativam Dei tantum, atten-to proprio illius formalī conceptu esse secundum propriam formam Dei, nempè secundum essentiam divinam unitam per modum formæ intelligibilis. Et hinc cessant plures replicæ, quas sibi objicit Oxomensis.

16. Quinto fundatur nostra resolutio ex propria natura supernaturalitatis: lumen gloria est absolute, & simpliciter supernaturalē: Ergo nulli substantiæ creatæ etiam possibili potest esse connaturalē. Conseq. patet, nam in hoc distin-guitur supernaturalē simpliciter, & absolute à supernaturalē secundum quid, quod supernatu-ralē secundum quid, & respectivè ideo, dicitur quia est tantum super hanc, vel illam naturam,

M. Carrasco.

qualiter intelligere quidditativè substantias au-gelicas est supernaturam hominis, quia non po-test eas quidditativè intelligere, nisi supernatu-raliter elevetur supra propriā formam. Atamen supernaturale simplicitè, & absolute ideo dici-tur, quia non est supernaturale respectivè dura-xat ad has, vel illas naturas, sed quia est supra omnes, ut fuscitare mortuos, justificare impiū, & convertere panem, & vinum, in substantiā Cor-poris, & Sanguinis Christi. Patet ergo, quod si lumen gloria est dumtaxat super naturas defactō creatas, & non supra omnes etiam possibiles, es-set solū supernaturale secundū quid, & respecti-ve. Anteced. verò, quod nempè sit supernaturale absolute, & simpliciter prob. namque supernatu-ralitas absolute, & simpliciter talis cōsiliti in eo, quod sit participatio alicujus perfectionis propriae Dei, quatenus est ens ad se, & ipsū esse per essentiam; at hujusmodi est lumen gloria, quip-pè est participatio divini luminis habēs pro ob-jecto connaturali ipsam eandem divinam essen-tiam, quae est proprium, & connaturale objectū intellectus divini: Ergo. Immò ut rectè argumē-tatur Magister Gonet, si lumen gloria posset ha-bere subjectum connaturalē, sequitur quod de-factō sit semper in statu præternaturali; quia quodlibet accidens est in statu præternaturali, dum non est in suo connaturali subjecto, ut pa-tet si intellectus angeli superioris poneretur in substantia angeli inferioris.

17. Sexto fundatur nostra resolutio à du-plici in convenienti; primum est, quod si esset possibilis substantia supernaturalis creata, cui esset connaturalē lumen gloria, & visio beata, talis substantia esset filia naturalis Dei; at hoc ad-mittere est absurdum: Ergo. Major probatur: talis substantia esset à natura filia Dei: Ergo esset filia naturalis Dei. Consequent. patet; quia ut esset filia adoptiva, oporteret, ut id habéret ex indulgentia, & gratia, seu libero beneplaci-to adoptantis. Anteced. verò prob. quia per vi-sionem beatificam natura illa constitueretur filia Dei, sicut defactō homines, & angeli per il-lam filij Dei consti-tuuntur; at natura illa in hac opinione naturaliter esset videns Deum: Ergo naturaliter esset filia Dei: immò ipsa eadem sub-stantia supernaturalis per se ipsam constitueret filium Dei: Ergo naturaliter. Conseq. patet, nām quod provenit ab ipsa essentiali, & indistincta natura non potest non esse naturale. Anteced. verò probatur: nam illa substantia non esset par-ticipatio alicujus attributi, sed necessario esset formalis participatio divinæ naturæ per modum naturæ, perfectiorque quam ipsa gratia, ut po-tet participaret cam modo substanciali; at gra-tia, quia participatio est divinæ naturæ per modū

E

natu-

naturæ constituit homines ; & Angelos Filios Dei: Ergo. Minor verò, scilicet hoc admittere esse absurdum patet; namque hæc est differentia inter filiationem naturalem, & adoptivam juxta Concilium Franconfordensem, quod filius naturalis debet esse ejusdem naturæ cum Patre, Filius verò adoptivus debet esse extraneæ nature, & propterea est Filius purè ex indulgētia, & beneplacito adoptantis; at substantia illa non esset ejusdem naturæ cum Deo; nempè divinæ, ut potè quia creata, & finita esset: Ergo.

18 Explicatur, & confirmatur hæc ratio: in casu quod daretur substantia illa, non esset distincta, sed realiter indistincta à gratia, itaque tunc gratia non esset accidens superadditum illi substantiæ: Ergo non potest non substantia illa constituere Filium. Conseq. patet, & anteced. prob. 1. quia, ut diximus, substantia illa esset formalis participatio divinæ naturæ per modum naturæ. 2. Quia in illo casu lumen gloriae esset realiter indistinctum ab illius intellectu, & pariter charitas ab illius voluntate: Ergo, & gratia esset indistincta realiter ab illa substantia. Cons. prob. tum paritate, tum quia propriū est gratiae, quod sit radix luminis gloriae, & charitatis. Anteced. etiam prob. intellectus illius substantiæ esset supernaturalis, & similiter voluntas: Ergo lumen gloriae esset ab illo indistinctum, & pariter charitas à voluntate. Anteced. patet, & cons. prob. hoc ipso quod intellectus illius sit supernaturalis, est proximè potens proprijs viribus, & seclusio principio elevante elicere visionem beatam: Ergo eo ipso est lumen gloriae, & ab illo indistinctum. Conseq. patet, & antec. prob. namque talis intellectus habéret pro objecto proportionato, & connaturali ipsum Deum, ut clare visibilem: Ergo esset proximè proprijs viribus, & seclusio principio elevante potens elicere visionem beatam. Conseq. patet, ans prob. objectum proportionatum, & connaturale illius intellectus supernaturalis esset ens supernaturale; at Deus ut clare visibilis continetur sub ente supernaturali: Ergo continetur sub illius proportionato, & connaturali objecto. Et idem argumentum fit de illius voluntate, quæ etiam esset supernaturalis, & objectum illius proportionatum, & connaturale esset bonum supernaturale, sub quo continetur bonum divinum in se, & propter se amabile. Præterquamquid illi substantia aliquis ultimus finis esset constitendum ei proportionatus, & connaturalis, & eodem modo aliqua dilectio ei proportionata, & connaturalis illius ultimi finis; at talis ultimus finis non posset esse Deus ut author naturæ, sed ut author supernaturalis, cum substantia illa supernaturalis esset: Ergo. Supposito autem, quod sub-

stantia illa esset à gratia indistincta, non potest negari, quod constitueret filium Dei, & consequenter, quod natura illa esset filia Dei à propria, & indistincta substantia, & sic non adoptiva, sed naturalis, quod ex alio principio repugnat, cum non esset ejusdem naturæ, sed extraneæ cum Deo.

19 Secundum inconveniens est. Quod talis substantia esset ab intrinseco impeccabilis, vel essentialiter, vel connaturaliter; quod patet 1. ex dictis, quia talis substantia esset indistincta realiter à gratia, ejusque intellectus esset indistinctus realiter à lumine gloriae, ejusque voluntas pariter realiter esset indistincta à charitate, at essentialiter repugnat hæc omnia habere influxum malum, & peccaminosum: Ergo talis substantia esset essentialiter impeccabilis. Deinde, nam & si gratia realiter esset distincta ab illa substantia, & pariter lumen ab illius intellectu, charitasque ab illius voluntate, hæc tamè omnia essent ei connaturaliter debita; sed hæc incompositibilia sunt cum peccato ad minus connaturaliter: connaturaliter ergo ad minus illa substantia esset impeccabilis. Etsi dicas, posse Deum substantiam illam privare gratia, lumine gloriae, & charitate, quamvis hæc essent ei connaturaliter debita: Respondeo, quod si hæc sunt indistincta à substantia illa, ab ejusque intellectu, & voluntate, tunc substantia illa esset privata principijs proximis propriæ ipsius operationis, consequenterque in illo casu nequè bene, nequè male posset operari, & sic nequè peccare. Si vero distincta sunt, posset quiddem substantia illa peccare, sed hoc non habetur connaturaliter, sed per miraculum, quia miraculum esset illam privari principijs connaturaliter debitis, sicut & hominem privari intellectu, & voluntate. Quod autem sit inconveniens, substantiam illam esse ab intrinseco essentialiter, vel connaturaliter impeccabilem, patet ratione cōmuni philosophica; quia substantia creata sicut potest deficere in esse, potest etiam deficere in operari, sicut è contra Deus non potest deficere in operari, quia non potest deficere in esse: unde ea ratione, qua probatur, Deum esse ab intrinseco impeccabilem, probatur substantiam quamlibet creatam esse peccabilem ab intrinseco.

20 Septimo fundatur nostra resolutio à paritate: lumen gloriae perfectius est lumine propheticō; at repugnat, lumen propheticum esse connaturale alicui creaturæ, etiam possibili: Ergo pariter. Major patet, & minor non minùs constat ex illo Maior cap. 41. Anuntiate nobis, quæ ventura sunt insuturum, & sciens quia dī estis vos. Quæ verba intelliguntur de cognitione connaturali, ut potè cognitio prophē-

tica gratuita neque est, neque potest esse argumentum Deitatis, quippe defacto hoc modo prophetæ ventura cognoverunt. Item lumen gloriae perfectius est virtute patrativa miraculorum; at haec nullæ substantiæ creatæ etiam possibili potest esse connaturalis; namque implicatio est in terminis, quod sit miraculum, & fiat connaturaliter à creatura: Ergo à fortiori.

21 Ultimo fundatur nostra resolutio ab impossibilitate substantiæ creatæ supernaturalis: pro quo maximè nota, in quo consistit quidditas, & ratio supernaturalitatis, de quo theologi alijs in locis, & præcipue in tractatu de gratia Dei, & sunt varij modi dicendi; namque Scotus afferit aliquid dici supernaturale, ex eo quod procedit supra regulas naturæ; quæ sententia communiter rejicitur, quia non discernit inter supernaturale quoad entitatem, qualiter supernaturalis est gratia, charitas, & alij habitus; & supernaturale quoadmodū, ut visus cæco restitutus, qui quoad entitatem naturalis est, & solum quoadmodū est supernaturalis, quia supra regulas naturæ producitur. Abulensis verò 2. reg. cap.

24. q. 28. Supernaturalitatē ponit in habitudine ad solum Deum ut causam, cum tamen Angeli, Cœli, immò, & materia 1. respiciant solum Deum, ut causam, & naturalia sint. Alij verò eam constituant in habitudine ad Deum, ut unum, & trinum, tanquam causam efficientē, & finalem; cū tamen Deus non sit causa efficiens, nisi in quantum omnipotens, neque causa finalis, nisi in quantum summū bonum, quæ sunt attributa, & Deo convenientia in quantum est unus, & præintellectus relationibus; unde relationes, neque operativæ sunt ad extra, neque bonitatem, & perfectionem habent distinctam à perfectione essentiæ. Alij tandem eam explicant per puram negationem dicendo: illam esse perfectionem supernaturalem, quæ nulli creaturæ potest esse connaturalis, vel dicendo consistere in habitudine ad Deum, quatenus cognoscibilis non est ex creaturis, vel dicendo esse illud, quod à nulla creatura, neque à Deo, ut authore naturæ produci potest. Qui modi dicendi exprimunt potius quid non sit supernaturalitas, quam quid sit.

23 Vera ergo sententia affirmat supernaturalitatem creatam consistere in participatio alicujus perfectionis propriæ Dei, illa autem perfectione dicitur propria Dei, quæ ei convenit quatenus est ens à se, & suum esse; proinde supernaturalitas consistit in eo quod sit participatio alicujus perfectionis propriæ Dei, quatenus est ens à se, & suum esse. Quod patet: namque supernaturalitas creata est participatio divinæ supernaturalitatis; supernaturalitas autem divina consistit in eo quod Deus sit suum esse.

irreceptum, & per se subsistens, ut potè per hoc habet quod sit illimitatus, infinitus, actus purus, summe simplex, totaque plenitudo effendi, propterea que per hoc elevatur supra omnem naturam creatam, & creabilem, quæ cum non sit, neque posset esse suum esse, eo ipso est limitata, finita, & potentialis: Ergo, & supernaturalitas creata, quæ participatio est divina supernaturalitatis, considerare debet in participatione alicujus perfectionis propriæ Dei, quatenus est ens à se, & suum esse. Quapropter quia intelligere, & amare Deum absolute loquendo, non est perfectione propria Dei, quatenus est suum esse, cum hoc etiam creaturis commune sit, intelligere, & amare creatum absolute loquendo non est perfectione supernaturalis; attamen quia intelligere, & amare Deum, ut objectum, & finem connaturalem est perfectione propria Dei, quatenus est suum esse, ideo intelligere, & amare creatum habens pro objecto, & fine connaturali ipsum Deum, qualis est visio beatæ, & amor charitatis sunt perfectiones supernaturales.

24 Est tamen valde notandum ( ut supra diximus ) quod participare est idem ac partem capere, & partem relinquere, ac proinde non intelligitur hæc participatio supernaturalis raliter quod participetur perfectione propria Dei secundum eum modum, quem habet in Deo, nāque hoc est implicatoriū, ut potè quilibet perfectione in Deo est per modum entis à se, irrecepti, actus puri, infiniti, & summe simplicis, quomodo non potest in creatura reperiiri: immò propter hoc prædicata puræ actualitatis, infinitatis, summae simplicitatis, & alia hujusmodi imparticipabilia sunt. Sed debet intelligi quod participetur perfectione propria Dei secundum conceptum formalem abstrahendo à modo quo reperitur in Deo, ita ut modus relinquatur.

25 Pro cuius adhuc majori intelligentia nota eriam, quod aliqua sunt in Deo prædicata, quæ significant divinas perfectiones dum taxat secundum earum conceptus formales, ut Deum intelligere, & amare se ipsum tanquam objectum, & finem connaturalem, in quo pure exprimitur ordo, & habitudo Dei ad illius proprium objectum, & finē connaturalem, in quo consistit proprius, & formalis conceptus visionis, & amoris divini. Alia verò sunt prædicata, quæ non solum significant divinas perfectiones secundum earum conceptus formales, verū, & secundum modum proprium, quem habent in Deo, ut intelligere, & amare Deum modo comprehensivo, & infinito. Prædicata ergo divina, quæ non solum significant divinas perfectiones secundum ea-

rum conceptus formales, sed etiam secundum proprium modum, quem habent in Deo, im-participabilia sunt, quippe includunt modum proprium essendi in Deo, & repugnantem creaturis. Alia verò prædicata, quæ solum significant divinas perfectiones secundum earum conceptus formales, & hę sunt, quę participātur; unde participationes dicuntur, quia partem capiunt, nempe eas secundum earum conceptus formales, & partem relinquunt, scilicet modum, quem habent in Deo.

26 Ad rem ergò ex quidditate, & conce-ptu proprio supernaturalitatis creatæ fundatur impossibilitas, seu repugnantia substantiæ supernaturalis creatæ. Sic: supernaturalis creatæ consistit in participatione alicujus perfectionis propriae Dei prout est in se, & suum esse: Ergò ex proprio, & formalī conceptu dicit ordinem, & habitudinem ad Deum prout est in se, & suum esse: ergò repugnat substantia creatæ, quæ supernaturalis sit. Probatur consequentia, namque implicat quod substantia specificetur per ordinem ad aliquid extrinsecum, quod patet ex differentia substantiæ ab accidenti, quod nempe substantia quia ens simpliciter, & perfectum habet esse in se, & ad se, unde habet intra propriam lineam suum specificativum; accidens verò quia ens secundum quid, & imperfectum, ut potè entis eius, & affectio substantiæ, non habet intra propriam lineam totum suum specificativum, & sic specificari potest ex ordine, & habitudine ad aliquid extrinsecum, qualiter specificantur relationes, potentia, & habitus.

27 Sed dices: materia prima est substantia, & pariter forma; & tamen materia prima essentialiter rescipit formam, & forma materialis. Ergò. Pariter existentia, & subsistentia creatæ, substantiæ quædam sunt, & tamen dicunt ordinem, & habitudinem ad naturam cuius sunt existentia, & subsistentia: immò probabile est dari inter materiam, & formam, sicut & inter humanitatem, & substantiam Verbi, modum substantialem unionis; cum tamen modus ille nō possit non specificari ab extremis unitis. Sed respondetur, materiam primam, formam, subsistentiam, & existentiā, pariterque modum unionis esse quidem substantias, sed non completas, sed incompletas, & partiales, vel modales, & sic non repugnat ordo, & habitudo ad aliud. Nōstra autem ratio procedit de substantiæ completa, quæ quia completa est, & perfecta in propria linea substantiæ, intra eam habet totum suum specificativum, & non per ordinem ad aliud extrinsecum. Immò ex hoc sic argumentor: substantia completa, & quæ habet esse in se, & ad se perfectior est substantia incompleta,

quæ habet esse in ordine ad aliud; at substantia illa supernaturalis creata perfectissimā esset inter omnes creatas substantias: Ergò non posset non habere esse in se, & ad se, & consequenter nō posset non ei omnino repugnare ordo ad aliud.

28 Sed dices contra 1. etiam substantia completa creata dicit ordinem ad aliud, nempe ad Creatorem, sicut & in universum omnis effectus dicit ordinem ad causam. Sed resp. quod substantia creata potest considerari, & absolute, seu simpliciter, & in quantum creatæ in quantum creata, seu ut significatur hoc nomine *ens creatum*, sicut dicit dependentiam à causa prima, sic ad illam dicit ordinem, & habitudinem. In præsenti ergo procedit sermo de substantia creata, completa absolute, & simpliciter considerata, & non prout illo, vel alio simili nomine significatur; prout sic autem non dicit essentialiter, & primariò ordinem ad creatorem, sed iste ordo se habet consequenter, & per resultantiam ad constitutivum illius, sicut hoc eodem modo cuiuslibet effectus ordo, & habitudo ad suam causam, sequitur constitutivum illius tanquam proprietas, ut docet expressè Div. Th. infra quæst. 44. art. 1. his verbis: *Ad prim. dicendum, quod licet habitudo ad causam non intret diffinitionem entis, quod est causatum; tamen sequitur ad ea, quæ sunt de ejus ratione, quia ex hoc quod aliquid per participationem est ens, sequitur quod sit causatum ab alio; unde hujusmodi ens non potest esse, quin sit causatum, sicut neq; homo, quin sit visibilis.* Hæc D. Th. Constitutivum autem substantiæ, vel entis creatæ absolute, & simpliciter loquendo est id ratione cuius est producibile, & capax prædictæ dependentie, & habitudinis; est autem hujus capax ratione limitationis, & finitatis, & sic constitutivum entis creati situm est in eo, quod est prima radix prædictæ finitatis, & limitationis; hujus autem prima radix est distinctione, compositione, & potentialitas; & sic constitutivum entis creati secundū quod à Deo distinguitur, in distinctione, & compositione ex essentia, & existentia consistit, quia enim suum esse est finitum, & limitatum, ex hoc ipso habet, quod sit producibile, & dependens ab alio. Quod totum patet ab oposito in Deo, cuius constitutivum non est ratio primæ causæ, sed summa, infinita, & pura illius actualitas in essendo, quæ est radix omnium suorum attributorum; unde sicut Deus ex hoc quod est suum esse, est Omnipotens, & Crea-tor, sic creatura, ex hoc quod non est suum esse, est producibilis, & creabilis, consequenterque producibilitas, dependentia, & habitudo ad primam causam se habet consequenter, & per resultantiam tanquam proprietas, & sic

relinquitur, quod substantia creata completa essentialiter consistit in eo, quod est habere esse in se, & ad se omni ordine ad extrinsecum seclusio. Attamen ens supernaturale creatum, quia essentialiter consistit in participatione alicujus perfectionis proprie Dei, prout est in se, & suum esse essentialiter, & primario dicit ordinem ad Deum, & juxta diversas habitudines distinguuntur inter se perfectiones supernaturales creatae, qualiter distinguuntur gratia, lumen gloriae, & charitas, nempe quia gratia est participatio divinae naturae, lumen autem gloriae est participatio divini intellectus, & charitas divina voluntatis.

29 Secundo dices: Divina attributa participantur à creatura: Ergo & divina substantia poterit etiam ab ea participari. Conseq. prob. quia omnia Dei attributa sunt etiam ipsa divina substantia: si ergo, hoc non obstante, à creatura participantur, pariter, & divina substantia poterit ab ea participari. Sed respondeatur, quod divina attributa participantur à creatura participatione accidentalis, non verò substantiali, seu participantur secundum conceptus illorum formales, non secundum modum essendi substantiale, quem habent in Deo, ut patet in lumine gloriae, & charitate. Hoc autem modo participabilis etiam est divina substantia, immò defacto sic participatur, ut patet in gratia, qua est participatio, non alicujus attributi, sed ipsius divinae nature per modum naturae. Non tamen est participatio substantialis, sed accidentalis, participat enim divinam naturam secundum conceptum formalem naturae, sed minime participat modum essendi substantialē illius; ut enim, ait Div. Thom. 1.2. quæst. 110. art. 2. ad 2. *Id quod substantialiter est in Deo, accidentaliter sit in anima.* Sed dices, in ordine naturali participatur divina substantia non solum accidentaliter, sed etiam substantialiter: ergo etiam in ordine supernaturali poterit substantialiter participari. Sed nego conseq. & disparitas patet ex dictis: quod ordo naturalis non specificatur per ordinem ad Deum etiam ut authorem naturae, sed hic ordo se habet consequenter, & per resultantiam tanquam proprietas entis naturalis, ordo autem supernaturalis specificatur per habitudinem ad Deum, prout est in se, & suum esse, qui ordo repugnat substantiae complete, ut explicatum est. Quod etiam docet Div. Thom. in 3. dist. 11. quæst. 1. art. 2. ad 2.

30 Tertio dices; substantia supernaturalis creata non repugnat, quia substantia, aliter repugnaret Deus, seu divina substantia, neque repugnat quia creata, aliter repugnaret

gratia supernaturalis: ergo ex nullo capite repugnat. Dices quod, repugnat ex parte utriusque. Contra; namque repugnantia ex parte duorum non potest esse, quin sit repugnantia ex parte alterius; si enim ex parte alterius nulla est repugnantia, quomodo ex parte utriusque repugnantia esse poterit? Sed respondeo, quod sine repugnantia ex parte alterius seorsim, & divisim sumpti potest esse repugnantia ex parte alterius simul cum alio sumpti, quæ dicitur repugnantia ex parte utriusque, namque chimera v. g. *Leo draco* repugnat, cum tamen non repugnet quia leo, neque quia draco, sed quia leo draco: à simili ergo repugnat substantia supernaturalis creata, non quia substantia, neque quia creata, sed quia substantia creata, quia ex quo est substantia habet esse in se, & ad se, & quia supernaturalis creata debet habere esse in ordine ad aliud.

31 Quarto dices: accidentia supernaturalia debent habere aliquod subjectum sibi proportionatum, & connaturale, quod necessario debet esse substantia; sed non ordinis naturalis, cum qua non proportionantur, cum tamen inter perfectivum, & naturale perfectibile debeat esse proportio: ergo ordinis supernaturalis; sed hæc non potest esse divina substantia, quæ immutabilis est, & incapax recipiendi accidentia: ergo debet esse substantia creata; hæc ergo possibilis est. Primū ergo antec. quod nempe accidentia supernaturalia debeat habere subjectum aliquod proprium, & connaturale probatur; quia accidentia supernaturalia essentialiter sunt accidentia, non minus quam accidentia naturalia, cum suum esse sit in esse, sicut esse accidentis naturalis: ergo sicut accidentia naturalia habent subjectum proprium, & connaturale, ita debent illud habere accidentia supernaturalia.

31 Sed ad hoc patet ex dictis in 5. fundamento: quod scilicet accidentia supernaturalia, si possent habere subjectum proprium, & connaturale, sequeretur, quod defacto essent semper in statu præternaturali, cum defacto non sint in suo connaturali subjecto. Unde neg. ant. nam accidentia supernaturalia absolute, & simpliciter proprie sic dicuntur, quia supra omnem sunt naturam creatam, & creabilem, alioquin essent supernaturalia solum secundum quid, & respectivè ad naturas defacto existentes; & sic nulli naturae connaturalia esse possent, consequenterque neque haberent, neque peterent subjectum proprium, & connaturale. Ad probationem contra hoc patet instantia in lumine prophetico, & in virtutibus miraculosis, immò in accidentibus artificialibus, quæ omnia essen-

tialiter sunt accidentia. Unde respondeo, quod ex quo sint essentialiter accidentia, & suum esse sit inesse, solum sequitur, quod habeant, & petant subjectum, cui inherent, non tamen secundum potentiam receptivam naturalem, sed obedientialis. Unde sicut in rebus creatis distinguitur potentia receptiva naturalis ad recipiendum accidentia naturalia, & potentia receptiva artificialis ad recipiendum accidentia artificialia, & potentia receptiva violenta ad recipienda accidentia contraria, ut in aqua ad recipiendum calorem; sic distinguitur potentia alia obedientialis ad recipienda accidentia supernaturalia, quae est doctrina Div. Thom. opusc. 2. cap. 13. & 14. ubi ait: *Quod aliquid est in potentia naturali respectu eorum, que per agens naturale possunt reduci in actum, non verò respectu eorum, que reduci non possunt in actum per agens naturale, sed per aliquod aliud agens; quod enim ex puerō fiat vir, vel ex feminā animal, est in potentia naturali, sed quod ex ligno fiat scānum, vel ex ocoō fiat vi- dēns, non est in potentia naturali.* Unde concludit D. Thom. quod intellectus noster naturalis solum est in potentia naturali respectu intelligibilium, quae reduci possunt ad actum per intellectum agentem, qui est principium innatum nobis, ut per ipsum efficiamus intelligentes actū.

32 Sed ex hoc ipso dices: talis potentia obedientialis primario, & per se respicit Deum cui subjicitur: Ergo non repugnat, quod talis potentia sit entitative supernaturalis. Consequentia videtur bona ex nostra doct. At non repugnante potentia obedientiali entitative supernaturali, non repugnat subjectum, cui conaturalia sint accidentia supernaturalia: immo talis potentia entitative supernaturalis non potest non esse substantia supernaturalis, quia potentia obedientialis non est aliud ab ipsa entitate creata, quatenus Deo subjecta, ut de ea faciat, quidquid voluerit: Ergo. Sed ex hoc ultimo patet solutio, nam, quia potentia obedientialis non in alio consistit, quam in subjectione creaturae ad Deum, ut de ea faciat, quidquid voluerit, consequenter licet terminativè sit supernaturalis, entitative tamen est naturalis, & indistincta ab ipsa entitate creata naturali Deo subjecta, capacique recipere influxum supernaturalis, quia ordo subjectionis, cum consequenter se habeat ad creaturæ limitationem, non est de primario illius conceptu, sed se habet ad constitutivum illius, tanquam proprietas, sicut diximus de ordine illius ad Deum, tanquam ad causam, & sic repugnat quod entitative sit supernaturalis. Et claritatis gratia

distinguitur antecedens: potentia obedientialis. 1. & per se respicit Deum, entitative sumpta, nego; quia hæc non distinguitur ab ipsa substantia creata, quæ solum habet esse in se, & ad se; significative sumpta, seu quatenus significatur, hoc nomine *potentia obedientialis*, concedo, quia hoc nomen 1. & per se impositum est ad significandum substantiam non absolute, secundum illud quod habet in se, & ad se, sed respectivè secundum ordinem subiectibilitatis ad Deum, sicut pariter diximus de hoc nomine *ens*. *creatum*.

### Objiciuntur, & solvuntur argumenta.

33

**A**Rgumenta, quæ specialiter militant contra fundamenta allegata, sunt jam obiter objecta, & soluta; nunc ictum restat objicere argumenta, quæ communiter militant contra nostram resolutionem. Unde objicies 1. Deus prout in se, & clare visibilis continetur sub objecto intellectus creati: Ergo possibilis est aliquis intellectus, qui proprijs viribus, & naturaliter posset Deum prout in se videre. Ant patet; namque aliter neque posset elevari, ad videndum Deum prout in se, cum nulla potentia elevari possit extra latitudinem sui objecti specificativi, sicut neq; vi- fuis ad videndum spiritum. Conseq. verò prob. nā quia lux solis continetur sub objecto specificativo potentiae visiva, licet aliqua potentia visiva inferior, v. g. noctua non possit proprijs viribus, & connaturaliter illam videre, attamen possibilis est aliqua potentia visiva superior, quæ illam proprijs viribus, & connaturaliter possit videre: ergo à simili. Confirm. secund. Div. Thom. in 3. contr. gent. cap. 54. divina substantia non est extra facultatem intellectus creati, sicut substantia immaterialis extra facultatem sensus, sed sicut excedens virtutem ejus, sicut accidentia sensibilia sunt extra facultatem sensuum; at sensibile quodlibet quantumvis excellens, & sensui inferiori improportionatum, attingibile est connaturaliter ab aliquo sensu superiori, ut videre est in exemplo positio, & alijs quam plurimis, cujus nulla potest esse ratio, nisi quia sub objecto specificativo illius continetur: ergo pariter in nostro casu.

34 Pro solutione hujus argumenti distinguunt theologi duplex objectum nostri intellectus, aliud proportionatum, & aliud excedens, & utrumque cadit sub objecto illius specificativo, quod propterea dicitur objectum extensivum, & adæquatum. Objectum proportionatum dicitur ad quod potest intellectus proprijs viribus, quod habet, quando cum eo convenit

in modo essendi, & gradu immaterialitatis, objectum excedens dicitur ad quod potest intellectus, ut elevatus, non tamen proprijs viribus propter excessum objecti in modo essendi, & gradu immaterialitatis, quæ doctrina est Div. Thom. loco sup. alleg. 1. fundam. & in 3. contr. gent. quomodo etiam distinguit Div. Thom. hoc duplex objectum respectu sensus: unde lux solis cadit sub objecto specificativo potentiae visivæ noctuæ, cum sit ejusdem speciei cum potentia visiva aliorum animalium, non tamen tanquam objectum ei proportionatum, sed sicut excedens virtutem ejus. Quo supposito affirmat nostra assertio Deum cadere sub objecto specificativo intellectus creati, non tanquam objectum proportionatum, sed tanquam objectum improportionatum, & excedens virtutem illius, cum eum excedat in modo essendi, & gradu immaterialitatis. Conced. ergo antec. & neg. conseq. quia illum excessum non potest non habere Deus respectu cuiuslibet intellectus creati, quantumvis superioris, & possibilis. Ad probat. contra hoc negamus causalem, nempè quod quia lux solis continetur sub objecto specificativo potentiae visivæ, possibilis sit aliqua potentia visiva superior, quæ proprijs viribus illam possit videre, sed ulterius quia lux solis

solum est objectum improportionatum respectu potentiae visivæ inferioris noctuæ, non tamen respectu potentiae visivæ superioris; attamen Deus respectu cuiuslibet intellectus creati sive inferioris, sive superioris est objectum improportionatum ut patet ex dictis.

35 Sed dices: quod objectum improportionatum potentiae visivæ inferioris fit proportionatum potentiae visivæ superiori, ideo est quia cadit sub objecto specificativo potentiae visivæ si ergo Deus prout in se, & clarè visibilis etiam cadit sub objecto specificativo intellectus creati, poterit Deus pariter esse objectum improportionatum intellectui creato inferiori, & proportionatum intellectui creato superiori. Ad hoc respondeat Oxomensis negando illam causalem, sed ulterius quia omnis potentia visiva est creata, cum tamen intellectus abstrahat à creato, & in creato. Ait enim nullum esse objectum improportionate cognoscibile ab una potentia, quod respectu alterius potentiae superioris non sit proportionate cognoscibile; ac proinde eo ipso quod detur aliquod visibile contentum sub objecto specificativo potentiae visivæ, quod propter sui excellentiam sit ei improportionatum, debet esse proportionatum alteri potentiae visivæ superiori; cumque omnis potentia visiva sit creata, possibilis debet esse aliqua potentia visiva creata, cui tale

visibile, quantumvis excellens sit proportionatum. At verò ex eo quod sub objecto specificativo nostri intellectus contineatur aliquod objectum ei improportionatum solum inferatur quod hujusmodi objectum debet esse proportionatum alteri intellectui superiori; cumque non omnis intellectus sit creatus; sufficit quod hujusmodi objectum sit proportionatum intellectui in creato.

36 Sed hæc solutio non penetrat vim argumenti, neque satisfacit; namque licet non omnis intellectus sit creatus, tamen omnis intellectus cuius objectum specificativum est ens in sua latitudine sub quo continetur Deus, ut partiale, & inadæquatum objectum, intellectus creatus est, & non abstrahit a creato, & in creato, namque objectum specificativum intellectus divini est ens tantum in creatum; sed in argomento extremum paritatis est intellectus, cuius objectum est ens in tota sua latitudine, sub quo proinde cadit Deus tanquam objectum partiale, & inadæquatum, non verò intellectus in communi abstrahens ab intellectu creato, & in creato: Ergo siquid probat ex paritate, probat, Deum esse objectum proportionatum nondum intellectui superiori divino, sed superiori creato.

37 Quapropter aliter respondeo conformiter ad dicta, negando etiam illam causalem, sed ulterius quia omne visibile contentum sub objecto specificativo potentiae visiva est finitas actualitatis, & immaterialitatis, utpote finitum, creatum, & corporeum. Ac proinde quamvis aliquod visibile excellens, improportionatum sit potentiae visivæ inferiori, possibilis est potentia visiva superior ejusdem actualitatis, & immaterialitatis, cui tale visibile sit proportionatum. Sicut propter eandem rationem quantumvis intelligibile aliquod creatum excedens sit, & improportionatum intellectui inferiori, ut angelus intellectui humano, possibilis est intellectus superior, cui tale objectum proportionatum sit, ut est intellectus angelicus. Et eodem modo si possibilis est substantia immaterialis superioris ordinis ad substantiam angelicam, intellectuique angelico improportionata, possibilis est etiam intellectus alter magis superior, cui talis substantia fit objectum proportionatum. Unde loquendo de objecto creato, juxta excellentiam objecti admittimus superiores potentias, cum producta qualibet potentia possit Deus perfectiorem, & perfectiorem producere citra infinitum. Ac proinde quantumvis objectum creatum sit excellens, possibilis est potentia, quæ in modo essendi, & gradu immaterialitatis cum eo conveniat, & consequenter

ut ei objectum proportionatum. At verò Deus, qui continetur sub objecto specificativo intellectus creati, est infinitæ, summae, & purissimæ actualitatis, & immaterialitatis, proindeque non potest non excedere in modo essendi, & gradu immaterialitatis quemlibet intellectum creatum, quantumvis superiorem, & possibiliter, & sic nulli potest esse objectum proportionatum.

38 Secundo objicies: intellectus illustratus lumine gloriae connaturaliter videt Deum prout in se, & tamen adhuc prout sic non convenit cum Deo in eodem modo essendi, & gradu immaterialitatis: Ergò. Dices quod videt connaturaliter, non connaturalitate absoluta, & simpliciter tali, sed connaturalitate secundum quid, & ratione formæ elevantis. Sed contra est: nam ipsum lumen gloriae connaturaliter attingit Denm prout in se, seu est principium connaturale videndi Deum prout in se, & non connaturale secundum quid, & ratione formæ elevantis, sed per se ipsum omni alia forma elevante seclusa; & tamen neque convenit cum Deo in eodem modo essendi, seu gradu immaterialitatis: Ergò.

39 Ad argumentum rectè dictum est; pro cuius intelligentia nota, quod connaturalitas absolute, & simplicitè summittur per ordinem ad naturam: unde illud dicitur absolute, & simplicitè connaturale, quod est juxta exigentiam, & inclinationem naturæ, ortumque habet ex illa, & in illa radicatur. Ac proinde solum cognitio illa dicitur absolute, & simplicitè alicui intelligenti connaturalis, quæ in illius natura radicatur, & ab illa ortum habet, in quantum radicat principium proximum elicivum illius. Et cum hoc modo est connaturalis, non potest non convenire cum objecto in eodem modo essendi, & gradu immaterialitatis propter rationem Div. Thom. cuiuslibet enim cognoscentis cognitio debet esse secundum modum suæ naturæ: Unde, quia intellectus à natura dimanat, petit eam habere pro objecto connaturali, & proportionato. Et sic quidditatè, & prout in se nequit aliud ab illa natura cognoscere, nisi cum natura cognoscentis in eodem modo essendi, & gradu immaterialitatis conveniat. Non sic autem connaturalis est visio beata intellectui illustrato lumine gloriae, cum neque ortum habeat à natura beatæ, neque in illa radicetur, sed potius est ei connaturalis ratione principij non dimanantis à natura, sed participati à divino lumine. Et sic de hac connaturalitate loquendotam longe absit abeo, quod petat, naturam cognoscentis convenire cum objecto in eodem modo essendi, & gradu immaterialitatis, quod potius

perit, quod modus essendi, & gradus immaterialitatis naturæ cognoscentis sit infra modum essendi, & gradum immaterialitatis objecti cogniti; alioquin non fieret ei connaturalis illa visio ratione formæ elevantis.

39 Ad replicam respondeo èdem distinctione: quia licet visio beata non sit connaturalis lumini gloriae ratione formæ elevantis, est tamen ei connaturalis connaturalitate orta ex participatione, eo quod lumen gloriae participatione est divini intellectus; non tamen connaturalitate orta ex natura cognoscentis. Et sic adhuc non est connaturalis connaturalitate absentia, & simpliciter, & propter hoc non petit connaturalitas illam convenientiam luminis cum Deo in eodem modo essendi, & gradu immaterialitatis, quinimmò oppositum poscit ex hoc ipso, quod participatio est.

40 Tertio objicies: possibilis est substantia creata, cuius intellectus in simplici sua entitate æquivaleat intellectui defacto perfusio lumine gloriae: Ergò cui lumen gloriae connaturaliter sit. Conseq. patet, & anteced. prob. possibilis est intellectus gaudens solum perfectione finita; at intellectus ille in simplici sua entitate æquivalens intellectui defacto perfusio lumine gloriae, solum gauderet perfectione finita: Ergò talis intellectus possibilis est. Prob. min. intellectus perfusus lumine gloriae solum gaudet perfectione finita, sed ad æquivalentum perfectioni finita non requiritur perfectio plusquam finita: Ergò intellectus ille in simplici sua entitate æquivalens intellectui defacto perfusio lumine gloriae, solum gauderet perfectione finita.

41 Confirmatur: defacto species angelī superioris in sua simplici entitate æquivaleret representativè pluribus speciebus angelī inferioris; similiter anima rationalis æquivaleret alijs formis creatis inferioribus; & universaliter ea, quæ in inferioribus sunt dispersa, in superioribus sunt adunata, qualiter adunantur in habitu superiori theologia, & fidei practicum, & speculativum; non, nisi quia ad æquivalentum perfectioni finitæ minimè requiritur perfectio plusquam finita: Ergò similiter in nostro casu propter eandem rationem.

42 Sed hoc argumentum evidentes patitur instantias. intellectus quia perfusus lumine propheticō solum gaudet perfectione finita; & tamen repugnat intellectus in simplici sua entitate æquivalens intellectui creato perfusio lumine propheticō. Secunda intellectus creatus in actu 2. constitutus per intellectuē solum gaudet perfectione finita, & tamen repugnat intellectus creatus qui in simplici sua entitate

æqui-

æquivalens intellectui in actu secundo constituto per intellectuonem. Sicut ergo ad æquivalendum in simplici entitate intellectui tam perfusso lumine propheticō, quam constituto per intellectuonem, requiritur perfectio infinita, ita ut repugnet intellectus creatus secum identificans lumen propheticum, vel suam intellectuonem, ita dicimus, quod ad æquivalendum intellectui perfusso lumine gloriae requiritur perfectio infinita; & repugnat intellectus creatus secum identificans lumen gloriae.

43 Ad argumentum ergo distinguo minorem: ad æquivalendum perfectioni finitae non requiritur perfectio plusquam finita, quando ad æquivalentiam requiritur convenientia cum Deo in modo essendi, & gradu immaterialitatis, & per hanc æquivalentiam sit propria, & connaturalis operatio creaturæ, ea, quæ est propria, & connaturalis operatio Dei, & pariter per æquivalentiam sit connaturalis dispositio, quæ est dispositio ad formam infinitam, nego; quando nihil horum, vel aliud simile sequitur concedo. Sicut enim ad æquivalendum intellectui perfusso lumine propheticō requiritur perfectio infinita; quia eo ipso propria, & connaturalis illius mensura est eternitas, & ad æquivalendum intellectui constituto per intellectuonem requiritur perfectio infinita; quia eo ipso esset actus purus; sic ad æquivalendum in simplici entitate intellectui perfusso lumine gloriae requiritur perfectio infinita, quia ad hoc oporteret in eodem modo essendi, & gradu immaterialitatis cum Deo convenire, ei esse propriam, & connaturalem operationem, quæ est propria, & connaturalis operatio Dei, ac denique ei esse connaturalem dispositionem, quæ talis est ad formam infinitam, ut ex tribus fundamentis juxta Div. Thom. probatum relinquitur. Quando autem nihil horum, vel aliud simile sequitur, verum est, quod non requiritur perfectio plusquam finita, ut patet in specie angeli superioris; cum enim omnia objecta representata per species angeli inferioris finita sint non oportet ad hoc, ut species angeli superioris eis representative æquiveat, quod sit, vel gaudeat virtute infinite representativa, quod oporteret si quidditative Deum representaret. Et per hoc patet ad alia exempla.

44 Secundo etiam poterat huic argumento responderi distinguendo illam majorem: possibilis est intellectus gaudens solum perfectione finita constituta ex prædicatis repugnantibus, nego, ex veris, & connexis prædicatis constituta, concedo. Et sub eisdem terminis distinguo minorem: ad æquivalendum intellectui perfusso lumine gloriae, non requiritur per-

fectio plusquam finita constituta ex veris, & connexis prædicatis, concedo; ex prædicatis repugnantibus nego. Itaque omitto, quod si per impossibile poneretur intellectus creatus in simplici entitate æquivalens intellectui defacto perfusso lumine gloriae, solum gauderet perfectio finita, attamen perfectio illa esset ex prædicatis repugnantibus constituta, quia ex una parte esset perfectio connaturalis, & ex alia esset perfectio simpliciter, & absolute supernaturalis; pariter ex una parte esset participativa à Deo; utpotè participatio divini intellectus, & ex alia non esset participativa à Deo; sed à natura; insuper ex una parte haberet pro objecto connaturali, & proportionato ipsum Deum, cum ejus objectum esset ens supernaturale, ex alia autem non haberet: utpotè ordinis inferioris ad ipsum. Item ex una parte esset ei connaturalis visio Dei; quia esset connaturale illius principium, ex alia non esset operatio propria, & connaturalis Dei. Ac denique ex una parte esset perfectio naturæ finitæ, utpotè creatæ, ex alia esset perfectio naturæ infinitæ, utpotè connaturalis dispositio ad formam infinitam. Patet ergo quod perfectio illa esset constituta ex prædicatis repugnantibus, & sic esset finita, & chimerica.

45 Quarto objicies, & potest esse replica contra solutionem præcedentem: dato quolibet intellectu creato, potest Deus alium perfectiorum, & perfectiorem usque in infinitum syncategorematicè producere: ergo potest tandem intellectum ita perfectum producere, quod per sua naturalia, & sine eo quod elevatione indigeat, videat Deum prout in se. Prob. consequam quod intellectus sine elevatione, & proprijs viribus non possit videre Deum prout in se, solum provenit ex defectu virtutis: ergo si, dato quilibet intellectu potest Deus alium, & alium perfectioris virtutis producere, poterit tandem intellectum ita perfectum, & excellentem producere, ut per sua naturalia, & sine elevatione aliqua, videat Deum prout in se.

46 Dices, posse Deum producere intellectum perfectiorem, & perfectiorem usque infinitum ordinis naturalis, non tamen ordinis supernaturalis. Sed contra: licet Deus non possit producere intellectum humanum ita perfectum ut pertingat ad perfectionem intellectus angelici; potest tamen intellectum producere perfectiorem, & superioris ordinis ad intellectum humanum, qualis est intellectus angelicus; pariter licet Deus non possit producere intellectum angelicum ita perfectum, ut excedat ordinem immaterialitatis angelicæ, potest tamen producere intellectum ita perfectum, qui su-

perioris ordinis sit ad intellectum angelicum: ergo similiter, licet Deus non possit producere intellectum naturale ita perfectum, ut pertingat perfectionem ordinis supernaturalis, poterit tamen producere intellectum ita perfectum ut excedat intellectum quenlibet ordinis naturalis.

47 Ad argumentum recte dictum est, ad probationem respondeatur ex dictis in solutione precedenti concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam in exemplis positis nulla involvitur repugnantia, cum semper intellectus creatus quantumvis perfectus sit, remaneat intra ordinem naturae; appareat tamen in eo, quod intellectus aliquis sit creatus, & ordinis supernaturalis, ut ex dictis manet comprobatum.

48 Quinto objicies, & potest etiam esse replica contra solutionem precedentem: praeditus intellectus non repugnat ex conceptu communi intellectus, neque ex conceptu intellectus creatus: ergo ex nullo capite. Antecedens quo ad primam partem patet; aliter repugnaret intellectum divinum Deum prout in se proprijs viribus, & connaturaliter videtur; quo ad secundam partem probatur: intellectus creatus est participatio intellectus divini: ergo ex conceptu intellectus creatus non repugnat quod sit potens connaturaliter, & proprijs viribus attingere Deum prout in se. Dices quod est participatio intellectus divini non secundum illud, quod est proprium sui, scilicet quatenus videt Deum prout in se. Sed contra primò; intellectus divinus, ut potens videre Deum prout in se non est perfectio imparticipabilis ab intellectu creato, alioquin neque intellectus creatus medio lumine gloria posset sic videre Deum: possibilis est ergo intellectus creatus, qui sit participatio divini intellectus secundum id quod est proprium sui. Secundo; nam dato quolibet intellectu creato, potest Deus perfectorem, & perfectorem producere, qui proinde sit participatio divini intellectus, essentialiter perfectior quilibet alio intellectu creato: ergo tandem poterit deviniri ad intellectum, qui sit participatio divini intellectus ita perfecta, ut illum participet secundum illud, quod est proprium sui.

49 Ad argumentum recte dictum est; sicut enim substantia naturalis est participatio divina substantiae, & non secundum id, quod est proprium sui, scilicet secundum quod est suum esse, & propterea est participatio duntata in ordine naturali, sic intellectus creatus est participatio divini intellectus non secundum id, quod est proprium sui, scilicet in quantum est potens videre Deum prout in se, & sic non est

participatio illius in ordine supernaturali, sed solum in ordine naturali; quia Deus non elevatur supernaturam, nisi secundum id, quod est proprium sui. Ad primam replicam repondeatur, quod divinus intellectus, ut potens videre Deum prout in se, non est perfectio imparticipabilis ab intellectu creato ratione formae superaddita elevantis, cum defacto sic elevetur; est tamen perfectio imparticipabilis ab illo per suam entitatem; nam aliter, ei esset proprium, & connaturale, quod est proprium, & connaturale intellectui divino. Ad secundum responderetur, quod sicut intellectus creatus non est participatio intellectus divini secundum id, quod est proprium sui, neque intellectus divinus, secundum id, quod est proprium sui est participabilis ab intellectu creato; quamvis enim dato quolibet intellectu creato possit Deus perfectorem, & perfectorem producere, nunquam tamen potest deviniri ad intellectum, qui sit intellectus divini participatio, secundum quod est potens videre Deum prout in se, sed semper debet habere pro objecto conaturali naturam ipsam creatam, a qua dimanat, & quidquid cum ea convenit in eodem gradu immaterialitatis.

50 Sexto objicies: si repugnaret, lumen gloriae esse connaturale alicui substantiae creatae, eo esset, quia lumen gloriae est supernaturale; at ex hoc capite non repugnat: Ergo. Prob. min. non repugnat formam supernaturalem esse connaturalem substantiae creatae: Ergo ex quo lumen gloriae supernaturale sit, non repugnat substantiae creatae connaturale esse. Antecedens prob: Non repugnat formam supernaturalem esse connaturalem entitati creatae: Ergo neque repugnat esse connaturalem substantiae creatae. Consequentia videtur bona: nam si aliqua implicatio esset in eo, quod forma supernaturalis esset connaturalis substantiae creatae, esset quia forma supernaturalis est participatio alicujus perfectionis propriæ Dei prout in se, & sic non potest non convenire per participationem; consequenterque substantiae creatae convenire non potest tanquam connaturalis forma, at hac implicatio a que currit de forma supernaturali respectu cuiuslibet entitatis creatae: Ergo. Anteced. vero probatur: quia gratia est entitas creatae, & tamen ei connaturalis est charitas, & aliae virtutes, quae ei debentur; similiter, lumen gloriae est entitas creatae, & tamen ei connaturalis est visio beatifica: non ergo repugnat formam supernaturalem connaturalem esse entitati creatae.

51 Ad hoc arg. resp. disting. ex dict. hoc ultimum anteced. gratia est connaturalis cha-

ritas, & similiter lumini gloriæ visio beatifica, connaturalitate secundum quid, & orta ex participatione, conc. connaturalitate simpliciter, & exdimanatione à natura, nego. Quod enim charitas connaturalis sit gratiæ oritur ex eo, quod charitas est participatio divinæ voluntatis, & gratia divinæ naturæ; unde sicut divina natura, voluntasque ejus sunt inter se connexæ, & hæc illi debetur connaturaliter tanquam proprietas illius; sic gratia, & charitas sunt inter se conne-  
xæ, & hæcbita est illi connaturaliter tanquam illius proprietas. Et pariter, quia visio beata est participatio divine intellectionis, & lumen gloriæ est participatio intellectus divini; sicut divi-  
na intellectus est connaturaliter debita divino intellectui, sic visio beata est connaturaliter de-  
bita lumini gloriæ. Et sic patet, quod hæc con-  
naturalitas est secundum quid, orta nempè ex participatione, qua proinde cum supernatura-  
litate nullam involvit repugnantiam. Hanc au-  
tem repugnantiam involveret, si esset connatu-  
ralitas simpliciter, & absolutè, nempè ex diman-  
natione orta; quia in tali casu esset forma super-  
naturalis ex una parte, & non per participatio-  
nem conveniens ex alia, quod implicitorum est. Et hoc modo lumen gloriæ connaturale es-  
set, si connaturale esset alicui substantiæ crea-  
tae; quia scilicet esset ei connaturale per absolutam  
diminutionem, tanquam proprietas illius omni-  
præcisso respectu ad Deum; non enim tunc ha-  
beret lumen gloriæ esse connaturale illi substatiæ,  
ex quo esset participatio divini intellectus;  
quia ad hoc oporteret quod substantia illa esset  
participatio naturæ divinæ, cum tamè hæc sub-  
stantialiter nō sit participalis, ut ex dictis patet.

52 Septimo objicies ex quoddam sapientissimo Magistro in manu scriptis: non minus est proprium Dei cognoscere secreta cordium, quam videre seipsum prout in se; & tamen ut illud salvetur, sufficit quod creatura non possit cognoscere secreta cordium ante revelationem vel ipsius Dei, vel angelii loquentis; post ipsam tamen possunt ab altero angelo naturaliter co-  
gnosci: ergo pariter, ut salvetur esse proprium Dei videre seipsum prout in se, sufficit quod nullus possit eum prout in se naturaliter videre ante quam Deus se manifestet intellectui crea-  
to, licet postquam Deus seipsum manifestaverit, illum naturaliter prout in se intellectus creatus videre posse.

53 Sed responderetur facile, quod cognoscere secreta cordium est proprium Dei, non quia talia secreta entitative, & in se excedant vires intellectus creatus, aliter neque angelus, cuius secreta sunt, proprijs viribus, & connaturaliter illa cognoscere posset; sed quia taliter ca-

dunt sub dominio angeli cogitantis; quod nūli aliо dominio subdantur, nisi dominio Dei. Unde cum ad perfectum dominium libertatis requiratur, posse occultare proprios actus libe-  
ros, seu eos sub secreto claudere, propterea illa secreta innotescere non possunt, nisi ex revela-  
tione Dei, vel angelii loquentis. Non sic tamen est proprium Dei videre seipsum prout in se, sed quia ultius hæc Dei visio est in se, & entitative supernaturalis, proinde excedens omnes vires naturæ; unde dato quod Deus seipsum libere manifestaret creaturæ, nullum ei lumen supernaturale infundendo, ut ipsum prout in se videret, adhuc illum prout in se non posset videre.


54 Pro complemento hujus dubij est no-  
randum, aliquos moderhos nostris fundame-  
tis convictos negare, posibilem esse substantiam creatam supernaturalem, cui connaturale  
sit lumen gloriæ, vel visio beata; affirmant ta-  
men, esse possibilem substantiam supernatura-  
lem creatam, cui connaturalis sit fides, & spes  
supernaturalis. Quam sententiam Frivolam vo-  
cat Zamorensis, & certè ex pluribus capitibus  
implicationem involvere à perte demonstratur.

1. Ex dictis; quia intellectus illius substantiae es-  
set supernaturalis objectum ergo illius esset su-  
pernaturalis, sub quo proinde contineretur Deus  
etiam prout in se, & clarè visibilis. 2. Quia talis  
substantia hoc ipso, quod supernaturalis esset,  
non posset non esse participatio divinæ naturæ  
per modum naturæ, & consequenter esset in-  
distincta realiter à gratia; sed gratia nedium est  
radix fidei, & spei, sed etiam luminis gloriæ.  
Ergo. 3. Quia tale lumen fidei, & spei etiam  
esset supernaturale absolutè, & simpliciter: Er-  
go propter eandem rationem, qua (ut vidistis)  
probatur lumen gloriæ esse connaturale illi  
substantiae, probatur, non posse esse illi connat-  
uralem fidem, vel spem. 4. Quia habitus fidei  
perfectior est lumine propheticō: Ergo si ille  
potest esse connaturalis illi substantiae, etiam  
posset ei esse connaturale lumen propheticum.  
5. Quia semel admisso intellectu creato possi-  
bili, qui in sua simplici entitate æquivaleat intel-  
lectui perfusio lumine fidei, nulla implicatio  
est in eo quod sit possibilis intellectus creatus,  
qui in sua simplici entitate æquivaleat intel-  
lectui perfusio lumine gloriæ. 6. Quia semper illa  
substantia, utpote completa, esset ens in se, & ad  
se, & quia supernaturalis, esset ad alind, utpote  
participata: non minus ergo chimerica est sub-  
stantia, cui possit esse connaturale lumen fidei,  
quam cui possit esse connaturale lumen gloriæ.

55 Septimo, & specialiter probatur im-  
plicatio prædictæ substantiae: namque cui con-

naturalis est via ad terminum, & pariter mediū ad finem, non potest non esse connaturalis terminus, sicut & finis, ut patet in lapide, cui quia connaturalis est descensus, seu via ad centrum, connaturale est etiam quietere in centro; sed fides est via, seu medium ad lumen gloriae, & visionem beatam: Ergo. 8. Quia ille intellectus, vel identificaret lumen fidei, vel non? Si primum? Cum lumen fidei adhuc de potentia absoluta non sit compatibile cum lumine gloriae, implicaret adhuc de potentia Dei absoluta, quod talis intellectus videret Deum medio lumine gloriae. Si secundum: Ad minus ille intellectus ex natura sua exigeret possitivē exclusionem luminis gloriae, cum ex natura sua exigeret lumen fidei incompatibile cum illo, immo lumen gloriae esset magis supernaturale respectu illius intellectus, quam respectu intellectus naturalis; nam licet iste ex natura sua non exigat lumen gloriae, illud tamen positivē natura sua, neque excludit, neque connaturaliter exigit aliquid cum illo incompatibili.

56. Si adhuc his convincti recurrent ad connaturalitatem scientiæ infusaæ, quod scilicet sit possibilis substantia creata supernaturalis, cui minus scientia infusa connaturalis sit; præterquamquod semper manent in sua vi plures ex implicationibus allegatis, constat etiam, impossibilem esse talem substantiam; quia scientia infusa cognoscitur à Christo Domino futura contingentia, in quo omnes theologi concordant; at implicat substantia creata cui connaturalis sit cognitio futurorum: Ergo.



### DUBIUM III.

*Utrum lumen gloriae sit tota ratio, seu virtus proxima videndi Deum prout in se.*

1. **S**upponimus, ut certum de fide lumen gloriae esse necessarium ad vindendum Deum, & solum in examen vocamus, an prædictum lumen sit tota, vel sola partialis ratio videndi Deum prout in se, ita ut intellectus etiam propria vi, & virtute proxima influat in visionem beatam. Quo in dubio solum est difficultas titulo correspondens. Unde sit.

### RESOLUTIO UNICA.

*Lumen gloriae est tota ratio, seu virtus proxima videndi Deum prout in se.*

2. **E**st contra Scotum, & fere communiter contra Doctores Societatis, & Baconistas; tenentes quod licet lumen gloriae sit tota ratio elevandi,

non tamen est tota ratio agendi. Eam tamen tenent omnes discipuli Div. Thom. Et fundatur primò ratione à priori; nam visio beata secundum omnem sui formalitatem supernaturalis est, & secundum nullam est naturalis: Ergo tota ratio, & virtus proxima elicita illius est supernaturalis. Antecedens videtur notum, & consequentia etiam patet; quia virtus naturalis non potest esse causa effectus supernaturalis, ut potè nihil operatur ultra suum posse. Confirmatur, & explicatur præcipue contra Baconistas; namque operari sequitur ad esse, sicut, & unumquodque operatur in quantum est in actu, quippe forma, quæ dat esse, ipsa secundario dat operari: Ergo quæ est tota ratio essendi supernaturaliter, seu elevandi intellectum ad esse supernaturale, est tota ratio operarii supernaturaliter; at huiusmodi est lumen gloriae; hoc enim est illius proprium munus, ut adversarij fatentur: Ergo: quod exemplificatur; nam principium, quod est tota ratio essendi spiritualiter, est etiam tota ratio operandi spiritualiter. Et quia lux est tota ratio constituendi aerem lucidum, est etiam tota ratio illuminandi: Ergo pariter.

3. Secundo fundatur nostra resolutio interfingendo fundamentum oppositæ sententiae: si lumen gloriae non esset tota ratio, & virtus proxima videndi Deum; ideo quia lumen gloriae vitale non est; qua ratione influere non potest in visionem beatam, quatenus vitalem; ac assumpsum est falsum: Ergo. Prob. min. 1. ex Div. Thom. infra quest. 18. art. 2. ad 2. ubi sic habet. *Contingit aliquorum operum in esse hominibus non solum principia naturalia, ut sunt potentia naturales, sed etiam quædam superaddita, ut sunt habitus inclinantes ad quædam operationum genera, quasi per modum naturæ, & facientes illas operationes esse delectabiles; & per hunc modum etiam cognoscere Deum dicitur vita eterna. Idem docet 1. 2. quest. 3. art. 2. ad 1: ubi post pauca ait. Alio modo dicitur vita ipsa operatio viventis, secundum quam principium vita in actum reducitur; & sic nominamus vitam activam, vel contemplativam, vel voluptuosam; & hoc modo vita eterna dicitur ultimus finis, quod patet Joannis 7. hec est vita eterna, ut cognoscam te Deum verum. Quam sententiam frequenter defendunt Thomistæ 2. de anima.*

4. Secundo probatur ratione: quia lumen gloriae est participatio divini luminis, quo Deus se ipsum videt, sicut & ipsa visio beata est participatio visionis divinae. Sicut ergo visio beata est vitalis in actu secundo, ita & lumen gloriae est vitale in actu 1. Dices, quod vitale

qua-

quatenus tale debet procedere ab intrinseco: unde cum visio beata à principio intrinseco procedat, secus verò lumen gloriae, propterea visio beata vitalis est, non verò lumen gloriae. Sed contra 1. Näm licet de ratione vitalis per modum potentiae, hoc est per modum principij naturalis, sit ab intrinseco procedere, sicut & ab anima dimanare; secus tamen de ratione vitalis per modum principij supernaturalis, de hujus enim ratione solum est quod sit participatio divini principij vitalis, dimanatioque à gratia, quae participatio est divina natura, propterea que vitalis, & radix luminis gloriae, sicut & charitatis. Sicut enim gratia quamvis ab extrinseco procedat, vitalis radicaliter est, quia participatio est divina natura, quae principium vitale radicale est divinarum operationum, siē & lumen gloriae quamvis ab extrinseco procedat, vitale proxime est, quia participatio est divini intellectus, qui principium vitale proximum est divina intellectio. Neque est simile de vitali per modum actus primi, ac de vitali per modum actus secundi, namque vivere in actu secundo est se mouere, & se mouere est operari, & ne-  
dum operationē recipere, & sic implicat in terminis vivere in actu secundo per operationem ab alio elicita, quia in hoc casu operatio illa erit vitalis in se, sed non respectu illius in quo recipitur, quia ab eo non procedit, neque per eam se movet, qua ratione nequit intellectus intelligere per intellectio. At tamen vivere in actu primo ex proprio concepitu non est se mouere, sed habere in se virtutem intrinsecam unitam ratione cuius possit se mouere; & sic hoc non petit positivè ab intrinseco procedere. Unde bene nota, quod vitalitas principij naturalis, v.g. intellectus, in dimanatione ab anima consistit; propterea que ut anima per intellectum vivat in actu 1. nō sufficit quod intellectus ei intrinsecè uniat, sed aliud quod ab ea dimanet. Vitalitas tamen principij supernaturalis non in dimanatione, sed in participatione divini principij vitalis consistit; & sic non opus est, quod lumen gloriae ab intrinseco procedat, ut per eum vivat intellectus in actu 1. sed sat est quod divini intellectus participatio sit.

5 Tandem probatur eadem minor: sola namque vitalitas intellectus, seclusaque vitalitate luminis nequit influere in vitalitatem visionis beatæ: Ergo lumen gloriae proculdubio vitale est. Probatur anteced. namque vitalitas visionis beatæ non naturalis, sed supernaturalis est; sed vitalitas sola intellectus, seclusaque vitalitate luminis, nequit influere in vitalitatem supernaturalē, cum vitalitas illa non supernaturalis, sed naturalis sit: ergo. Dices argu-

M. Garrafo.

mentum probare vitalitatem solam intellectus influere non posse in vitalitatem visionis beatæ, quatenus supernaturalē, non verò formaliter, ut vitalitas est: Sed contra est aperte; quia nostrum fundamentum non procedit de influxu in vitalitatem visionis beatæ secundum rationem communem, & genericam, sed specificam, nempe qua intellectus vivit videndo Deum; sed hæc formalissimè vitalitas supernaturalis est: Ergo. Explicatur: lumen gloriae per se, & formalissimè influuit in visionem beatam, ut visio beata est, ut ex terminis constat; at visio beata ut talis vitalis est non qualibet vitalitate, sed vitalitate supernaturali: Ergo. Vel è contra sola vitalitas intellectus influere nequit in visionem beatam, ut visio beata est; at visio beata ut talis nedum reduplicat supernaturalitatem, verum & vitalitatem: Ergo.

6 Tertio, & ultimo fundatur nostra resolutio ab inconvenienti: sequitur enim ex opposita sententia, quod duplex intellectus inæqualis perfectionis cum æquali lumine, inæqualiter eliceret visionem, nempe perfectior intellectus perfectiore visionem; at hoc est falsum: Ergo. Major patet; quia in visione beatifica intellectus operatur, ut agens naturale, & necessarium: Ergo operatur secundum ultimum potentiam: Ergo perfectior intellectus perfectius operabitur, & consequenter elicit perfectiorem visionem, si semel operatur visionem propria vi, & virtute. Minor verò (scilicet, hoc esse falsum) præterquamquid aperte traditur à D. Thom. hic att. 6. ad 3. & in corp. & att. 7. Suadetur ratione; quia lumen gloriae confertur juxta meritam, & sic sequeretur, quod duo æquales in meritis, inæqualiter Deum viderent; undè nequæ gloria esset collata juxta quantitatem meritorum, nequæ juxta quantitatem gratie, & charitatis, sed gradus aliquis gloriae corresponderet naturæ, nempe perfectioni naturali intellectus, quod plusquam absurdum est. Immò visio beata cuiuslibet angelii ex parte intellectus esset perfectior, quam visio animæ Christi, ut potè quantum cumque perficiatur unum individuum inferioris speciei non potest ad perfectionem essentialiem alterius speciei pervenire. Cum tamen Div. Thom. infra quæst. 108. art. 8. doceat, erroneum esse asserere homines transferri non posse ad æqualitatem angelorum. Præterea ex opposita sententia non minus videtur sequi quod visio beatae hominis, & angeli sit specificè distincta, quippe ubi principium adæquatum est specificè distinctum; etiam actio ab eo procedens debet esse specificè distincta; ut autem principium adæquatum sit specificè distinctum, sufficit quod una eius pars ab altera spe-

cificè distinguitur, sicut homo specificè distinguitur ab equo, & si materia utriusque sit eiusdem speciei, quia forma, quæ est altera pars, est in utroque essentialiter distincta.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta.

7 Sed contra nostram resolutionē objicies 1. ex D. Thom. hic art. 5. in corpore ubi vocat lumen gloriae augmentum virtutis intellectivæ: Sentit ergo lumen gloriae non esse totam rationem agendi, seu videndi Deum prout in se. Item ad primum ait: *Quod lumen gloriae requiritur, ut intellectus fiat potens ad videntium, per modum quo potentia sit potentior ad operandum per habitum, sicut lumen corporale necessarium est in viliu exteriōri, ut videat, in quantum facit medium transparens in actu, ut possit moveri a colore.* Deinde 3. p. q. 10. art. 4. probans, intellectum creatum animæ Christi perfectius videre Deum qualibet alia creatura, ait: *Visionem magis attendi secundum vires gratiæ, quam secundum vires naturæ:* Aliqualiter ergo attenditur secundum vires naturæ. Ac tandem in 2. distinct. 5. quæst. 2. art. 1. ad 1. docet: *Quodquamvis liberum arbitrium de se possit in substantiam actus, non tamen in formam ejus, per quam meritorius est:* distinguunt ergo Div. Thom. influxum liberi arbitrij in operationem quoad substantiam, ab influxu in ipsam ut meritoria, & supernaturalis est.

8 Sed ad primum respondetur explicando Div. Thom. ex ipsius doctrina in 3. contra gentes cap. 53. n. 4. est augmentum virtutis intellectivæ per simplicem ipsius virtutis intensionem, eomodo quo virtus activa calidi augetur per intensionem caloris, nego; quia haec intenso solum requiritur, ut possit efficere vehementiorem actionem in eadem specie: est augmentum per novæ formæ apositionem, eomodo quo diaphani virtus, ut possit illuminare, augetur per forinam lucis in eo de novo receptam, concedo; quia hoc augmentum requiritur ad alterius speciei formam consequendam. Cum ergo visio beata non sit eiusdem rationis, seu speciei cum visione naturali intellectus creatus, quod ex distantia visorum patet, oportet quod fiat augmentum virtutis per apositionem novæ formæ, quæ est, & dicitur lumen gloriae. Verba sunt D. Thom.

9 Ad secundum patet etiam responsio ex ipsis verbis Div. Thom. namque lumen corporale est simpliciter necessarium ad videndum: Ergo cum Div. Thom. dicit, quod lumen gloriae requiritur, ut intellectus fiat potens

ad videndum Deum eomodo; quo potentia sit potentior ad operandum per habitum, non intelligitur de habitu naturali, cuius activitas est eiusdem ordinis cum activitate potentia, & dumtaxat est necessarius ad melius esse, sed loquitur de habitu simpliciter necessario, & supernaturali elevate potentiam ad actionem alterius ordinis. Unde cum dicitur quod sit potentior per lumen gloriae, non intelligitur ac si ante ea esset proxime potens, sed in sensu explicato in praecedenti solutione, nempe quod sit potentior non per intensionem proprij luminis, sed per additionem novi luminis, aliquoquin simpliciter esset potens videre Deum prout in fine lumine gloriae.

10 Ad tertium responderetur, quod argumentum D. Thom. intendebat angelum perfectius videre Deum, quam animam Christi, quia habet perfectiorem intellectum, cum tamen ibi Div. Thom. resolvatur animam Christi perfectius videre Deum; quia visio convenit omnibus beatis secundum participationem divini luminis, & cum propinquius se habeat ad Deum anima Christi propter unionem hypostaticam, plenus recipit influentiam divini luminis, & ideo perfectius videt Deum. Unde ad secundum respondet, quod visio divinae essentiae excedit naturalem potentiam cuiuslibet creaturæ, ut in prima parte dictum est, & ideo magis attenditur secundum vires gratiæ, quam secundum vires naturæ. Ex quo patet, cum intendere perfectionem visionis non attendi ullo modo penes naturalem potentiam, sed solum penes elevationem luminis, con sequenterque illud adverbium *magis* non summittur comparativè, sed prout significatur idem quod potius, & sic non affirmat attendi secundum vires naturæ etiam aliqualiter, sed solum secundum vires gratiæ, sicut cum Paulus dicit de Moysè: *Magis eligens asigi cum Populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem.*

11 Ad quartum denique responderetur D. Thom. ibi non docere posse liberum arbitrium de se, & proprijs viribus in substantiam actus supernaturalis, & meritorij; cum iste totus, & totaliter fiat ut *quod à libero arbitrio, & ut quo à gratia;* sed solum intendit liberum arbitrium de se, & proprijs viribus posse facere actus bonos quoad substantiam, nempe temperantia, & misericordia.

12 Secundo objicies ex Concilio Trident. sess. 6. de justificat. cap. 5. can. 4. ubi anathematizatur, qui dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo vocanti, sed

*veluti*

veluti inanimè quoddam nihil omnino age-re, mereque passivè se habere; at si gratia esset tota ratio agendi actus supernaturales, liberum arbitrium merè passivè se haberet: Ergò.

13 Sed respondent nostri thomistæ, Concilium non intendere, quod liberum arbitriū simul cum gratia præveniente, & excitante cooperetur proprijs viribus Deo vocanti assentiendo, & se disponendo ad gratiam; namque ipsum assentiri Deo vocanti est à gratia præveniente, & excitante, cum juxta ipsum Concilium exordium justificationis nostræ suminatur à gratia præveniente. Sed quod intendit Concilium est quod taliter recipiat illa gratia in libero arbitrio quod media illa liberum arbitriū operetur, & libere, ut non se habeat ut quoddam inanimie, & merè passivè. Nos autem dicimus, liberum arbitrium operari ut quod media gratia ut quo, & ut tota ratione agendi, & quia gratia non destruit naturam, sed perficit, consequenter non tollit libertatem; sed potest homo in sensu diviso non operari, vel operari opositū, & sic semper verificatur, quod libere assentit; quod sufficit, ut non se habeat merè passivè, & ut quoddam inanimie. Quod certe clarius liquet ex eo quod totum pondus definitionis erat contra hæreticos afferentes gratiam efficacem, seu motionem Dei tollere libertatem.

14 Dices: quia lux in aere est tota ratio illuminandi, & pariter calor in aqua est tota ratio calefaciendi, neque aer cooperatur luci, neque aqua calori, sed utrumque merè passivè se habet: Ergò à simili. Sed resp. neg. conseq. quia neque lux acteri, neque calor aquam elevat ad actus contentos sub proprio eorum specificativo, & propteræ ad hujusmodi actus in aere, & in aqua non precedit potentia aliqua activa remota, & radicalis, quæ elevabilis sit per lumen, vel calorem; & idco quamvis aer ut quod illuminet, & similiter aqua calefaciat, nihilominus nullus illorum dicitur cooperari, & pariter uterque dicitur merè passivè secundum propriam naturam se habere; quia solum dieunt coaptationem, & non repugnantiam per modum subiecti purè sustentantis. Attamen in nostro casu visio Dei (idem est de divina dilectione) continetur sub objecto specificativo nostri intellectus, quod est ens in tota sua latitudine, & sic ad hujusmodi actus praecedit in intellectu nostro virtus activa, non proxima, sed radicalis, & remota, seu elevabilis; quapropter semel elevatus dicitur cooperari, & non merè passivè se habere. Nota ergò, quod, cum nos ponimus exemplum in luce illuminante aërem, exemplum tenet quantum ad hoc quod, quia tota ratio ef-

fendi aërem lucidum est lux, & propteræ lux in aere est etiam tota ratio proxima illuminandi, sic in nostro casu; attamen est disparitas in dictis.

15 Tercio objicies: principium non supernaturale potest cum principio supernaturali immediate concurrere ad actum supernaturalem: Ergò, quamvis intellectus principium supernaturale non sit, potest simul cum lumine gloriae immediate concurrere ad visionem beatam. Probatur antecedens primò: nám principium non vitale potest simul cum principio vitali immediate concurrere ad actum vitalem, ut patet in specie impressa, quæ vitalis non est, & tamen simul cum intellectu immediate concurrit ad intellectionem, quæ vitalis est: Ergò à simili. 2. Nám species naturalis concurrent potest immediate effectivè ad actum supernaturalem, ut patet in speciebus deservientibus habitui fidei, quæ naturales sunt, & immediate effectivè concurrunt ad actum supernaturalem fidei: Ergò. Imò probabile est quod habitus theologicæ est entitativerè naturalis; & tamen influit in certitudinem conclusionis theologicæ, quæ supernaturalis est: pariter ergò in nostro casu:

16 Sed responderetur negando primù antecedens ad primam ejus probationem dicimus, quod species est principium intellectuonis per modum instrumenti, nempe tanquam semen, & virtus objecti; principium autem instrumentale imperfectius est actione cuius est virtus, & sic vitalitas actus non infert, neque exposcit vitalitatem in principio instrumentalis, nisi ad summum virtualiter, quatenus virtualiter continet vitalitatem agentis principalis. Attamen si intellectus esset partiale principium visionis beatæ, esset principium principale, & non instrumentale; principium autem principale non potest esse imperfectius actu cuius est principium, & sic non potest actus illius esse vitalis, aut supernaturalis, & principiū illius principale esse purè naturale, & non vitale, qualiter esset intellectus si eo modo partialiter ad visionem beatam concurreret.

17 Ad secundam probationem responderetur negando, species naturales deservientes habitui fidei concurrent immediatè effectivè ad actum supernaturalem fidei, sed influunt ut elevatae intrinsece ipso habitu fidei eis utente, quæ elevatio ut rectè notat Zamorensis, non est ita intelligenda, ut ratione elevationis species representent objectum aliquod supernaturale, quod antea non representabant, sed taliter, quod objectum illud, quod antea representabant modo naturali, illud representent modo supernaturali, ut ita Deus per

Illas species cognoscatur connotativè nedū naturaliter, sed etiam supernaturaliter, qualitè cognoscitur per fidem. Et hujus repræsentationis tota ratio repræsentandi est ipse habitus fidei. Cujus pone exemplum in habitu theologiae in sententia quod est entitativer supernaturalis, & pariter ejus actus; tunc enim ibi objicitur argumentum, quod in hoc syllogismo: *Christus est homo; omnis homo est risibilis: Ergo Christus est risibilis*: Minor est propositio naturalis: Ergo non potest influere in assensum supernaturalem. Et respondent authores hujus sententie, quod ut naturalis est, seu attentavi, & virtute propria illativa non influat in illum assensum, sed quatenus intrinsecè elevata ipso habitu theologiae illa utente ad inferendum conclusionem de tide, & sic tota ratio inferendi illam est habitus theologiae: à firmi in nostro casu.

18 Ad subiectum autem respondetur quod in sententia quod theologia est habitus entitativer naturalis, non potest certitudo conclusionis theologicæ non esse etiam formaliter, & entitativer naturalis, licet supernaturalis sit radicaliter, & præsuppositivè, in quantum deducitur per habitum ex principijs fidei. Attamen hoc eodem modo habitus theologiae supernaturalis est, ut potè etiam innititur principijs fidei, seu divinae revelationi: in modo habitu participat conclusio illam superiorem certitudinem; attamen sicut habitus naturalis est, quia licet innitatur principijs fidei, eis innititur ut cognitis medio discurso naturali, sic eodem modo certitudo conclusionis, & assensus theologicus est etiam naturalis, & solum radicaliter, & præsuppositivè supernaturalis. Et nota quod in hoc sensu debet intelligi D. Thom. cum supra quæst. 1. art. 1. ait; quod certitudo conclusionis theologicæ est super omnes naturales: id est nō quod sit supernaturalis formaliter, & entitativer, sed quod est super omnes naturales, quia innititur principijs fidei, quod est esse supernaturalem radicaliter solum, & præsuppositivè.

19 Quarto objicies, & est replica contraria precedentem solutionem: actus naturales virtutum naturalium imperati à charitate, ut elargitio elæmosinæ propter amorem Dei, merentur præmium supernaturalis: Ergo principium naturale medio principio supernaturali potest influere in aliquid supernaturale. Sed respondeatur: quod actus naturales habent solum bonitatem naturalem, & similiter procedunt elicitive à virtutibus ex motivo pure naturali, & consequenter ex hoc capite non merentur præmium supernaturalis, neque essentiale, neque accidentale; propterea que solum illud merentur, quatenus imperati à charitate, à qua ordinantur

in motivum supernaturale. Licet enim elargitio elæmosinæ à virtute naturali procedat, propter honestatem naturalem operis, à charitate tamen ordinatur, ut fiat propter amorem Dei, quo ex capite dumtaxat est meritoria præmij supernaturalis; unde infertur, quod virtus naturalis neque partialiter influat in præmium supernaturale: Unde tota ratio influendi, seu merendi illud est relatio charitatis, sive formalis, sive virtualis: sicut enim præmium totaliter, & adæquate supernaturale est, & non partialiter bonum bonitate naturali, sic neque partialiter potest esse effectus virtutis naturalis, sed dumtaxat charitatis.

20 Dices: sententia probabilis est quod prædicti actus naturales merentur præmium distinctum à præmio correspondente actui charitatis; sed hoc nequit subfistere, si amor Dei sit tota ratio merendi, & virtus moralis neque partialiter influat in meritum: Ergo. Sed respondeatur, apud omnes esse compertum, quod meritum præmij supernaturalis debet procedere ex motivo supernaturali; & quod actus virtutum naturalium solum elicitive procedunt ex motivo naturali, & consequenter implicare esse meritorios præmij supernaturalis, scilicet principio supernaturali eos valorante, & dignificante. Et sic semper stat, quod tota ratio merendi sit supernaturalis, sive hæc sit ordo charitatis, sive dignitatis personæ existentis in gratia, admodum quo à persona divina valorantur opera naturalia Christi, sive tandem hæc sit virtus alia supernaturalis. Ac proinde quod mereantur præmia distinctum supernaturale procedit ex eo, quod imperium charitatis non sit ratio formalis merendi in actibus charitatis, sed vel non requiriatur, vel ad summum se habeat ut conditio. Attamen in hac sententia ad minus gratia, vel alia virtus supernaturalis debet influere in actus naturales ad prædictum meritum, & sic jam tota ratio merendi reducitur in principium supernaturalis.

21 Vel potest dici à principio, quod ex illa sententia solum sequitur, quod actus naturalis influat in aliquid supernaturale moraliter, nō tamen phisicè; quia ad hoc ut influat moraliter non requiritur quod præmium supernaturalis contineatur tanquam effectus in virtute naturali, sed sufficit quod contineatur in gratia dignificante personam; eoquid ab hac valorantur virtutes naturales, & earum operationes, ut à simili dicitur de operibus Christi. Unde adhuc in hoc modo dicendi tota ratio merendi est valor supernaturalis ex dignitate personæ desumptus, nempè ex gratia. Attamen ut influat phisicè in aliquid supernaturale, oportet illud etiam

phi-

phisice in virtute contineri, ut patet. In nostro autem casu si intellectus esset partialis ratio agendi, hoc haberet phisice, & nendum moraliter.

22 Quinto objicies: lumen gloriae non est potentia, sed habitus; at potentia, & habitus in eo distinguuntur, quod potentia dat totum posse, seu posse simpliciter, habitus vero solum dat posse secundum quid, seu ad melius esse. Ergo lumen gloriae non ita dat posse ad visionem Dei, quod intellectus non possit proxime, & immediate saltem partialiter influere in illam.

23 Sed respondetur, quod lumen gloriae est habitus supernaturalis, & sublimioris ordinis, & iste dat posse simpliciter, licet habitus naturalis, & inferioris ordinis det solum posse secundum quid. Neque ex hoc infertur esse potentiam; quia potentia dat totum posse cum in differentia ad bonum, & malum, seu ad verum, & falsum. Unde hac ratione probat D. Thom. 3. p. quest. 63. art. 2. characterem sacramentalem esse potentiam, & non habitum, quia charactere possumus uti bene, vel male, habitus autem non ita, nam si sit virtus, est habitus determinatus ad bonum, & sic in definitione virtutis ponitur, *qua nemo male utitur*. Si vitium, est determinatum ad malum. Etsi habitus supernaturalis det totum posse, si se habet determinate ad bonum, vel ad verum, consequenter non est potentia. Unde claritatis gratia potest dici, quod potentia in eo quod dat totum posse cum in differentia distinguuntur ab habitu ordinis naturalis; ab habitu vero ordinis supernaturalis distinguuntur solum per in differentiam, & sic habitus supernaturalis, quia superioris ordinis, partim est potentia, & partim est habitus, potentia quidem, quia dat simpliciter posse, & habitus propter determinationem. Et potest ponи exemplum in habitu speculativo, & pratico, quorum rationes in habitibus inferioribus dividuntur in habitibus superioribus ad unantur, ut in habitu fidei, & theologiae cernere licet.

24 Sexto objicies: ita identificantur in peccato entitas, & malitia, sicut in actu supernaturali vitalitas, & supernaturalitas; & tamen cum eo stat (propter distinctionem rationis) entitatem peccati produci a Deo, & non malitiam. Ergo statuit vitalitatem actus produci a potentia, & non illius supernaturalitatem. Sed in primis exemplum non esse ad rem patet, quia peccatum est mixtum ex bonitate phisica, & malitia morali, ratione cujas primo modo subterfugere non potest causalitatem Dei; secus vero secundo modo, cum prout sic sit Deo contrarium, neque in eum sit ordinabile, ut in ultimum finem. Ergo ut exemplum sit ad rem, oportet visionem beatam mixtam fore ex vitalitate naturali,

& supernaturali, ut sic primo modo causetur ab intellectu propria vi, & virtute, & secundo solum sic causabilis a lumine gloriae; patet autem vitalitatem naturalem non reperiri in visione beata: Ergo.

25 Deinde si aliquid hoc argumentum convincit est, quod possit homo producere ultimam differentiam hominis, quin producat rationem animalis, corporis, & substantie, quia haec etiam ratione distinguuntur. Immò ipsi probant, non posse Deum concurrere ad materiale peccati, quin concurrat ad malitiam illius; eoque non potest homo generare hominem, quin omnia predicata identificata hominis producat: tenentur ergo fateri, quod cum predicata aliqua identificantur, non potest unum ab aliquo produci, quin omnia cum eo identificata ab illo producantur. Unde argumentum propositum non plus probat contra nos, quam argumentum factum ad probandum, Deum non posse concurrere ad materiale peccati, quin concurrat ad formale; quia non potest homo producere hominem, quin omnia ejus predicata producatur, consequenterque, quod ibi respondent thomistae, respondet in praesenti: Dicunt ergo, quod omnia predicata hominis sunt phisica, & naturalia, pertinentque ad idem genus naturae; & sic cum identificantur, non potest potentia naturalis unum continere, & producere, quin omnia contineat, & producat; attamen in peccato entitas, & malitia pertinent ad diversa genera, nempe entitas ad genus naturae, malitia ad genus moris; & sic ex productione unius male infertur alterius productio, sed potius compatitur, quod producat, & contineat peccatum secundum id, quod dicit actualitatis, & perfectionis, & non secundum id, quod dicit imperfectionis, defectus, & deformitatis; quia prout sic dumtaxat respicit potentiam defectibilem. Cumque certum sit vitalitatem, & supernaturalitatem in actu esse predicata phisica, & nullum morale, non potest unum in potentia contineri, & ab ea produci, quin aliud continetur, & producatur. Immò authores contraria sententiae non intendunt potentiam producere solam vitalitatem, & habitum solam supernaturalitatem, sed dicunt, potentiam utramque rationem producere, & pariter habitus, ita ut potentia, & habitus dicantur causa partiales, partialitate se tenente praecesse ex parte effectus.

26 Septimo objicies: si lumen gloriae sit tota ratio agendi, & effendi, sequitur quod possit separatim ab intellectu existere, & prout sic operari; hoc dici nequit: Ergo. Prob. major ab exemplo caloris, qui, quia est tota ratio effendi, & agendi subjectum calidum, divinitus potest se-

parari à subjecto, & prout sic existere, & calefacere: Ergò à simili.

27 Resp. quod ( quidquid sit an possit lumen gloriae separatum à subjecto existere, quod negat Zamorenis ) adhuc non potest sic separatum à subjecto operari; quia lumen gloriae non videt nisi ut *quod*, & sic essentialiter est ratio videndi, seu ratione cuius intellectus videt, & sic separatum ab intellectu videre non potest, sicut neque forma, quamvis sit tota ratio essendi, & operandi, potest separata à supposito operari, quia hoc est, quod operatur ut *quod*; actiones namque sunt suppositorum. Quod pariter affirmo de quacumque potentia, & virtute etiam instrumentalis; quippe omnia hæc sunt, quibus subjectum operatur, & non sunt operativa ut *quod*; neque enim intellectus ab horne separatus intelligere, neque voluntas velle potest, immò neque forma materialis ( si posset à materia separari) operari posset; quia in suis operationibus utitur instrumentis corporis, & ab eis essentialiter pendet; & licet anima rationalis in omnibus suis operationibus ab ea non dependeat, pendet tamen in operationibus sensitivis; undè separata à materia neque videre potest, neque audire, neque tangere, neque generare. Immò hoc affirmo de quolibet habitu; quia habitus essentialiter est determinatio potentiae, & sic implicat, quod formaliter, ut sic existat separatum à subjecto, & prout sic operari valeat: & licet habitus supernaturalis non sit determinatio potentiae sicut habitus naturalis, utpotè iste determinat intrasphæram propriæ activitatis; tamen reverè essentialiter est habitus, & determinat potentiam elevando illam ad superiorem ordinem.

28 Sed dices; & si calor separatus ab omni subjecto non possit caleficere, separatus tamen à proprio subjecto, nempè ab igne, caleficere potest; sed hoc non alia de causa nisi quia est tota virtus proxima calefaciendi: ergò à simili, & si lumen gloriae separatum ab omni subjecto non possit videre Deum, separatum tamen ab intellectu poterit eum videre, si semel est tota virtus proxima videndi Deum.

29 Resp. neg. conseq. & patet instantia in intellectu, voluntate, & in omni potentia vitali, quæ separata à proprio subjecto operari non potest; & ratio est, quia actio vitalis debet procedere à potentia vitali, quæ vitalis non est quandiu non est conjuncta propria naturæ, à qua dimanat, eoquod ejus vita in dimanatione à natura consistit; undè separata à natura est veluti emortua, & in animis. Cum ergò calefatio non sit actio vitalis, consequenter non exigit procedere à potentia, seu virtute unita pro-

pria naturæ, nempè ignis, sed potest etiam procedere ab extrinseco separata ab igne, & in extraneo subjecto recepta. Ex hac ergò disparitate etiam liquet disparitas ad presens; nam licet lumen gloriae vitale non sit per dimanationem ab intellectu, est tamen vitale, ut *quod*, & per participationem à divino intellectu, sive est vitale, est tanquam virtus elevativa intellectus creatus, & propterea separatum ab intellectu creato ( licet in se vitale sit ) non potest constitui subjectum, in quo recipitur, illuminatum, ut possit elicere visionem vitalem. Undè in illo subjecto esset lumen veluti emortuum, admodum quo esset intellectus in lapide, & admodum quo ( ut dicunt theologi ) esset gratia in lapi- de, nempè in esse qualitatis, utpotè gratia par- ticipat divinam naturam per modum nature, & ex hoc habet esse participative vitam naturæ in intellectu, ac proinde in alio subjecto non po- tent effetum tuum fortiri.

30 Tandem objicies, actus charitatis nostra est liber utraque libertate; siquidem homo ita elicit actum charitatis, ut non solum possit ab illo cessare, in quo consistit libertas contradictionis, verum etiam elicere actum contrarium, in quo consistit libertas contrarietatis; at libertas contrarietatis in praedicto actu non po- tent desummi ab habitu charitatis, quippe iste est determinatus ad bonum, non enim ( ut ait Apostolus ) agit perperam, sed solum potest desummi à potentia, quæ defectibilis est: Ergò hæc saltim partialiter induit in actum charitatis; & sic habitus charitatis non est tota ratio agen- di, & consequenter lumen gloriae, quia de utro- que procedit eadem difficultas. Sed in primis retorreo argumentum; nam cum ipsi dicunt, potentiam partialiter influere in actum supernaturalem, non loquuntur de potentia naturali, scilicet secundū naturalem virtutem, sed de poten- tia obedientiali associata habitui supernaturali; at hæc non est libera libertate contrarietatis, cum non possit in malum influere, eoquod est obedientialis, quatenus subjecta formaliter Deo & forme supernaturali elevanti, cum neque Deus, neque forma supernaturalis elevans pos- sint influere in malum: Ergò ipsi tenentur ar- gumentum solvere.

31 Dicimus ergò, quod actus charitatis est liber libertate contrarietatis pure extrinsece, & materialiter, seu concomitanter, nempè de- nominatione desumpta ab ipsa naturali poten- tia, quæ potest in bonum, & in malum influere, non vero formaliter, ut obedientiali, & ut ele- vabili, seu elevata; qui prout sic est determina- ta ab bonum. Undè sicut potentia naturalis secundum propriam virtutem naturalem pu-

re extrinsece, materialiter, & concomitanter se habet ad actum charitatis, sic actus charitatis solum extrinsece, materialitatis, & concomitanter est liber libertate contrarietatis. Est aptum exemplum in D. Thom. 1.2.q. 4. art. 5. ubi docet, visionem beatam nostram post resurrectionem futuram esse perfectiorem, quam nunc est; eo quod existente principio magis perfecto, & completo, non potest non perfectius influere. Cum tamen certum apud omnes sit, corpus non influere, neque posse influere in visionem beatam, sicut neque animam ut completam per corpus, sed solum ut elevatam lumine gloriae, quod idem erit post resurrectionem, ac modo. Et respondent Alvarez disput. 63. de auxilijs, Cajetanus loco citato, & authores communiter, hanc majorem perfectionem fore denominationem extrinsecam destumptam à composito materiali, ibi materialiter, & concomitanter se habente: à simili ergo.



## DUBIUM IV.

*An de potentia Dei absoluta repugnet, divinam efficiam videri à beatis sine attributis, & personis, vel è contra, vel unam personam  
sine alia?*

**I**N Deo alia sunt formaliter, nempe divina essentia, attributa, & relationes; alia solum virtualiter, ut sunt creature. Supponimusque beatum defactò videre omnia, quae in Deo sunt formaliter, quod in dubium vertitur, est, an repugnet de potentia Dei ex his, quae in Deo continentur formaliter, unum videri à beato sine alio? An vero videre possit omnia, quae in Deo virtualiter continentur, dubio sequenti examinabimus. In hoc dubio unica est difficultas titulo correspondens, sit ergo.

## RESOLUTIO UNICA.

*De potentia Dei absoluta repugnat, divinam efficiam videri sine attributis, & personis, vel è contra, vel unam personam sine alia?*

**E**st contra Scotum cum suis Discipulis, & contra Egidium à presentatione, Granadum, Salas, Alarcón, & alios recentiores. Eam tamen tenent omnes Discipuli D. Thom. Et fundatur 1. Visio beatifica est visio intuitiva Dei: Ergo implicat Deum videri, & non videri omnia, quae in eo formaliter sunt. Anteced. supponitur, & pater ex illo 1. Joann. 3. *Cum apparuerit, similes ei*

*erimus, quia videbimus eum scilicet. Conseq. verò prob. nām objectum aliquod intuitivè, & prout in se videri, & non videri omnia, quae in ipso formaliter sunt, ex duplice dumta at capite potest provenire, vel quia omnia non cadunt sub objecto specificativo, vel proportionato potentiae videntis, proindeque, neque cadunt sub eadem ratione cognoscibilis, vel ex determinata medij scilicet speciei objectum representantur, ratione cuius objectum non unitur potentie, neque ei fit praesens adequate, & perfectè secundum omnia, quae in eo sunt. At sic est, quod ex nullo capite assignato potest Deus intuitivè, & prout in se videri, quin omnia, quae in eo sunt formaliter videantur: Ergo. Prob. min. namque in primis omnia quae sunt in Deo, formaliter cadunt sub objecto nedium specificativo, verum & proportionato intellectus beati illustrati lumine gloriae, & pariter sub eadem ratione cognoscibilis, nempe per unam, & eandem speciem adhuc virtualiter indistinctam, qua est essentia divina. Deinde species, media qua Deus unitur intellectui beati, non potest non ei uniti ut representans omnia, que sunt in Deo formaliter, utpotè non unitur Deus per speciem aliquam creatam, sed immediate per suam essentiam gerentem munus speciei: ex nullo ergo capite provenire potest quod Deus prout in se, & intuitivè videatur, & non videantur omnia, quae in ipso formaliter sunt.*

**3** Exemplificatur hoc: nam quod visio externa videat colorem, & non modum inherenter illius, provenit ex quo ille modus non cadit sub objecto specificativo potentiae visivæ, utpotè non est coloratus, & sic est cognoscibile diversæ rationis, similiter quod videat à longe colorem, & non album, vel nigrum, provenit ex defectu speciei, quae fuit emissâ ab objecto cum aliqua distantia, ratione cuius species fuit obscurata, nebulata, & turbata, in representatione, & sic minus fecit apparere de objecto, quam in ipso erat. Pariter, quod intellectus videntis intuitivè à longe objectum, non videat an sit homo, vel equus, ex eodem defectu speciei ortum habet. Deinde quod intellectus humanus videret intuitivè humanitatem Christi, & non videret ejus existentiam, & subsistentiam, & defactò videat accidentia in Eucharistia, & non modum existendi illorum, ex utroque capite procedit, nempe quia non cadunt sub objecto proportionato intellectus creari, & quia species, media qua videbatur Christus, non illum representabat, ut existentem, & subsistentem existentia, & subsistentia in creatura, sed ut subsistentem admodum aliorum hominum, videlicet secundum rationem communem subsistendi per se, & in

com.

communicatiliter, & eodem modo species, media qua videntur accidentia in Eucharistia, ea representat admodum aliorum accidentium, & non scandunt existentiam miraculosam, quam habent, & licet fide purificetur intellectus à deceptione speciei representantis illa ut inherencia, numquam tamen intuitivè percipit, qua positiva existentia existant, & propterea hoc est sub opinione. Ex hoc etiam dupli capite povenit, quod intellectus intuitivè cognoscens rem creatam, non cognoscat potentiam obedientiam formaliter iumentam, seu connexivè, vel terminativè, quia quamvis identificata cum entitate naturali, illo modo est supernaturalis, & superexcedit captum intellectus, neque prout sic representatur i specie rei creare. Cum ergò nullo ex his capitibus provenire possit essentiam Dei videri intuitivè, & prout in se, & omnia non videri ex his, quæ in Deo formaliter sunt, consequenter non est undè via intuitivè, & prout in se cetera, quæ in Deo formaliter sunt, non videatur. Et ex his manent soluta argumenta desumpta à praedictis exemplis.

4. Sed dices, quid in sententia quod est possibilis species creata Dei? Respondeo 1. ex dictis quod cum omnia in Deo sint unum, ut dicemus fundam. 3. vel pariret representatione speciei, vel omnia ea representaret. Deinde illa species non esset emissa à Deo per medium distans, cum Deus sit immensus, & à nullo loco distare possit; unde esset intellectui beatifici infusa, sicut defactò angelis infunduntur species representantes omnia, quæ in objectis creatis formaliter sunt. Et sic ex hac parte non posset species illa turbari, ut minus representaret de Deo, quam in ipso est. Ac tandem species illa esset immissa à Deo naturaliter, eo modo quo species immituntur à suis objectis, ut dicunt theologi disparitatem reddendo inter speciem impressam, & expressam Dei; agens autem naturale operatur quantum potest, & sic species illa non posset non esse representationis perfectissimæ, immò, & infinitæ, quamvis in esse enris esset limitata, sicut & creata, & sic non potest non representare omnia, quæ in Deo formaliter sunt, immò & quæ in eo sunt eminenter. Et nota hanc rationem, seu doctrinam procedere etiam si inter divinam essentiam, attributa, & relations interveniat distinctio realis, seu ex natura rei.

5. Secundo fundatur nostra resolutio ex alio capite, licet in idem incidat: visio beatifica est visio quidditativa Dei, & non methaphysicè considerati, sed physicè, & prout in se, quia prout sic representatur per speciem, quæ est ipsa divina essentia: Ergò implicat Deum videri,

qui videatur omnia, quæ in eo formaliter sunt. Prob. conseq. omnia, quæ in Deo sunt formaliter, sunt de illius quidditate physicè, & prout est in se: si ergò visio beatifica est quidditativa Dei physicè, & prout est in se, eo viso, non posse sunt non omnia videri. Antec. patet: nam Deus prout in se essentialiter est actus purus, & infinitus; at non esset prout in se essentialiter actus purus, & infinitus si omnia, quæ sunt in eo essentialiter non includeret, saltèm objectivè, licet cum eo realiter identificaretur: Ergò.

6. Immò ratio actus puri, infiniti, & summe simplicis sunt prædicta transcendentia omnia divina prædicata; de ratione autem transcendentis est essentialiter includere ea, quæ transcendit, qua ratione ens essentialiter includit substantiam, & accidens. Conseq. verò prob. 1. visio quidditativa alicujus objecti prout talis, est visio omnium, quæ ei essentialiter conveniunt prout tali; unde quia de essentia hominis sunt ratio substantiæ, corporis, viventis, animalis, & rationalis, dum hac omnia non cognoscuntur non cognoscitur quidditativè homo ut homo, sed ut animal, vel secundum aliud prædicatum genericum: si ergò omnia, quæ sunt in Deo formaliter, sunt de illius quidditate prout in se, viso Deo quidditativè prout in se, non possunt non omnia, quæ in eo formaliter sunt videri.

7. Et ex hac prob. pat. quam frivola est solutione adversariorum dicentium non posse Deum videri quidditatively prout in se, qui videantur omnia, quæ in eo formaliter sunt, si visio sit adæquata, non vero si inadæquata sit. Patet inquam, namquæ eo ipso quod non videatur Deus quidditatively prout in se adæquate, eo ipso non viderur quidditatively prout in se, sicut eo ipso quod non videtur homo quidditatively adæquate, eo ipso non videtur quidditatively, ut homo.

8. Secund. prob. eadem conseq. ex dictis, & magis infringitur hac contrariorum solutionis omnia, quæ sunt in Deo formaliter, sunt de illius quidditate prout in se, quia Deus est essentialiter actus purus: Ergò videri essentialiter prout in se, est videri prout in se per modum actus puri; at videri prout in se per modum actus puri, & videri solum inadæquata, est implicatio in terminis, cum ratio actus puri in indivisibili consistat: Ergò.

9. Tertio fundatur nostra resolutio principaliter ratione D. Thom. 3. p. q. 3. art. 3. ubi sic habet: *Intellectus duplicitè se habet ad divina, uno modo ut cognoscatur Deus, sicuti est;* & sic impossibile est, quod circumscribatur per intellectum aliquid à Deo, & quod aliud remaneat, quia totum, quod est in Deo, est unum, salva distinctione personarum, quarum tamen una tollitur.

litur, sublata alia, quia distinguuntur solum relationibus, quas oportet esse simul. Alio modo se habet intellectus ad divina, non quidem quasi cognoscens Deum, ut est, sed per modum suum, scilicet multipliciter, & divisim id quod in Deo est unum; & per hunc modum possunt intelligi essentialia, non intellectis personalitatibus. Hac D. Thom. Ex quibus sic formatur ratio: in Deo prout in se omnia sunt unum omnimoda unitate, nisi ubi obest relationis oppositio: Ergo cognito Deo prout in se, non possunt non omnia illius cognosci. Antec. patet: utpote Deus prout in se essentialiter est actus purus; sed actus purus essentialiter excludit omnem objectivam distinctionem, nisi ubi obest relationis oppositio: Ergo. Patet minor; quia excludit omnem potentialitatem, & compositionem. Conseq. verò 1. prob. namque si omnia in Deo prout in se sunt unum omnimoda unitate, nisi ubi obest relationis oppositio: Ergo in Deo prout in se relationes, & attributa sunt unum omnimoda unitate cum divina essentia, & pariter attributa inter se, & solum inter se relationes distinguuntur; at prout sic unum, non possunt non omnia simul cognosci, & alias una relatio sine alia cognosci non potest, quia sunt simul cognitione: Ergo.

10 Et hoc fundamento roborantur praecedentia: quod enim possit objectum creatum intuitivè, vel quidditativè videri, & non omnia illius videri, radicaliter provenit ex defectu, vel potentialitate ipsius objecti, in quo non omnia sunt unum, sed vel realiter, vel ad minus objectivè distinguuntur; namque ex hoc provenit, posse unum prædicatum essentiale sine alio cognosci, quod essentialiter, & objectivè non includit illud. Pariter ex hoc ipso ortum habet, quod non omnia convenient sub eadem ratione cognoscibilis, sed aliqua dumtaxat sunt cognoscibilia ab una potentia, alia ab alia, alia à potentia propria, & naturali virtute, alia à potentia, ut elevata. Immò ex hoc procedit, quod species repræsentet objectum secundum aliqua, & non secundum omnia; si enim omnia essent unum perfectè, seu omnimoda unitate, vel pariter repræsentatio speciei, vel omnia necessario repræsentaret.

11 Est tamen valde notanda differentia inter essentiam divinam transcedentem omnia divina prædicata, & ens creatum transcedens omnia creata entia; namque ens creatum includit essentialiter omnia creatæ, & è contra, non tamen omnia entia creata mutuo se includunt, sicut substantia non includit accidentem; licet enim substantia sit ens, sed non habet universalitatem, & transcedentiam entis quia ut docent logici, ratio entis descendit solum inadæquate

ad substantiam, & ad alia inferiora, quod & provenit ex illius potentialitate, ratione cuius divibile est. Attamen essentia divina sic transcedentaliter sumpta, taliter includit omnia divina prædicata, quod omnia se invicem includunt, nisi ob sit relationis oppositio; quia ratio actus puri infiniti, summe simplicis adæquate invenitur in quolibet divino prædicato, eo quod in indivisibili consistit; unde quodlibet divinum prædicatum est simpliciter actus purus, infinitus, & omnino simplex, proindeque cetera prædicata essentialiter includit, non minus ac ipsa divina essentia.

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

12 **S**ed contra nostram resolutionem objicies 1. unum ex prædicatis, quæ formaliter sunt in Deo, est divina continentia, seu connexio cum omnibus possibilibus; at talis connexio, vel continentia nequit cognosci à beato, nedum defacto, verum neque de possibili: Ergo. Major patet, & min. prob. talis continentia, & connexio cognosci nequit non cognitis omnibus possibilibus; at omnia possibilia cognosci nequeunt etiam de possibili à beato, alioquin comprehendenderet divinam essentiam, seu omnipotentiam, ut tenet D. Thom. hic: Ergo. Maj. prob. continentia, vel connexio nequit cognosci, non cognitio termino, vel connexo: non ergo potest prædicta continentia, vel connexio cognosci non cognitis omnibus possibilibus, quæ sunt illius terminus.

13 Dices: quod nō potest cognosci nō cognitis omnibus possibilibus in communi, & prout unum, seu in confuso, non tamen est necesse ea cognoscere in particulari, & prout inter se distincta, & solum ex illorum cognitione distincta, & in particulari sequitur divina omnipotenz comprehensio. Sed contra: ne dum continentia, & connexio cum omnibus possibilibus in communi est formaliter in Deo, verum, & cum illis in particulari, & distincte: Ergo si beatus non cognoscit continentiam, & connexionem cum omnibus possibilibus in particulari, & distincte, non eo ipso cognoscit omnia, quæ formaliter sunt in Deo. Antec. patet, namque eo modo Deus, vel omnipotentia continet, & connectitur cum omnibus possibilibus, quomodo causat, vel causare potest, at ea causat, vel causare potest nedum secundum rationem communem entis creabilis, verum etiam secundum proprios, & illorum particulares rationes: Ergo.

14 Ad argumentum recte dictum est. Ad pro-

probationem in contra dicimus late dubio sequenti, ubi hoc idem argumentum objiciemus. Quantum ad praesens autem fit satis distinguendo anteced. Et alias est eadem formaliter continentia cum omnibus possibilibus in communi, ac in particulari, concedo; est formaliter diversa nego antec. & conseq. Si enim continentia, vel connexio cum possibilibus in particulari, & distincte esset formaliter diversa, convinceret argumentum, quod semel cognita à beato divina continetia, & connexione cum omnibus possibilibus in communi, & non in particulari, non cognosceret aliquid formaliter existens in Deo; quia tamen est eadem formaliter continentia, nempè sub eadem ratione formalis, qua est ipsa divina essentia, ut communicabilis creaturis, hoc ipso, quod cognoscitur, ut continentia, & connexio cum omnibus possibilibus in communi, cognoscitur quidquid in ea formaliter cognoscibile est. Et ponitur exemplum in patre, cuius relatio ad quatuor filios est una, & eadem formaliter, proptereaque, & si cognoscatur, ut terminata ad unum, & non ad alios, adhuc non prescinditur ex parte objecti, quia præcissio consistit in eo quod cognoscatur objectum secundum unam realitatem, vel formalitatem, & non secundum aliam; relatio autem patris cognita, ut terminata ad unum filium, & non ad alios, non cognoscitur secundum unam formalitatem, & non secundum aliam, quia est eadem formaliter ad omnes filios, & sub eadem formalitate, subqua terminatur ad omnes, terminatur ad unum. A simili in nostro casu.

15 Secundo objicies, & præcipue contra tertium fundatum: in Deo prout in se datur distinctione virtualis essentie ab attributis, & relationibus, & attributorum inter se: Ergo in Deo prout in se non omnia sunt unum. Resp. disting. anteced. datur distinctione virtualis, ut fundans distinctionem rationis essentiae ab attributis, & attributorum solum quoad explicitum, conc. ut fundans distinctionem rationis objectivam, & quoad implicitum, nego; & disting. conseq. eisdem terminis: Non omnia sunt unum virtualiter quoad explicitum, conc. virtualiter objectivae, nego. Distinctio enim virtualis essentiae ab attributis, & relationibus, & attributorum inter se consistit in, eo quod licet unum aliud essentialiter includat ex ratione communi actus puri, illud tamen non includat ex proprio, & formalis conceptu; ac proinde solum fundat distinctionem rationis talem quoad explicitum, non vero talem objectivam, & quoad implicitum; & sic objectivae omnia in Deo prout in se sunt unum omnimoda unitate.

16 Sed dices: Ergo potest Deus prout in

se videri secundum unum prædicatum, non visio alio, saltim quoad explicitum. Resp. neg. conseq. quia licet Deo prout in se sit distinctio virtualis fundans distinctionem rationis per habitudinem ad intellectum non concipientem eum prout in se; non tamen per habitudinem ad intellectum, eum concipientem prout in se; qua eo ipso, quod prout in se Deus concipiatur, & quodlibet illius prædicatum, necessario concipitur, ut actus purus, ac proinde non potest concepi, quin concipientur expressae omnia, quæ sunt in eo formaliter. E contra tamen contingit in intellectu eum non concipientem prout in se; quippe eo ipso non eum concipit, ut actum purum, sed ad initia rerum creatarum, consequenterq; præscindit ab objectiva inclusione, qua mutuo se includunt prædicata divina ex ratione communi actus puri; & sic solum ea considerat secundum proprios, & formales conceptus.

17 Sed dices: intellectus videns Deum prout in se, cognoscit illam distinctionem virtualem: Ergo talis distinctio datur in Deo etiam ut fundans distinctionem rationis per ordinem ad intellectum eum concipientem prout in se. Sed neg. conseq. alioquin etiam daretur, ut fundans distinctionem rationis per ordinem ad intellectum divinum, ut potè hic etiam cognoscit illam distinctionem virtualem. Aliud enim est cognoscere, divinam essentiam, & attributa præbere fundamentum, ut intellectus noster pro hoc statu ea distinguat, & aliud est distinguere; prius reperitur in beatis, immo, & in Deo; secundum vero non, admodum quod intellectus divinus cognoscit, essentiam hominis præbere fundamentum, ut intellectus humanus in ea distinguat genus, & differentiam, quin tamen ea distinguat, neque distinguere possi.

18 Dices: nullum est inconveniens admittere intellectum beati efformare entia rationis erga ipsum Deum: Initio probabile est, Deum cognoscendo se illa efformare, nempè cognoscendo essentiam suam, ut diversimode imitabilem à creaturis efficere respectus ideales. Ad quod dico, hoc esse probabile loquendo de entibus rationis consequitis admodum intelligendi, quales sunt respectus ideales, quia in hoc casu solum cognoscitur Deus aliter ac est ex modo concipiendi, quod nullam dicit imperfectionem; non tamen est probabile de entibus rationis adiunctis, quæ sunt per cognitionem præcissivam, qua cognoscitur res aliter ac est in se adhuc ex parte rei concepta, quod magnam dicit imperfectionem, quo modo necessario videretur Deus, si distingueret inter sua prædicata. Unde illa entia rationis intellectu beati efformare erga

Deum

Deum, nullum est inconveniens; est tamen inconveniens Deam vel beatum efficere distinctionem rationis inter divinam essentiam, & attributa, cum eo ipso non cognosceret Deum prout est in se. Secundo potest argumento responderi concedendo, etiam beatum efficere illam distinctionem rationis quoad explicitum; attamen quia cognoscit Deum prout est in se, & consequenter, ut actum purum, taliter distinguit unum praedicatum ab alio secundum proprium, & explicitum conceptum, quod simili cognoscit unum alterum includere secundum rationem actus puri; neque ab hoc potest praescindere, sicut praescindit intellectus Deum cognoscens pro hoc statu; & sic adhuc non sequitur quod possit unum sine alio videere.

19 Tertio objicies: licet filio ad intra communicetur natura divina prout in se, non tamē ei communicatur paternitas cum ea omnimodè identificata; & pariter licet humanitati Christi communicetur ad extra persona Verbi prout in se, non tamē ei communicatur natura pariter omnino identificata cum illa: Ergo & si à beato videatur divina essentia prout in se omnimodè idētificata cum attributis, & relationibus poterit illa sola videri, non visis relationibus, & attributis. Confirmatur: sufficit distinctio virtuallis inter divinam essentiam, & paternitatem, ut de illis verificantur praedicata alias contra dictoria, nempē essentia divina communicatur, paternitas non communicatur: Ergo & sufficiet, ut de essentia verificantur, quod videtur à beato, & quod persona Patris non videtur; & que enim ex terminis contradictoriis opposuntur communicari, & non communicari, sicut videri, & non videri.

20 Hoc argumentum in primis instatur, namque paternitas nedum defacto, verū nequē de possibili potest filio ad intra communicari, & pariter neque natura divina humanitati Christi potest communicari ad extra, & tamē defacto nedum videtur à beato divina natura, verū, & omnia, que sunt formaliter in Deo: omnes ergo tenentur reddere disparitatem. Unde disting. anteced. non tamē communicatur filio paternitas ratione oppositionis relativae cū illo, concedo; sine tali oppositione nego anteced. & conseq. Unde disparitas desumitur ex mysterio Trinitatis, quod nequē in Deo omnia sunt unum, nisi ubi obest relationis opositio, natura autem ad relationes, & attributa nulla est relativa opositio, benē tamen relationum inter se, & propter hoc natura divina communicabilis est tribus personis per omnimodam unitatē cum illis, utpote ea transcendens per modum actus puri; paternitas tamen, quamvis sit una

cum ea, incommunicabilis est filio, quia cum filiatione relative opponitur. Attamen ex hoc non licet inferre, etiam posse videri naturam non viisa paternitate, quia ex una parte paternitas est una cum divina natura, & ex alia, in eo quod est videri, nullam habet oppositionem ratione cuius impeditur ejus visio, nequē cum filiatione, vel alia persona, siquidem relativa sunt simil cognitione, neque cum quolibet alio praedicato, cum omnia divina praedicata sint cognoscibilia ratione unius speciei, quae est ipsa divina essentia; undē in ratione visibilium omnia divina praedicata convenienter immo, & connexas stantur.

21 Similiter dicimus, quod licet humanitati Christi communicetur persona verbi prout in se, non tamē ei communicatur natura prout in incapacitatē ipsius naturae humanae, quae licet capax sit terminationis, non tamē est capax constitutionis, cum supponatur constituta. In nostro tamē casu nulla est incapacitas, ut visa personalitate prout in se, non videatur natura, immo non nisi ratione naturae potest personalitas videri.

22 Sed dices: quod licet nulla sit oppositio, vel incapacitas quoad videri inter praedicata divina, potest tamen esse incapacitas in ipso intellectu creato, ut quantumvis uniatur ei divina essentia prout in se per modum speciei, non tamē ei uniatur, ut omnia representans. Sed contra est: namque divina essentia per modum speciei unitur intellectui creato juxta quantitatem lumidis gloriae; at lumen gloriae, quamvis minimum se potest extendere, & defacto se extendit ad omnia, quae sunt formaliter in Deo, quia omnia sunt objectum illius proportionatum, cum lumen gloriae etiam minimum participatio sit divini intellectus: Ergo.

23 Dices: Ergo jam unio realis, & phisica natura divina magis praecisiva est, quam ejus unio intentionalis. Respond: quod cum unio, seu communicatio divinæ essentiae praecisiva sit duntaxat ratione illi capacitatis extremi, cui unitur, & communicatur, & ad intra sit in filio incapacitas ad paternitatem, & ad extra in humanitate sit incapacitas ad divinam naturam, in intellectu autem lumine gloriae elevato, nulla sit incapacitas, ut uniatur ei divina essentia secundum omnia immo, & necesse sit sic uniri, consequenter licet respectu objecti creati unio intentionalis magis praecisiva sit, quam unio realis, & phisica, respectu tamen divinæ essentiae è contra contingit.

24 Per hanc patet ad confirmationem distinguendo antecedens: sufficit distinctio virtuallis ad juncta oppositione relativae, & incapacita-

te extremi, conc. sine tali oppositione, vel cum capacitate extremi, nego anteced. & conseq. Divina enim natura non solum à relationibus, verum & ab attributis virtualiter distinguitur; & tamen non potest natura divina filio communicari, quia omnia ejus attributa ei communicentur. Ergò non præcisæ communicatur natura divina, & non paternitas, quia virtualiter distinguuntur, sed simul adjuncta oppositione relativa, qualis est inter paternitatem, & filiationem, & pariter adjuncta in capacitatem naturæ humanæ, ut divina natura constituatur. Vel dicatur sufficere distinctionem virtualem talem in ratione communicabilis, & negand. suppositum, inter divinā felicitatē naturā, & paternitatē esse distinctionē virtualem in ratione visibilium, distinctionē namque virtualis, ut diximus est distinctionē penes proprios, & formales conceptrus, divina autem natura secundum proprium, & formale conceptum est constitutiva, & divina persona est terminativa, & reddit naturam ipsam incommunicabilem: proindeque distinctionē virtualis divinæ naturæ à paternitate est distinctionē penes hoc quod divina natura est communicabilis ad intra, divina verò persona est ad intra incommunicabilis, & sic non mirum quod una communicetur filio, non communicata alia, & pariter communicetur persona patris humanitati Christi per modum terminantis, & non natura per modum constituentis. Non tamen distinctionē hæc virtualis naturæ à paternitate est talis in ratione visibilium, cum potius omnia, quæ sunt in Deo sunt visibilia unica, & indistincta, ad huc virtualiter specie, ut dictum est.

25 Quarto objicies ad idem: hæc conseq. non valet, essentia divina videtur prout in se; sed prout in se est essentialiter attributa, & relationes: Ergò non potest videri non visis attributis, & relationibus: Ergò. Prob. assumptum, hæc conseq. non valet, essentia divina prout in se est species, & objectum formale divinæ intellecti, immo, & intellecti, creatæ beati; sed prout in se est essentialiter attributa, & relationes: Ergò est species, ut includēs attributa, & relationes: Ergò neque illa conseq. valet. Antec. supponitur improbabiliori sententia thomistarum, quod essentia divina est species, & objectum formale divinæ intellecti, quatenus virtualiter distincta ab attributis, & relationibus; ita ut hæc sint objectum duntaxat materiale, & secundarium. Confirmatur primo: objectum primarium potest cognosci, non cognito objecto secundario; sed essentia divina, ut virtualiter distincta ab attributis, & relationibus est objectum primarium visionis beatæ sicut, & divinæ

intellectionis, attributa verò, & relationes sunt objectum duntaxat secundarium: Ergò. Confirmatur secundo: essentia divina secundum communiorē sententiam constituitur per intelligere, sive radicale, sive actuale, & ab ea prout sic intelliguntur dimanare attributa, & relationes, falsum ergò est, quod omnia, quæ sunt in Deo sunt unum, & de essentia Dei, immo tota quidditas Dei communicatur filio; sed non communicantur ei omnes divinæ relationes: non ergò istæ sunt de quidditate Dei.

26 Ad argumentum late dicimus de scietia Dei dub. 5. loquendo de objecto formaliter tam motivo, quām terminativo divini intellectus, ubi idem argumentum proponitur. Nunc autem dico primo, illam sententiam non esse universalem in via thomistica, namque plures habent objectum formale divinæ intellecti, esse ens increatum, ut abstrahit ab essentia, attributis, & relationibus, ut potè ejusdem immaterialitatis; quia sunt in gradu immaterialitatis per exclusionē omnis potentialitatis, qui proinde est gradus purissimæ actualitatis in individuibili consistens. 2. respond. admissa illa sententia, ut probabiliori negando assumptum, ad probationem respondeo illam consequentiam non valere eo quod in majori ly prout in se summittit solum specificativè per ordinem ad divinam essentiam phisicè consideratam, nempe ut est actus purus absolute, & simpliciter in omni linea, & reduplicativè solum per ordinem ad essentiam divinam metaphysicè consideratam, videlicet ut est actus purus in propria linea, & secundum proprium, & formalem conceptum; secundum quem præcisæ est radix attributorum, & relationum, eoquod prout sic solum ei convenit quod sit species, & objectum formale. In minori autem ly prout in se reduplicat divinam essentiam ut actus purus est absolute, & simpliciter in omni linea, quomodo essentialiter includit attributa, & relationes, & propter consequentia non valet. Attamen in nostra consequentia ly prout in se in majori neendum specificat, verum, & reduplicat essentiam divinam phisicè, propterea quod ut est actus purus absolute, & simpliciter in omni linea, unde cum prout sic includat essentialiter attributa, & relationes, consequentia à nobis facta legitima est.

27 Ad primam confirmationem respondeo 1. essentiam divinam, ut ab attributis, & relationibus distinctam esse objectum primarium formale, & quo, seu motivum; terminativum verò, & formale quod esse ens increatum, ut abstrahit ab essentia, attributis, & relationibus ut patet in angelo, cuius objectum formale quo

& motivum est sola illius essentia ; objectum vero formale *quod*, & terminativum est ipse angelus ; et si Deus suppositaliter esset unus, ne-  
dum essentia Dei esset objectum formale *quod* terminativum, verum & suppositum illius ; &  
hæc est sententia Mag. Naz. 2. respond. disting.  
mæj. objectum primarium objective distinctum  
à secundario, quale sunt respectu divinæ essen-  
tiæ creature, & respectu entis realis ens rationis,  
concedo ; objectum primarium solum virtuali-  
tè, & quoad explicitum distinctum à secunda-  
rio, in eo tamen objective inclusum, sub distin-  
guo : potest cognosci sine secundario metaphysi-  
cè, concedo, phisice & prout est in se, nego. Ut  
enim patet ex dictis, essentia divina solum quo-  
ad explicitum, & secundum proprium, & for-  
malem conceptum distinguitur ab attributis, &  
relationibus, objective tamè ea essentialiter in-  
cludit ex ratione communi actus puri ; ac proin-  
de est objectum primarium objective inclusum  
in secundario, quapropter, si videtur prout in  
se, & phisicè, quomodo non potest non videri  
ut actus purus absolute, & simpliciter, non po-  
test videri non visis attributis, & relationibus.

28 Ad secundam confirmationem respon-  
detur : essentiam divinam sumptam pro primo  
prædicato, quod à nobis cum fundamento in  
re intelligitur, ut radix ceterorum, quomodo  
consideratur metaphysicè, constitui secundum  
thomistas per intelligere. Atamen essentia di-  
vina sumpta transcendentaliter quatenus enti-  
tas divina actus purus est, quomodo considera-  
tur phisicè, & prout in se, essentialiter inclu-  
dit omnia, quæ sunt in Deo, ut patet ex dictis.  
Ad tertiam confirmationem respondetur etiam  
relationes esse de quidditate Dei trancenden-  
taliter sumpta, alias esset in potentia ad eas, &  
sic neque esset actus purus ; attamen non sunt  
de quidditate Dei tanquam prædicata constitutiva, sicut attributa, sed tanquam modi, &  
termini inadequati illius ; Filio autem communi-  
catur tota quidditas Dei, quantum ad præ-  
dicata constitutiva, non vero quantum ad  
omnes modos, & terminos, quibus termina-  
bilis est propter illorum oppositionem rela-  
tivam.

29 Quinto objicies de ratione visionis beatifi-  
cæ solum est, quod videantur in Deo omnia,  
quæ ipsum constituunt in ratione objecti beatifi-  
ci, at sola essentia divina, & attributa, non ve-  
ro relations constituant Deum in ratione ob-  
jecti beatifici : Ergo non est necesse, quod viso  
Deo videantur omnia, quæ in eo formaliter  
sunt. Major est certa, & minor probatur : obje-  
ctum visionis beatificæ est summum bonum ; at  
relations non constituunt Deum in ratione

summi boni, cum nullam dicant perfectionem,  
& bonitatem in probabiliori sententia. Ergo.

30 Sed in primis argumentum non est ad  
propositum questionis ; in hac enim non agimus  
de visione beatifica sub formalitate beatitudi-  
nis ; sub hac natique formalitate de ea agunt  
theologi 1.2. q.3. art. 3. sed solum sub formalite-  
tate visionis. Unde poterat argumento satisfie-  
ri omitendo pro nunc, quod objectum beatifi-  
cum salvetur in sola essentia divina, & attri-  
butis, quia in eis duntaxat salvatur ratio sum-  
mi boni ; & quod, si per impossibile videretur es-  
sentia divina, non visis relationibus, adhuc esset  
visio sufficiens ad beatificandum. Et negamus  
conseq. quod possit videri essentia non viis re-  
lationibus, quia adhuc est repugnantia ex alio  
dupli capite, nempe & quia visio intuitiva,  
& quia quidditativa Dei, ut hucusque proba-  
tum manet.

31 Si tamen hanc eandem repugnantiam  
ostendere velimus, etiam ex capite beatificati-  
væ, advertere oportet, quod prædicta visio, seu  
intellectio non est beatificativa, nisi quatenus in-  
tuitiva, & quidditativa est. Unde ex eidem prin-  
cipijs, quibus fundavimus, repugnare divinæ es-  
sentiam videri, non visis omnibus, quæ sunt for-  
maliter in Deo, probatur consequenter, repu-  
gnare hoc ipsiū ex capite beatificativa. Illud  
autem colligitur 1. ex loco allegato 1. Joann. 3.  
*Cum apparuerit, similes ei erimus ; quia vide-  
bimus eum sicuti est ; quæ similitudo est in beatu-  
tudine, & causalem aſignat, quia videbimus  
eum sicuti est.* 2. Quia ut beatificativa procedit  
ab essentia divina unita per se ipsam immediatè  
intellecūtū beati per modum speciei ; essentia au-  
tem divina per se ipsam immediatè unita per  
modum speciei non potest non representare se  
ipsam, ut exercite existentem, & secundum om-  
nia prædicata, quæ ei convenienter essentialiter  
phisicè, & prout in se. 3. Quia de ratione illius,  
quatenus beatitudo est, est quietare appetitum  
beati, nempe appetitum innatum gratiæ ; gratia  
autem, cum sit semen gloriae, inclinat ad viden-  
dum Deum prout in se ; inclinat enim ad viden-  
dum Deū eomodo quo defacto videtur à bea-  
tis. 4. Quia summum bonum non satiat appe-  
titum nisi ut perfectè posset, possidetur au-  
tem perfectè, dum perfectè cognoscitur ; non au-  
tem perfectè cognoscitur, nisi dum cognoscitur  
prout in se. 5. Quia videns aliquam formam,  
naturaliter scire desiderat ejus proprietates,  
& modum quo existit, & subsistit. Tandem hoc  
expresse traditur à Div. Thom. 2. 2. quæst. 2.  
art. 8. ubi inquirit, utrum explicite credere  
Trinitatem sit de necessitate salutis, & pro-  
ponit pro parte negativa tertium argumen-

tum sic : Illud tenemur explicitè credere in Deo, quod est beatitudinis objectum; sed objectum beatitudinis est bonitas summa, quæ potest intelligi in Deo, etiam sine personarum distinctione. Ergo. Ubi argumentum procedit de summa bonitate Dei, ut est objectum beatificum. Et resp. dicendo, quod summa bonitas Dei secundum modum quo nunc intelligitur per effectus, potest intelligi absque Trinitate personarum; sed secundum quod intelligitur in se ipso, prout videtur à beatis, non potest intelligi sine Trinitate personarum.

32 Ex quibus ad argumentum concedo majorem, & nego minorem. Ad probationem distinguo majorem; est summum bonum phisicè, & prout in se, concedo majorem; metaphysicè, & præcisivè consideratum, nego maj. & eisdem terminis distincta minori, nego conseq. nam summum bonum phisicè, & prout est in se consideratur ut actus putus est, quomodo sunt de illius quidditate etiam relationes, ut explicatum relinquimus.

33 Sed objicies; si per impossibile videtur divina essentia, non visis relationibus, adhuc salvaretur objectum formale nostræ beatitudinis: non ergo objectum beatificum est summum bonum phisicè, & prout in se. Prob. anteced. objectum formale nostræ beatitudinis tam motivum, quam terminativum est sola divina essentia, ut virtualiter ab attributis, & relationibus distincta, utpote hoc est objectum formale divinæ beatitudinis, cuius est participatio beatitudo nostra: Ergo.

34 Respondetur distinguendo hoc anteced. objectum formale terminativum nostræ beatitudinis quoad substantiam, & sub formalitate intellectio, concedo; sub formalitate beatitudinis, nego. Sicut enim notitia intuitiva potest considerari, & essentialiter sub formalitate notitia, & accidentaliter sub formalitate intuitionis, illiusque primo modo objectum formale terminativum est sola quidditas objecti, quæ est illius objectum formale quo, & motivum; secundo tamen modo non est sola quidditas objecti, sed simul cum præsentia, seu existentia exercita; quia est notitia rei prout est in se existens à parte rei: ita similiiter visio beatifica potest duplicitè considerari, & essentialiter sub formalitate intellectio, & accidentaliter sub formalitate beatitudinis, sicut enim formalitas intuitionis accidentaliter se habet ad notitiam rei, sic formalitas beatitudinis accidentaliter sed habet ad intellectum Dei, utpote est beatitudo in quantum visio intuitiva Dei prout in se, & considerata primo modo objectum illius formale terminativum, & quod est sola di-

vina essentia, sicut ipsa sola est objectum formale quo, & motivum. 2. verò modo non est sola divina essentia, sed ipsa prout in se phisice existens, & subsistens. Quapropter sicut ex variacione accidentaliter & materiali objecti transit notitia de intuitiva in abstractivam; ipsa essentialiter in variata, quia objectum illius quo, & quo formale semper est idem, scilicet quidditas objecti, sic in variata essentialiter Dei notitia, si per impossibile videretur divina essentia non prout in se, sed præcisivè, sicut transiret de intuitiva in abstractivam, transiret pariter de beatificativa in non beatificativa, quia objectum formale quo, & quod semper est idem, nempe divina essentia. Et hoc idem dicendum de beatitudine divina, intellectio namque divina etiam beatificativa non est, sicut neque intuitiva, nisi in quantum terminatur ad divinam essentiam prout in se, & sic essentia divina prout in se est illius objectum formale quod, & terminativum in quantum beatitudo est; ea autem sola intelligitur objectum formale quo, & quod divinæ intellectio, quoad substantiam, seu in quantum intellectio est.

35 Sed dices: si per impossibile Deus esset tantum unus, & non Trinus, viso Deo ut uno salvaretur objectum formale quod beatitudinis etiam sub formalitate beatitudinis, & nendum quoad substantiam: Ergo & defacto Deus ut Trinus non ingreditur objectum formale beatitudinis etiā sub formalitate beatitudini. Antecep. patet, & conseq. prob. ex eo enim inferunt theologi relationes non ingredi formaliter rationem principij ad extra, quia si per impossibile Deus esset unus, & non Trinus, adhuc salvaretur in Deo ratio principij ad extra: Ergo similiter,

36 Respondetur, quod in illa hypothesi impossibili salvaretur objectum formale beatitudinis diversa rationis ab ea, quia defacto est, quia licet in utroque casu esset visio Dei prout in se, quia tamen prout in se in illa hypothesi esset tantum unus, & defacto est simul Trinus, consequenter in illa hypothesi esset visio Dei prout unus tantum in se, & defacto est visio Dei etiam prout est in se Trinus. Ratio autem principij ad extra etiam in illa hypothesi esset ejusdem rationis; quia relationes nullam neque defacto addunt activitatem, sicut neque perfectionem ad essentiam.

37 Sed adhuc dices: sub eadem ratione sub qua Deus est primum principium ad extra, est objectum beatificum: Ergo si in illa hypothesi ratio principij esset ejusdem rationis ac defacto est, pariter beatitudo. Consequentia patet, & antecedens probatur; sub eadem ratione sub qua Deus est pri-

num principium, est etiam ultimus finis; at sub ea ratione sub qua est ultimus finis, est objectum beatificum, utpote in acquisitione ultimi finis beatitudo nostra formalis essentialiter consistit: Ergo. Respond. ex dictis disting. anteced. sub ea ratione sub qua est principium principio phisice, & prout in se considerato, concedo anteced. metaphysice solum inspecto, nego anteced. ad probationem concessa majori, & minori eisdem terminis, nego conseq. quia beatitudo nostra non consistit in acquisitione ultimi finis pure metaphysice considerati, sed physice, & prout in se inspecti.

38 Sexto objicies ad idem: Pater Aeternus pro priori, & signo originis, quo intelligitur generare, vel potens generare Filium, intelligitur beatus; sed pro illo priori nondum intelligitur Filius cognitus, alias intelligeretur genitus, cum habeat esse per cognitionem: Ergo visio beatifica increata etiam ut beatitudo est salvatur, non visus personis, & consequenter etiam nostra formalis beatitudo, quæ illius formalis participatio est. Major patet; tum quia beatitudo convenit Patri essentialiter, cum sit communis tribus personis: non ergo potest non intelligi pro omni signo beatus: tum quia pro illo priori, & signo communicat filio beatitudinem; non autem communicat, quod non habet: tandem quia Pater non crescit in cognitione, vel beatitudine per productionem passivam Filii.

39 Ad hoc argumentum responderet Lisbonensis, quod pro illo priori originis intelligitur Filius cognitus objectivè, & essentialiter, non tamen notionaliter, & productivè, & propteret non dum intelligitur pro illo priori genitus. Sed hæc solutio non tenet in nostro modo dicendi, quod scilicet visio beatifica, ut beatitudo est, petit terminari ad objectum prout in se existens à parte rei. Unde melius responderet concedendo majorem, & negando minorem. Ad probationem concedo etiam, quod pro illo priori intelligitur Filius genitus. Pro quo est valde notandum quod prioritas originis est duntaxat prioritas à quo, non verò in quo, etiam per rationem. Unde ex quo Filius habeat esse a Patre ut à principio originis, non recte infertur, posse pro aliquo priori intelligi Patrem producentem, quin intelligatur Filius productus, cuius ratio est, quia Pater, & Filius relativè opponuntur; relativa autem sunt simul natura, & cognitione: Ergo implicat Patrem intelligi producentem non intellecto filio producto: Prioritas ergo illa originis, & à quo non est prioritas intelligétiæ. Unde ex ea solù potest deduci, quod pro illo signo intelligatur Pater ut producens, & filius ut productus, non verò quod intelligatur Pater produ-

cens non intellecto filio produsto: hoc enim ipso quod intelligitur Pater, ut producens, & filius ut productus, intelligitur Pater, ut prior prioritate originis, & pariter filius posterior posterioritate originis, quamvis simul intelligatur.

40 Secundo poterat responderi: quod dato, quod pro illo priori originis non intelligatur filius productus, adhuc intelligitur Pater beatus per visionem filij prout in se geniti, & existentis, namque ut dicunt theologi in materia de scientia Dei, ad notitiam intuitivam, quæ est simul practica, & nedum speculativa, non requiritur, quod supponatur objectum existens, sed sufficit quod simul cum ea objectum existat in eadem durationis mensura, quæ dicitur simultas in quo, & existentiæ; non tamen requiritur simultas à quo, & naturæ. Cujus est exemplum in scientia visionis Dei, quæ est intuitiva retum, quas non supponit existentes, cum potius sit illatum causa, similiter est exemplum casu, quod visio corporalis eslet productiva sui objecti. Licut ergo pro priori à quo, & originis intelligatur Pater beatus, & nondum existens, vel productus filius, cum tamen pro priori in quo, & existentiæ non possit non intelligi filius productus, & existens per ipsam intellectionem beatificativam Patris, eo ipso verificatur quod Pater est beatus per visionem intuitivam filij.

41 Sed objicies contra utramque solutionem: Ergo Pater non est à se ipso beatus, sed etiam à filio. Respondetur non esse tantum à se ipso beatum objectivè adæquatè, sed à toto Deo prout est in te, esse tamen à se ipso beatu principiativè, id est, non ei ab alio communicatur sua beatitudo, sicut filio communicatur à Patre, & Spiritui Sancto communicatur à Patre, & Filio. Et in hoc secundo sensu duntaxat verificatur, quod Pater à se est beatus, non verò in primo. Sed dices, sufficit quod sit beatus ab alio objectivè, ut sit ab alio beatus principiativè, nāque objectum etiam est principium effectivum cognitionis, juxta axioma Augustini, quod ab objecto, & potentia paritur notitia, unde est sententia fatis probabilis, speciem effectivè cum intellectu concurrere ad intellectionem. Respond. objectu formale motivum, quale est species impressa unita intellectui per modum formæ intelligibilis esse principium effectivum cognitionis; non verò objectum pure terminativum. Sola autem essentia divina ut virtualiter ab attributis, & relationibus distincta est objectum formale quo, & motivum visionis beatificæ patris; attributa verò, & relationes sunt objectum duntaxat terminativum, immò materiale, & secundarium respectu illius, formalitate intellectio- nis, & quoad subsistantiam, seu essentialiter.

considerata, licet sint formale respectu illius accidentaliter, seu ut beatitudo est. Essentia autem divina non est aliud à Patre, & sic ex hac parte nunquam verificatur, quod Pater est ab alio beatus, sicut verificatur de Filio, & Spiritu Sancto, utpote alias est Pater, alias Filius, & alias Spiritus Sanctus.

42 Sed dices: quomodo ergò verificatur id, quod saepè sibi repetit Div. Thom. nempè essentialia in divinis esse priora notionalibus? Si quidem beatitudo Patris est prædicatum essentiale, & intelligi nequit sine relationibus, ut in se existentibus saltim objectivè. Respond. quod essentialia per ordinem ad objectum primariū, & formale (quomodo considerantur methaphysicè) sunt priora notionalibus, v. g. divina intellectio, & volitio per ordinem ad divinam essentialiam; non tamen per ordinem ad objectum materiale, & secundarium, quomodo considerantur denominativè, & accidentaliter, cum & ipse personæ sint objectum secundarium divinæ intellectiois, & volitionis; Deus enim intellectio, & volitione essentiali nedum vult, & intelligit suam essentialiam, verum & Filium, & Spiritum Sanctum, immò, & creaturas. Beatitudo ergò essentialis considerata methaphysicè, seu formalitate intellectiois prior est notionalibus, non tamen considerata accidentaliter, & denominativè, quomodo consideratur ut beatitudo formaliter est.



### DUBIUM V.

*An ex cognitione omnium possibilium in Verbo sequatur comprehensio divinæ Omnipotentie.*

1 Robat D. Thom. in hoc art. 8. videntes Deum per essentiam, omnia in Deo non videre; nam alias comprehendenteretur ab intellectu creato. In presenti ergò hoc ipsum in examen vocamus, an scilicet prædicta comprehensio sequatur ex cognitione omnium possibilium? Et procedit sermo de cognitione possibilium non immediatè in se ipsis, sed in Verbo, seu Omnipotentia ipsa. An vero ex cognitione omnium possibilium extra Verbum sequatur hæc comprehensio, non determinat Div. Thom. de hoc tamen obiter dicemus infra.

2 Per cognitionem omnium possibilium intelligitur cognitio omnis entis creati, & creatibilis, sive sit ens reale, vel rationis, sive substantia, vel accidentis, sive spirituale, vel corporale, sive naturale, vel supernaturale, sive ens, vel modus entis; & uno verbo intelligi

tur cognitio omnium possibiliū, nedum quoad substantiam, sed secundum omnes illorum rationes, habitudines, & modos, secundum quæ omnia potest Deus in illis operari, sive secundum potentiam naturalem, sive secundum potentiam obedientialem, & propterea notanter D. Thom. infert, quod ille intellectus totaliter causam comprehendit, qui in causa cognoscit omnes effectus, & omnes rationes effectuum. Ex quibus etiam patet sermonem procedere non de cognitione quidditativa tantum omniū possibilium, sed de illorum cognitione comprehensiva, quia est implicatio in terminis omnia possibilia cognoscere, & ea non cognoscere secundum omnes illorum rationes, habitudines, & modos; si enim aliquid horum non cognoscitur, eo ipso non omnia possibilia cognoscuntur, cum illud etiam possibile sit. His suppositis unica est difficultas titulo dubij correspondens, unde sit.

### RESOLUTIO UNICA.

*Ex cognitione omnium possibilium in Verbo sequitur comprehensio divinæ Omnipotentie.*

3 Et contra Hugonem à Sancto Viatore, Scotum, Alensem, Durandum, Bonaventurā, & alios Antiquos. Eam tamen communiter tenent theologi tam domestici, quam extranei. Et fundatur proponendo rationem Div. Thom. & eam ad formam reducendo. Ratio Div. Thom. in hoc articulo est hujusmodi: *Sic aliqua videntur in Deo secundum quod in ipso sunt; omnia autem sunt in Deo, sicut effectus sunt virtute in sua causa; manifestum est autem, quod quanto aliqua causa perfectius videtur, tanto plures ejus effectus in ipsa videri possunt.* Et ponit exemplum in eo, qui habet intellectum elevatum, qui statim uno principio demonstrativo proposito, ex ipso multarum conclusionum cognitionem accipit, non autem qui debilitatis intellectus est: ille igitur intellectus potest in causa cognoscere omnes causæ effectus, & omnes rationes effectuum, qui causam totaliter comprehendit. Quia etiam ratione utitur in 3. contra gent. cap. 56. his verbis. *Quia quantitas virtutis attenditur secundum ea in que potest, id est cognoscere omnia, in que potest talis virtus, & comprehendere ipsam virtutem.* Hanc eadem rationem proponit loquendo de anima Christi 3. p. quest. 10. art. 2. his verbis: *Si anima Christi cognosceret omnia possibilia, comprehendenteret omnia, que Deus potest facere, quod esset comprehendere divinam virtutem; nam virtus qualibet comprehenditur per cognitionem omnium, in que potest.* Quā etiam ratione

præbet loquendo de scientia animæ Christi q. 20. de vetrate art. 3. in corp. sic: tunc *unaquæque res comprehenditur quædum ejus definitio scitur*, *definitio enim est virtus comprehendens rem, cuiuslibet autem virtutis definitio summittur ex his ad quæ virtus se extendit*. Undè si *scientia Christi sciret omnia ad quæ virtus Dei se extendit, comprehenderet omnino virtutem Dei*. Ac tandem loquendo de cognitione angelorum q. 8. de verit. art. 4. in corp. ait: *Constat quod quantum aliquis causam aliquam perfectius cognoscit, ex cognitione cause in plurimum effectuum cognitionem devenire potest, sicut ille, qui perfectius aliquod principium demonstrationis cognoscit, plures conclusiones ex eo deducere potest: si ergo aliquis intellectus ex cognitione alicuius cause, omnes effectus ejus cognoscat, oportet, quod pertingat ad perfectum modum cognitionis illius cause, & sic quod illam causam comprehendat*.

4 Ex quibus ad formam sic ratio D. Thom. reducitur: perfectius, vel imperfectius cognoscere virtutem, est eam cognoscere secundum plura, vel pauciora in quæ potest: Ergò qui virtutem cognoscit secundum omnia in quæ potest, cognoscit eam perfectissimè, & consequenter comprehensivè, utpote cognitio rei comprehensiva est illius perfectissima cognitio. Conseq. pat. & cantec. prob. definitio, & quantitas virtutis attenditur secundum ea in quæ potest: Ergò perfectius, vel imperfectius virtutem cognoscere, est eam cognoscere secundum plura, vel pauciora in quæ potest. Conseq. patet; namque secundum ea in quæ potest, non potest virtus perfectius, vel imperfectius cognosci, nisi secundum quod in plura, vel pauciora potens cognoscitur; anteced. autem est per se notum, & solum indiget explicatione terminorum; virtus namque potest dupliciter considerari, vel purè subjectivè, hoc est secundum id quod dicit actualitatis, & existentia, quatenus scilicet quædam entitas est, & hoc modo non consideratur ut formaliter virtus, quia non consideratur secundum propriam differentiam sui, sed potius secundum id in quo convenit cum alijs. Vel potest considerari eminentialiter, sive respectivè, vel connexivè, videlicet secundum ea in qua potest, & hoc modo consideratur formaliter, ut virtus est, quia consideratur secundum propriam sui differentiam. Hinc divina omnipotencia considerata purè subjectivè, & secundum id, quod dicit actualitatis, & existentia convenit cum alijs attributis: immò hoc modo est ipsa divina essentia ut in se absolute existens; ac proinde hoc modo non consideratur formaliter ut virtus & omnipotencia, est; sed duntaxat quando consideratur ut potens ad omnia, quomodo consideratur, ut

virtualiter ab essentia, & ceteris attributis distincta.

5 Hoc totum explicatur exemplo allato à D. Thom. quia perfectius, vel imperfectius cognoscere aliquod principium demonstratum est illud cognoscere secundum plures, vel pauciores conclusiones ex eo deducibiles: unde qui perfectioris est intellectus, quia perfectius cognoscit principium, illud secundum plures conclusiones ex eo deducibiles cognoscit, quam qui debilioris est intellectus, & consequenter, si illud secundum omnes conclusiones in eo contentas cognosceret, illud comprehendenteret: Ergò pariter.

6 Ex his patet, quod in causa intensior illius cognitionis, & extensior attenditur secundum idem, utpote secundum idem attenditur ejus definitio, & quantitas, nempe secundum ea in quæ potest. Extensis enim causam cognoscere, est perfectius eam cognoscere secundum illius quantitatē, & intensius eam cognoscere est perfectius eam cognoscere secundum propriā rationē, & diffinitionē: si ergo secundū idem attenditur definitio, & quantitas virtutis, secundum idem etiam debet attendi intensior illius cognitionis, & extensior. Quod explicatur exemplo quantitatis mollis; nam quia ejus ratio, & definitio attenditur secundum extensionem, unum alteri aquari in extensione quantitatis, est ei aquari in ipsa ratione formalī quantitatis: Ergò pariter quia ratio, & definitio virtutis attenditur secundum extensionem, id est secundum ea ad quæ se extendere potest, idem omnino erit, cognitionem aliquam aquari cognoscibilitativirtutis secundum extensionem, ac ei aquari secundum propriam rationem formalem virtutis, quod est ei intensivè adæquari.

7 Quod etiam fit manifestum ex terminorum explicatione: intensius namque cognoscere causam est penetrabilis, & profundius eam cognoscere: id est magis penetrare ejus eminentiam, & efficaciam, seu plus attingere de his, quæ latent in ipsa, quod est eam secundum plura in quæ potest, id est extensis cognoscere. Unde tam longe abest, quod detur extensior cognitionis causa sine intensiori illius cognitione, quod potius est eadem formaliter cognitionis, & secundum idem. Nota tamen, hanc doctrinam procedere de cognitione extensiva causa subjectivè loquendo non purè, sed connexivè ad effectus; quando vero ex hac cognitione transit intellectus ad cognitionē effectuum in se ipsis (immò non potest non ex illa ad hanc cognitionem transire, quæ dicitur cognitionis causa extensiva purè terminativè, vel objectivè) hanc cognitionem fatemur esse distinctam

à cognitione intensiva, immò & ab extensiva causæ 1. modo considerata, sive formaliter, ut in nobis, sine virtualiter, ut in angelis. Attamen quia hæc secunda cognitio fuit derivata ex prima extensiva cognitione, æquatur & commensuratur cum ipsa, ita ut quo extensor fuerit cognitio causæ 1. modo; eo extensor sit cognitio causæ 2. modo, quæ est cognitio effectu; immò quia illa cognitio fuit causa istius, illa à priori infert istam, & hæc à posteriori infert illam; & consequenter quia cognitio extensiva causæ 1. modo est eadem cum illius intensiva cognitione, sicut cognitio extensiva causæ 2. modo æquatur, & commensuratur cum illius extensiva cognitione 1. modo, etiam æquatur, & commensuratur cum illius intensiva cognitione. Unde clarissimè liquet, non dari extensioem cognitionem causæ ullo modo sine illius intensiori cognitione.

8 Et præscindendo ab eo, quod cognitio extensiva causæ, & intensiva sit eadē formaliter cognitio, hoc videtur certum, quod cognitio extensor causæ non ex alio provenire queit, quam ex illius intensiori cognitione; ex cognitione enim quidditativa, & quoad substantiam causæ provenire non potest extensor cognitio causæ, cum possit causa quidditativa, & quoad substantiam cognosci, nullo illius effectu cognito in singulari; quia cognoscere causam quidditativæ, & quoad substantiam, est eam cognoscere secundum ea, quæ in ipsa formaliter splendent, & ad summum etiam secundum effectus, quos virtualiter continet secundum rationem communem, quæ prout sic potest cognosci, nullo illius effectu cognito in singulari. Hinc D. Tho. q. 2. de veritate art. 5. in corp. ait: *Quod in cognoscendo duo sunt consideranda scilicet id quod cognoscitur, & modus cognoscendi, in quorum unum contingit quandoque aliquos convenire, qui in altero differunt. Cognoscere autem id quod per se offertur ad cognoscendum pertinet ad id quod cognoscitur; cognoscere autem unum in alio pertinet admodum cognoscendi ejus in quo cognoscitur, sicut cognoscere principium pertinet ad id quod cognoscitur; attamen cognoscere conclusiones in principio pertinet admodum cognoscendi principium. Et inde est quod eorum quibus offertur unum principium, omnes ipsam substantiam principij cognoscunt, non autem easdem conclusiones, sed in hoc differunt sicut in modo cognoscendi principium. Ubi ait Cajetanus, quod ea, quæ formaliter sunt in causa, apparent manifeste, & eo ipso offeruntur ad cognoscendum quo causa ipsa offertur, & sic non modum intensivum sed substantiam cognitionis causæ sequuntur; ea vero quæ emi-*

nenter continentur in causa, non apparent manifeste, sed latent in causa, & sic nedium secuntur substantiam cognitionis causæ, sed modum intensivum, & penetrativum illius. Ex quibus liquido constat extensorem cognitionem cause non ex quidditativa cognitione, seu quoad substantiam causæ provenire posse, sed ~~d~~untaxat ex illius intensiori cognitione.

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

9 **S**ed contra nostram resolutionē objecies 1. potest omnipotentia secundum omnia in quæ potest cognosci, quin cognoscatur quantum cognoscibilis est. Ergo & quin comprehendatur. Conseq. patet, & anteced. prob. potest omnipotentia cognosci secundum omnia in quæ potest, & cognosci minus perfecte quam cognoscatur à Deo: Ergo quin cognoscatur quantum cognoscibilis est. Conseq. patet; quia cognoscibilitas divinæ omnipotentie solum potest adæquari à divina cognitione, & sic eo ipso quod minus perfecte cognoscatur secundum omnia in quæ potest, quam cognoscatur à Deo, eo ipso non est cognitio adæquans ejus cognoscibilitatem. Antec. autem probat. stat virtutem aliquam cognosci secundum omnia in quæ potest magis perfecte ab uno cognoscente, quam ab alio: Ergo statuit omnipotentiam cognoscendi secundum omnia in quæ potest magis perfecte à Deo, quam ab alio quilibet intelligenti creato. Conseq. videtur bona, & anteced. patet, nam quilibet virtus creata secundum omnia in quæ potest magis perfecte cognoscitur à Deo, quam à supremo intelligenti creato, immò virtus angeli inferioris secundum omnia in quæ potest magis perfecte cognoscitur ab angelo superiori, quam ab ipso angelo inferiori: Ergo anteced. est verum. Immò ex hoc ipso confirmatur: namque si stat virtutem aliquam secundum omnia in quæ potest perfectius cognosci ab uno cognoscente, quam ab alio: Ergo principium D. Thom. est falsum, nempe quod quanto perfectius cognoscitur causa, tanto secundum plura in quæ potest cognoscitur.

10 Sed in primis hoc argumentum probat, nendum quod omnipotentia secundum omnia in quæ potest, possit perfectius cognosci ab uno cognoscente, quam ab alio, verum & quod possit quantum cognoscibilis est, & comprehensivè perfectius à Deo, quam ab alio inferiori intelligenti cognosci, patet; nam virtus creata nendum secundum omnia, in quæ potest, verum & quantum cognoscibilis est, & comprehensivè, perfectius cognoscitur à Deo, quam à supremo

Intelligentē creāto , & virtus angeli inferioris etiam comprehensivē perfectius cognoscitur ab angelo superiori, quam ab ipso inferiori. Unde hujus disparitas erit solutio argumenti.

11 Concedimus ergo de virtute creata , & negamus de omnipotētia , jaque virtus crea- ta est solum juxta suam naturam finitē cognoscibilis , unde ut cognoscatur quantum cognoscibilis est , quod est secundum omnia in quæ potest cognosci, solum indiget cognitione finita, qua potest dari alia perfectior , & eminentior , qualis est cognitio angeli supremi, vel Dei. At- tamē divina omnipotētia est juxta suam na- turam infinitē cognoscibilis , & sic ut cognoscatur quantum cognoscibilis est , id est secundum omnia in quæ potest, indiget cognitione infini- ta , qua non potest dari alia perfectior , & emi- nentior .

12 Etsi contra objicias , quod & si divina omnipotētia infinitē sit cognoscibilis , adhuc potest cognitione perfectiori , & eminentiori co- gnosci , ut cognoscibilis est; quia ut infinite co- gnoscatur , sūc ic̄t cognitio infinita secundum intensionem , & extensionem , qua potest dari co- gnitio perfectior , & eminentior , nempē cognitio divina , quæ est infinita , etiam secundum es- sentiam: Resp. quod in vera philosophia impos- sibile est , quod detur infinitum in actu secun- dum intensionem , & extensionem , quin detur infinitum in actu secundum essentiam , quia ad formam , & essentiam finitam , & determinatam , ex necessitate sequuntur accidentia finita , & determinata; & sic eo ipso quod daretur cognitio infinita secundum intensionem , & exten- sionem , eo ipso esset etiam infinita secundum es- sentiam , & sic æquaret divinam cognitionem; immò talis cognitio procederet ab intellectu æquanre divinum intellectum in virtute , & acti- vitate , siquidem virtus divini intellectus non potest ad plus pertingere , nisi ut infinita infinite intensive , & extensive cognoscatur. Pro quo est notandum argumentum Div. Thom. quæst. 8. de veritate art. 4. ubi argumentatur ab exemplo quantitatis mollis , sic: *Nihil alteri æquatur in extensione , quæ est secundum quantitatem mol- lem , nisi sit ei æqualis secundum eandem quanti- tatem: Ergo nihil æquatur alteri in exten- sione virtuali quantitatis nisi coæquetur ei in virtute : si ergo intellectus angeli se extende- ret ad omnia ad quæ se extendit intellectus di- vinus , intellectus divino coæquaretur in virtute , quod est impossibile*. Ita Div. Thom.

13 Secundo potest responderi distinguendo illud anteced. Sstat virtutem aliquā cognosci secundum omnia in quæ potest, magis perfe- cte ad uno cognoscēte, quam ab alio; distinguo,

ab uno cognoscēte non excedente cognoscibili- litatem virtutis cognitæ , nego ; excedente , sub disting. magis perfectè ex parte cognoscētis , conced. ex parte objecti cogniti nego , antec. & conseq. Ad comprehensionem enim requiritur quod modus cognoscētis ad equet modum cognoscibilitatis objecti , vel quod eum excedat. Unde stat objectum comprehendēti , & cognosci quantum cognoscibile est , & perfectius ab uno cognoscēte, nempē ab excedente cognoscibili- litatem illius , quam ab alio , scilicet solum adæquante illam , & sic contingit in exem- plis allatis. Unde excessus ille se tenet ex parte cognoscētis , non verò ex parte virtutis cognitæ ; namque hæc quantum cognoscibile est at- tingitur à cognoscēte adæquantè ejus cognoscibilitatem , & possitivè , ieu juxta suam natu- ram non petit perfectius cognosci , licet hoc permitat; aliter nullum objectum esset compre- hensibile , nisi ab intellectu divino. Ex hoc autē tantum sequitur , quod , dato impossibili quod divina omnipotētia secundum omnia in quæ potest cognoscēretur ab intellectu creāto , co- gnoscēretur quantum cognoscibile est , & com- prehensivē , licet non ita perfectè , sicut à Deo , quia in hoc casu excessus procederet non ex eo , quod illa juxta suam naturam , & possitivè per- fectius cognoscibile sit , quam secundum om- nia in quæ potest , sed ex eo quod virtus cognoscitiva Dei excederet cognoscibilitatem ipsius omnipotētiae. Quia tamen in veritate sistendo eam non excedit , sed solum adæquat : ideo di- vina omnipotētia secundum omnia in quæ po- test , non potest magis , vel minus perfectè co- gnosci adhuc ex parte cognoscētis ; & sic patet disparitas.

14 Per hæc etiā patet ad confirmationem , nāque principiū Div. Thom. procedit de perfe- ctiōi modo cognoscendi causam se tenente ex parte objecti , & nedum ex parte cognoscētis , quippè procedit sermo de perfectiori modo co- gnoscendi secundūm quem causa magis pene- tratur , & intensius cognoscitur. Dices : Ergo exemplum Div. Thom. nempē quod ille qui habet intellectum elevatum seu , perfectiorem cognoscit principiū secundūm plures conclu- siones deducibiles ex eo , quam qui debilioris est intellectus non tenet; siquidem stat quod excessus intellectus perfectioris , & elevati se teneat solum ex parte ipsius intellectus cognoscētis , & non ex parte objecti cogniti. Sed resp. quod D. Thom. per intellectum perfectiorem , & eleva- tum non intelligit intellectum excedentem co- gnoscibilitatem principiū contra possitivè ad in- tellectum eam adæquantem , in quo casu proce- dit objectio possita ; sed intelligit intellectum

excedentem, vel adæquantem cognoscibilitatem principij contra possitivè ad intellectum non adæquante illam, & pariter intellectum non adæquante contrapositivè ad alterum debilioris activitatis. In quo duplii casu excessus non potest solum se tenere ex parte cognoscens, sed necessariò debet se tenere ex parte objecti cogniti, ita ut perfectius, vel imperfectius principium attingere, sit illud cognoscere secundum plures, vel pauciores conclusiones ex eo deducibles.

15 Sed contra omnia prædicta videntur stare verba Div. Thom. art. 7. antecedenti, ubi cum posuisset argumentum, quod secundum Augustinum illud comprehenditur, quod ita totum videtur, ut nihil ejus lateat videntem: cum ergò Deus simplex sit, videns Dei essentiam, taliter eam videt, quod nihil ejus lateat videntem: resp. Div. Thom. non negando beatum videre omnia in Deo, neque disting. & conced. de omnibus, quæ sunt in Deo formaliter, negand. verò de his, quæ sunt in Deo virtualiter, sed resp. Quod non propter hoc Deus incomprehensibilis dicitur quasi aliquid ejus sit quod non videatur, sed quia non ita perfectè videtur, sicut visibilis est. Undè Augustinus definiendo comprehensionem dicit: quod illud comprehenditur quod ita videtur, ut nihil ejus lateat videntem, aut cuius fines circumspici, aut circumscribi possunt; tunc autem fines alicujus circumspiciuntur, quando ad finem in modo cognoscendi illam rem pervenit. Potest ergò secundum Div. Tho. Deus, & ejus omnipotentia videri secundum omnia, quæ in ea sunt formaliter, & virtualiter, & non cognosci ita perfectè, sicut cognoscibilis est, & consequenter sine comprehensione. Sed resp. quod quando Div. Thom. dicit quod non propter hoc Deus incomprehensibilis dicitur, quasi aliquid ejus sit quod non videatur, hoc non assentit concedendo omnia Dei à beato videri posse sine illius comprehensione, & quia cognoscatur quantum cognoscibilis est, sed illud tantum admittendo (ne sententia certa secundum fidem; qualis est incomprehensibilitas Dei) dependens fieret à sententia probabili, qualis est, quæ à nobis defenditur; cum plures theologi oppositum sentiant.

16 Secundo objicies: stat animam Christi in verbo cognoscere omnia, quæ Deus videt scientia visionis, & scientiam visionis Dei non comprehendere: Ergò pariter stabit videre in verbo omnia, quæ Deus potest facere, & omnipotentiam Dei non comprehendere. Conseq. videtur bona, & anteced. est Div. Thom. loco citato ex tercia parte.

17 Resp. disting. anteced. stat animam

Christi in Verbo cognoscere omnia, quæ Deus videt scientia visionis defacto, & scientiam visionis Dei non comprehendere, concedo; omnia, quæ Deus videt scientia visionis de possibili, seu quæ potest videre, nego, antec. & conseq. Per scientiam enim visionis potest Deus plus videre, quam defacto videt, sicut & potest per illam plus producere, quam defacto produxit. Et sic per cognitionem omnium, quæ defacto Deus videt scientia visionis non cognoscitur scientia visionis Dei secundum omnia in quæ potest, & sic neque comprehenditur. Sed dices: sufficit quod anima Christi in Verbo cognoscat omnia, quæ Deus videt scientia visionis defacto, ut cognoscat terminum adæquatum illius; & nihilominus eam non comprehēdit. Ergò Prob. min. Nam scientia visionis non terminatur ad possibilia, sed duntaxat ad existentia, cum in hoc solum differat à scientia simplicis intelligentiæ. Resp. 1. disting. maj. ut videat terminum illius adæquatum per se, nego; per accidens, conced. Ad probationem disting. etiam anteced. non terminatur in actu secundo ad possibilia, concedo, in actu 1. nego. Omnia enim, quæ Deus defacto videt scientia visionis sunt terminus adæquatus scientiæ visionis per accidens; quia per accidens est, quod Deus voluerit istas tantum creaturem, & non alias producere. Undè cum Deus potuerit plures alias producere, omnes etiam illæ potuerunt terminare scientiam visionis Dei, & defacto eam non terminare est per accidens; & sic omnia possibilia ad minus divisive sumpta, sunt per se terminus scientiæ visionis, utpote terminus per se alicujus virtutis attenditur penes continentiam in ea considerata in actu 1. & non penes actualem illius terminationem. Ad id autem quod additur de differentiatione scientiæ visionis à scientia simplicis intelligentiæ, resp. quod scientia visionis in actu secundo considerata differt à scientia simplicis intelligentiæ per hoc quod terminatur ad existentia, ad quæ non terminatur scientia simplicis intelligentiæ. In actu verò 1. vel non differt à scientia simplicis intelligentiæ (ut tenet probabilior sententia, & statim dicemus) vel differt ab ea in eo, quod terminatur in actu primo ad possibilia tanquam illorum causa: id est secundum quod ea potest extrahere à statu pure possibilis, & reducere ad actum existentia, quo modo non terminatur ad ea scientia simplicis intelligentiæ, sed purè contemplando quia eorum causa non est.

18 Secundo potest distingui illa major juxta quod nuper insinuavimus; sufficit quod anima Christi in Verbo cognoscat omnia, quæ defacto Deus videt scientia visionis, ut cognoscat

ter-

terminum adæquatum illius, disting. terminum adæquatum illius denominativè sumptæ , & ut visionis , est conced. terminum adæquatum illius essentialiter sumptæ , nego. Ut enim tenet probabilior sententia in traëtu de scientia Dei , divisio scientiæ divinæ in scientiam visionis , & simplicis intelligentiæ , non est divisio scientiæ divine in scientias virtualiter distinctas , sed divisio ejusdem scientiæ in diversas illius denominationes: pro ut enim terminatur ad creaturas, quantum ad earum quidditatem, & possibilitem dicitur scientia simplicis intelligentiæ , & secundum quod terminatur ad illas quantum ad earum existentiam, vel futuritionem dicitur scientia visionis. Vel alijs terminis; ipsa divina scientia ut causa in actu primo creaturarum, quod habet prout præintelligitur ante decretum est scientia simplicis intelligentiæ , & prout causa earum in actu secundo, quod habet ex adjuncto decreto est scientia visionis. Patet autem, eandem essentialiter esse causam , quæ est causativa in actu 1. & in actu 2. & eandem esse essentialiter notitiam objecti, sive objectum existat, sive non, licet diversam denominationem subinduat uno ac altero modo. Sic ergo omnia existentia sunt objectum, & terminus adæquatus scientiæ visionis; quatenus subest denominationi visionis, non tamen essentialiter sumptæ , sed prout sic terminus illius adæquatus sunt omnia possibilia. Dices tamen: Ergo ad minus anima Christi cognoscit omnia, quæ ad objectum, & terminum adæquatum scientiæ visionis Dei pertinet denominativè sumptæ , & prout visionis est; & tamen adhuc sic scientiam visionis Dei non comprehendit: Ergo. Resp. conced. maj. & minorem , & negand. conseq. quia ad comprehensionem scientiæ necessæ erat cognoscere terminum adæquatum illius absolute , & simpliciter considerata , & nendum terminum adæquatum illius sub hac, vel illa denominatione, seu terminatione.

15 Sed contra omnia prædicta videntur stare verba Div. Thom. loco citato ex 3.p. ubi cum posuisset argumentum , quod quantitas scientiæ attenditur secundum numerū scibilij; si Ergo anima Christi scitet in Verbo omnia quæ fit Verbum, sequeretur, quod scientia animæ Christi æquaretur scientiæ divinæ , respondet: Quod quantitas scientiæ non solum attenditur secundum numerum scibilium , sed etiam secundum claritatem cognitionis; quamvis ergo scientia animæ Christi , quam habet in Verbo pararetur scientiæ visionis, quam habet Deus in seipso, quantum ad numerum scibilium ; scientia tamen Dei excedit in infinitum, quantum ad claritatem cognitionis scientiam animæ Christi.

sci, quia lumen increatum divini intellectus in infinitum excedit lumen creatum quocumque receptum in anima Christi. Ergo secundum D. Thom. stat scientiam animæ Christi adæquari scientiæ visionis Dei absolute loquendo , quantum ad numerum scibilium, & quod scientia visionis Dei excedat in infinitum scientiam animæ Christi quantum ad claritatem cognitionis: à simili. Ergo. Resp. disting. conseq. excessu se tenente ex parte cognoscentis , concedo; ex parte objecti cogniti , nego. Dupliciter enim , ut diximus, potest una scientia alteram excedere, & excessu se tenente ex parte objecti secundum quod per unam scientiam plura attinguntur, quam per aliam; & excessu se tenente ex parte cognoscentis, secundum quod eadem perfectius ab uno cogoscuntur, quam ab alio. Duplex ergo solutio traditur à Div. Thom. juxta hunc duplicem excessum; prima est relata in argumēto, & hæc procedit de excessu scientiæ divinæ ad scientiam animæ Christi , quantum est ex parte cognoscentis , ac si diceret: dato impossibili quod scientia animæ Christi adæquat scientiam divinam, quantum est ex parte objecti, nempe secundum numerum scibilium, non tamen eam adæquat quantum est ex parte cognoscentis, seu quantum ad claritatem cognitionis, quia lumen increatum divini intellectus in infinitum excedit lumen creatum quocumque. Et sic quantum est ex parte cognoscentis scientia divina in infinitum excedit scientiam animæ Christi. Secunda vero solutio est, quod absolute loquendo scientia divina excedit scientiam animæ Christi, non solum quantum ad modum cognoscentis , sed etiam quantum ad numerum scitorum, ut jam explicavimus , & hæc solutio procedit de excessu scientiæ divinæ ad scientiam animæ Christi , quantum est ex parte objecti , quæ est nostra solutio.

20 Alia dupli via potest arguendo à principio responderi , vel dicendo, quod Christus Dominus in Verbo cognoscit omnia possitiva , quæ Deus videt scientia visionis , id est terminum illius adæquatum possitivum; non tamen cognoscit terminum illius adæquatum negativum; quia non cognoscit omnia decreta negativa, quibus Deus decretiv non producere infinitas creaturas, quas potuit producere, & sic non mirum, quod scientiam visionis Dei non comprehendat; quia ad hoc oporteret, eam secundum omnia ad quæ se extendit, cognoscere, sive possitiva, sive negativa , quæ non cognoscit Christus, quippe solum cognoscit ea, quæ pertinent ad suum statum. Vel dicendo quod licet anima Christi cognoscat omnia, quæ Deus videt scientia visionis, non tamen in ipsa scientia

visionis, seu ex vi cognitionis, seu penetrationis illius, sed prout in Verbo, & sic non comprehendit scientiam visionis Dei; sicut neque comprehenderet Omnipotentiā, qui non cognosceret omnia possibilia in ipsa Omnipotentia, seu ex vi cognitionis, & penetrationis illius; quæ solutio fuit mihi tradita in Pintiano Gymnasio à Reverendissimo Bayona.

21 Tertio objicies: stat terminum adæquatum potentia generativa Patris cognosci, & eam non comprehendendi: ergo à simili. Conseq. videtur bona, & anteced. prob. namque terminus adæquatus potentia generativa Patris est Verbum; sed hoc cognoscitur ab omnibus beatis, cum tamen non comprehendant potentiam generativam Patris; hæc enim non minus incomprehensibilis est, quam ipsa divina Omnipotentia: Ergo.

22 Sed in primis liquet, quod ad comprehensionem potentia, seu virtutis non sufficit cognoscere illius terminum adæquatum, sed ultra est necesse, quod eum cognoscatur in virtute ipsa, seu potentia, seu ex vi cognitionis, & penetrationis illius, ut nuper diximus ad præcedens argumentum. Sic autem non cognoscitur Verbum à beatis, nempe in ipsa potentia generativa patris, & ex illius cognitione, & penetratione, sed immedia- tè in se ipso, cum potius Uerbum sit ratio cognoscendi omnia, quæ beatus cognoscit. Deinde etiam patet, quod ad cognitionem comprehensionivam causę, vel potentia non sufficit cognoscere terminum adæquatum illius quoad substantiam, & quidditatē, sed insuper, quod cognoscatur comprehensive, scilicet secundum omnes illius modos, rationes, & habitudines; non autem sic Verbum cognoscitur à beatis, ut constat, quia Verbum nedium est imago expressa Patris, sed etiam est idæa, & exemplar omnium creaturarum; beatus autem videns Verbum, non eum sic videt; & sic quid mirum, si eum non comprehendit. In nostro tamen casu non potest, Omnipotentia cognosci secundum omnia in quæ potest, quin cognoscatur terminus illius adæquatus, nedium quidditatē, sed etiam comprehensionivè, ut initio dubij notavimus. Tandem potest arguento responderi, quod ad comprehensionem alicujus potentia requiritur cognoscere terminum adæquatum illius, tam secundum id, quod dicit in recto, quam secundum id, quod dicit in obliquo; potentia autem generativa Patris in recto dicit diuinum intellectum, in obliquo vero relationem Paternitatis. Verbum vero est terminus adæquatus potentia generativa Patris solum quantum ad id, quod dicit in obliquo, scilicet quan-

tum ad modificationem divini intellectus per Paternitatem, seu quatenus est in Patre, non verò quantum ad id, quod dicit in recto, nempe quantum ad ipsum intellectum in se, namque hujus objectum adæquatum nendum est Verbum, sed essentia divina, & omnes personæ, omnesque creature possibles, quæ omnia à beato non cognoscuntur.

23 Sed contra hanc solutionem objicies. Ergo qui in Omnipotentia, & ex vi cognitionis illius videt omnes creature possibles, adhuc non videt terminum adæquatum; quia restat videre terminum illius secundum id, quod importat in obliquo, nimirum, ut modificata per Paternitatem, qui terminus est Verbum. Præterea: Ergo beatus videns Verbum, cognoscit adminus terminum adæquatum potentia generativa Patris secundum id, quod dicit in obliquo, id est secundum relationem Paternitatis, & tamen adhuc non comprehendit ipsam relationem Paternitatis: Ergo.

24 Ad primum respondeo, quod in praesenti loquimur de cognitione omnium creaturearum in Verbo, quo in casu nequit Verbum non cognosci. Immò loquimur de cognitione omnium possibilium, in omnipotentia cognita intuitivè; intuitive autem non potest Omnipotentia cognosci, quin totus Deus cognoscatur. Præterquamquod illa modificatio Paternitatis, quam addit potentia generativa Patris super Omnipotentiam, sufficit ut illa dicatur proprietas personalis Patris, & hæc attributum Dei, in praesenti autem procedit sermo de Omnipotentia, quatenus attributum Dei, & commune reti Trinitati, quod habet in quantum constituit Deum creatorem; ut sic autem solum respicit creature. Ad secundam replicam dico, quod cognoscit terminum adæquatum Paternitatis secundum id, quod explicat relatio Paternitatis, non verò secundum id, quod implicat, quia implicat essentiam, & cetera attributa, consequenterque implicat Omnipotentiam, cuius terminus adæquatus à beato non cognoscitur, & propterea relatio Paternitatis non comprehenditur, ad comprehensionem enim requiritur, quod cognoscatur secundum omnia, quæ continent tam formaliter, quam virtualiter, tam explicitè, quam implicitè, immò propterea non potest aliquod prædicatum Dei comprehendendi, quin totus Deus comprehendatur, quia quilibet prædicatum Dei est totus Deus.

25 Quarto objicies: Omnipotentia in quantum est causa hominis respicit pro termino adæquato hominem; & tamen cognito homine adæquate, & comprehensionivè, non comprehenditur Omnipotentia, adhuc in quantum est causa hominis

minis: Ergò à simili. Resp. disting. majorem, ly in quantum reduplicante rationem formalem causæ, nego maiorem; reduplicante respectum rationis, quem nos formamus in divina Omnipotentia ad hominem, quatenus est causa illius, concedo. Et disting. min. eisdem terminis: non comprehenditur Omnipotentia in quantum est causa hominis, ly in quantum reduplicante rationem formalem causæ, concedo; reduplicante respectum rationis, nego minorē, & conseq. Divina enim Omnipotentia sub una, & eadem ratione formalī indivisiibili fine distinctione adhuc virtuali, est omnium causa, & sic reduplicata ratione formalī, in quantum est causa hominis est causa omnium, consequenterque terminus adæquatus illius prout sic non est solus homo, sed omnia possibilia, licet reduplicato respectu solus homo sit illius terminus adæquatus. Ex quo duntaxat sequitur, quod cognito adæquate, & comprehensivè homine in divina Omnipotentia, comprehendatur hæc secundum illum respectum, quod libenter admittimus, quia nullum sequitur inconveniens.

26 Per hoc patet ad aliud simile argumentum de essentia divina in quantum est idea hominis, quæ prout sic respicit pro termino adæquato hominem, & cognito homine non comprehenditur. Pater inquam, namque homo solum est terminus adæquatus essentiæ divinae, ut est idea hominis, sumpta idea relativè, seu secundum respectum rationis, quem, ut idea hominis dicit ad ipsius hominem, quatenus per respectus ideales multiplicantur ideas in essentiæ divina. Non verò sumpta absolute, & fundamentaliter, quia ut sic una essentia divina est formaliter idea omnium creaturarum etiam possibilium, quatenus una, & eadem diversimode participatur, seu est participabilis ab omnibus.

27 Objicies 5. cognitio omnium possibilium in divina Omnipotentia non adæquaret divinam cognitionem etiam extensive: Ergò neque Omnipotentia cognoscibilitatem. Conseq. patet, & anteced. prob. divina namque cognitio nedum terminatur ad possibilia, verum etiā ad impossibilia: Ergò sola cognitio omnium possibilium in divina Omnipotentia non adæquaret cognitionem divinam. Confirmatur, & explicatur: divina Omnipotentia nedum connectitur cum omnibus possibilibus, verum, & cum omnibus impossibilibus; idèo enim connectitur cum omnibus possibilibus, quia si aliquod possibile redderetur impossibile, non maneret divina Omnipotentia ad minus ejusdem rationis ac defacto est; sed etiam casu quod aliqua creatura impossibilis redderetur possibilis,

non maneret divina Omnipotentia saltem ejusdem rationis ac defacto est: Ergò divina Omnipotentia æquè connectitur cum omnibus impossibilibus, sicut, & cum omnibus possibilibus: cognita ergò solum secundum omnia possibilia, non cognosceretur quantum cognoscibilis est, & sic neque comprehensivè.

28 Ad argumentum respond. negand. anteced. ad ejus probationem disting. anteced. verum etiam ad impossibilia ratione propriæ cognoscibilitatis, nego; ad impossibilia ratione possibilium, concedo. Et disting. consequens si posset stare cognitio omnium possibilium in Omnipotentia sine cognitione omnium impossibilium ratione possibilium, conced. si non posset stare nego. Dico ergò, quod impossibilia ratione sui non possunt terminare cognitionem, ut potè in se, & ratione sui non sunt cognoscibilia; quia unumquodque est cognoscibile in quantum ens, & impossibilia potius dicunt repugnantiam ad esendum. Cognoscuntur ergò solum ratione possibilium, sicut & mala cognoscuntur per bona, & negationes, sicut & privationes per formas oppositas, quæ est doctrina Div. Thom. infra quest. 14. art. 9. & 10. Unde cognoscere omnia impossibilia non est aliud, quam cognoscere omnia possibilia secundum repugnantiam, quam habent inter se, ut ad unius compositionem confluant, ut cognoscere hoc impossibile, Leo Draco, non est aliud quam cognoscere Leonem, & Draconem secundum repugnantiam, quam habent, ut componant aliquid tertium, namque ex hoc ipso cognoscitur, leonem draconem esse impossibile. Cum ergò cognitis omnibus possibilibus comprehensive, & secundum omnes modos, rationes, & habitudines in Omnipotentia, non possint non cognosci secundum repugnantiam, quam habent inter se, ut ad unius compositionem confluant, consequenter illis cognitis non possint latere, & ignorari omnia impossibilia, sed ratione illorum debent necessario cognosci. Præterquamquod poterat dici, quod ut divina Omnipotentia comprehendatur, sufficit cognitio omnium, quæ in ea tam formaliter, quam virtualiter continentur, neque divina cognitio est comprehensive divinæ Omnipotentie per hoc quod impossibilia cognoscit. Quia tamen cognitio comprehensive divinæ Omnipotentie non potest non esse infinita, & infinita cognitio non possit non ad impossibilia terminari, consequenter arguitive ex cognitione omnium possibilium in divina Omnipotentia infertur etiam cognitio omnium impossibilium, & consequenter quod adæquaret divinam cognitionem.

29 Ad confirmationem dico illam connec-

xionem esse arguitivam, & logicam ratione possibilium, non verò metaphysicam, seu theologicam ratione continentia. Quia enim connectitur cum omnibus possibilibus, infertur cetera ab his esse impossibilia, ac proinde si aliqua creatura ex impossibilibus redderetur possibilis, eo ipso non esset connexa cum omnibus possibilibus, & sic non maneret Omnipotentia ejusdem rationis ac modo est, ut dicemus in tractatu de Trinitate. Ex hoc tamen solum sequitur, quod non cognoscatur Omnipotentia, ut cognoscibilis est, si non cognoscantur impossibilia absolutè, & ratione possibilium, non tamen si non cognoscantur in divina Omnipotentia; quia ad hoc oportet, Omnipotentiam cum eis connecti connexione continentia, sicut connectitur cum possibilibus. Unde ad aliud, quod ideo connectitur cum possibilibus, quia si aliqua creatura possibilis redderetur impossibilis, non maneret divina Omnipotentia, est distinguendum, & concedo de causalitate logica, & aposteriori; non verò metaphysica, & à priori, quia hac est continentia.

30 Objicies sexto supponendo quod, quia Christus Dominus in Deo omnia futura cognoscit, & ejus voluntas non potest non conformari divina voluntati, sicut Deus omnia futura amat, ita omnia futura amat Christus. Et supponendo, Deum non amare creature possibles. Sic arguitur: stat Christum Dominum amare Deum, & in eo omnia quæ Deus amat, & non amare Deum quantum amabilis est: Ergò stabit pariter Christum cognoscere Deum, & in eo, omnia quæ Deus cognoscit, & Deum non cognoscere quantum cognoscibilis est. Anteced. patet ex illo duplice supposito, & conseq. videtur bona apartitatem.

31 Sed disparitas constat clare ex eo quod divina bonitas non est ratio amandi necessario creature, sed solum libere propter rationem Div. Thom. infra quæst. 19. art. 3. *Quia divina bonitas comparatur ad creature, ut finis ad media; finis autem non est ratio amandi media necessario, nisi quando eis indiget, & sine eis subsistere non potest; bonitas autem divina potest perfectè subsistere sine creaturis, cum ex creaturis nihil ei perfectionis accrescat.* Et sic non est ratio amandi creature necessario, sed libere. Cum ergò non sit ratio amandi creature necessario, sed libere, neque perfectior Dei amor infert necessario amorem plurium creaturearum in Deo; unde potuit Deus se ipsum perfectissime amare sine amore alicujus creature. Cum ergò perfectior Dei amor non inferat necessario amorem plurium creaturearum, neque amor plurium creaturearum infertur necessario

examore perfectiori Dei, & consequenter neque amor omnium: quæ Deus amat infertur ex amore Dei, quantum amabilis est, propterea neque stare potest sine illo. Attamen divina Omnipotentia non est ratio cognoscendi in Deo creature libere, sed necessario, quia necessario cum eis connectitur, & perfectissime cognita, qualiter à Deo cognoscitur, necessario dicit in cognitionem omnium possibilium: unde ex cognitione omnium possibilium Verbum procedit. Ergo, & perfectius Omnipotentiam cognoscere, infert necessario cognitionem illius secundum plures creature, ac tandem cognitionem illius secundum omnes creature necessario infertur ex illius cognitione perfectissima, & comprehensiva.

32 Objicies septimo: omnia quæ sunt formaliter in Deo possunt à beato cognosci, immo defacto cognoscuntur absque illius comprehensione: Ergo multo melius omnia, quæ sunt eminenter in Deo. Prob. conseq. Quia majora sunt, & Deo pro priora, & difficilioris cognitionis, quæ sunt in Deo formaliter, utpote divina, quæ ea, quæ in illo sunt solum eminenter utpote creata. Confirmatur: ea quæ sunt formaliter in Deo, sunt ratio continendi creature eminentes; sed quando duo uni convenient ordinate, si ex cognitione primi non infertur comprehensio, neque ex cognitione secundi: Ergo.

33 Ad argumentum patet responsio ex verbis Div. Thom. quæst. 20. de veritate art. 5. allatis ad stabiliendam nostram conclusionem. Concedimus ergò anteced. & negamus conseq. namque omnia, quæ sunt formaliter in Deo, quia apparent manifeste, & eo ipso ac Deus offerunt ad cognoscendum, ipsa etiam offeruntur, pertinent ad id, quod cognoscitur, & sequuntur substantiam cognitionis Dei, seu quidditativam illius cognitionem, & propterea ex illorum cognitione non sequitur Dei comprehensio, sicut neque ex cognitione principij secundum ea omnia, quæ in ipso formaliter sunt. Attamen ea, quæ eminenter sunt in Deo, quia latent in Deo, & non eo ipso offeruntur ad cognoscendum, ac Deus ipse offeruntur, pertinent admodum cognoscendi Deum, & sequuntur modum intensivum, & penetrativum cognitionis illius. Et propterea ex cognitione illius secundum omnia in quæ potest, non potest non sequi illius comprehensio; sicut & principium non potest non comprehendendi, si secundum omnes conclusiones ex eo deducibile cognoscatur.

34 Ad probationem contra hoc respondeatur ex doctrina Div. Thom. hic ad tertium, ubi cum posuisset argumentum, quod qui intelligit id quod est maius potest intelligere minimus; sed omnia

omnia, quæ potest Deus facere sunt minus quam ejus essentia: Ergo quicunque intelligit Deum, potest intelligere quæcunque facere potest. Respond. Quod licet maius sit videre Deum, quam omnia alia, tamen maius est videre sic Deum, quod omnia in eo cognoscantur, quam videre sic ipsum quod non omnia, sed pauciora, vel plura cognoscantur. Et subdit ratione juxta dicta: *Quia multitudine cognitorum in Deo sequitur modum videndi ipsum, vel magis perfectum, vel minus perfectum.* Ex quibus ad probationem concedimus anteced. ea parte, qua asserit ea, quæ in Deo sunt formaliter majora esse, & Dei pro priora. Et illud distinguimus quoad aliam partem, & difficilioris cognitionis, quam ea, quæ in illo sunt solum eminenter: unde si cognoscantur prout in se ipsis, concedo, si prout in Deo, nego.

35 Sed dices: Attributa divina nedum sequuntur substantiam cognitionis Dei, sed etiam modum intensivum, & penetrativum illius: Ergo si hoc non obstante, possunt omnia attributa cognosci quin Deus comprehendatur, similiiter in nostro casu. Conseq. videtur bona juxta nostram disparitatem, & anteced. prob. unum namque cognoscere in alio tanquam in causa pertinet ad modum cognoscendi causam, & non ob aliam rationem cognitionis eorum, quæ eminenter continentur in Deo pertinent ad modum cognoscendi Deum secundum D. Thom. at attributa divina cognoscuntur à beato in divina essentia tanquam in causa virtuali illius: Ergo. Resp. neg. anteced. ad probationem disting. maj. unum cognoscere in alio tanquam in causa, in qua latet, & solum virtualiter, & in potentia continetur, concedo; in qua manifestè appetit, & formaliter actu continetur, quia est causa per modum actus, puri, nego; & disting. min. eisdem terminis, & nego consequentiam.

36 Secundo potest argumento à principio responderi, quod omnia, quæ sunt formaliter in Deo possunt à beato cognosci quidditativa sine illius comprehensione, non tamen comprehensivè. Ex quo solum sequitur, quod non comprehendetur Deus ex sola cognitione quidditativa omnium possibilium, benè tamè ex illorum cognitione comprehensiva. Et cum repugnet cognitione quidditativa omnium possibilium, sed necessario debet esse comprehensiva, ideo non stat illorum omnium cognitione sine comprehensione Dei. Neque valet possibilem esse cognitionem pure quidditativam omnium possibilium, si semel possibilis est cognitione pure quidditativa omnium attributorum. Patet namque disparitas, quippe attributa cognosci comprehensivè est cognosci secundum omnia, quæ in illis eminenter continentur, patet autem posse quidditativè, & prout in se cognosci non cognitis

omnibus eminenter in illis contentis. Attamen omnia possibilia comprehendendi est ea secundum omnes modos, rationes, & habitudines cognosci; non possunt autem omnia possibilia cognosci, quin omnes illorum modi, rationes, & habitudines cognoscantur, ut in principio dubi notavimus: Ergo.

37 Ad confirmationem à principio positam respondetur conced. major, & disting. minor. duplicitè: primo juxta primam solutionem: Si ex cognitione primi non infertur comprehensio, neque ex cognitione secundi prout in se concedo, prout in primo, nego; nam cognoscere sic secundum maius est, quam cognoscere primum, ita ut in eo non videatur secundum, ut loquitur Div. Thom. Secundo potest distingui juxta secundam solutionem: si ergo cognitione quidditativa primi non infertur comprehensio, neque ex cognitione secundi, nego; quia hæc semper est comprehensiva, si ex cognitione comprehensiva primi non infertur comprehensio, neque ex cognitione secundi, concedo. Sequitur tamen Dei comprehensio si omnia, quæ in eo sunt formaliter, comprehensivè cognoscuntur.

38 Objices octavo, & est replica contra præcedentem solutionem: si possunt omnia, quæ sunt in Deo formaliter cognosci sine illius comprehensione, possunt etiam omnia possibilia in Deo cognosci sine illius comprehensione: Ergo. Probatur anteced. unum ex prædictis formalibus, quæ sunt in Deo, est infinita continentia, & connexio cum omnibus creaturis possibilibus: Ergo si possunt omnia, quæ sunt in Deo formaliter cognosci, quin Deus comprehendatur, poterit etiam in Deo cognosci illius infinita continentia, & connexio cum omnibus possibilibus, quin Deus comprehendatur; non potest cognosci prædicta continentia, & connexio non cognitis omnibus possibilibus: Ergo patiter poterunt omnia possibilia cognosci, quin Deus comprehendatur.

39 Respondetur distinguendo hanc minorem: non potest cognosci infinita Dei continentia, & connexio cum omnibus possibilibus, non cognitis omnibus possibilibus in confusione, & secundum rationem communem concedo; prout inter se distinguuntur, scilicet secundum proprias rationes particulares, nego. Sicut enim visa essentia statim appetit, & se offert cognoscenda divina Omnipotentia, ita etiam statim appetit, & se offert cognoscenda infinita illius continentia, id est, ut infinita infinite continens; ac proinde statim etiam apparent cognoscenda omnia, & infinita possibilia esse contenta sub divina Omnipotenti.

potentia. Quæ est cognitio omnium possibilium in confuso, & secundum rationem communem, unde hæc cognitio ad substantiam cognitionis divinae continentiae pertinet, seu ad illius quidditativam cognitionem. Non tamen statim apparent, & se offerunt cognoscenda, ut distincta, & secundum proprias rationes particulares, id est, quæ sunt ita infinita possibilia, ut patet in exemplo principij, & cuiuslibet virtutis, ad hoc enim non sufficit cognitione. Dei quoad substantiam, & quidditativam, sed est necessaria maxima illius penetratio, & comprehensio, quia prout sic omnia possibilia maxime latent, unde omnia prout sic cognoscere, pertinet admodum cognitionis.

40. Sed objicies contra: ideo non potest cognitioni infinita Dei continentia, & connexionio cum omnibus possibilibus, quin omnia possibilia cognoscantur secundum rationem communem, quia continentia, & connexionio non potest cognosci, non cognito termino contento, & conexo; at terminus illius continentiae, & connexionis nedium sunt omnia possibilia sub ratione communis, sed etiam secundum proprias rationes, alter Deus non cognosceret alia à se propria cognitione, quia solum ea cognoscit in essentia sua, quomodo in ea continentur: immò sic eas causat quomodo continet, eas autē causat secundum proprias rationes particulares: immò nec Deus esset summe, & infinite perfectus, siquidē creature etiā prout inter se differunt, dicunt perfectionem, & prout sic non continerentur in Deo. Itē rationis in communis sub qua à Deo causantur, & in divina essentia continentur, non est aliqua ratio objectivè à differentijs inferiorum praescindens, sed potius transcendens omnium illorum differentias: ac tandem si creature secundum proprias illarum differentias non continerentur in divina essentia, vel Omnipotencia posset hæc comprehendendi non cognitis possibilibus secundum proprias illarum rationes particulares, quia ad comprehensionem virtutis sufficit, quod cognoscatur secundum omnes effectus, quos continet, eo modo quo in illa continentur, unde quia in potentia visiva, vel intellectiva creata continentur omnes illarum visiones, vel intellectiones solum sub ratione communis, potest comprehendendi non cognitis omnibus illis in particulari, & distincte: Ergo.

41. Hinc impugnata manet solutio Oxomensis afferentis, ideo non posse cognosci divina connexionem, seu continentiam, quin omnia possibilia cognoscatur secundum rationem communem, quia prout sic solum sunt terminus formalis qui secundum verò rationes particulares sunt solum terminus materialis: & ad quidditativam cognitionem virtutis sufficit cognitione termini formalis,

licet ad comprehensivam requiratur etiam cognitione termini materialis. Manet inquit impugnata, ut patet. Unde melius respondetur ex dictis disting. maj. ideo præcisile, nego; & quia visa divina continentia, & connexionio statim apparent, & se offerunt cognoscenda omnia possibilia in confuso, & in communis concedo. Et disting. minor. nedium sunt omnia possibilia secundum rationem communem, sed etiam secundum proprias rationes, secundum quas maxime latent, & non apparent manifeste visa divina continentia, concedo, aliter nego. Fatemur enim, quod terminus divini continentiae non solum sunt possibilia omnia secundum rationem communem, verum etiam secundum proprias rationes particulares; attamen quia secundum rationes particulares maxime latent in divina continentia, secundum rationem autem communem, seu in confuso statim manifeste apparent in ea, ideo illorum cognitione in confuso, & secundum rationem communem pertinent ab substantialem, & quidditativam cognitionem divina continentiae, unde divina continentia quidditativè sine illis prout sic non valet cognosci. Non tamen pertinet ad substantialem, & quidditativam cognitionem divina continentiae, illorum cognitione secundum proprias rationes, sed sicut prout sic maxime latent in ea, pertinet solum ad illius maximum penetrationem, seu comprehensionem.

42. Sed ut radicatus hoc ipsum explicitetur dices: possibilia in divina Omnipotencia via à beato apparent quatenus in ea continentur: Ergo si in ea continentur secundum proprias rationes, & nedium secundum rationem communem, debent etiam in ea apparere nedium secundum rationem communem, verum & secundum proprias rationes. Confirmatur divina Omnipotencia secundum se, & quantum est ex se omnia possibilia æque immediate representant, & continent etiam secundum proprias rationes particulares: Ergo semel objecta intellectui beati, non potest non sic apparere, si semel appetit ut continens, & representans omnia possibilia.

43. Pro hujus intelligentia est notanda doctrina D. Thom. q. 8. de verit. art. 4. in corp. ubi refert sententiam aliquorum dicentium, quod animæ beatorum videndo essentiam Dei, neesse est ut omnia cognoscatur, sicut qui videt speculum, videt omnia, quæ in speculo relucent. Et ait D. Thom. hæc dictis Sanctorū repugnare, & ideo dicendum quod res non sunt in essentia divina sicut actu distincte, sed magis in ea omnia sunt unum, per modum quo multi effectus continentur in una causa; imagines autem in speculo resultantes sunt ibi in actu distincte. Ex quibus responderetur, quod licet essentia divina omnia possibilia

contineat secundum proprias rationes particulares, quia tamen ea continet cum omnimoda unitate, & simplicitate, & absque aliqua distinctione ex parte sui tota distinctione se tenente ex parte rei contentæ, propterea licet in ea visa appareant, quatenus in ea continentur, non statim apparent secundum proprias rationes, & prout inter se distincta, sed solum in confuso, & prout unum, seu secundum rationem communem. Hinc tota æquivocatio adversariorum stat in eo, quod quia in divina essentia continentur possibilia omnia secundum proprias rationes particulares, illis videtur ea omnia in divina Omnipotentia relucere ad modum quo resileunt in speculo, quæ per eum representantur. Quod non ita contingit, quia in speculo relucet res cù distinctione nedum ex parte rei representante, verum & ex parte representantis, quia in eo sunt imagines in actu distinctæ:

44. Per hanc patet ad confirmationem, quod licet essentia divina omnia possibilia æque immediate secundum se, & quantum est ex se representet secundum proprias rationes, quia tamen ea representat cum omnimoda unitate ex parte sui, non est necesse, ut objecta intellectui beati, sic secundum omnia ea appareat, nisi solum respectu intellectus eam comprehendentis. Pro quo etiam nota doctrinam D. Thoma eodem art. 4. ubi cum posuisset argumentum, quod uniuscuiusque visus videt illud, cuius similitudo est apud ipsum; sed essentia divina, quæ est similitudo omnium, intellectui angelico conjungitur, ut forma intelligibilis: Ergo angelus videns Deum per essentiam, videt omnia: responderet Div. Thom. *Quod ratio illa procedit quando visus similitudini conjungitur secundum posse totum similitudinis; tunc enim necesse est, ut visus cognoscat esse id ad quod similitudo visus se extendit: Sio autem intellectus creatus non conjungitur divina essentia, & ideo non sequitur;* & cetera. Hoc ipsum repetit ad 3. nemp: *Quod hoc quod angelus videns Deum, non videat omnia, non contingit ex defectu medijs, sed ex defectu intellectus ipsius, qui non unitur essentiae divinae secundum totum posse ejus.* Et ad 8. explicat illud Gregorij: *quid est quod non videant, qui videntem omnia vident, dicendo, quod loquitur tantum, quantum ad sufficientiam medijs, quia ipsa essentia divina est sufficiens medium demonstrationis rerum omnium.* Unde per hoc vult habere, quod non est in ipsa; si ea visa; omnia non cognoscantur, sed solù ex defectu intellectus eam non comprehendentis. Ex quibus patet, quod licet essentia divina omnia possibilia representet, quantum est ex se secundum proprias rationes, quia tamen ea representat cum omnimoda

unitate ex parte sui, non eo ipso intellectui cui unitur, unitur secundum totum posse representationis, sed unitur secundum plis, vel minus representationis juxta quantitatem luminis plus, vel minus intensi, magis scilicet, vel minus eam penetrantis; unde secundum totum posse representationis non unitur, nisi intellectui eam comprehendenti.

45. Aliter huic argumento à principio respondet quidam Sapientissimus Magister in suis manuscriptis, notando hoc argumentum semper esse molestem propter nostrum imperfectionum concipiendi; quatenus divinam continentiam, & connexionem cum possibilibus concepimus, ut relativam, formando scilicet relationem rationis Dei ad creaturas, & cum diversis conceptibus cognoscamus Omnipotentiam, ut continentem hanc, & illam creaturam, formans distinctionem rationis inter unam, & alteram continentiam. Et quia relatio non potest cognosci, non cognito termino, neque distinctione relationum non cognita distinctione terminorum suorum, ideo nobis videtur, quod beatus non potest videre in Deo connexionem, & continentiam creaturarum in particulari, non cognitis creaturis in particulari. Sed corrigenda est apprehensio, ne aliquid imperfectionis Deo attribuamus, nam in Deo continentia creaturarum, & connexionem cum ipsis etiam in singulari, est ens omnino absolutum, & omnino absolutum, & omnino independens à creaturis; cum autem ens omnino absolutum, & independens ab alio in esse, sit etiam ab alio independens in cognosci, consequenter continentia, & connexionem creaturarum in particulari, si videatur prout in se, & quidditativè potest cognosci non cognitis creaturis. Et addit, quod possibilia in communi cognosci, cognita Omnipotentia, non provenit ex eo, quod Omnipotentia non sit cognoscibilis quantum est ex se; non cognitis possibilibus in communione, sed provenit ex facilitate discursus objectivi. Quæ facilitas non adest in ordine ad cognitionem creaturarum in particulari. Etsi objicias ex hac solutione sequi, quod adhuc penetrata, & comprehensa divina Omnipotentia, non cognoscatur in ea creaturæ, quia adhuc prout sic est omnino absoluta. Respondet, quod licet penetrata sit omnino absoluta, hoc tamen ipso, quod penetratur, cognoscitur, ut medium applicatum ad causandum cognitionem creaturarum, sicut penetrato principio intellectus, necessario cognoget conclusionem; unde intellectus posito assensu præmissarum necessitatur ad assensum conclusionis. Per cognitionem autem quidditativam non cognoscitur divi-

na Omnipotentia ; ut medium applicatum , & sic non est pars ratio . Etsi adhuc inquiras cur cognitio penetrativa necessario ducat in cognitionem creaturarum , si per penetrationem Omnipotentiae nihil ex parte ipsius cognoscitur , quod non cognoscatur per cognitionem quidditativam : responderet ideo esse , quia per cognitionem quidditativam attingitur essentia , & divina Omnipotentia signata , & ut quod , non verò exercite , & ut quo , quatenus est medium , & ratio cognoscendi creaturas ; per cognitionem verò penetrativam attingitur essentia divina non solum ut quod , sed etiam exercite , & ut quo tanquam medium manifestativum creaturarum . Unde quod haec ducat in cognitionem creaturarum non provenit ex eo quod aliquid per cognitionem penetrativam cognoscatur ex parte objecti primarij , quod non cognoscatur per quidditativam , sed ex perfectiori modo cognoscendi illud modo explicato , quod videre est in principio penetrato , vel quidditativè cognito .

46 Hæc solutio licet tanti Magistri à nobis relinquatur , quia difficile percipitur , Omnipotentiam , ejusque continentiam , & connexionem , ita esse absolutam , ut cognosci queat , non cognito termino . Nec nos divinam Omnipotentiam dicimus cognoscibilem non esse , non cognitis creaturis , quia eam concipiimus relatione , quantum ad hoc enim omnes suam apprehensionem corrigunt , sed quia eam concipiimus conexivè , quatenas Omnipotentia formaliter est ; & similiter concipiimus divinam continentiam . De connexione autem , si non utamur termino *connexivo* , utimur termino *connotative* , quia conexio formaliter ut talis cōnotat necessario extrema . Neque ex hoc modo concipiendi divinam Omnipotentiam , continentiam , vel connexionem quantum est ex parte rei significata , aliquid imperfectionis in Deum refundimus , quia ex hoc non sequitur dependentia à creaturis in esse , & cognosci , loquendo de dependentia strictè sumpta ; dependentia autem large sumpta consistens in eo , quod unum sine alio cognosci non possit , Deo non repugnat , cum neque Pater adhuc in divinis cognotci possit sine Filio . Deinde hoc ipsum contra dicere videtur doctrinæ D . Thos . Sèpius allegatæ , cum frequenter dicat , definitiōnem virtutis attendi secundum ea in quæ potest : immò Omnipotentia secundum propriū illius conceptum formalem , & prout ab essentia , & ab alijs attributis distinguitur , quomodo etiā videtur à beatis , non constituitur per connexionem absolutam ab omni connotatione , sicut neque virtus , sed per connexionē connotantē omnia possibilia : insuper hoc ipso , quod prout sic

non cognoscatur , non cognoscitur ut *virtus* , sed ut quadam entitas est . Fatemur ergò divinam Omnipotentiam , continentiam , & connexionem esse omnino abolutam ab omni respectu , non verò ab omni connotatione . Et sic semper negamus posse cognotci adhuc quidditativè , non cognito aliqualiter termino , scilicet in contuio , & secundum rationem communem .

47 Objiciès nono : visio entis finiti non potest esse infinita ; sed visio omnium possibilium est visio entis finiti , cum tota collectio possibilium finita sit , & à Deo infinite distat : Ergò praedicta visio non potest esse infinita , & consequenter , neque comprehesiva . Dices cum nostro Lezana , & alijs , quod licet collectio omnium possibilium sit finita ; est tamen perfectionis syncategorematice infinita ; unde sicut propter hoc non est possibilis virtus creativa omnium possibilium , ita neque cognitio creata omnium illorum . Sed hæc solutio non placet , namque ex ea sequitur , quod neque sit possibilis cognitio creata illorum in se , & extra Uerbum ; cum tamen probabile sit adhuc inter thomistas impossibile non esse , sicut , & ex illa non sequi comprehenditionem divinæ Omnipotentie , quod in praesenti admittere necesse est .

48 Melius : Ergò dicitur . anteced . visio entis finiti in se non potest esse infinita conced . visio entis finiti in medio infinito , subditinguo : non potest esse infinita , si medium cognoscatur secundum omnem ejus eminentiam , & virtualitatem , nego ; si aliter cognoscatur , conc . Licet enim collectio omnium possibilium finita sit , medium tamen in quo cognoscitur est divina Omnipotentia , quæ cognita secundum omnima in quæ potest , infinite cognoscitur , sicut , & omni modo , quo cognoscibilis est . Sed dices : Ergò dato casu quod omnia possibilia ad quæ se potest extendere Omnipotentia , essent tantum homo , equus , & leo , adhuc cognitio harum trium specierum in Omnipotentia esset cognitio infinita , quia esset illarum cognitio in medio infinito cognito secundum omnem ejus eminentiam , & virtualitatem ; at hoc videtur falsum : Ergò . Resp . quod ex impossibili sequitur quodlibet ; unde in eo casu Omnipotentia esset virtus infinita , & non esset virtus infinita , esset , quia esset Omnipotentia , & virtus propria Dei , non esset , quia virtus infinita dicitur per ordinem ad terminum actu vel potentia infinitum , qualis non essent tres ille tantum species , & consequenter cognitio illarum trium specierum in Omnipotentia esset infinita , quia esset cognitio virtutis infinita secundum omnem ejus eminentiam , & virtualitatem , & esset finita , quia esset cognitio illius secundum

dum terminum actus, & potentia finitum; & sic ex praedicto casu utpote impossibili, utrumque sequitur.

49 Ex his nota, quod sicut nos non intendimus cognitionem omnium possibilium prout in se esse infinitam, sed solum prout in divina Omnipotencia, ita non intendimus, collectionem omnium possibilium prout in se esse in comprehensibilem ab intellectu creato; de hoc enim in praesenti non disputamus, sicut neque de primo, sed solum intendimus cognitionem omnium possibilium prout in Omnipotencia esse in infinitam, & consequenter collectionem omnium illorum prout in Omnipotencia esse incomprehensibilem ab intellectu creato; neque ex hoc sequitur proprium Dei non esse incomprehensibilem esse absolute; namque propterea sic dicitur incomprehensibilis, quia neque in se, neque in alio potest comprehendendi, tota autem collectio creaturarum in se comprehendendi potest, licet non prout in Deo, & sic absolute loquendo, comprehensibilis est.

50 Objicies decimo: cognitis omnibus possibilibus in Deo, adhuc non cognoscerentur omnia Dei: Ergo neque Deus comprehendenderetur. Conseq. patet; namque Deus non potest comprehendendi nisi illius cognitione infinita; Deus autem non potest infinite cognosci, non cognitis omnibus, quae sunt in illo. Anteced. autem probat. cognitis omnibus possibilibus, adhuc non cognoscerentur in Deo omnes ejus actus liberi: Ergo adhuc non cognoscerentur omnia Dei. Conseq. patet, & anteced. probat. cognitis enim omnibus, quae angelus inferior potest facere ab angelo superiori, non eo ipso, & necessario cognoscuntur ab eo omnes ejus actus liberi, nempè secreta libera sui cordis non manifestata signis externis, sed ad hoc indiget revelatione, vel locutione ipsius angelii inferioris per ordinationem, seu directionem proprij conceptus ad ipsum, quae est doctrina Div. Thom. infra quest. 75. art. 4. Quia solus Deus illabitur voluntati creaturæ, & sic solus Deus potest cognoscere, quae ex ea dependent prout in ea sunt, & non manifestata per signa externa: Ergo à simili poterunt in Deo cognosci omnia possibilia, & adhuc non cognosci omnes actus ejus liberi. Confirmatur; quia ad comprehensionem divinæ Omnipotentie requiritur etiam cognitio omnium futurorum: Ergo solum cognitis omnibus possibilibus, non comprehenditur.

51 Ad hoc argumentum duplicitè potest respondi: 1. dict. maj. cognitis omnibus possibilibus in Deo adhuc non cognoscerentur omnia Dei necessaria, nego; libera, concedo, & nego conseq. Ad probationem concedo ma-

jorem, & distinguo minorem: Deus non potest infinite cognosci non cognitis omnibus, quae sunt in illo, necessario, concedo; libere, nego. In sententia enim valde probabili divina voluntas potuit manere suspensa, quo in casu Deus infinitè, & comprehensivè se cognosceret, solum per cognitionem eorum, quae in illo sunt necessario, & defactò Deus per scientiam simplicis intelligentiae se ipsum comprehendit, & tamen per talen scientiam non cognoscit decreta sua libera, sicut neque creaturas futuras; & Verbum Divinum procedit ex cognitione comprehensiva Patris, & tamen non procedit ex cognitione libera futurorum: non ergo cognitione futurorum, vel actuum liberorum Dei requiritur ad cognitionem comprehensivam illius, sed sufficit cognitio omnium, quae sunt in Deo necessario, tam formaliter, quam eminenter, seu virtualiter. Ratio autem à priori est, quod neque Deus, neque divina Omnipotencia necessario connectitur cum actibus liberis, vel futuris, quippe hujusmodi libere à Deo procedunt, & sic neque infinita, vel comprehensiva cognitio Dei, vel illius Omnipotentie infert necessario cognitionem illorum, & sic sine illis esse potest. Per hæc patet ad confirmationem: immò futura, ut talia, non continentur in Omnipotencia secundum se, sed solum in ea, prout sic continentur, quatenus possibilia; ut futura autem continentur in ea, quatenus determinata per decretum: ergo ad comprehensionem Omnipotentie secundum se impertinent se habet cognitio futurorum.

52 Secundo potest argumento responderi reddendo disparitatē; nam ut Deus, vel Omnipotencia cognoscatur secundum omnia possibilia, opus est cognitione infinita, ut dictum est; & quia omnes actus liberi Dei ex suppositione quod sint, non possunt subterfugere infinitam cognitionem; ideo arguitivè ex cognitione omnium possibilium in Deo infertur necessario cognitio omnium actuum liberorum illius. Unde horum cognitio conductit ad comprehensionem Dei non directè, & absolute, quia sempè subsistit ratio solutionis praecedens, sed arguitivè solum ex infinitate cognitionis requisita ad cognitionem omnium possibilium, & ex suppositione illorum actuum. Attamen in angelis quia ex una parte ut angelus superior cognoscat virtutem angelii inferioris secundum omnia in quæ potest, non indiget cognitione infinita; & ex alijs proprium sit Dei, actus illius liberos cognoscere ante liberam ipsius angelii manifestationem, ut argumentum probat, neque arguitivè ex cognitione omnium, quae angelus inferior potest facere, infertur cognitio liberorum actuum illius.

53 Objicies undecimo : & si cognitis omnibus possibilibus in divina Omnipotentia unica, & simplici cognitione sequatur divine Omnipotentia comprehensio, ex cognitione tamen illorum successivè, & duplici cognitione non sequitur: Ergò neque absolutè. Anteced. prob. quia in tali casu utraque illa cognitio esset finita, nempè una purè terminata ad naturalia, & alia ad supernaturalia: Ergò utraque simul non potest esse infinita, & consequenter neque comprehensiva. Sed in primis D. Thom. q. 8. de verit. jam citata art. 4. ad 14. ait: *Sciendum quod quantum ad illam cognitionem, qua angeli cognoscunt res in Verbo, non potest esse successio, quia per unum diversa cognoscit.* Et ad 15. ait: *Quod visio beatitudinis, est illa, qua videtur Deus per essentiam, & res in Deo, & in ista non est aliqua successio, neque in ea angeli proficiunt, sicut neque in beatitudine.* Cum ergò in praesenti sermo procedat de cognitione beatifica, qua in Verbo cognoscuntur possibilia, consequenter in ea non potest esse successio, sed vel non cognoscuntur omnia possibilia, vel unica, & simplici cognitione cognoscuntur. Deinde respond. nos in praesenti procedere de cognitione omnium possibilium simul, & uno in intuitu, tunc enim cognoscitur Omnipotentia omni modo, quo cognoscibilis est, ut potè perfectius adhuc ex parte objecti, videlicet penetrabilius cognoscitur, quando unico, & simplici intuitu cognoscitur secundum omnia, in quæ potest, quam quando sic cognoscitur successivè, & duplici cognitione.

54 Objicies duodecimo : Christus Dominus scientia creata non comprehendit Deum; & tamen cognoscit omnia possibilia: Ergò. Prob. min. Christus Dominus scientia creata cognoscit omnia ea, ad quæ suum meritum potuit se extendere; sed meritum Christi potuit se extendere ad omnia possibilia: Ergò. Minor patet, & major prob. Christus namque Dominus comprehendit suum meritum: Ergò non potuit non cognoscere ea omnia, ad quæ suum meritum potuit se extendere. Ant. prob. Nam meritum Christi est creatum; at omne creatum comprehensibile est ab intellectu creato, & si hoc ita est, non est, cur non comprehendatur ab intellectu Christi: Ergò.

55 Sed in primis argumentum non probat, quod Christus Dominus possit cognoscere omnia possibilia in Omnipotentia sine comprehensione illius, sed solid quod possit sine comprehensione Omnipotentia cognoscere omnia possibilia in suo merito; ad comprehensionem enim Omnipotentiè non sat est cognoscere omnia possibilia quomodolibet, sed ultra ea cog-

noscere in ipsa Omnipotentia, ut septius dictum est. Deinde negamus, Christum Dominum scientia creata cognoscere omnia possibilia. Ad probationem in sententia afferente meritum Christi esse simplicitè infinitum, quia forma eum sanctificans, & valorans, est personalitas Verbi; negamus, Christum scientia creata comprehendere suum meritum; namque ad hoc oporteret comprehendere formam illud sanctificantem, & valorantem, quod est impossibile. Ad argumentum contra hoc respondeatur, meritum Christi esse creatum, & finitum in esse entis, seu phisice consideratum, in esse verò moris, seu moraliter esse in creatu, & infinitu, sicut & forma eum moraliter valorans, & sanctificas increata, & infinita est. In sententia vero afferente meritum Christi non esse simpliter infinitum, quia forma eum sanctificans finita, & creata est, ommitto, quod Christus scientia creata suum meritum comprehendit, nego tamen cognoscere omnia, ad quæ suum meritum potuit se extendere, loquendo de cognitione distincta, & illorum secundum proprias rationes, sed solum in confuso, & secundum rationem communem; namque ad comprehensionem causæ sufficit cognoscere effectus propter continentur in causa; non autem omnia possibilia phisice, & secundum proprias illorum rationes continentur in merito, sed solum secundum quandam rationem communem moralem, in quantum videlicet meritum Christi, ejusvè satisfactio se potuit extenderet ad omnia peccata possibilia, & sic sub hac ratione omnia ea cognoscit Christus scientia creata. Quæ verò sint ea, quæ Christus potuit mereri, & quibus potuit mereri, & pro quibus potuit satisfacere, non cognoscit Christus, quia hujusmodi pertinent ad scientiam simplicis intelligentiae, & non cadunt sub decreto, quod Deus defacto habuit erga redemtionem generis humani, & sic neque pertinent ad statum Christi Domini, cum tamen Christus scientia beata solum cognoscat quæ Deus scientia visionis, & pertinent ad statum illius. Immò ea, quæ defacto meruit, & quibus meruit non cognoscit, ut distincta, & secundum proprias rationes ex cognitione sui meriti, sed quia pertinent ad suum statum, & à Deo scientia visionis cognoscuntur. Vel tandem dicendum, quod licet meritum Christi sit creatum, non sequitur, quod possit comprehendendi ab aliquo intellectu creato, quia est infinitum in potentia, sicut propter hanc rationem dicitur esse in comprehensibilem ab intellectu creato collectionem omnium possibilium.

56 Tandem poterat argumentari, quod angelus inferior non comprehendit superior-

rem, cum tamen cognoscat omnia, quæ in virtute angeli superioris tam formaliter, quæ virtualiter continentur. Sed ad hoc argumentum satis sit dubio 4. de angelis in solutione ad 2, ubi late redditur disparitas inter virtutem angelii, & Omnipotentiam. Videatur ibi ne eadem repetamus.



## DE SCIENTIA DEI NECESSARIA DUBIA V.

### DUBIUM I.

*An ratio, qua Div. Thom. probat in Deo dari scientiam, à priori, & demonstrativa sit?*

**S**upponimus, ut fide certum, in Deo dari scientiam, ut patet ex illo Apostoli ad Romanos 2. O altitudo dicitur sapientia, & scientia Dei! Et ex pluribus aliis locis. Et in dubium vertimus: an ratio Div. Thom. hujus probativa, efficax à priori & demonstrativa sit? Nomineque scientiae Dei in praesenti intelligimus duntaxat cognitionem, seu intellectionem perfectissimam ipsius, quid quid sit de qualitate scientiæ repertæ in Deo, ratio ergo D. Thom. ut jacet si hujusmodi: Cognoscientia à non cognoscentibus in hoc distinguuntur, quia non cognoscientia nihil habent nisi formam suam tantum; sed cognoscens natum est habere formam etiam rei alterius, nam species cogniti est in cognoscente. Unde manifestum est, quod natura rei non cognoscens est magis coarctata, & limitata; natura autem rerum cognoscientium habet majorem amplitudinem, & extensionem, propter quod dicit Philosophus 3. de anima: Quod anima est, quodam modo omnia. Coarctatio autem formæ est per materiam, unde & supra diximus, quod forma secundum modum quod, sunt magis immateriales, secundum hoc magis accedunt ad quandam infinitatem. Patet igitur, quod immaterialitas alicuius rei est ratio, quod sit cognoscitiva, & secundum modum immaterialitatis est modus cognitionis. Unde in 2. de anima dicitur, quod plantæ non cognoscunt propter suam materialitatem. Sensus autem cognoscitivus est, quia receptivus est specierum sine materia, & intellectus adhuc magis cognoscitivus, quia magis separatus est à materia, & immixtus, ut dicitur in 3. de anima. Unde cum Deus sit in summo immaterialitatis, ut ex superioribus, patet sequitur, quod ipse sit in summo cognitionis. Hæc, ut jacet, ratio D. Thom. de

qua inquirimus, an efficax, à priori, & demonstrativa sit. Quo in dubio unica est, solum difficultas titulo dubij correspondens. Unde sit.

### RESOLUTIO UNICA.

*Prædicta ratio D. Thomæ efficax, à priori, & demonstrativa est.*

**E**st contra Ocham, Gabrielem, Aureolum, Raphaelem de Aversa. Eam tamen tenent communiter ceteri theologi, tam intra, quam extra Scholam Div. Thom. Quæ non aliter fundatur, quæ cam reducendo ad formam syllogisticam sic: immaterialitas est ratio à priori cognitionis, at Deus est in summo immaterialitatis: Ergo, & in summo cognitionis. Minor cum consequentia patet. Major autem in qua tota difficultas consistit prob. 1. à Div. Thom. immaterialitas est ratio à priori distinguens cognoscientia à non cognoscentibus: Ergo & est ratio à priori cognitionis. Probatur antecedens: cognoscientia eatenus à non cognoscentibus differunt, quatenus cognoscientia nata sunt habere præter propriam formam, etiam formam rei alterius, utpotè species cogniti, est in cognoscente, qua ratione dicitur in 3. de anima: *Animæ est quodam modo omnia;* è contra vero non cognoscientia nihil habent, nisi formam suam tantum; at hujus capacitatris ratio à priori est immaterialitas, namque hæc capacitas in amplitudine, & extensione naturæ consistit, cuius ratio à priori est immaterialitas, sicut & materia est in natura, vel forma ratio à priori coartationis, & limitationis: Ergo. Secundo probatur eadem major à Div. Thom. nam quod plantæ cognoscitive non sint, ratio à priori juxta Philosophum est eorum materialitas, sicut & quod sensus cognoscitivus sit; ratio à priori est quod aliqualiter est immaterialis, utpotè receptivus specierum sine materia, ac tandem quod intellectus adhuc magis cognoscitivus sit, ratio à priori est quia magis separatus est à materia, & ei immixtus: immaterialitas ergo est ratio à priori cognitionis. Unde tandem evidenter infertur, quod quia Deus est in summo immaterialitatis, sit etiam in summo cognitionis: est Ergo ratio Div. Thom. efficax, à priori, & demonstrativa. Quod adhuc profundius declarabitur ex solutione argumentorum, quæ contra eam procedere videntur.

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

**S**ed contra nostram resolutionem objicies primò: si immaterialitas sit ratio à priori cognitionis, forma materialis cognoscitiva esse non poterit, at hæc est fal-

falsum, ut patet in forma sensitiva brutorum, quæ materialis, & cognoscitiva est: ut.

4. Sed responderur ex doctrina D. Thom. secundo contra gentes capit. 68. ubi ait: *Quod licet unum sit esse formæ, & materia, non tamen oportet quod materia semper adequet esse formæ: immo quanto forma est nobilior; tanto in suo esse superexcedit materiam. Quod patet ex operationibus formarum, ex quarum consideratione earum naturas cognoscimus, cum unumquodque operetur secundum quod est. Unde forma cuius operatio excedit conditionem materie, ipsa secundum dignitatem sui esse superexcedit materiam.* Si igitur cognitio sensitiva excedat conditionem materiae, à posteriori colligitur ipsam formam sensitivam in suo esse superexcedere materiam, sic autem contingere constat ex verbis sequentibus D. Thom. *Namque formam non excedere conditionem materie in operando est formam in nullam operationem posse, nisi ad quam se extendunt qualitates, quæ sunt dispositiones materie, ut calidum, frigidum, & siccum, rarum, densum, grave, & leve, & his similia. Et post pauca. Formæ autem brutorum sunt potentes ad operationes ad quas neque qualitates predictæ deserviunt; sentire enim, & imaginari non completur calefactendo, & in frigidando, licet hæc sint necessaria ad debitam organi dispositionem.* Quod etiam docet de spiritualibus creaturis art. 2. in corp. dicendo: *Anima autem sensitiva ulterius habet operationem, ad quam nullo modo se extendunt qualitates activa, & passiva, nisi quatenus exiguntur ad compositionem organi, per quod talis operatio exercetur, ut videre, audire, appetere, & hujusmodi.*

5. Ex quibus in forma ad argumentum respondet: quod forma sensitiva brutorum est materialis, non ut totaliter materia immersa, sed ut excedens conditionem illius, ratione cuius aliquomodo supra illam elevatur, & est immaterialis, nempè imperfectè, & in infimo gradu. Unde bene nota quod præter immaterialitatem summam Dei consistentem in exclusione omnis potentialitatis, & immaterialitatem Angelorum consistentem in exclusione omnis materię phisicę, & immaterialitatem animę rationalis consistentem in non dependentia à materia in essendo, licet eam habeat conjunctam, datur infima immaterialitas formæ sensitivæ consistens in eo quod licet à materia in essendo dependeat, excedit tamen conditionem illius, & supra illam elevatur, quod à posteriori colligitur, ex quo habet operationes, ad quas non se extendunt qualitates, quæ sunt dispositiones materię.

6. Sed contra hanc doctrinam plura statim occurunt. Et quidem 1. ex contextu ipsius D. Thom. loco citato ex Contra Gentes: namque si habere operationes, ad quas non extendunt prædictæ qualitates est formam extendere conditionem materię, & supra illam elevari: unde sequitur immaterialitas sufficiens radicare cognitionem, videtur inferri animas plantarum esse etiam cognoscitivas, & similiter Magnetem, & Saphirum, nam etiam habent operationes, quæ excedunt virtutem prædictarum qualitatum, utpote plantæ, ut ibi afferit D. Thom. supra posse hujusmodi qualitatum habent effectum proprium in nutriendo, & augendo usque ad determinatum terminum. Et similiter Magnes supradictas qualitates haber ex virtute altiori corporum cœlestium attrahere ferrum, sicut, & Saphirus curare Apostema. Qua ratione secundum D. Thom. duntaxat formæ elementorum sunt omnino materiales, totaliterque materia immersæ. Immò adhuc in sensu allato formæ elementares excedunt etiam conditionem materię in agendo, & recipiendo; namque ignis non solum calefacit, sed etiam illuminat; ad illuminationem autem dispositiones materię non se extendunt. Similiter aer, & aqua, utpote dia-phana, lucē participant sine physica aliqua mutatione. Ac tandem terra, & omnia elementa producent species sensibiles, ad quarum productionem dispositiones materię non concurrunt: excedunt ergo conditionem materię in agendo, & recipiendo.

7. Secundo: hoc ipso quod forma sit materialis, non potest non in essendo dependere à materia; forma autem in essendo dependens à materia non potest non ab illa dependere in operando: falsum ergo est formam sensitivam in operando excedere conditionem materię, seu supra illam elevari: immò secundum nos materia coarctat, & limitat formam: vel ergo hæc limitatio est solum in esse entitativo, vel etiam in operando? Si primum: Non est cur qualibet forma immaterialis non sit cognoscitiva, siquidem eo ipso excedit in operando conditionem materię. Si secundum: Ergo forma materialis semper operatur, ut limitata, & coarctata per materiam; at hoc est operari non ut elevata supra materiam, sed ut ei obligata, & ab ea comprehensa: Ergo.

8. Tertio: sicut aposteriori sequitur formam superexcedere materiam secundum dignitatem sui esse, ex quo eam superexcedit in operando, ita à priori sequitur quod eam superexcedit in operando, ex quo eam superexcedit secundum dignitatem sui esse; at nulla est forma materialis, quæ secundum dignitatem sui esse

non

non superexcedat materiam, cum hæc sit entitativè pura potentia, illa verò actus eam formaliter, & in actu constituens: Ergo nulla est forma materialis, quæ in operando non superexcedat materiam, & consequenter qualibet forma materialis operatur, ut excedens conditionem illius, & non ut ei totaliter immensa. Tandem nulla est forma quantumvis infima, & materialis, quæ non sit intelligibilis; at intelligibilitatis ratio est immaterialitas: Ergo nulla est forma materialis omnino, sed qualibet imperfectè, & aliquomodo est immaterialis, & consequenter juxta nostram doctrinam qualibet forma materialis erit cognoscitiva.

9. Sed ad 1. resp. quod juxta doctrinam Div. Thom. allegatam, solum intendimus formam sensitivam non esse totaliter materia immersam, sed aliquomodo, & imperfectè esse immaterialem, cujus oppositum intendebat argumentum. Dicimus tamen non quamlibet immaterialitatem esse sufficientem radicare cognitionem, sed talem, ac tantam. Unde cum afferimus immaterialitatem esse principium, seu rationem à priori cognitionis, procedimus in sensu, in quo theologi afferunt incorruptibilitatem rei procedere ex illius perfectione, & actualitate; unde non sequitur incorruptibilitatem sequi ex quacumque perfectione, & actualitate, sed ex tali, vel tanta. Fatemur ergo plantas esse aliqualiter, & imperfectè immateriales propter rationem argumenti, & idem de Magnete, & Saphiro, sed immaterialitate ita imperfecta ut ratione illius solum excedat formas elementares, quæ non habent, nisi operationes, ad quas se extendunt qualitates dispositivæ materiæ, non tamen immaterialitate pertingente ad gradum formarum sensitivarum, quia hic est talis quod agens elevatur supra conditionem materiæ, non solum in agendo, sed etiam in recipiendo: id est ita ut neque operetur dispositionibus materiæ, neque recipiat modo quo materia recipiat. Licet autem plantæ in aliqua sui operatione excedant conditionem materiæ, non tamen in recipiendo; unde Philosophus textu citato de anima ait, plantas non esse cognoscitives, quia non habent medium idoneum ad recipiendum species, sed patiuntur cum materia: id est recipiunt cum materia, nempè modo, quo materia recipit, quod est recipere materiali modo, qualiter lignum recipit formam ignis, id est medio calore quo materia disponitur ad illam recipiendam, qua introducta ab illa denominatur ignitum. Secus autem sensus, qui formam ignis fine calore recipit neque ab ea ignitus denominatur, quod est recipere modo non materiali, sed intentionali, & in hoc sensu ait Div. Thom. in præsenti quod

plantæ non sunt cognoscitives, quia materiales sunt; id est non excedentes conditionem materia in recipiendo; secus verò sensus, qui receptivus est specierum sine materia. Cujus aptissimum exemplum ponit Philosophus incera, quæ recipit formam annuli sine materia, v.g. formam anuli aurei sine auro.

10. Ad id quod additur de elementis resp. quod elementa secundum Div. Thom. dicuntur omnino materialia respective ad reliqua corpora, ut sunt corpora mixta, & plantæ, attamen revera inter se habent excessum actualitatis, nāque, ut ait Div. Thom. quæst. 5. de potentia art. 8. *Aqua plus habet de specie, quā terra, & aer quam aqua, & ignis quam aer.* Et opusculo 51. etiā habet: *quod cum lux sit qualitas primi alterantis, quod est maxime perfectum, & formale in corporibus, illa corpora, quæ sunt maxime formalia, & subtilia sunt actu lucida; quæ autem sunt propinquæ his, sunt receptivas luminis, sicut diaphana; quæ autem sunt maxime materialia, neque habent lumen in sui natura, neque sunt luminis receptiva, sed sunt opaca; ista patent in elementis, nam ignis habet lucem in sui natura, sed ejus lux non apparet nobis nisi in materia aliena propter ejus subtilitatem. Aer autem, & aqua sunt minus formales, quam ignis & ideo sunt tantum diaphana.* Terra autem, quæ maxime materialis est, est opaca. Terra: ergo sola est, quæ totaliter à materia comprehendiatur, ita ut in neque agendo, neque in recipiendo materia conditionem excedat; attamen non inde sequitur aquam, aerem, & ignem esse immateriales immaterialitate pertingente ad gradum cognoscitivum, ut potè hæc requirit quod agens excedat conditionem materia in agendo. Et licet ignis illuminando excedat conditionem materia, non tamen in recipiendo, & pariter è contra licet aqua, & aer excedant conditionem materia in recipiendo lucem, non tamen in agendo.

11. Ad id quod subjungitur de productione specierum, dupli via potest responderi, & quidem de alijs elementis ab igne patet quod ex se neque colorem, neque saporem habent, namque istæ sunt qualitates mediae causatæ ex commixtione primarum qualitatum. Unde talia elementa in sui puritate neque visu, neque odoratu, aut gustu percipi queunt. Unde solum immittere possunt species tangibles, & audibles, harum tamen specierum immissio non arquit ullam immaterialitatem, etiam in corporibus mixtis, ut potè ad quam se extendunt qualitates dispositivæ, quippe tactus immutat medio calido, frigido, duro, moli, raro, & denso; unde neque movetur ab his, nisi prævia mutatio.

tione naturali. Pariterque auditus immutatur media gravitate, densitate, & duritate, prævio etiam motu naturali, nempè phisica corporum collisione. De igne autem major difficultas est; quia cum in sui natura habeat lucem, videtur, quod ex se visibilis est; attamen potest etiam dici, quod licet ex se habeat lucem, non tamen ex se habet colorem, qui necessario requiritur ut visu percipiatur; unde Div. Thom. loco proximè citato exprasle habet, quod lux, quam habet ignis in sui natura, non apparet nobis nisi in materia aliena propter illius subtilitatem, unde solum in ea habet colorem, & immitit speciem visibilem.

12 Alia via respondet Oxomensis, talem immisionem specierum non esse à formis substantialibus, sed ab accidentibus sensibilibus, v. g. species visibiles immittuntur à colore, vel luce, audibiles à sonu, rationemque assignat, nam species est ab eo, quod per illam representatur; forma autem substantialis non est objectum per se repräsentatum ab speciebus visibilibus, substantia namque non est sensibilis per se, sed per accidens; unde videmus, accidentia in Eucharistia easdem specificè actiones sensitivas visus, auditus, & gustus specificare, quas terminarent substantiae, quarū sunt accidentia conjuncta. Cum ergò hujusmodi species effectus non sint formarum substantialium, consequenter neque postulant earum elevationem supra materiam, seu supra conditionem illius. Et si objicias accidentis non posse excedere substantiam in perfectione, & consequenter si forma elementaris non elevatur supra conditionem materię, neque color, neque alia accidentia possunt supra illam elevari. Respondeatur, quod licet accidentis non possit simpliciter excedere substantiam cuius est accidentis, bene tamè secundum quid: accidentis enim corporeum simplicius est substantia, utpote carens compositione ex partibus essentialibus, ex quibus substantia corporea coalescit. Excessus autem penes producere species sensibiles, non est excessus simpliciter, sed tantum secundum quid, cum in alijs pluribus accidentia sensitilia efficientia hujusmodi species à forma substantiali corporea excedantur.

13 Hęc tamen solutio videtur deficere ea parte, qua negat substantiam nullo modo influere in predictas species, cum planum sit accidentia operari in virtute substantiae, namque cum ab ea participant esse, ab ea etiam habent virtutem operativam. Quod exemplo allato fit manifestum; namque accidentia in Eucharistia calcificant, nutriunt, ac confortant, non minus ac si essent conjuncta substantiae, & non nisi virtute illius. Hinc cum substantia dicitur sensibilis

per accidens, ly per accidens intelligitur, id est per aliud, non verò id est materialiter, vel concomitantē, aliás per accidentia non certificare-mur de substantia.

14 Ad 2. resp. quod juxta Div. Thom. locis præallegatis formæ brutorum potentes sunt ad operationes, ad quas qualitates dispositivæ materiae non deserviunt, veluti elicitive, quatenus prædictæ operationes non excentur, neque complementur medio calore, vel frigore; benetamen dispositivæ, seu in genere causæ materialis, quatenus prædictæ dispositiones sunt necessariae, & exiguntur ad dispositionem, & compositionem organi, per quod excentur: namque visio, & auditio, sicut & facultas visiva, & auditiva, requirit in organo, in quo recipitur, debitum temperamentum, quod præstant calor, & frigus, sicut & densum, & rarum. Fatemur ergò, quod forma dependens in essendo à materia, ab illa etiam dependet in operando, sed non est necesse, quod ab illa dependeat in operando elicitive, seu effectivè, quasi dispositiones illius influant in illius operationem; sed vel elicitive, vel dispositivæ, quatenus illæ sunt necessariae, & exactæ ad organum, per quod talis debet operatio exerceri, ex hoc enim ipso non potest operari sine materia, quod est absolute à materia in operando dependere, licet non omnino, & ut totaliter ab illa comprehensa.

15 Dices: modus operandi sequitur modū essendi: Ergò & dependentia in operando sequitur dependentiam in essendo; si ergò formæ brutorum, ita est dependens in essendo à materia, ut omnino per illā in essendo limitetur, pariter, & in operando. Sed resp. quod ad formam brutorum in essendo pertinet quod sit radicaliter elicativa visionis, v. g. unde sicut hanc operationem exercet independenter à dispositionibus materiae modo explicato, jam aliquo modo in essendo elevatur supra materiam, unde negamus eam per materiam omnino in essendo limitari. Hinc conseq. dicimus quod materia coarctat, & limitat formam non solum in esse entitativo, sed etiam in operando, non tamè æque omnem formam coarctat, & limitat, sed magis, vel minus, quatenus magis, vel minus eam comprehendit, sibiique subjicit; neque enim æque comprehendit, sibiisque subjicit animam rationalem, sicut equinam, de quo in sequenti arguento.

16 Ad tertium resp. quod omnis forma secundum dignitatem sui esse excedit materiam, sicut & actus potentiam, qui dicitur excessus generalis, & communis; quem etiam sequitur excessus in operando, quantum ad hoc præcisus quod forma est principium radicale operandi,

fecus verò materia; non verò quantum ad hoc quod habeat operationem supra conditionem materiae, namque iste excessus in operando non sequitur excessum illum eomunem, & generalē, sed particularem, & specificum, talēm videlicet, & tantum, ut potè una forma nobilior, & actualior est alia, ratione cuius ita elevatur supra materiam, ut sit principium radicale operationis, cui nullo modo dispositiones materię communicant. Et proprieat̄ notanter ait Div. Thom. quod quanto forma est nobilior, tanto in suo esse superexcedit materiam.

17 Ad ultimum respondeatur, quamlibet formam quantumvis materialem esse intelligibilem, non actū, sed in potentia; immaterialitas autem solum est ratio intelligibilitatis in actu, & sic non sequitur quamlibet formam materialem esse aliquomodo immaterialē, sed sic sit immaterialis per species intelligibiles abstractas à phantasmatibus, quas intellectus agens causat depurando, & segregando naturam à conditionibus individualibus.

18 Secundo objicies: falsum est materiam esse rationem à priori coartationis formae: Ergo & quod immaterialitas sit ratio amplitudinis, & extensionis illius, consequenterque cognitionis. Prob. anteced. multipliciter: tum quia forma ex propria sui ratione est limitata sicut materia: tum quia materia eātenus coarctaret formam, quatenus per eam finitur, in quantum forma in se considerata communis est ad multa, & per hoc quod recipitur in materia sit forma determinata hujus rei, ut patet ex Div. Thom. supra quest. 7. art. 1. in corpore, at in eodem sensu forma coarctat materiam, namque etiam materia ante quam recipiat formam est in potentia ad plures formas, & cum recipit unam, terminatur per illam, ut ibi etiam docet Div. Thom. Ergo non potius materia est ratio coartationis formae, quam forma coartationis materiae: tunc etiam quia sine materia datur coarctatio formae tam specifica, quam individualis, ut patet in angelo: tum etiam quia materia in omnibus sublunaribus est ejusdem speciei, & tamen non omnia sublunaria sunt æque limitata: non ergo hęc limitatio provenire potest à materia. Ac tandem dato quod materia sit ratio coartationis formae, sed non in esse intelligibili, & representativo, sed solum in esse entitativo, & individuali, namque anima rationalis petri, v. g. per materiam, seu ordinem ad illam individuatur, sed nou ita ut non possit fieri plura intelligibiliter, & representative;

19 Ad hoc argumentum respond. nos in presenti loqui de coartatione formae omnimoda, ratione cuius dicitur materia comprehendere,

re, & adæquare formam, quatenus eam limitat ad operandum medijs dispositionibus illius, & non aliter, & similiter ad recipiendum modo materiali, & nō aliter. Hac enim sola coarctatio est quæ impedit cognitionē, sicut & quod formafiat alia à se; & de hac loquendo haud dubium, quod solum proveniat à materia: cuius ratio est, juxta commune enim axioma, actus qualis est forma, non limitatur, nisi per suum oppositum, quod est potentia: Ergo omnimoda limitatio actus non potest non procedere ab omnimoda, seu pura potentialitate; at sola materia est pura potentia: Ergo. Quod & patet ab oposito, nam quia illimitatio formæ provenit ab actualitate, major, vel minor illimitatio formæ provenit à majori, vel minori actualitate, & consequenter maxima illimitatio à maxima actualitate; & quia hęc est sola actualitas divina, solum ab hac dicitur forma omnino illimitata, & infinita: Ergo à simili. Quod, & inductione confirmari potest: nam in omni forma immersa in materia deest illimitatio exacta ad cognitionem, & in omni forma excludente materiam adest: Ergo signum est limitationem impedientem cognitionem provenire à materia, ut ab unico, & adequato principio.

20 Hinc ad primā probationem dicimus, quod forma ex propria sui ratione est limitata sicut materia, loquendo metaphysicè, quia utraque componitur ex suo genere, & differentia; secūs autem physicè, & entitativè, namque materia prima ex propria sui ratione est pura potentia, potentia autem per se convenit limitatio. Secūs autem forma, quæ ex propria sui ratione est actus, cui per se non convenit limitatio, sed per aliud, nempè per potentiam. Unde infertur, quod si limitatio sit omnimoda, hęc ei conveniat per omnimodam potentialitatem, seu per materiam primam, quæ sola pura potentia est.

21 Ad secundam probationem respondeatur ex doctrina D. Thom. ibi, ubi statuit differentiam inter determinationem materiae provenientem à forma, & determinationem formae provenientein à materia: quod nempè: *Materia finitur per formam, per quam perficitur, & ideo infinitum secundum quod attribuitur materia, habet rationem imperfecti, est enim quasi materia non habens formam; forma autem non perficitur per materiam, sed magis per eam ejus amplitudo contrahitur, unde infinitum secundum quod se tenet ex parte formae non determinat per materiam habet rationē perfecti.* Unde patet, quod materia sola determinat limitādō amplitudinem formae; forma verò non determinat limitando amplitudinem materiae, sed potius eam perficiendo, & actuando.

22 Ad tertiam probationem præter quām quod quilibet angelus intra propriam speciem nullam habet limitationem, sed est infinitus, ut potè continens omnēm perfectionem suę speciei, quia limitatio formę intra propriam speciem, sūm multiplicatio numerica illius solum potest provenire ex materia, sūm ex ordine ad illā, qua ratione probabilior sententia tenet angelū, quia expers omni materia est, non posse numerice intra eandem speciem multiplicari: Præter hoc, inquam, fatemur angelicam formam esse absolutę, & simplicitè finitam, & limitatam sine materia aliqua phisica, ex sola materia methaphysica, sūm potentialitate, quatenus non est suum esse; attamen nos non intendimus omnem formam coarctationem à materia provenire, sed solam omninōdām coarctationem. Immò hæc limitatio angeli non est distincta à limitatione specifica, quia etiam in probabiliori sententia natura angelica individuatur per se ipsam, nempè per hoc, quod non est nata recipi in aliquo, ut docet D. Tho. de spiritualibus creaturis art. 8. ad quartum. Unde loquendo de limitatione pure numerica, & quæ extra conceptum naturæ est, non probat argumentum.

23 Ad quartam probationem respondet Reverendissimus Magister Bayona (Caroli Secundi à sacris confessionibus) in suis manuscriptis, quod licet materia entitative sit ejusdem rationis in omnibus sublunaribus, est tamen diversa formaliter in munere limitandi, materia enim magis, vel minus coarctat formam, quatenus magis, vel minus illam comprehendit, sibique subjicit, unde magis coarctat formam equi, quia illam magis sibi subjicit, & minus animam rationalem, quia illam minus à se dependere facit. Sed hæc solutio videtur minus firma: tum quia petit principium, & supponit id quod argumentum intendit impugnare, siquidem argumentum hoc intendit; quod si materia est principium limitationis formæ, cum in omnibus sublunaribus æqualis sit, & ejusdem rationis, æqualiter omnes illorum formas debet comprehendere, sibique subjicere: tum etiam quia materia limitat formas ratione propriæ potentialitatis, ut diximus, & ipse fatetur; sed potentialitas materia in omnibus sublunaribus est æqualis, & ejusdem rationis, nempè pura potentialitas, quæ non suscipit magis, & minus: Ergo materia in omnibus sublunaribus ejusdem rationis est nedum in esse entitative, sed etiam in munere limitandi.

24 Melius, ergo respondet quod licet materia ejusdem rationis sit, & speciei in omnibus sublunaribus, non tamen propter ea omnia sublunaria sunt æque limitata, quia eorum formæ

diversæ sunt speciei, unaque alteram in actualitate excedit, & quo nobilior est forma, tanto là suo esse magis superexcedit materiam; tantoque per inde supra illam elevatur; unde tandem impeditur materia ne omnes æqualiter linitet, licet illius potentialitas æqualis in omnibus sit; quare ex hoc solum sequitur, quod ipsa quantum est ex se æqualiter omnes limitet, non tamen defacto, nisi juxta earum capacitatem.

25 Ad ultimam probationem patet ex diétis: quod si limitatio formæ est omnimoda, ita ut materia formam totaliter comprehendat, sibique subjiciat, implicat, quod sit limitatio formæ in esse entitativo, & individuali, & non in esse intelligibili, & representativo: enim eo ipso limitat formam ad operandum, & recipiendum juxta ipsius conditionem, nempè dependenter à dispositionibus illius. Anima autem rationalis Petri non limitatur omnimode per materiam, sed pluribus ex capitibus supra illius conditionem elevatur; unde non mirum quod, quamvis una in esse entitativo, plura fiat in esse intelligibili.

26 Tertio objicies, ratio Div. Thom. nititur principio falso, non ergo est à priori, & demonstrativa. Prob. anteced. ratio Div. Thom. nititur illi principio quod cognoscētia etenim à non cognoscētibus differunt, quia cognoscētia nata sunt habere præter formam propriam, etiam formam rei alterius; è contra verò non cognoscētia nihil habent nisi formam suam tantum; at hoc est falsum: Ergo. Prob. minor, quippè aqua recipit in se calorem, calor autem non est propria forma aquæ, sed ignis: Ergo. Dices cum Silvio, & Ferrara, non cognoscētia etiam recipere formas accidentales aliarum rerum, secus verò substantiales, attamen cognoscētia nedum formas accidentales, verum, & substantiales recipiunt, cum enim homo intelligit quidditatem ignis, ipsam quidditatem substantialem ignis in se recipit, licet non sub modo essendi naturali, & phisico, sed intelligibili, & intentionali. Sed contra: nam licet hoc ita sit in cognoscētente intellec̄tivo, non tamen sensitivo, nam sensus non attingit quidditatem rerum, aliter intus legeret, & sic intelligeret; sed solum attingit accidentia sensitibilia, ut visus colorem, at ratio Div. Thom. procedit de omni cognoscētente, etiam sensitivo: Ergo.

27 Melius, ergo dicitur non cognoscētia recipere etiam formas phisicas aliarum rerum, secus verò intentionales, videlicet species. Et de his loquitur Div. Thom., ut patet ex illis verbis: *Nam species cogniti in cognoscētente.* Sed dices contra: aer cognoscitivus non est, neque similitè speculum; & tamen tam aer, quam speculum

culum recipiunt formas intentionales aliarum rerum, utpote recipiunt species sensibiles, quæ objecta ex se naturaliter emittunt: Ergo. Resp. quod recipiunt formas intentionales aliarum rerum, sed non intentionaliter, & representativè, sed physicè solum, & entitativè, scilicet materialiter, & in esse qualitatibus: namque recipire formas intentionales intentionaliter, & representativè, est eas taliter recipere, quod ipsi recipienti sua objecta representent; non autem representant sua objecta species receptæ in speculo, vel aere ipsi aeri, vel speculo, sed potentia duntaxat cui aer vel speculum deserviunt, ut medium specierum delativum; qua ratione sola potentia, cui praedicta fit representatio, cognoscitiva est.

28 Sed dices: sequitur inde Div. Thom. probare rationem cognoscitivi ex modo recipiendi formas intentionales aliorum rerum intentionaliter, & representativè; at hoc est probare idem per idem, cum idem formalissimè sit posse recipere formas aliarum rerum intentionaliter, & representativè, ac eas posse cognoscere: Ergo. Sed respondetur quod Div. Thom. licet assignet differentiam inter cognoscientia, & non cognoscientia penes hoc quod cognoscientia nata sunt recipere formas intentionales intentionaliter, & representativè, non tamè per hoc demonstrat rationem cognoscitivi, sed praedicta differentia supposita, ut per se nota, probat prædictum modum recipiendi, in quo ratio cognoscitivi consistit, provenire, ut ex ratione formali, & à priori ex rerum immaterialitate, quia hæc solù est ratio formalis, & à priori amplitudinis, & extensionis, sicut materia est ratio à priori coarctationis, & limitationis.

29 Varijs alijs modis respondent theologi adhuc thomistæ argumento à principio; ego tamè solutionem datam judico solum veram, & unicā: namque si dicas cognoscientia recipere in se aliorum formas per identitatem cum illis, taliter quod intellectus actuatus specie lapidis, identificetur cum illa, & ea mediante cum ipso lapide, non in esse naturali juxta commune axioma, quod intelligēs in actu fit intellectū in actus, præterquamquod hoc videtur impossibile, sicut, & identificari posse ea, quæ separabilia sunt; & axioma verificari potest per hoc quod intellectus sit objectum cognitionis per informationem, quatenus informatur forma, scilicet specie propria illius, præter hoc inquam, de quo non curio, si fiat argumentum quod aer, & pariter speculum actuatus specie lapidis non identificatur cum illa, neque similiter cum lapide adhuc in esse intentionaliter: Ergo neque sensus, vel intellectus: utique negabis consequentiam,

quia aer, & pariter speculum propter suam materialē actuatur specie lapidis solum in esse entitativo, & materiali; sensus vero, & intellectus etiam in esse intentionaliter, & representativè; & ex hoc habetur quod sensus, vel intellectus transformetur in lapidem, non vero aer, vel speculum.

30 Similiter si dicas, cognoscientia recipere formas aliarum rerum, id est proprias, & easdem ipsarum, vel specificè si species representet quidditatem, ut representat species intelligibilis, vel numericè, si species representet individuum, ut representat species sensibilis, licet non sub modo essendi naturali, sed intentionaliter: fateor prædictam doctrinam esse mihi verissimā, ut patet ex dictis de Visione Dei, ubi probbo speciem esse formalissimè ipsum objectum representatum in aliquo modo essendi, scilicet intentionaliter; & si sit quidditativa esse ejusdem quidditatis cum illo, sicut & illius similitudinem formalem. Unde deduco juxta secundam rationem Div. Thom. ibi implicare speciem creatam quidditativam Dei; ibique respondeo ad objecta, quæ contra hanc resolutionem hic congrunt Authores. Attamen, si fiat etiam argumentum, quod aer, vel speculum etiam recipiunt easdem numero formas rerum, & non distinctas, siquidem recipiunt species intentionales earum; utique respondebis quod aer, vel speculum propter conditionē materialē recipiunt species intentionales rerum in esse entitativo, & materiali, non vero intentionaliter, & representativo, sicut sensus, & intellectus; propterea que recipiunt easdem numero formas rerum, non ut sibi representantes, sed ut medium earum relativum ad potentiam, cui duntaxat representatio fit. Tandem ergo devenitur ad nostram solutionem; in utiliter ergo recurritur ad aliam doctrinam, ut salvetur distinctio inter cognoscientia, & non cognoscientia.

31 Quarto objicies: si immaterialitas sit ratio à priori cognitionis, omnis forma immaterialis cognoscitiva erit; at hoc est falsum: Ergo. Major patet, namque quia rationalitas est ratio à priori discursus, omnis forma rationalis discursiva est: Ergo pariter: Immò si fiat formam aliquam immateriale non esse cognoscitivam, ergo immaterialitas non est ratio amplitudinis, & extensionis formæ, ut nimirum possit fieri alia à se recipiendo formas aliorum; ac tandem illa forma ex se, & non ex materia erit omnino coarctata, & limitata. Minor vero probatur: namque voluntas, illius que habitus, & similiter intellectus agens formæ immateriales sunt; & tamè cognoscitivæ non sunt: Ergo.

32 Sed præterquamquid prædictæ formæ sunt cognoscitivæ, licet nō formaliter, & elicitivè, benè tamèn consecutive, vel causaliter, ut potè voluntas consequitur intellectum, intellectusque agens concurrit ad illius cognitionem cauando species, quibus actuatus intellectus possibilis intelligit; & ratio D. Thom. licet immediatè solum probet rationem cognoscitivi formaliter, ex consequenti probat etiam voluntatem, quæ non potest non sequi intellectum, & si intellectus non posset intelligere per species abstractas à rebus, probat pariter intellectum agentem, sine quo eas accipere non potest. Præter hoc, inquā, respondetur, quod ratio D. Thom. probat de immaterialitate formæ substantialis, hæc enim à priori infert talem formam radicaliter cognoscitivam esse, sed non per omne radicatum, sed per primum, quod est intellectus: namque voluntas ex proprio, & formalí conceptu intellectum supponit, ut potè appetitus rationalis, qui sic dicitur, quia sequitur rationem seu formam per intellectum apprehensam. Hinc immaterialitas voluntatis est in ea ratio amplitudinis, & extensionis, non ut susceptiva sit specierum, sed intra propriam lineam, nempè ut inclinativa sit in omnium earum objecta, seu indifferenter in omnia objecta, quæ intellectus apprehendere potest ut bona, in quo distinguitur ab inclinatione sequuta ad formam omnino materialē, quæ determinate tendit in perfectionem naturalem ipsius, ut latius explicabimus de voluntate Dei dubio 1.

33 Sed objices primo: licet voluntas secundum radicatum sit, univocè tamèn cum intellectu in immaterialitate convenit: si ergo intellectus quamvis forma immaterialis accidentalis est potentia formaliter cognoscitiva, pariter voluntas, vel è contra, si voluntas non est formaliter ratione sua immaterialitatis cognoscitiva, neq; intellectus. 2. licet voluntas sit posterior intellectu, intellectus tamen agens prior est intellectu possibili, & tamèn intellectus agens formaliter cognoscitivus non est: Ergò falso est formam immaterialem substantialem cognoscitivam esse per primum sui radicatum. Tertio: licet voluntas creata forma sit immaterialis accidentalis, voluntas tamèn divina forma immaterialis substantialis est; namque in Deo nullum potest esse accidens; & tamèn voluntas divina secundum proprium illius formalem conceptū, quatenus acuteris attributis virtualiter distinguitur, cognoscitiva non est: Ergò ratio Div. Thom. neque probat de forma immateriali substantiali, & idem argumentum sit de personalitatibus divinis.

34 Ad primum respondetur quod licet intellectus, & voluntas univocè in imma-

terialitate convenient, intellectus tamèn, quia primum radicatum est immaterialis, ut potentia nata suscipere formas aliorum, quod est esse potentiam formaliter cognoscitivam; voluntas verò quia secundum radicatum, est immaterialis, ut potentia nata sequi formas per intellectum apprehensas; unde sicut inclinatio supponit formam, & eam consequitur, nempè inclinatio naturalis formam naturalem, & elicit formam apprehensam, voluntas quamvis æque immaterialis cum intellectu, cognitionem supponit, & non cognoscitiva, sed appetitiva, seu impulsiva, & inclinativa est.

35 Ad secundum respondetur: quod cum intellectus agens sit propter intellectum possibilem, consequenterque ad illum comparetur, ut mediū ad finem, intellectus agens imperfectior est intellectu possibili; undè ordine perfectionis, & per modum finis prior est intellectus possibilis, licet ordine generationis prior sit intellectus agens, sicut, & omnes potentiae sensitivæ hoc modo etiam sunt priores potentij intellectuvis, prius enim animal generatur, quam homo, ut docet Div. Thom. infra q. 77. art. 4. & 7. Nos autem nomine primi radicati intelligimus primum ordine perfectionis, & per modum finis, aliter anima rationalis intelligeret per sensum, & pariter anima sensitiva sentiret per facultatē nutritivam, quæ etiam prior est, cum natura via generationis procedat de imperfecto ad perfectum.

36 Ad tertium resp. quod licet in Deo voluntas sit etiam forma substantialis, sed non se habes per modum naturæ, sed per modum proprietatis virtualiter à divina natura dimanantis, & non primo, sed mediante intellectu, propteræaque non est cognoscitiva, sed impulsiva. Ratio autem D. Thom. procedit solum de forma substantiali se habente per modum naturæ, hujus enim immaterialitas infert indispensabiliter rationem cognoscitivi, licet non per secundum radicatum, sed per primum, & idem dicimus de divinis personalitatibus, quæ non sunt de conceptu divinæ naturæ, sed modi illius.

37 Quinto objicies, & est replica contraria præcedentē solutionem: si immaterialitas substantialis est ratio à priori cognitionis, omnino implicaret substantia immaterialis non cognoscitiva; at hoc est falsum: Ergò Major patet, cum eo ipso non posset non esse susceptiva formarum aliarum rerum; cum sola materia sit, quæ formam totaliter impedit ab hujusmodi susceptione, ut patet ex dictis ad secundum argumentum. Minor verò in qua est difficultas probatur; ratio namque immaterialitatis substantialis nullam dicit connexionē cum vi radicaliter

intellectiva: Ergò. Probat. anteced. primo: nāque ratio spiritualitatis solum dicit penetrabilitatem cum alia re à se omnino divisa; penetrabilitas autem etiam ut conjuncta cum prædictato substantiae non dicit vim intellectivam radicalem: Ergò.

38 Secundo: nam talem connexionem non dicit ex conceptu spiritualitatis, ut abstrahentis à substantia, & accidenti; neque ex conceptu substantiae, ut abstrahentis à spirituali, & corporea; aliud in coniunctione utriusque nulla appetit ratio talem connexionem suadens: Ergò.

39 Tertio: non implicat substantia spiritualis non vivens; sed illa non esset cognoscitiva: Ergò. Probat. maj. non implicat substantia spiritualis imperfectior substantia materiali vivente; sed illa non esset vivens, alias esset perfectior, cum viveret vita spirituali: Ergò. Prob. maj. nam licet substantia spiritualis ex genere excedat substantiam omnem materialem, etiam viventem, potest tamen ratione differentia ab ea excedi, sicut licet substantia naturalis ex genere excedat accidens, defactò tamen ratione differentia exceditur ab aliquo accidenti, ne hpc à gratia; quia genus substantiae contrahitur ad esse naturale per ignobiliorum differentiam ea, qua contrahitur genus accidentis ad esse gratia; & idem est de actu fidei, & charitatis: Ergò à simili.

40 Quarto: licet possibilis non sit substantia immaterialis titulo perfectionis, quæ nimis ratione immaterialitatis excedat substantias materiales, quæ intellectiva non sit, secundum tamen substantia immaterialis titulo imperfectionis, quæ nempè imperfectior sit substantia materiali; sed hæc intellectiva non esset: Ergò. Probat. maj. tum quia immaterialitas consistit in negatione materie, quæ convenire potest, & defactò convenit alijs nimis perfectis, quam sit substantia materialis, ut privatio, & omne ens rationis: tum etiam quia negatio nullam dicit perfectionem: Ergò negatio dependentia à materia potest convenire substantiae imperfectiori substantia materiali: tum denique nam dabilis non est substantia ita imperfecta qua imperfectior dari non posse: Ergò dabilis erit substantia imperfectior substantia materiali: sed hæc necessario esset immaterialis: Ergò.

41 Quinto: non implicat substantia materialis non operativa operatione materiali: Ergò neque implicat substantia spiritualis non operativa operatione spirituali. Anteced. constat: nam juxta D. Thom. in 2. distinet. 2. q. 2. art. 3. Cœlum Empyreum operativum non est. Conseq. vero prob. nam si implicaret substantia spiritualis non operativa operatione spirituali, ideo esset

quia unumquodque operatur secundum quod est in actu; undè ad esse in actu spirituali debet sequi operatio spiritualis; hac enim sola ratione probat Div. Thom. infra quæst. 25. art. 1. Deo maximè competere operari, quia ei maximè coppetit esse in actu; at hæc ratio æque convincit de forma constitutente in actu materiali, ac de forma constitutente in actu spirituali: si ergò hoc non obstante possibilis est substantia materialis non operativa operatione materiali, possibilis etiam erit substantia spiritualis non operativa operatione spirituali.

42 Sexto: sic ad esse immateriale sequitur ratio cognoscitivi, sicut ad esse cognoscitivum sequitur ratio appetitivi; at non implicat cognoscitivum non appetitivum, sicut neque implicat Deum producere animal cum sensibus externis sine internis, quia appetitus animalis non sequitur sensus externos, sed internos, ut docet Div. Thom. infra q. 78. art. 4. Ergò.

43 Tandem: licet ex negatione substantiae immaterialis inferatur negatio cognoscitivi, non tamen ex negatione cognoscivi infertur negatio substantiae immaterialis: Ergò possibilis est substantia immaterialis non cognoscitiva. Prob. anteced. ratio cognoscitivi supponit substantiam immateriale perfectè constitutam: Ergò ex negatione cognoscitivi non infertur negatio substantiae immaterialis, sicut ex negatione posterioris, non infertur negatio prioris, v. g. ex negatione proprietatis negatio essentiae.

44 Ad hoc argumentum resp. conced. maj. & neg. min. ad ejus probationem negatur anteced. ad cuius primam probationem nego maj. namque sicut penetrabilitatem dicit propter ex conclusionem quantitatis, quæ sola impenetrabile constituit, sic dicit vim intellectivam radicalem propter exclusionem materie, quæ sola coactat, & impedit cognitionem.

45 Ad secundam probationem concedo majorem, & nego minor. nam in coniunctione utriusque prædicti appareret capacitas suscipiendi formas aliorum, in qua vis intellectiva radicallis consistit; poniturque exemplum in substantia supernaturali creata, si forte sit possibilis, quæ prædictam connexionem non dicit ex conceptu supernaturalis, ut abstrahentiæ substantia, & accidenti, aliter omnis accidens supernaturale esset intellectivum; neque ex conceptu substantiae, ut abstrahentis à supernaturali, & naturali, aliter omnis substantia naturalis intellectiva esset. Unde non licet inferre in coniunctione utriusque non apparere rationem istam connexionem suadentem; nisi forte dicatur, possibilem esse substantiam supernaturalem non intellectivam, quod hucunque in auditum est.

46 Ad tertiam probationem Oxomensis respondet, quod licet ita sit in exemplis allatis, secus tamè in nostro casu; hoc probat, sic nam in qualibet natura conceptus essentiae, qui ei convenit per ordinem ad esse, est prior conceptus naturæ, qui ei convenit per ordinem ad operationem, illeque conceptus convenit ratione primi, & cum illo proportionatur; differentia autem contractiva substantiae spiritualis per ordinem ad esse non potest non esse perfectior differentia contractiva substantiae materialis, siquidem illa in esse dependet à materia, secus verò ista: Ergò. Confirmatur primo: nam quò aliquod ens magis enti primo assimilatur, eo est perfectius absolute, sed differentia spiritualis magis accedit ad Deum, magisque illi assimilatur, quam differentia materialis: Ergò. Confirmatur secundo: nam quod in aliquo excedit, est absolute perfectius, nisi aliundè resartiatur excessus; sed differentia contrahens substantiam spiritualis in aliquo excedit omnem differentiam contrahentem substantiam materiale, & alias non est undè iste excessus resartiatur inspectis his differentijs per ordinem ad esse: Ergò.

47 Instat tamè argumentum hoc Reverendissimus Bayona in suis manu scriptis in excessu allato gratia supra substantiam; omnis namque substantia est independens à subiecto, & tamè adhuc considerata per ordinem ad esse non est simpliciter perfectior aliquo accidenti, ut gratia, esto sit nobilior secundum quid, & in modo essendi: Ergò ad rei perfectionem dignoscendam non solum modus essendi per se, vel in alio in materia, aut sine materia, sed etià natura in illo modo essendi contēta pensanda est; undè species intelligibilis spiritualis potest esse imperfectior accidenti corporeo, & ab illo mensurari; quia licet excedat in modo essendi sine materia, exceditur in natura, quę perfectior invenitur ad extra. Hinc ad argumentum Oxomensis responderet, quod omnis differentia spiritualis excedit in modo essendi sine materia, ac proindè secundum quid, non tamen simpliciter, cum ad illam possint sequi operationes minus perfectæ, quam ad differentiam substantiae materialis. Ad primam confirmationem distinguit anteced. magis assimilatur secundum quid, & in modo essendi, concedo; simpliciter, & in natura, nego. Ad secundam confirmationem negat minor. quoad secundam partem; quia resarciretur excessus per esse radicativum nobiliorum operationum.

48 Sed tamè ego etiam in isto hoc argumentum in substantia supernaturali creata possibili in aliquorum sententia, nam certè de hac posset fieri idem argumentum, nempe posse cum excessu generico supernaturalitatis substi-

tiae excedi simpliciter ab a' iqua substantia naturali excessu proveniente ex differētia ejus specifica, ita ut excessus in modo essendi supernaturaliter resarciretur per esse radicativum nobiliorum operationum. Et quis dicat posse genus angelicum contrahi per differentiam imperfectiorum differentia contractiva generis sensitivi? Cū ergò hoc exempla allata non convincant, dicendum judico ex eis solum deduci repugnantiam substantię spiritualis imperfectioris substantia aliqua materiali non recte probari per excessum genericum consequētia formalis, quasi benè valeat: excedit in genere: Ergò in specie, cum hæc consequentia instetur in exemplis allatis; benè tamè consequentia materiali; quia genus substantię spiritualis est talis naturę, quod sub se non potest permettere differentiam contractivam imperfectiorem differentia contractiva generis substantiae materialis, sicut alia genera perfectiora. Etsi hujus petas rationē, illa eadem est, qua probamus implicationem substantiae spiritualis non intellectivę; quia nempè eo ipso est nata suscipere formas aliorum, caretque materia, quæ sola est principium coarctationis, & limitationis, consequenterque talis substantia non potest non esse vivens vita intellectuali, neque potest non excedere quamlibet substantiam materiale viventem. Immórum cum esse intellectivum ei conveniat ex genere substantię spiritualis, & differentia contractiva non possit non esse intra genus contractum; quod probat argumentum est non quod substantia spiritualis secundum differentiam specificam non sit intellectiva, sed quod hæc differentia intellectualitatis inferior sit differentia aliqua contractiva substantiae materialis, quod in intelligibile est. Ac tandem ex eo quod possibilis esset talis substantia non vivens, ex forma argumenti non probatur eam esse imperfectior substantia aliqua materiali vivente, patet namque quod Cœlum non est vivens, & excedit muscas, & lacertas, & similiter aliqua potentia non vitalis; quia spiritualis ut intellectus agens excedit vires sensitivas, quæ vitales sunt.

49 Ad quartam probationem respondeatur negando major. hoc enim ipso quod substantia spiritualis sit, non potest non excedere omnem substantiam materiale. Ad primam illius probationem respondeatur, quod licet immaterialitas possit explicetur per negationem, in illa tamè non consistit, sed in positiva entitate, seu actualitate independenti à materia, privationi autem, & enti rationis convenit sola immaterialitas negativa. Ad secundam illius probationem respondeatur: negationem dependentiae à materia formaliter nullam dicere perfectionem, secus tamen fun-

fundamentaliter, & presuppositivè sumpta nē p̄ pro entitate, & actualitate in qua fundatur. Ad ultimam illius probationem distinguitur anteced. non est dabilis substantia ita imperfecta, qua imperfectior dari non possit intra idem genus substantiae, concedo anteced. intra diversum genus substantiae nego anteced. id est, intra genus substantiae materialis non est dabilis substantia ita imperfecta, qua imperfectior dari non possit, & similiter intra genus substantiae spiritualis; non tamen dabilis est substantia intra genus spirituale, quæ imperfectior sit substantia intra genus materiale, genus namque substantiae materialis, ita imperfectum est intra genus substantiae ut sic, ut dabile non sit aliud genus substantiae imperfectius.

50 Ad quintam probationem respondeo mihi evidens esse argumentum factum pro probatione consequentiae: undè nego possibilem esse substantiam materiale non operativam operatione materiali, saltē radicaliter, & exactivè, namquè posse Deum producere substantiam sine potentij, vel eis denegare concursum ad operandum, extra controversiam est. Ad probationem in contra duplicitè respondent thomistæ, aliqui enim dicunt Div. Thom. non negare Cœlo Empyreo virtutem operativam proximam, vel radicalem, sed solum actualē influxum, ut patet ex solutione ad secundum ibi, ubi sic ait: *Dicendum quod lux Cœli Empyrei non est per modum fulgoris irradiantis in alia corpora, & ideo neque etiam illuminationem in alia corpora influit. Cujus ratio est quia cum sit virtuosissimum, & maximum sine lumine solis omnia illuminaret.* Ecce ubi Cœlum Empyreum vocat virtuosissimum, & consequenter ei non denegat virtutem operativam proximam, vel radicalem, sed solum actualē influxum.

51 Alij autem thomistæ respondent Div. Thom. expressè retractante sententiam illam infra quæst. 66. artic. 3. ad secundum ubi sic expressè habet: *Dicendum quod satis probabile est quod Cœlum Empyreum secundum quosdam, cum sit ordinatum ad statum gloriae non habet influentiam in inferiora corpora, quæ sunt sub alio ordine, utpote ordinata ad naturalem rerum decursum.* Probabilius tamen videtur dicendum quod sicut supremi angeli, qui asistunt, habent influentiam super medios, & ultimos, qui mittuntur, quavis ipsi non mittantur secundum Dionysium, ita Cœlum Empyreum habet influentiam super corpora, quæ moveantur, licet ipsum non moveatur. Et propter hoc potest dici quod influit in primum Cœlum, quod moveatur non aliiquid transiens, & adveniens per mo-

rum, sed aliquid fixum, & stabile: puta virtutem continendi, & causandi, vel aliquid hujusmodi ad dignitatem pertinens.

52 Sed quia illud Div. Thom. censet probabile, hac probabilitate supposita, urget argumentū de substantia inmateriali, ideoque standum judico primæ interpretationi: sed statim contra eam non levia objicienda se offerunt: & primo, quod Cœlum Empyreum erit perpetuo violentum, utpote perpetuo carens operatione sibi connaturali, & applicatione sibi debita. Secundo quod Cœlum Empyreum esset frustra, nam substantia, & esse est propter operari; vel saltim esset frustranea potentia illius proxima, frustranea enim est potentia, quæ ad minimū in aliquo individuo aliquando non reducitur ad actum, & Cœlum Empyreum est unicum in dividuum siue speciei. Haec enim ratione probat D. Thom. frustra in anima Christi fore intellectum agentem, nisi in ea ponatur scientia ex suo genere acquisita, quia eo ipso careret propria operatione.

53 Sed respondetur: quod violentum solum dicitur illud quod caret operatione, vel applicatione sibi debita propter se, secūs autem cum solum ei debetur propter alium finem, nam tunc solum erit violentum, cum ad illum finem est necessaria, non vero cum necessaria non est; operationes autem cœlorum eis non debentur propter se, sed propter conservationem inferiorum corporum; ad quem finem operatio Cœli Empyrei necessaria non erat in illa sententia, quam tenebat D. Thom. Et sic non sequitur Cœlum Empyreum fore in tali casu violentum.

54 Neque inde sequitur esse frustra, quia sine operatione cedit in ministerium beatorum, ut illorum sedes. Esse autem est propter operari tanquam propter finem duntaxat proximum, sed tanquam propter finem ultimum est propter sedem beatorum; undè si ad hunc finem potest sine operatione deservire, non sequitur esse frustra, quamvis operatione perpetuo careat, neque similiter sequitur potentiam illius operativā frustraneam esse, quia ex una parte est necessaria ad complementū substantię cœli, esset enim imperfecta sine tali potentia: aliud è ejus operatio incomponibilis est cum fine ultimo, & superiori ob quem creata fuit; quippe Cœlum Empyreum fuit creatum tanquam propter ultimum finem ut esset sedes beatorum; ad hoc autem necessarium est, ut quiescat, & motu careat; cum tamen in illa sententia Div. Thom. sine motu influere non posset. Et ex hoc patet disparitas ad id quod subjungitur de intellectu agente in anima Christi, licet enim sine operatione esset in anima Christi illius complementum, adhuc tamen esset frustra,

quia illius operatio incomponibilis non est cum fine ultimo, ob quem anima Christi creata fuit, scilicet ab unionem cum verbo, & potentia carrens fine proximo componibili cum ultimo fine frustranea est.

55 Ad sextam probationem respondetur non implicare Deum producere animal cum sensibus externis sine internis quoad existentiam, secus verò quoad exigentiam, nam ut loco citato docet D. Thom. natura animalis etiam imperfecti petit, ut querat convenientia, & fugiat nociva; ac proinde petit facultatem discretivā inter conveniens, & nocivum, quæ facultas pertinet ad sensus internos, non ad externos: nempe ad sensum communem discernere inter conveniens, & nocivum quoad sensum, & ad estimativam discernere inter conveniens, & nocivum quoad alias utilitates, & documenta naturæ. Unde folium infertur non implicare substantiam spiritualem non cognoscitivam actu, & formaliter, secus verò exactivè, & radicaliter.

56 Ad ultimam probationem pariter respondetur: quod licet ex negatione posterioris quoad existentiam non inferatur negatio prioris, bene tamè ex negatione posterioris quoad radicem; sicut ex negatione passionis quoad radicem, infertur negatio essentiae, quæ illius radix est, & consequenter licet ex negatione cognoscitivi actu, & formaliter, seu quoad existentiam, non inferatur negatio substantiae immaterialis, bene tamè ex negatione cognoscitivi, radicaliter.

57 Sexto objicies: si immaterialitas sit ratio à priori activæ cognoscibilitatis, cum æquale immaterialitate non posset non esse æqualis cognoscibilitas; at hoc est falsum, ut patet in angelis, qui in immaterialitate æquales sunt, & in activa cognoscibilitate æquales non sunt, ut potè angeli quo superiores sunt, intelligunt per universaliores species: Ergò. Prob. min. quoad primam partem in qua est difficultas; omnes nāque angeli sunt immateriales per exclusionem omnis materiae: id est nedum particularis, quam etiam excludunt naturæ materiales, sed etiam communis, cum nullius angeli natura composta sit ex materia, & forma: omnes ergò æquales sunt in immaterialitate.

58 Dices quod omnes angeli æquales sunt in immaterialitate ex parte termini à quo, seu sumpta immaterialitate pro recessu à materia; non tamen ex parte termini ad quem, seu sumpta immaterialitate pro actualitate, & perfectione, quia unus angelus actualior est alio, unusque potentialior alio est. Sed contra; nam juxta Div. Thom. q. 12. art. 4. & alijs in locis, actualitas, & perfectio angeli non in alio consi-

lit, quam in eo quod sit forma per se subsistens, ejusque potentialitas non in alio, quam in eo quod non est suum esse; at in hoc omnes angelii sunt æquales, omnes enim sunt formæ per se subsistentes, nullusque illorum est suū esse: Ergò omnes æquales sunt in immaterialitate, nedū ex parte termini à quo, sed etiam ex parte termini ad quem.

59 Sed respondetur, hanc actualitatem, & potentialitatem esse genericam eis convenientē ex gradu immaterialitatis, secundum quem elevantur supra omnes naturas corporeas; intra illum tamè invicē specificè se excedunt in actualitate, & perfectione, quia est gradus entis potentialis, qui patitur latitudinem. Qui excessus attenditur penes major. vel minor. accessum ad Deum, seu divinam actualitatem; quia, ut docet Div. Thom. 3. p. q. 27. art. 5. *Quo aliquid magis apropinquat principio in quolibet genere, tanto magis participat effectum illius principij,* undè Dionysius ait quod angelii, qui sunt Deo propinquiores, magis participant de bonitatibus Divinis, quam homines. Et infra q. 55. art. 3. in corp. habet: *Quod ex hoc sunt in rebus aliqua superiora, quod sunt uni primo, quod est Deus, propinquiora, & similiora.* Unde infertur superiores angelos intelligere per species universaliares, quam inferiores.

60 Septimo objicies, licet ita sit, quod cognoscibilitas activa creata demonstrari possit per creatam immaterialitatem, cognoscibilitas tamen activa increata, seu divina intellectualitas demonstrari non potest per increatam immaterialitatem: Ergò. Prob. anteced. licet immaterialitas creata intelligatur primò, & ut ratio intellectualis, immaterialitas tamen increata non intelligitur primò, & ut ratio intellectualis increata: Ergò licet illa possit demonstrari, secus verò ista. Consequentia patet; quia demonstratio debet procedere ex prioribus, causisque conclusionis. Anteced. verò probat. id quod primò in Deo intelligitur tanquam ratio ceterorum est ipsa divina intellectualitas: Ergò immaterialitas increata non potest intelligi primò, & ut ratio intellectualis. Consequentia patet, & anteced. prob. nam in sententia Thomistarum, divina natura constituitur per intelligere; sed constituitur per id quod primò in Deo intelligitur tanquam ratio ceterorum: Ergò id quod primò in Deo intelligitur tanquam ratio ceterorum est ipsa divina intellectualitas.

61 Sed respond. primò, quod divina natura constituitur per intelligere non formale, sed radicale. Unde solum prob. quod intelligere radicale sit id quod primò in Deo intelligitur tanquam

quam ratio ceterorum : consequenterque id demonstrari non posse per immaterialitatem , cum potius immaterialitas ipsa adhuc virtualiter non distinguatur ab intellectualitate radicali , ut potè hæc pertinet ad lineam essendi . Non tamen prob. demonstrari non posse intellectualitatem formalem , ut intellectus , vel intellectio . Immò hanc solam demonstrati ratione Div . Thom . patet ex ultimis illius verbis , quibus concludit: Unde cum Deus sit in summo immaterialitatis , sequitur quod ipse sit in summo cognitionis .

62 Quia tamen ratio Div . Thom . coarctanda non est ad sententiam afferentem divinam naturam constitui per intelligere radicale , cum plures Thomistæ teneant eam constitui per intelligere actuale ; pluresque ex afferentibus eam constitui per intelligere radicale , affirment rationem Div . Thom . demonstrare etiam ipsam intellectualitatem radicalem , sicut & quod Deus naturæ intellectualis sit ; ideo non faciendo vim in Verbo intelligere radicale , vel actuale ; melius respond . disting . aliter maj . divina natura constituitur per intelligere adæquate : hoc est tamen sub conceptu naturæ , quam sub conceptu essentiæ , nego ; in adæquate : hoc est , pure sub conceptu inadæquato naturæ , concedo ; & disting . min . eisdem terminis , sed constituitur per id quod primò in ea intelligitur tanquam ratio adæquata ceterorum , concedo ; tanquam ratio pure inadæquata , sub distinguo ; vel sub conceptu inadæquato naturæ , vel sub conceptu inadæquato essentiæ , concedo ; sub utroque nego . Unde tandem solum infertur quod id , quod primò in Deo intelligitur sub conceptu naturæ , & tanquam ratio inadæquata ceterorum est sola divina intellectualitas . Restat tamen probare hanc inadæquatam rationem esse ita primam , ut immaterialitatem non supponat tanquam constitutivam divina naturæ sub conceptu inadæquato essentiæ .

63 Itaque , ut dicemus dubio 3 . sequenti , thomistæ afferentes divinam naturam constitui per intelligere sive radicale , sive actuale , non ita accipiēdi sunt ac si excludant immaterialitatem à constitutivo divina naturæ , sed pro eodem accipiunt intelligere , ac substantiam immaterialis & intellectualis in Deo non distinguntur virtualiter adæquate , sed inadæquate penes diversa munera ejusdem formæ , quia ut immaterialitas constituit in esse indepedenter à materia , & ut intellectualitas constituit in esse intellectuali , seu operativo ; eadem formæ est que constituit in esse , & in operari , quia operari sequitur ad esse . Hinc quia essentia dicitur per or-

dinem ad ordinem ad operari , qui est conceptus inadæquate , & penes diversa munera . Iti , ut tenent omnes thomistæ ( Cornexo excc . 10 ) dicunt consequenter , quod divina natura sub conceptu inadæquato essentiæ constituitur per immaterialitatem à se , & sub inadæquato conceptu naturæ per intellectualitatem ; adæquate tamen , & sub utroque conceptu per rationem entis substancialis immaterialis radicaliter , seu actualiter intellectivi juxta diversas sententias .

64 Unde tandem infertur , quod quia conceptus essentiæ prior est conceptu naturæ , ut potè prius forma concipitur , ut dans esse , quam ut dans operari , & pariter est ratio illius , quia in tantum aliquid operatur in quantu est in actu , consequenter immaterialitas adhuc in Deo concipitur primo , & ut ratio intellectualitatis ; unde per eam demonstrari potest : non enim obstat al' qua inadæquate solum distingui , ut unum demonstretur per aliud , quod est primum , & ratio alterius , ut conceptus naturæ à priori demonstratur per conceptum essentiæ , sicut una ex definitionibus animæ , in qua dicitur esse , qua vivimus , loco movemur , & intelligimus , demonstratur per alteram , in qua dicitur esse actum primū corporis organici potentia vitam habentis , ut patet ex libris de anima , quia conceptus essentiæ prior est , & ratio conceptus naturæ . Et similiter volitivum radicale à priori demonstratur per intellectivum radicale à quo inadæquate solum distinguitur : ut potè idem principium radicans intellectum , eo mediante radicat voluntatem . Ac tandem radicale discursivum in homine demonstratur per radicale compositivum , quod utrumque principium est solum inadæquata distinctionum , quia utrumque differentialiter constituit ; & hoc ideo quia intellectivum radicale est prius , ratione volitivi radicalis , & pariter compositivum in homine est prius , ratione discursivi .

65 Hinc nota quod cum dicitur differentiam essentiale demonstrari non posse , intelligitur de differentia essentiali adæquata , non vero inadæquata , si aliam inadæquatam supponit , quæ sit prior , & ratio illius . Pariter cum dicitur differentiam essentiale immediatè convenire subiecto , proptereaque non habere medium per quod demonstretur , intelligitur de convenientia immediata per exclusionem medij constituentis adæquate , non vero per exclusionem medij constituentis inadæquate . Ac tandem cum dicitur essentiam cuiuslibet rei lumine naturali cognosci , intelligitur de essentia rei sub priori inadæquato conceptu , qui proinde non supponit alterum , qui sit ratio illius , secus vero sub

conceptu posteriori, quæ omnia constat per exempla allata.

66 Solum, ergo contradiicta videtur obstat: quod si semel immaterialitas solum inadæquate distinguitur ab intellectualitate, non potest esse causa virtualis illius, & consequenter nequit esse principium, unde intellectualitas demonstratur, cum demonstratio nedium debeat procedere ex prioribus, sed etiam ex causis conclusionum. Prob. anteced. quia causa realiter influens in effectum debet adæquate realiter ab effectu distinguiri: Ergo causa virtualiter influens in effectum debet adæquate virtualiter ab illo distinguiri.

67 Respond. Oxomensis anteced. non esse universaliter verum, quia materia realiter influit in formam, & hæc in materiam; & tamen materia, & forma non differunt adæquate, sed inadæquate, & partialiter. Sed contra est, nam aliud est esse distinctionem partium, & aliud esse distinctionem partiale: sicut aliud est esse distinctionem formarum, & aliud esse distinctionem formalem. Distinctio namque generis, & differentiæ distinctio est partium, & non partialis, sed adæquata, & totalis, utpote genus in proprio, & formalis conceptu, nendum non explicat differentiam, verum neque eam actu implicat, vel includit. Immò licet materia, & forma sint causæ partiales respectu totius, quod causat, materia tamen non est causa partialis respectu formæ, neque forma respectu materiae, sed utraque in suo genere est totalis, nempe materia in genere causæ materialis, & forma in genere causæ formalis.

68 Melius, ergo respondetur, vel quod immaterialitas non ponitur à nobis causa virtualis intellectualitatis: sed solum ratio formalis illius, causa enim in proprio, & formalis conceptu connotat imperfectionem ex parte termini, cum dicatur relate ad effectum, cuius proprium est dependere à causa, quæ dependentia omnino debet excludi ab omni prædicato divino. Unde sicut divina bonitas ponitur finis respectu Dei, non per modum causæ finalis adhuc virtualis, sed per modum rationis finalis; & divina natura ponitur principium, & radix attributorum per modum rationis formalis, non per modum causæ, etiam virtualis, sic immaterialitas ponitur à nobis non causa, etiam virtualis intellectualitatis, sed pure ratio formalis illius. Et sic exemplum causæ realiter influentis in effectum non est ad propositum. Neque obstat, quod demonstratio debet procedere ex causis, nam hoc intelligitur de causa strictè, vel largè sumpta, prout est idem ac ratio formalis, ut patet in demonstrationibus, quibus de ente metaphysica suas pa-

siones demonstrat, videlicet verū, & bonum, & theologia pariter de Deo divina attributa demonstrat, quorum divina essentia non est causa, sed solum ratio formalis.

69 Vel dicatur non faciendo vim in Verbo *causa*, anteced. esse verū de causa efficienti, non verò formalis, quippe adhuc in creatis, ut diximus, eadem forma, v. g. anima rationalis, constituit in esse specifico, & radicat operationem, quia constituit in esse specifico, proindeque ipsa, ut constituit in esse specifico, influit in genere causæ formalis in se ipsam, ut radicem operationis: cum tamen ipsa sub priori conceptu, neque realiter, neque adhuc virtualiter adæquate, sed inadæquate solum distinguatur à se ipsa sub posteriori conceptu. Pariter in nostro casu.

70 Sed dices: si semel immaterialitas ponitur ratio, seu causa virtualiter influens in intellectualitatem, non potest non ad eam comparari, ut radicans ad radicatum; at eo ipso non potest non ab ea adæquate virtualiter distinguiri, ut patet in essentia, quæ ab attributis adæquate virtualiter distinguiri, quia in ea virtualiter influit, ut radix: Ergo. Sed resp. neg. maj. & instaurat manifeste in exemplo allato essentiæ sub conceptu essentiæ, & sub conceptu naturæ; ipsa namque sub conceptu essentiæ virtualiter influit in se ipsam sub conceptu naturæ, & non per modum radicis: aliter cum conceptus naturæ sit conceptus radicis, non sub conceptu essentiæ, sed sub conceptu naturæ influeret, & ad conceptum naturæ presupponeretur idem conceptus naturæ, de quo late dub. 3. sequent. resolut. 4. ratioque à priori est, nam influxus per modum radicis est influxus per dimensionem, qui est proprius essentiæ in attributa, seu proprietates; cum tamen natura sub conceptu naturæ non sit attributum respectu sui sub conceptu essentiæ. Neque in nostro casu intellectualitas radicalis est attributum respectu immaterialitatis; & idem dicendum est de intellectualitate formalis in afferentibus divinam naturam per eam constitui. Vel si mavis, non faciendo vim in verbo *radix*, dicatur, quod essentia divina distinguitur virtualiter adæquate ab attributis, non quia in ea influit virtualiter, ut radix; sed quia in proprio, & formalis conceptu ea neque implicat, licet ea implicit ex ratione communi actus puri, ut patet ex dicendis dubio sequenti.

71 Octavo objicies ad idem: eatenùs immaterialitas est ratio cognoscibilitatis, quia est ratio, ut cognoscens fiat alia à se recipiendo formas eorum modo explicato; at immaterialitas divina non sic est ratio, ut Deus fiat alia à se recipiendo formas eorum: Ergo licet immaterialitas

rialitas creata ratio sit cognoscibilitatis, secus tamen immaterialitas divina. Minor patet, tum quia Deus tam in esse entis, quam in esse intelligibili est actus purissimus omnem excludens potentialitatem: tum quia intus existens prohibet extraneum, & Deus per naturam suam est omnia: ac tandem, quia Deus nequit actuari speciebus creaturarum, sed sua essentia, omnia intelligit.

72 Hoc argumentum totam vim ponit in illis verbis: *Fiat alia à se recipiendo formas eorum*; cum tamen Div. Thom. in sua ratione prædictis verbis non utatur, sed solum distinguat cognoscentia à non cognoscentibus per hoc quod ista nihil habent nisi formam suam tantum, secus verò illa: aliud autem est, cognoscentia habere formas aliorum, & aliud eas recipere, Deus namque virtualiter continet omnium rerum species, eas tamen non recipit, & propterè est omnia à se, licet non fiat alia à se, è contra tamen cognoscens creatum fit alia à se quia illorum formas non continent, sed recipit. Dicatur ergò quod immaterialitas est ratio cognoscibilitatis, vel quia est ratio, ut cognoscens fiat alia à se per receptionem specierum, vel quia est ratio, ut sit alia à se per illarum continentiam. Unde Div. Thom. art. 5. Sequenti docet, Deum intelligere alia à se non in se ipsis: id est per proprias illorum formas, sed in se ipso: id est per essentiam suam continentem similitudines aliorum ab ipso.

73 Sed dices contra: adhuc cognoscens creatum non fit alia à se recipiendo formas aliorum: Ergò solutio est nulla. Prob. anteced. beatus videns Deum ex una parte non fit in actu per receptionem alicujus speciei, nam essentia divina, qua in actu intelligibiliter constituitur, non recipitur in intellectu beati; allundè neque fit intentionaliter ipse Deus, quia Deus talis pure in esse intentionaliter, & intelligibili repugnat; tum quia Deus essentialiter est suum esse & sub modo illo intentionaliter à suo esse prescindet; tum quia in eo casu esset Deus cum admixtione potentialitatis, cum ille modus intentionalis non posset non realiter distingui ab ipso Deo: tum quia in Deo neque adequate virtualliter distinguitur modus essendi intelligibilis à modo essendi naturali seu entitativo, sicut neque ratio immaterialis, & ratio intelligibilis, ex quibus deduximus in tractatu de visione, quod si sensu esset possibilis species creata, quæ in esse intentionaliter esset Deus, etiam esset Deus in esse entis, & ex hujus implicatione deducimus implicare talem speciem. Et in tractatu de Trinitate patiter deducimus, non posse Verbum divinum procedere ut simile Patri in natura divina inten-

tionaliter, seu intelligibiliter sumpta, quin etiant procedat ut simile in ea sumpta substantialiter, seu naturaliter.

74 Sed ad primam partem respond. quod cum dicte intellectum creatum fieri alia à se per receptionem specierum, intelligitur cum objectum ipsum per se immediate intellectui uniri non potest, sed solum media specie ab eo immissa, vel à Deo infusa. Vel idem intelligimus per receptionem specierum: ac per novam illarum actuationem, seu informationem in esse intelligibili, ratione cuius etiam cum Angelus intelligit se ipsum, verificatur, quod fit ipsam, quia licet species, ut potè propria substantia, in intellectu ipsius non recipiatur, eum tamen noviter intelligibiliter actuatur, & informat, quod neque in Deo locum habet.

75 Circa secundam partem Magister Ferre ait esse maximam difficultatem, neque invenisse aliquem, qui eam solveret, aut etiam proponeat. Cum tamen eam proponat Div. Thom. in quarto distinct. 49. art. 1. ad 10. Quod procedebat ad probandum intellectum creatum Deum per essentiam videre non posse. Quod, & refert Oxomensis hic s. 3. num. 39. Ad probandum intellectum non fieri objectum cognitum per identitatem, sed solum per informationem: Argumentum: Ergò Div. Thom. est hujusmodi. In rebus separatis à materia idem est intelligens, & quod intelligitur; sed Deus maxime est à materia separatus, cum ergo intellectus, qui est creatus non posset pertingere, ut fiat essentia in creatu, non poterit esse, quod intellectus creatus Deum per essentiam videat. Et postquam Div. Thom. concedit, quod cum substantia separata se intelligit, idem est intelligens, & quod intelligitur, loquendo de ea secundum quod intelligit alia, sic subiungit. Secundum autem quod intelligit res alias, intellectu in actu fit unum cum intellectu in actu, in quantum forma intellectus fit forma intellectus, in quantum est intellectus in actu, non quod sit ipsam essentia intellectus &c. Quia essentia intellectus manet una sub duabus formis, secundum quod intelligit res duas successivæ; admodum quo materia prima manet una sub diversis formis. Et sic nullo modo sequitur, quod intellectus noster videns Deum fiat ipsa essentia divina; sed quod ipsa essentia divina comparetur ad ipsum, quasi perfectio, & forma.

76 Unde in forma resp. quod cum dicte cognoscens seu intelligens fieri objectum cognitum, non debet intelligi per identitatem, sed per informationem; unde non est aliud intelligens fieri intellectum, quam actuari, & informati forma ipsius intellecti. In hoc enim sensu in-

intellectus videns Deum, sit Deus, quia intelligibiliter actuatur, & in actu constituitur forma Dei, nempè essentia divina ei unita per modum speciei. Neque est simile de forma ipsa intelligibili, seu specie; hæc enim est objectum ipsum per identitatem in esse intelligibili, & propterea repugnat species creata quidditativa Dei, utpote quia esset Deus per identitatem in esse intelligibili, & non in esse entis, quod implicare demonstratur argumento facto.



## DUBIUM II.

*Utrum in Deo detur intellectus per modum actus primi virtualiter ab ejus intentione distincti.*

**I**X hujus dubij decisione pendet sequentis dubij resolutio, propterea que notanter hoc dubium 1. proponimus, ne eadem in utiliter repetamus. Et in primis ex titulo patet, sermonem non procedere de intellectu divino respective ad terminum, nempè filium, & creaturas, sic enim non est dubium quod fortitur veram rationem potentiae, & actus primi, potentia enim ad terminum comparatur ut cui communicat perfectionem, non autem ut à quo perfectionem participat, & sic respective ad terminum dicit perfectionem sine imperfectione. Solum ergo procedit sermo de intellectu divino respective ad actum secundum, qui est intellectio.

2. Et est sermo de potentia, & actu primo, non ex parte modi concipiendi, ut cum concipimus Deum admodum corporis; hoc quidem supponimus, cum intellectus noster non valeat divina concipere, nisi connotative, & ad instar, seu per analogiam ad creaturem. Procedit ergo sermo de potentia; seu actu primo ex parte rei significata; an scilicet cum intellectus noster concipit intellectum divinum per modum potentiae, & ut distinctum ab ejus intentione, tunc ratio potentiae nedum seteneat ex parte nostri modi concipiendi, verum etiam ex parte rei concepta, ita ut divinus intellus sit in re formalis potentia, vel non? Et quia omnia in Deo sunt unum nisi ubi obest relationis oppositio, ideo solum inquirimus de potentia virtualiter ab intentione distincta, & talis solum per virtualem elicientiam, non per realem influxum: sicut divina natura formaliter, & prout in re participat conceptum naturae, scilicet principij radicalis, non realiter, sed solum virtualiter ab attributis distincti, & pariter omnia attributa secundum proprios illorum conceptus sunt for-

maliter in Deo, unumque est ratio, & principium alterius cum sola distinctione virtuali illorum inter se.

3. Hæc auten distinctio virtualis est duplex, alia inadæquata, & alia adæquata. Et quia distinctio virtualis id est, ac distinctio fundamentalis, seu fundamentum, ut intellectus noster distinguat quæ in re identificata sunt, ideo ab aliquibus assignatur differentia inter utramque distinctionem penes id quod distinctio inadæquata est, dum fundamentum est duntaxat noster imperfectus modus cognoscendi, quia unde diximus divina non possumus concipere, nisi connotative, & ad instar creaturarum. Adæquata vero est cum fundamentum est in re; unde illam vocant distinctionem rationis ratiocinantis, hanc vero rationis ratiocinatae. Hanc vero differentiam non recte assignari patet ex eo, quod datur etiam distinctio rationis inadæquata cum fundamento in re, ut videre est in immaterialitate, & intelligibilitate; nam intelligibilitas à priori demonstratur per immaterialitatem, ut patet ex dictis dabo praecedenti inter utramque: Ergo est ordo prioris, & posterioris cum fundamento in re, aliter secundæ intentiones ad prædictam objectivam demonstrationem concurrentes, non essent entia rationis cum fundamento in re; unde neque pertinerent ad objectum Logicae. Pater autem quod ordo prioris, & posterioris cum fundamento in re importat distinctionem rationis, cum fundamento in re, cum tamen immaterialitas, & intelligibilitas solum inadæquate distinguuntur. Hoc idem constat in conceptu essentiae, & naturæ, qui solum inadæquate sunt distincti, ut dicemus dubio sequenti resolut. 4. juxta communem thomitarum doctrinam, & inter ipsos est etiam ordo prioris, & posterioris cum fundamento in re, cum conceptus naturæ demonstretur per conceptum essentiae. Hoc idem patet in relatione in qua conceptus *Ad*, & conceptus *in* solum inadæquate distinguuntur; cum tamen conceptus *in* sit prior cum fundamento in re conceptu *Ad*, unde in divinis relatio secundum conceptum *Ad* generationem supponit, cum in ea fundetur, secundum vero conceptum *in* ad generationem supponitur, cum prout sic personam constitutat, & omnis operatio personæ constitutam supponat, ut docet D. Thom, infra q. 40. art. 4. Melius ergo procedunt, qui eo ipso, quod negant inter prædicta aliqua distinctionem fundamentalis in re, pariter negant distinctionem aliquam virtualē etiam inadæquatam; quippe per distinctionem virtualē solum intelligitur distinctio fundamentalis in re; ea enim solum virtualiter dicuntur distinguui, quæ præbent fun-

fundamentum, ut intellectus noster ea distinguat.

4 Differentia ergo inter distinctionem adequatam, & inadæquatam est quod distinctio adequata est inter ea, quæ licet identificantur inter se, pertinent tamen ad diversam lineam: distinctio vero inadæquata est inter ea, quæ ad eandem lineam pertinent, intra eam tamen exercent diversa munia, seu officia. Exemplum primæ est intellectus, & voluntas, quæ ad diversam lineam pertinent, videlicet intellectivam, & voluntivam, & propterea quamvis identificantur in Deo, in illo virtualiter adæquate distinguuntur, quo etiam modo distinguitur natura ab attributis, & attributa inter se. Exemplum secundæ est in exemplis allatis immaterialitatis, & intelligibilitatis, quæ ad eandem lineam, nempe intellectivam pertinent, intra eam tamen exercent diversa munia; quia ut immaterialitas est ad se, & ut intelligibilitas est per ordinem ad intellectum; similiter essentia, & natura ad eandem lineam pertinent, ut tamen est essentia constituit, & ut est natura radicat; pariter conceptus in, & ad in relatione pertinent ad eandem lineam, nempe voluntivam, sed secundum conceptum in inhæret; secundum vero conceptum ad respicit terminum.

5 Restat tamen nunc scire, quæ pertineant ad eandem lineam, quæ vero ad diversam? Et est sententia communis, quod ea pertinent ad eandem lineam, quorum unum ex propria ratione formalis, ex proprioque specifico conceptu, aliud includit, licet illud non explicet secundum proprium munus, ut in exēpli allatis, immaterialitas enim ex propria ratione formalis, ex proprioque specifico conceptu includit intelligibilitatem, eam tamen non explicat secundum proprium munus, videlicet secundum ordinem, quem dicit ad intellectum; eodem modo conceptus ad in relatione includit conceptum in, & ratio naturæ rationem essentiae. E contra vero ea pertinent ad diversam lineam, quorum unum ex propria ratione formalis, ex proprioque formalis, & specifico conceptu aliud nedum non explicat, verum neque includit, ut patet in intellectu, & voluntate, essentia, & attributis.

6 Sed restat adhuc explicare, quæ ex propria ratione formalis, ex proprioque formalis conceptu aliud includant, necne? Pro quo est valde notandum, quod perfectiones, quæ inventiuntur in Deo, & creaturis dupliciter posunt considerari: uno modo ex genere suo, & in sui abstractione, alio modo secundum quod sunt in Deo, & creaturis; in Deo enim sunt secundum rationem actus puri, & infiniti simpliciter; in creaturis vero secundum rationem actus poten-

tialis, & simpliciter finiti, ex genere autem suo, & in sui abstractione neque includunt rationem actus puri, & infiniti simpliciter, neque includunt rationem actus potentialis, & simplicitet finiti possit loquendo, sed permissive se habent ad utramque istam rationem, ad primam prout in Deo, ad secundam prout in creaturis. Quod ergo perfectionibus convenit secundum quod sunt in creaturis, convenit eis quia creare, & sic eis convenit ex ratione communis actus potentialis, & simpliciter finiti, in qua omnes perfectiones create convenient; non vero ex propria ratione formalis secundum quam una perfectio distinguitur ab alia, v.g. voluntati secundum quod est in creaturis convenit quod non identificet suam ultimam actualitatem, sed ab ea realiter distinguatur, quod non ei convenit secundum quod distinguitur ab intellectu, vel ab essentia, seu à qualibet alia perfectione creatâ: id est non ei convenit in quantum voluntas, sed in quantum creatâ, finita, & potentialis, in qua ratione intellectus, voluntas, & essentia creatâ convenient; proptereaque omnes iste perfectiones convenient in eo, quod est non identificare suam ultimam actualitatem, sicut neque essentia creatâ suam identificat existentiam, neque voluntas suam volitionem, neque intellectus suam intellectionem. Pariter quod perfectionibus convenit secundum quod sunt in Deo, convenit eis, quia divinæ, & sic eis convenit ex ratione communis actus puri, & simpliciter infiniti, in quo omnes perfectiones divinæ convenient; non vero ex propria ratione formalis, secundum quod una perfectio divina distinguitur ab alia, v.g. voluntati divinæ secundum quod est in Deo convenient, quod sit sua ultima actualitas, quod non ei convenit secundum quod distinguitur ab intellectu, vel ab essentia, seu ab aliqua perfectione divina: id est non ei convenit in quantum voluntas, sed in quantum divina, infinita, & actus purus, in qua ratione intellectus voluntas, essentia, ceteraque divinæ perfectiones convenient; unde, & convenient in eo quod est identificare suam ultimam actualitatem, sicut essentia divina identificat suam existentiam, & voluntas suam volitionem, intellectusque suam intellectionem. Illud ergo perfectionibus divinis, & creatis convenient ex propria ratione formalis, ex proprioque formalis, & specifico conceptu, nempe secundum quod una perfectio distinguitur ab alia, quod eis convenit ex genere suo: & in sui abstractione, v.g. illud convenient intellectui creare, vel divino ex propria ratione formalis, ex proprioque specifico conceptu, secundum quod distinguitur à voluntate, quod ei convenient in quantum intellectus, ut sic enim so-

lum distinguitur à voluntate; non verò quod ei convenit in quantum divinus, quia in hoc potius cum voluntate convenit.

7 Ex quibus sequitur ad nostrum intentum quod ad cognoscendum an unum prædicatum aliud includat ex propria ratione formalis, ex proprioque specifico conceptu, non est attendendum ad id, quod eis convenit secundum quod sunt in Deo, vel in creaturis, ut potè quidquid eis prout sic convenit, commune est ceteris prædicatis, sed est attendendum ad id quod eis convenit ex genere suo, & in sui abstractione. Licet enim in creaturis perfectiones dispersæ, & realiter divisæ inveniantur, adhuc tamen retinent proprium, & formalem conceptum, qui eis ex genere suo, & in sui abstractione convenit. Et pariter, licet in Deo omnes perfectiones gaudeant summa identitate, adhuc etiam retinent proprium, & formalem conceptum, qui eis ex genere suo, & in sui abstractione convenit; & propterea in Deo cum fundamento in re distinguimus intellectum, & voluntatem, essentiam, & attributa, quæ distinctione pure pensatur penes id quod cuilibet convenit ex genere suo, & in sui abstractione, quia secundum id, quod eis convenit prout in Deo, nulla prorsus gaudent distinctione, sed summa unitate.

8 Ex quibus tandem infertur, quod ea in Deo pertinent ad diversam lineam, quorum unum licet aliud includat ex ratione communi actus puri, quod habent in quantum est in Deo, non tamen illud includit ex genere suo, & in sui abstractione: hoc enim est illud non includere ex propria ratione formalis. Quapropter licet intellectus prout in Deo, & quia divinus, qua ratione est actus purus, & infinitus simpliciter, includat voluntatem, immò prout sic quodlibet attributum omnia divina prædicata includit, nihilominus intellectus, & voluntas in Deo pertinent ad diversam lineam, quippè intellectus ex genere suo voluntatem non includit; & ex eadem ratione cetera attributa etiam pertinent ad diversam lineam, quia in eorum abstractione in vicem non se includunt.

9 Est tamen maximè pro completa intelligentia notandum, quod perfectio simpliciter simplex in sui abstractione potest dupliciter considerari: uno modo in sui abstractione totali, seu per modum conceptus analogice communis Deo, & creaturis, alio modo in sui abstractione formalis ab omni subjecto, quomodo consideratur per modum per se subsistentis; consequenter prout sic concipitur infinita, & actus purus intra propriam lineam, & speciem; unde communiter dicitur quod si daretur albedo per se subsistens à parte rei, esset infinita in specie albe-

dinis. In Deo ergò reperiuntur perfectiones simpliciter simples, nedum secundum primum conceptum, quem habent in sui abstractione totali, ut analogice communem, quomodo etiam reperiuntur in creaturis; verumtamen cum ea puritate, & perfectione, quam habent ex via abstractionis formalis. Et sit quilibet perfectio in Deo adhuc ex propria ratione formalis, ex proprioque specifico conceptu debet esse infinita: & actus purus intra propriam lineam, & speciem; non tamen requiritur quod ex propria ratione formalis includat perfectionem pertinentem ad aliam lineam: licet semper sit necesse quod eam includat ex ratione communi actus puri, quod habet in quantum divina, seu prout in Deo.

10 Ex quo ulterius sequitur, quod sicut ex propria ratione formalis solum est actus purus, & infinita intra propriam lineam, sic ex propria ratione formalis solum excludit potentialitatem ad perfectionem ejusdem linea, non tamen ad perfectionem alterius linea, sicut intellectus in Deo ex propria ratione formalis excludit potentialitatem ad perfectionem propriæ linea, ut potè intra eam est actus purus, & infinitus adhuc ex propria ratione formalis; non tamen ex propria ratione formalis excludit potentialitatem ad perfectionem linea volitivæ, sed hanc solum excludit ex ratione communi actus puri. Neque hoc est dicere, quod ex propria ratione formalis includit potentialitatem ad perfectionem alterius linea: aliud est enim non excludere potentialitatem ad perfectionem alterius linea ex propria ratione formalis, & aliud ex propria ratione formalis illam includere; ex propria enim ratione formalis solum competit divinæ perfectioni, quod ei in sui abstractione convenit, in sui autem abstractione formalis sicut permissive se habet, ut sit in Deo, vel creaturis, sic permissive se habet, ut includat potentialitatem prout in creaturis ex ratione communi actus potentialis, & simpliciter finiti, & ut excludat illam prout in Deo ex ratione communi actus puri, & simpliciter infiniti. Et sic in sui abstractione formalis, neque eam excludit, neque includit, & consequenter neque in Deo ex propria ratione formalis excludit, vel includit illam positive loquendo, licet permitat illius exclusionem ex ratione communi actus puri, sicut & in creaturis permittit illius inclusionem ex ratione communi actus potentialis.

11 His ergò prænotatis, & maxime ad intentum conductentibus, ex quorum intelligentia fere pendet tota hujus, & sequentis dubij resolutionis; duplex est in præsenti dubio difficultas, an in Deo detur intellectus per modum potentie, seu actus primi virtualiter ab ejus intellectione distin-

distinctus, quidquid sit an hæc distinctio adæquata sit, vel inadæquata: & an etiam virtuiter adæquate distinguantur. Sit ergo.

## RESOLUTIO I.

*In Deo datur intellectus per modum potentiae, seu actus primi virtualiter à sua intellectione distinctus, quidquid sit; an predicta distinctio adæquata sit, vel inadæquata.*

12. **E**st contra Nazarium, Lisboniem, Salmantenses, Lezanam, Gonet, Herize, Albiz, Hurtado, & alios. Eam tamen tenent à fortiori qui inter divinum intellectum, ejusque intellectionem, distinctionem virtualem adæquatam constituunt, & alij, qui dicunt virtualiter inadæquate distincti cum fundamento in re penes diversa munera intellectus, & intellectionis, eo ferè modo quo in natura divina distinguuntur immaterialitas, & intelligibilitas, & pariter ratio naturæ, & essentia, & conceptus ad, & in in relatione, ut docent aliqui ex thomistis, & Suarez.

13. Et fundatur primo: in Deo datur potentia verè activa, ut docet Div. Thom. supra quæst. 25. art. 1. & quæst. 1. de potentia art. 1. at talis potentia nedum est respectivè ad terminum, sed etiam respectivè ad actum secundum: ergo potentia activa respectivè ad actum secundum invenitur in Deo, & consequenter non est cur denegetur divino intellectui respectivè ad intellectionem: tum quia eo ipso non dicit imperfectionem: tum quia in communiori sententia non datur in Deo alia potentia præter intellectum, & voluntatem. Minor ergo probatur: etenim Div. Thom. loco citato de potentia in argumento *sed contra*, probat dari in Deo potentiam verè activam, quia omnis operatio ab aliqua potentia procedit, Deo qui maximè operari convenit; at talis ratio nulla esset, si potentia activa in Deo non esset talis respectivè ad actum secundum: ergo. Probat minor, nam eo ipso major Div. Thom. esset falsa; scilicet quod omnis operatio ab aliqua potentia procedit, siquidem in sententia contrariorum operatio divina à nulla potentia procedit, neque realiter, ut supponimus, neque virtualiter, cum non derūt potentia etiam virtualiter ab actu secundo distincta.

14. Deinde in corpore articuli habet: *Quod duplex est potentia, una activa, cui correspondet operatio, alia passiva, cui correspondet actus primus, qui est forma, si autem nihil patitur, nisi ratione poten-*

*M. Carraço.*

*tia passiva, ita nihil agit, nisi ratione actus primi, qui est forma; Deo autem convenit esse actum purum, & primum, unde ipsi convenit maximè agere, & ideo ei maximè convenit potentia activa; namque potentia activa dicitur secundum quod est principium actionis. Ubi distinguit in Deo actum primum, & secundum, & ait dari in Deo prout in re potentiam activam secundum quod est principium actus secundi, immò dari maximè; ac proindè non solum ex modo significandi, ut interpretantur contrarij. Quod, & fit perspicuum ex verbis sequentibus, quæ sunt hujusmodi: *Sed sciendum quod intellectus noster Deum exprimere nittitur sicut aliquid perfectissimum, & quia in ipsum venire non potest, nisi ex effectuum similitudine, ideo ex diversis perfectionibus in creaturis repertis ipsum designare nittitur; at talis potentia solum esset in Deo secundum modum significandi, & concipiendi, & non formaliter in re, intellectus noster medio tali conceptu non exprimeret ipsum Deum, neque ipsum designaret quoad aliquam sui perfectionem, sicut nequè intellectus noster exprimit Deum, nequè aliquam illius perfectionem designat, dum illud concipit admodum corporis; eoquè objectum non exprimitur, nequè illius perfectio designatur per id quod ei convenire non potest: ergo.**

15. Unde est valde notandum pro invocatione contrariorum, quod aliud est fundamentum motivum, & aliud fundamentum terminativum ad predictam conceptionem: aliud enim est intellectum nostrum designare Deum motive solum ex perfectionibus in creaturis repertis, & aliud ipsum designare terminative solum concipiendo perfectiones creatas, & in Deo non pertas. Primum verum est, quia ut ait D. Thom. intellectus non sicut in Deum devenire non potest, nisi ex effectuum similitudine. Attamen cognitis perfectionibus creatis judicat intellectus noster, quæ sint perfectiones simpliciter simplices, quæ vero perfectionem involvant cum imperfectione attento proprio, & formaliter conceptu; & illas concipit formaliter in Deo secundum rem, quippe cognoscit ipsum esse infinite perfectum secundum rem; quapropter concipit in Deo secundum rem, & formaliter intellectum, & voluntatem, non vero hominem, & equum, nisi tantum virtualiter, quia involvunt perfectionem cum imperfectione: non ergo ex quæ motive solum ex perfectionibus creatis concipiat intellectus noster in Deo potentiam, ut est principium operacionis, licet in ferre in Deo secundum rem non

dari potentiam, quæ sit virtualiter principium operationis, alias etiam sequeretur, nec secundum rem dari in Deo formaliter intellectum, & voluntatem, utpote has perfectiones concipit intellectus noster motive ex perfectionibus creatis; fundamentum ergo terminative, seu attributivæ tale est in ipso Deo, nempe ipsa divina eminentia, quæ per omnimodam simplicitatem præhabet, & continet quidquid perfectionis est in rebus creatis, omniaque illarum munera indivisibiliter præstat. Et ad intentum præsens, fundamentum est eminentia divini intellectus, qui indivisibiliter, & per omnimodam simplicitatem: hoc est sine aliqua sui reali distinctione, præstat & munus intellectus, & intellectus, id est munus principij, & munus actus secundi.

16 Dices, Div. Thom. per potentiam activam solum intelligere divinam essentiam, non tamèn potentiam aliquam ab essentia distinctionem etiam virtualiter, & de illa non procedit quæstio.

17 Sed contra est primo: quia in præsenti eadem est difficultas de principio radicali respectu operationis, ac de principio illius proximo, cum vel utrumque importet potentialitatem, vel neutrum. Deinde ex ipso contextu reiçitur hæc interpretatio, nam Div. Thom. objicit sibi undecimum argumentum sic: *Potentia est in secunda specie qualitatis: ergo Deo attribui non debet*: Et respondet, *quod potentia, quæ Deo attribuitur non est qualitas, sed Dei essentia sola ratione differens*. Ergo loquitur de potentia ratione distincta ab essentia, licet cum ea realiter identificata. Immò, si sermo esset de essentia, quæ est principium radicale, negaret absolute anteced. cum principium radicale adhuc increatis non sit in specie qualitatis, sed in genere substantiæ. Hoc idem constat ex solutione ad 14. cum enim objecisset ex Dionisio, quod potentia ponitur media inter substantiam, & operationem; Deus autem non agit per aliud medium, respondet, *quod potentia, Dei non est media secundum rem, quia non distinguatur ab essentia nisi ratione*.

18 Sed dices: hanc distinctionem rationis esse solum rationis ratiocinantis, nonverò rationis ratiocinatæ, seu cum fundamento in te. Verū, prædicta contra hoc, est expresse solutio Div. Thom. ad 12. Cum enim respondisset ad 11. Quod potentia in Deo sola ratione differt ab essentia, sic contra objicit: *Aut istæ rationi aliquid respondet Deo in re, aut nihil? Si nihil: Ratio vacua est; si aliquid: Sequitur, quod aliquid in Deo sit potentia præter essentiam, siwt ratio potentiae est præter rationem essentie*. Et respon-

det, *quod diversis rationibus attributorum respondet aliquid in re divina, scilicet unum, & idem, quia rem simplicissimam, quæ Deus est, propter ejus incomprehensibilitatem intellectus noster cogitur diversis formis representare, & ita istæ diversæ formæ, quas intellectus concipit de Deo, sunt quidem in intellectu nostro, sicut in subiecto*. Ex quibus patet distinctionem rationis assignatam inter potentiam, & essentiam, non esse talem ratione ratiocinata, & cum fundamento in re. Immò ex primis illius verbis: *Quod diversis rationibus attributorum respondet aliquid in re divina*, patet quod D. Tho. distinguit à divina essentia potentiam activam tanquam attributum illius; attributa autem à divina essentia virtualiter, & cum fundamento in re distinguuntur.

19 Deinde contra illam solutionem est ingen argumentum, & unum ex præcipuis fundamentis nostræ sententiaz; essentia divina est principium radicale divinæ operationis; sed principium radicale non operatur nisi medio principio proximo: ergo præter essentiam divinam datur in Deo principium proximum divinæ operationis, aliter essentia divina non erit principium radicale, sed proximum, cum hoc dicatur ex quo immediate influit in operationē, id est non medio alio principio. Dices quod hoc esset verum si divina operatio procederet ab essentia divina elicitive etiam virtualiter, non tamen sic procedit, sed procedit solum dimanatione tanquam illius proprietas, & ut quoddam divinum attributum; & principium radicale dimanationis, & proximum est idem, ut patet in qualibet essentia respectu suarum proprietatum. Sed contra est: operatio namque divina est actus vitalis, sed actus vitalis petit procedere à suo principio elicitive: ergo. Prob. min. de ratione actus vitalis est quod vivens per illum se moveat modo propriovivētis, & non communi non viventibus; at principiū dimanationis commune est non viventibus, cum in eis essentia etiam sit radix, & principium suarum proprietatum, sicut essentia ignis est principium caloris, & essentia lapidis est principium gravitatis: ergo se moveare, quod est propriū viventis, est se moveare non dimanativè, sed elicitive, & consequenter de ratione actus vitalis est elicitive procedere à suo principio, vel realiter, ut increatis, vel virtualiter, ut in Deo. Quod confirmatur ex eo quod thomistæ contra Molinam, Suarez, & alios, non ex alio capite probant, divinas processiones non esse purè emanationes, sed veras actiones elicitive à divino intellectu, divinaque voluntate procedentes, nisi quia sunt actus vitales: ergo ex eadem ratione hoc erit verum de omni operatione divina.

20 Secundo fundatur nostra resolutio: in Deo datur intellectio per modum actus secundum virtualiter egrediens ab intellectu: Ergo datur intellectus per modum actus primi virtualiter eliciti intellectus, consequentia patet, & anteced. probat. intellectio secundum proprium, & formalem conceptum est actio; sed actio secundum proprium, & formalem conceptum dicit egressionem à principio: Ergo cum in Deo non possit dicere realem egressionem, quia cum principio identificatur, debet necessario dicere virtualem egressionem ab illo. Minor præter dicta probatur: actio namque in communione definitur, quod est motus prout ab agente; sed per motum prout ab agente significatur actio, ut egrediens à principio: Ergo.

21 Dices prædictam definitionem non esse actionis in communi, sed solum actionis creatæ, ut potè sola hæc est motus, non vero divina actio, motus quippe est actus entis in potentia. Quod & docet Div. Thom. infra quest. 41. art. 1. ad primum. Sed contra est primo quia ut ibi ait Div. Thom. licet actio divina non sit motus ea parte, qua motus est actus entis in potentia, est tamen motus ea parte, qua motus importat ordinem originis, secundum quod à causa aliqua, vel principio procedit. Unde quest. 40. Antecedenti art. 2. in corpore expressæ docuerat, quod generatio in divinis significatur, ut progrediens à Patre, proindeque supponit proprietatem personalē, quod & repetit art. 4. sequenti ad 3. Immò ex hoc ipso secundo impugnatur solutio: namque actus notionalis in divinis, v. g. generatio est actio increata; & tamen de illius formalis conceptu est egressionis virtualis à Patre, aliter personam Patris constitutam non supponeret: Ergo. Ac tandem, nam sic est de ratione actionis, quod sit ab alio, sicut de ratione relationis, quod sit ad aliud; sed cuicunque relationi etiam increata competit quod sit ad aliud per modum tendentis ad illud: Ergo cuicunque actioni etiam increata conveniet, quod sit ab alio per modum egredientis ab illo. Et confirmatur, nam propter contrarij asserunt actionem divinæ amittere conceptum ab, quia ascendit ad rationem substantiæ; sed etiam relatio divina ascendit ad rationem substantiæ, & non propter amittit conceptum Ad: Ergo à simili.

22 Secundo dices: prædictam definitionem esse definitionem actionis productivæ, sed non prout abstracta productiva, & non productiva. Unde licet creatio, vel actus notionalis dicat egressionem virtualem à principio, quia utraque productiva est termini, non tamen intellectio essentialis, sicut neque essentialis vo-

lito. Sed contra est, quia datur actio, quæ non sit productiva termini, cui tamen competit, quod si realis egressionis à principio: Ergo predicta definitio competit etiam actioni non productivæ. Probatur anteced. nam juxta communem opinionem sensations externæ non producunt idolum, aut speciem expræstam; & tamen eis competit quod sint reales egressiones à suis potentijs: Ergo. Immò probabilior est sententia affirmans non dari modum unionis inter materiam, & formam ab earum entitate distinctum; in qua sententia generatio substantialis hominis, ut ab alteratione distincta non est productiva alicujus termini, sed solum unitiva formæ cum materia; cui tamen competit, quod sit realis egressionis à principio generante. Ac tandem hoc ipsum experitur in conversione Eucharistica, quæ in probabiliori sententia non est productiva corporis Christi, neque alicujus modi; quia est conversio in præexistens; cui tamen ut à Sacerdote facta convenit quod sit realis egressionis à principio.

23 Tandem dices prædictam definitionem esse diffinitionem actionis verè, & objectivè talis; intellectio tamen divina non est verè, & objectivè actio, sed solum ex modo significandi, & cum fundamento duntaxat in nostro imperfecto modo cognoscendi divina per analogiam ad res creatas. Sed contra est primò, namque si intellectio divina non est vera actio, neque ex ea potest probari dari in Deo potentiam verè activam contra Div. Thom. loco citato in præcedenti fundamento. Immò Div. Thom. infra quest. 25. art. 1. ad 3. ait, quod in Deo salvatur ratio potentiarum prout est principium actionis secundum modum intelligendi, quatenus divina essentia, que in se simplicitate præhabet quidquid perfectionis est in rebus creatis potest intelligi, & sub ratione actionis. & sub ratione potentiarum: Ergo in Deo intelligitur à nobis actio cum fundamento in ipso Deo, quod est eminentia divinæ essentiae, quæ per omnimodam simplicitatem præstat, & munus intellectus, & munus intellecti; unde licet non sit vera actio secundum primariam hujus nominis impositionem, quia ut sic significat actionem realiter egredientem à principio; est tamen vera actio secundum usum theologorum, secundum quem significat etiam actionem egredientem virtualiter ab illo; ut à simili infra dicimus de potentia.

24 Tertio fundatur nostra resolutio, & similiter impugnatur solutio precedens: potentia activa respectivè ad actum secundum solum virtualiter distinctum nullam dicit imperfectionem: Ergo non est cur denegetur divino intellectui.

Conseq. patet, & anteced. probat. primo ex D. Thom. in 2. distinctione 35. quæst. 1. art. 5. ubi ponit quartum argumentum ad probandum in Deo esse habitum sic: sicut potentia est medium inter naturam, & operationem, sic habitus est medium inter potentiam, & actum; sed quævis in Deo omnia unum sint, designamus esse operationem, & virtutem: ergò similiter habitum in ipso designare possumus, cui respondet: *Quod virtus denominatur principium operationis perfectum, & ideo virtutem operativam in Deo significare possumus; sed habitus non est nisi perfectio alicujus potentie incompletæ ad actu, non tamen ultima perfectio: unde ponit duplœm imperfectionem in potentia perfecta per habitum, & in habitu, qui per operationem perficitur, & ideo nomen habitus proprie loquendo Deo non competit.* Ex quibus patet sermonem procedere de potentia media inter naturam; & operationem, ac proinde de potentia, quæ est principiū operationis non dimanativa, sed elicitiva. Deinde sic loquendo planè reddit disparitatem inter eam, & habitum, quod ille ex proprio conceptu dicit imperfectionem, non vero potentia.

25 Hoc adhuc expressius docet infra q. 25. art. 1. ad secundum: cum enim objecisset argumentum, quod secundum Philosophum qualibet potentia melior est actus; sed nihil est melius eo quod est in Deo, quia quidquid est in Deo est Deus: ergò nulla potentia est in Deo, respōdet: *Quod quando actus est aliud à potentia, oportet quod actus sit nobilior potentia, sed actio Dei non est aliud ab ejus potentia, sed utrumque est essentia divina;* unde non oportet quod aliquid sit nobilior quam potentia Dei. Ex quibus patet 1. sermonē procedere de potentia respectivè ad actum secundū, ut virtualiter ab essentia distingua, cum eodem modo dicat potentia, & actionem esse essentiam Dei, ut patet ex illis verbis. *Sed utrumque est essentia Dei;* constat autem actionem ab essentia virtualiter distinguiri. Deinde planè asserit quod, quia operatio non est aliud à potentia, id est non essentialiter, & objectivè à potentia distinguitur, propterea operatio non est nobilior potentia, & consequenter neq; potentia est actuabilis, & perfectibilis per operationem, quæ sola est imperfectio assignata à contrarijs.

26 Et ex hac doctrina Div. Thom. ratio hujus à priori desumitur, qua infringitur fundamentum opposita sententiæ: licet enim potentia, seu intellectus divinus ab ejus intellectione virtualiter distinguatur, hæc tamen distinctione virtualis non est objectiva, & essentialis, qualiter est à parte rei inter gradum vegetativum, & sensitivum, quorum unum alterum in proprio,

objectivo, & essentiali conceptu non includit, & ex hoc præbent fundamentum, ut intellectus unus ab altero objectivo, essentialiter præscindat. Hoc enim modo non potest in Deo admitti distinctione virtualis, quia quodlibet prædicatum in Deo aliud essentialiter includit, vel ex propria ratione formali, si sint prædicata inadæquata, & attinentia ad eandem lineam, vel ad minis ex ratione communis actus puri, si sint prædicata adæquata, & ad diversas lineas pertinentia; quodlibet enim prædicatum in Deo est actus purus absolutè, & simpliciter, & sic est totus Deus. Distinctione ergò virtualis, quæ est inter divinū intellectum, ejusq; intellectiōnem est talis duntaxat penes diversa munera ejusdem essentiæ, ejusdem, inquam, vel attenta ratione formalis, vel attenta ratione communis actus puri, ut dictum est. Et consequenter est distinctione virtualis solum quoad explicitū, & penes conceptus formales: id est penes diversa illa munera præbent fundamentū, ut intellectus noster diversis conceptibus formalibus unū, ac alterum concipiatur, & consequenter unum concipiatur non explicando alterum secundum propriū munus; semper tamen objectivè, & implicitè illud concipiendō: ut cum intellectus concipit ens, implicitè, & objectivè concipit modos entis, quia eos in objectivo, & essentiali conceptu includit, à simili intellectus noster concipiēdo divinum intellectū, implicitè, & objectivè concipit intellectiōnem, non expressè, id est secundum propriū munus operationis, & ultimè actualitatis; & è contra, concipiendō intellectiōnem, implicitè, & objectivè concipit intellectum, non tamen expressè, & prout dicit munus principij.

27 Ex his ergò clarè deducitur quod divinus intellectus quamvis ut sic distinctus ab intellectu nostro cum fundamento in re concipiatur, adhuc non concipiatur ut virtualiter actuabilis, & perfectibilis, seu in potentia virtuali ad intellectiōnem, quia ad hoc oporteret, ut conceperetur nedum ut non explicans intellectiōnem, sed & ut non habens illam, seu carens illa; si enim concipiatur præcisè, ut non explicans intellectiōnem, objectivè tamen, & implicitè illam includens, hoc ipso concipiatur solum, ut in potentia, non ad intellectiōnem, sed ad illius cognitionem perfectam, & expressam, quæ est potentialitas ad intellectiōnem purè extrinsecè denominativè consideratam; propterea quæ est potentialitas tota se tenens ex parte nostri intellectus, nullamque dicens imperfectionem ex parte rei. Quod AA. contrarij tenentur fateri loquendo de distinctione virtuali naturæ divinæ ab attributis, & attributorum inter se, ubi planè eorum fundamentū instatur, cum ipsi teneantur eximere quodlibet divinum prædicatum ab

omni potentialitate, & non possunt ex alio capite quam ex objectiva, & essentiali inclusione unius in alio; & solum esset disparitas penes pertinere ad diversam lineam; unde solum potest inferri quod divinus intellectus, intellectioque divina non differant virtualiter adaequata, de quo in praesenti non curamus.

28 Quarto, & ultimo fundatur nostra resolutionis: Lumen creatum gloriae est participatio divini intellectus: Ergo non potest non cum eo in proprio, & formal conceptu convenire. Antecedat, patet, & consequentia probat. ex communis doctrina thomistarum, quod participare est partem capere, & partem relinquere; & de participatione supernaturali loquendo, est capere divinam perfectionem secundum proprium, & formalem illius conceptum, & relinquere modum secundum quem reperitur in Deo. Tunc sic; sed lumen creatum gloriae secundum proprium, & formalem conceptum est principium proximum videndi Deum: ergo in hoc convenire debet cum divino intellectu: est ergo divinus intellectus secundum proprium, & formalem conceptum principium proximum divinae intellectiois, licet non eo modo, quod lumen creatum gloriae, scilicet per realem efficientiam, sed sublatis imperfectionibus, nempè per solam virtualem. Quae doctrina parificatur in charitate supernaturali creata, quae etiam participatio est divina voluntatis, & pariter in gratia, quae quia ex una parte est participatio divina naturae, & ex alia est radix videndi, & amandi Deum, inferunt thomistæ, ipsam etiam naturam divinam esse radicem videndi, & amandi Deum, saltem secundum conceptum inadäquatum. Neque alio modo satisfacere possunt argumento, quod eis objicitur in sententia, quod divina natura constituitur per intellectioem actualem, cum tamè gratia duntaxat sit principium radicale videndi Deum, à simili ergo si lumen creatum gloriae ex una parte est participatio divini intellectus, & ex alia est principiu proximum videndi Deum, hoc ipsum etiam debet competere divino intellectui.

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

29 **P**recipuum argumentum contra nostram resolutionem est obiter solutum in tertio fundamento: quod nempè principium virtualiter elicivum divinae intellectiois dicit imperfectionem, quia non potest intelligi, ut virtualiter elicivum, quin intelligatur, ut virtualiter actuabile per intellectioem tanquam per ultimum actum; sicut enim esse in potentia realiter ad actum non est aliud, quam non habere actum cuius est rea-

litèr elicivum, sic intelligi in potentia ad actu non est aliud, quam intelligi sine actu cuius virtualiter elicivum est. Quod argumentum convinceret si intelligeretur sine actu etiam objectivæ, & essentialiter, quo modo intelligitur animal sine differentia hominis; non tamè si solum intelligitur sine actu quoad explicitum, quo modo intelligitur ens sine modis illius. Ex hoc enim solum arguitur potentialitas se tenens duntaxat ex parte nostri intellectus cognoscens imperfectè objectum, id est non secundum omnia, quæ essentialiter includit. Et sic est potentialitas ad actum solum extrinsecè denominativè consideratum, id est ut cognoscendum perfectè, & expressè, cum antea esset solum imperfectè, & implicitè cognitum; non verò est potentialitas ad actum essentialiter, & prout in se. Immò quia dum unum prædicatum in Deo concipitur ex parte, concipitur ut includens aliud, licet non ut illud explicans, potest sempè negari, quod divinus intellectus concipitur sine intellectione, & solum potest concedi, quod concipitur sine expressione intellectiois, & illud esse necesse ut conciperetur, ut in potentia ad intellectioem; ex hoc verò solum sequitur potentialitas ad expressionem illius, ut dictum est.

30 Secundum argumentum desumunt contrarij ex varijs locis Div. Thom. qui perpetuus est in eo, quod in Deo solum datur potentia respectivè ad terminum, non respectivè ad actum. Nam infra quæst. 25. art. 1. Cum possuisset tertium argumentum, quod nempè potentia est principium operationis; sed operatio divina est ejus essentia, cum in Deo nullus sit accidens, essentia autem divina non est aliquod principium: ergo nulla potentia est in Deo. Respondet: *Quod potentia in rebus creatis non solum est principium actionis, sed etiam effectus. Sic igitur in Deo salvatur ratio potentiae, quantum ad hoc quod est principium effectus, non autem quantum ad hoc, quod est principium actionis, quæ est divina essentia; nisi forte secundum modum intelligendi, prout divina essentia, quæ in se simpliciter prehabet quidquid perfectionis est in rebus creatis, potest intelligi, & sub ratione actionis, & sub ratione potentiae, sicut etiam intelligitur, & sub ratione suppositi habentis naturam, & sub ratione natura.*

31 Hoc ipsum docet infra quæst. 41. art. 4. ubi inquirit utrum in divinis sit potentia respectu actuorum notionalium, & objicit tertium argumentum sic, Filius procedit per intelligere, Spiritus Sanctus per velle; sed potentia in Deo datur per comparationem ad effectus, non autem per comparationem ad intelligere, & velle ut su-

pra: ergo in divinis non debet dici potentia per comparationem ad actus notionales. Et respondeat: *Quod potentia significat principium, principium autem distinctionem importat ab eo cuius est principium; consideratur autem duplex distinctione in his, quae dicuntur de Deo, una secundum rem, alias secundum rationem tantum; secundum rem quidem Deus distinguitur per essentiam à rebus, quarum est per creationem principium, sicut una persona distinguitur ab alia cuius est principium secundum actum notionale.* Sed actio ab agente non distinguitur in Deo nisi secundum rationem tantum, alioquin actio esset accidentis in Deo; *O* ideo respectu illarum actionum secundum quas aliqua res procedit distinctione à Deo, vel essentialiter, vel personaliter potest Deo attribui potentia secundum propriam rationem principij, sed intelligere, *O* velle non sunt tales actus, qui designant processionem alii cuius rei à Deo distinctione, vel essentialiter, vel personaliter. Unde respectu horum actuum non potest solus ratio potentie in Deo nisi secundum modum intelligendi, *O* significandi tantum, prout diversimode significatur in Deo intellectus, *O* intelligere, cum tamè ipsum intelligere Dei sit ejus essentia, non habens principium.

32 Hoc ipsum repetit q. 10. de potentia art. 1. ubi objicit primum argumentum, quod nequè potentia est operationis principium; operatio autem Dei, quæ est ejus essentia, non habet principium. Et respondeat: *Quod potentia nō solum est operationis principium, sed etiam effectus; unde non oportet, quod si potentia in Deo ponitur, quæ sit effectus principium, quod essentia divina, quæ est operatio sit aliquod principiū.* Hoc ipsum etiam docet 4. contra gent. cap. 10. his verbis: *Quia nihil est sui ipsius principium, cum divina actio non sit aliquid, quam ejus potentia, manifestum est, quod potentia non dicitur in Deo, sicut principiū actionis, sed sicut principium facti,* *O* quia potentia respectum ad alterum importat in ratione principij: est enim potentia activa principium agendi in aliud, ut patet per philosophum in 5. metaphysica, manifestum est, quod potentia dicitur de Deo per respectum ad facta secundum rei veritatem, non per respectum ad actionem; unde si aliquæ actiones Deo convenient, quæ non in aliquod facta transcant respectu harum non dicitur in Deo potentia nisi secundum modum intelligendi, non secundum rei veritatem: *O* hujusmodi sunt intelligere, *O* velle. Potentia igitur Dei proprie loquendo non respicit hujusmodi actiones, sed solos effectus. Ex quibus constat quam perpetuus est D. Thom. in eo, quod in Deo datur potentia respectivè ad terminum, non verò respectivè ad

actum secundum, seu actionem, nisi forte secundum modum intelligendi, & significandi.

33 Sed in primis cum D. Thom. neget in predictis locis potentiam in Deo respectivè ad actum secundum, quia potentia est principium, & principium distinctionem realem importat ab eo cuius est principium, sequitur, quod neque in Deo salvetur secundum rei veritatem ratio, & conceptus naturæ, cum de illius ratione ut sic sit ratio principij. Et similitè quod neque unum attributum sit principium alterius. Cum ergo AA. contrarij concedant in Deo secundum rei veritatem, & nedum secundum nostrum modum intelligendi rationem, & conceptum naturæ ab attributis solum virtualiter distinctionem, & quod unum attributum sit etiam secundum rei veritatem ratio, & principium alterius, ut intellectus voluntatis, & immutabilitas aeternitatis cum sola virtuali distinctione, consequenter omnes tenentur exponere D. Thom. Immo sicut de ratione potentiae est quod sit principium actionis, ita de ratione actionis est quod sit, vel procedat à principio, ut patet ex ipso Div. Thom. loco citato pro nostra resolutione: ergo ex eodem capite, quo negatur in Deo potentia respectivè ad actum secundum, deberet etiam negari in ipso operatio; cum tamè Deo maximè competat operari, ut ibi ait D. Thom.

34 Dicimus ergo quod cum D. Thom. neget in Deo potentiam secundum rem respectivè ad actum secundum, & solum eam concedit respectivè ad terminum, loquitur de potentia realiter ab actu distincta, & tali per influxum realem, quæ est principium secundum primariam nominis impositionem, & in sensu metaphysicorum; non verò de potentia solum virtualiter distincta ab actu, & tali per virtualem influxum, quæ est principium secundum impositionem nominis secundariam, & attempo sensu theologorum. Et hoc intendit significare cum eam concedit secundum nostrum modum concipiendi; eoquod intelligitur cum fundamento in re, in quo consistit virtualis, seu eminentialis distinctione.

35 Quod fundo primò ex immediate dictis, nam alias neque in Deo secundum rei veritatem esset ratio, & conceptus naturæ, neque unum attributum esset ratio, & principium alterius; neque in Deo esset actio secundum verum, & proprium conceptum actionis. Deinde quantum ad primum locum sunt notanda illa verba: *Nisi forte secundum modum intelligendi prout divina essentia, quæ in se prehabet quidquid perfectionis est in rebus creatis, potest intelligi,* *O* sub ratione actionis, *O* sub ratione potentiae. Ubi pro fundamento designat eminentiam divi-

næ essentia, ac si diceret, essentiam posse intelligi à nostro intellectu; & sub ratione actionis, & sub ratione potentiae, quia per omnimodam identitatem præbet utriusque munus; hoc enim est eminenter formaliter continere, & perfectionem potentiae, & perfectionem actionis; proindeque jam Div. Thom. designat in Deo secundum rem fundamentum, ut in tellectu noster concipiatur divinam potentiam, ut ab actione distinctionem, in quo consistit distinctione virtualis. Deinde Div. Thom. expresse habet quod essentia divina potest intelligi, & sub ratione actionis, & sub ratione potentiae. *Sicut etiam intelligitur sub ratione suppositi habentis naturam, & sub ratione nature.* Pater autem quod in Deo secundum rei veritatem datur conceptus naturæ, & pariter conceptus suppositi, licet non per realem substantiationem, sed solum virtualern.

36 Quantum ad secundum locum hoc ipsum expresse constat, nam Div. Thom. ibi querit utrum in divinis sit potentia respectu actuum notionalium; & absolute in corpore articuli procedit affirmative sine aliqua distinctione dicendo, quod sicut ponuntur actus notionales in divinis, ita necesse est ibi ponere potentias respectu hujusmodi actuum, cum potentia nihil aliud significet, quam principium alicujus actus. Immò est sententia thomistarum, ut jam supra notavimus contra Molinam, & Suarez, divinas processiones non esse pure emanationes, sed verae actiones, elicitive ab intellectu, & voluntate procedentes, utpotè actus vitales, licet non per realem elicientiam, sed solum virtualem. Quæ doctrina vera non esset, si in Deo secundum rem non daretur potentia; quæ esset principium virtualiter elicivum actionis, sed hæc solum, ut attributum dimanaret à divina natura.

37 Quantum ad tertium locum hoc etiam fit manifestum, namque ut patet ex dictis propria resolutione Div. Thom. ibi concedit in Deo secundum rei veritatem potentiam respectiva ad actum secundum, siquidem probat in Deo secundum rem dari potentiam activam ex eo quod omnis operatio ab aliqua potentia activa procedit, utpotè potentia activa dicitur secundum quod est principium operationis, cū tamen Deo maxime conveniat operari.

38 Ac tandem. hoc maxime ostenditur in ultimo loco, cuius propterea Div. Thom. doceat, potentiam non dici in Deo sicut principium actionis; quia potentia respectum ad alterum importat in ratione principij, proptereaque est principium agendi in aliud. Summit ergò ibi potentiam pro potentia, quæ est principium in sensu metaphysicorum; non verò pro potentia, quæ est principium juxta usum theologorum, &

attenta secundaria nominis impositione. Fatum ergò, quod principium secundum primariam nominis significationem importat realem distinctionem ab eo cuius est principium, quippe principium ut tale dicit ordinem ad principiatum; omnis autem ordo distinctionem importat, & cum alias nomen principij sit terminus prima intentionis, non potest non significare ordinem, & distinctionem à parte rei. Attamen juxta usum theologorum hoc nomen principium extensum est etiam ad significantum id à quo aliud solum virtualiter procedit; nam theologi distinguendo in Deo diversa praedicta secundum diversa numera, unum concipiunt, ut principium virtualiter alterius, nempe naturam, ut principium attributorum; & unum attributum, ut principium alterius. Proptereaque Div. Thom. signanter in hoc loco concludit quod potentia Dei proprie loquendo non respecit hujusmodi actiones, sed solos effectus. Et loco citato ex quest. 41. ait quod respectu illarum actionum secundum quas aliquæres procedunt distinctione à Deo, potest Deo attribui potentia secundum propriam rationem principij; per principium enim proprie tale intelligit Div. Thom. principium secundum primariam nominis impositionem, & in sensu metaphysicorum, quo in sensu fuit à Philosopho definitum in 5. metaphysicæ. Neque ex hoc licet inferre dari in Deo potentiam solum imprætrie, & metaphorice, licet enim hoc ita esset in inicio impositionis, cum nomen principij fuerit divino principio applicatum propter modum concipiendi ipsum admodum principij creati: attamen potestquam invaluit usus theologorum appellantium principium quod solum est tale virtualiter, seu per virtualem influxum, jam hoc proprie dicitur principium, sicut ex eodem usu natura divina dicitur proprie principium attributorum, & unum attributum dicitur proprie principium alterius, & pariter actio divina proprie nuncupatur actio, theologi enim auctoritatem habent imponendi voces ad significandum.

39 Sed dices ex quodam Sapientissimo Magistro in suis manuscriptis: aliquid speciale docet D. Thom. loco citato ex contra gent. cap. 10. quod non docuerat in capite nono antecedenti; at in capite nono premisserat jam D. Thom. potentiam in Deo non esse aliud entitative ab actione: ergò in capite 10. sequenti necessario docet non esse aliud ab actione etiam virtualiter, alias esset innutulis repetitio in utroque cap. Sed respondeo quod D. Thom. in capite 9. agit de potentia Dei in ordine ad actionem, & concludit quod in Deo non est aliud potentia.

& aliud actio, in capite verò sequenti ex professo agit de potentia Dei in ordinine ad effectum, & concludit dari in Deo potentiam secundum rei veritatem per ordinem ad facta. Quia tamen ex quo potentia non est principium effectus, nisi media actione, poterat quis existimare in Deo dari potentiam secundum rei veritatem influentem in actionem, quia in Deo datur potentia secundum rei veritatem influens in effectum, ad hanc equivocationem vitadam, & propter maiorem explicationem, iterum repetit D. Thom. quod in Deo non datur principium secundum rei veritatem influens in actionem, quia hec id est cum Dei potentia, bene tamè in effectum, quia hic realiter ab ea distinguitur, & sic non fuit inutilis repetitio, sed valde necessaria.

40 Tertio objicies: repugnat divinæ intellectiōni procedere à divino intellectu per virtualē elicientiam: ergò repugnat in Deo intellectus per modum potentiae virtualiter ab ejus intellectione distinctus. Probat. anteced. processio per virtualē elicientiam est processio per virtualē dependentiam; at talis dependentia repugnat divinæ intellectiōni: ergò. Prob. maj. processio per formalē elicientiā est processio per formalē dependentiam: ergò & processio per virtualē elicientiam est processio per virtualē dependentiam. Anteced. pat. & conseq. prob. ideo processio per formalem elicientiam est processio per formalem dependentiam; quia eo ipso procedēs est formaliter ab alio; sed etiam procedens per virtualē elicientiam ab alio est virtualiter ab illo: Ergò.

41 Sed hoc argumentum tenentur solvere contrarij, utpotè instatur manifeste in divina natura, & illius attributis: sicut enim processio per formalem elicientiam est processio per formalem dependentiam, sic processio per dimanationem formalem est processio per dependentiam formalem; & tamen ex hoc non licet inferre, processionem per virtualē dimanationem esse processionem per virtualē dependentiam; aliter divina natura non esset virtuale principium dimanationis attributorum: Ergò.

42 Undè resp. disting. illam maj. ideo processio per formalem elicientiam est processio per formalem dependentiam, quia eo ipso est formaliter ab alio, ut realiter ab eo distinctum, proindeque, ut effectus à causa conced. maj. quomodolibet nego maj. Et disting. min. sed etiam procedens per virtualē elicientiam ab alio est virtualiter ab illo, ut ejusdem entitatis cum illo, conced. min. ut realiter ab illo distinctum, nego minor. & conseq. Sicut enim in divinis quamvis Filius procedat à Patre, procedit ab illo; ut ens à se formaliter loquendo: hoc est ut ens per

essentiam, seu ly à se excludente esse per participationem, & per modum effectus, procedit ut terminus ejusdem naturae, & essentia cum principio, licet non procedat ut ens à se originative loquendo, seu ly à se excludente principium originis, quippe hoc modo solus Pater dicitur ens à se, sic divina intellectio quamvis virtualiter procedat à divino intellectu procedit ab illo, ut ens à se formaliter loquendo: hoc est, ut ens divinum, & per essentiam, seu ly à se excludente esse per participationem, & per modum effectus, quia virtualiter procedere est procedere per modum actus ejusdem entitatis cum principio, licet non procedat ut ens à se elicitive, seu ly à se excludente principium elicitiū; quia hoc modo solum intellectus divinus, & non intellectio dicitur ens à se. Propter identitatem ergò divinæ intellectiōnis cum intellectu divino purificatur divina intellectio ab imperfectione effectus, seu dependentia, sicut & attributa in ipsorum dimanatione.

43 Sed dices: hoc ipso quod divinus intellectus sit virtualiter elicitus intellectiōnis, est virtualiter causa illius; sed non potest esse virtualiter causa illius, quin & intellectio sit virtualiter illius effectus, utpotè causa, & effectus sibi invicem correspondent, & correlative, vel quasi correlative se habent: Ergò. Ad hoc potest duplīciter responderi: primo quod sicut Pater in divinis, quamvis sit principium Filii, non tamen est causa illius, quia est principium ejusdem naturae cum illo, & de ratione causæ est quod à termino sit realiter adæquate distincta ut dicitur in materia de Trinitate; sic, quamvis intellectus sit principium virtuale intellectiōnis, non est causa illius propter realem identitatem utriusque; undè neg. maj. Secundo respond. quod sicut Pater in divinis dicitur principium Filii, non tamen propterea Filius dicitur principiatus; quia principium perfectionem importat, principiatum autem minoritatem aliquam significat juxta usum, & modum loquendi apud latinos, ut docet Div. Thom. quæst. 1. de potentia art. 1. sic, quamvis concedatur divinum intellectum esse virtualiter causam intellectiōnis divinæ, non propterea est concedendum divinam intellectiōnem esse virtualiter effectum illius, quia causa perfectionem importat; cum unumquodque operetur in quantum est in actu, è contra verò effectus imperfectionem dependentia à causa significat. Ad probationem in contra respond. quod sicut principium, & principiatum, sibi correspondent quando principiū, & terminus sunt diversæ naturæ, non verò cum sunt ejusdem, sic causa, & effectus sibi correspondent quando terminus, & causa realiter distin-

stinguuntur, ut in creatis, non verò quando sunt ejusdem entitatis; ut in divinis. Sicut enim quāvis Pater sit principium Filii, quia Filius est ejusdem numero naturæ cum Patre, purificatur ab imperfectione principiati, & procedit ut ens à se, sic quamvis divinus intellectus sit causa virtualis divinæ intellectiōnis, quia divina intellectio est ejusdem numero entitatis cum divino intellectu, purificatur ab imperfectione effectus, & procedit etiam ut ens à se. Et pro utraque solutione nota instantiam in essentia divina respectu suorum attributorum; namque vel est causa virtualis suorum attributorum, ex quo est principium virtualiter dimanativum, vel non? Si hoc secundum: Ergo ex quo divinus intellectus sit principium virtualiter elicitiūm intellectiōnis, non licet inferre esse virtualiter causam illius, quæ est prima solutio. Si primum: Ergo cum numquam sit concedēdūm, divina attributa esse virtualiter effectus divinæ essentiæ, quamvis concedatur virtualiter ab ea ut à causa dimanare, neque cogimut concedere divinam intellectiōnem esse virtualiter effectum divini intellectus, quamvis concedatur à divino intellectu virtualiter, ut à causa elicitiū procedere, quæ est secunda solutio.

44 Quarto objicīes: hæc virtualis processio divinæ intellectiōnis, vel est virtualiter educiō, vel creatiō; at neque potest esse virtualiter educiō, nec creatiō, cum eo ipso divina intellectio foret virtualiter effectus; immò si esset creatiō non esset processio ex divino intellectu, sed ex nihilo, & si esset educiō, cum adveniret divina naturæ constituta in actu, esset virtualiter accidens, quorum nullum dicī potest: chimerica ergo est hæc virtualis processio.

45 Sed hoc argumentum planè etiam instatur in processione Filii, vel Spiritus Sancti, quæ neque est virualiter educiō, nec creatiō, cum tamē Filius verē, immò, & formaliter procedat à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio. Respondeatur: Ergo ex D. Thom. loco citato de potentia ad nouum, ubi sic habet: *Dicendum quod inter omnia ad originem spectantia magis convenit in divinis hoc nomen principiū, quia enim divina comprehendendi à nobis non possunt, convenientius à nobis significantur per nomina communia, quæ indefinite aliquid significant, quam per nomina specialia, quæ definite rei species exprimunt: unde hoc nomen, qui est, quod significat substantia pelagus infinitum, convenientissimum Dei nomen esse dicitur.* Ex qua doctrina & ego infero quod cum hoc nomen processio communius sit, quam hoc nomen educiō, quia illud indefinite significat, istud verò definite rei speciem exprimit, cum significet

determinatam processionis speciem, quæ in suo conceptu imperfectionem involvit; propterea que nomen processio correspondet principio, nomen verò educiō, vel creatiō correspondet causa; consequenter magis convenit in divinis hoc nomen processio, quam hoc nomen educiō, vel creatiō. Et sic processio divinæ intellectiōnis non est appellanda educiō, vel creatiō, sed solum processio per modum actus vitalis, & debet à nobis intelligi ut processio infinitè superans, educationem, & creationem, ut pariter dicitur de processione divinarum personarum.

46 Pro majori tamen intelligentia nota, quod hoc nomen effectus, vel accidens in suo conceptu dicunt possitive imperfectionem, & sic si semel divina intellectio esset accidens, vel effectus, ab imperfectione purificari non posset per identitatem cum divino intellectu, seu per additum virtualiter. Hoc tamen nomen processio, efficientia, vel distinctio in essentiali conceptu non dicunt possitive imperfectionem, sed abstrahunt à perfectione, vel imperfectione. Et sic sicut increatis ratione potentialitatis involvunt imperfectionem, in divinis propter purissimam actualitatem ab imperfectione omnimode purificantur.

**RESOLUTIO. II.**  
*Hæc distinctio divini intellectus ab intellectione divina est adequata.*

47 **I** Ta Araujo, Zamorensis, Alarcon, Cornejo, Serra, Oxomensis, qui pro se refert plures ex antiquis, quos sequuntur plures alij in manu scriptis. Et fundatur ex notatis in principio dubij, ea virtualiter adequate in Deo distinguuntur, quæ licet identificantur inter se, pertinent tamen ad diversam lineam; ea verò pertinent ad diversam lineam, quorum unum ex propria ratione formalis, ex proprioque formalis, & specifico conceptu aliud nedum non explicat, verum neque includit, licet illud includat ex ratione communis actus puri, illud autem ex propria ratione formalis, ex proprioque formalis, & specifico conceptu aliud non includit quod illud non includit ex genere suo, & in sui abstractione formalis ab omni subjecto, licet illud includat ratione subjecti, quatenus nempè est in Deo; sed intellectus divinus ex genere suo, & in sui abstractione ab omni subjecto non includit intellectiōnem: Ergo de primò ab ultimū intellectus divinus adequate virtualiter distinguitur ab intellectione. Prob. min. intellectus divinus ex genere suo, & in sui abstractione ab omni subjecto distinctam definitionem habet, ac intellectio

Etio, neque una ratio ingreditur definitionem alterius, nisi ad summum in obliquo, & de connotato, aliter etiam intellectus creatus ex suo proprio, & formalis conceptu includeret intellectionem: Ergo.

48 Confirmatur, & explicatur: ideo in Deo natura divina, & attributa adaequatè virtualiter distinguuntur, quia pertinent ad diversam lineam; ideo autem pertinent ad diversam lineam, quia intellectus, v.g. ex proprio specifico conceptu nedum non explicat voluntatem, verum neque illam includit, licet eam includat ex ratione communi actus puri, ideo autem voluntatem non includit ex proprio, & specifico conceptu, sed solum ex ratione communi actus puri, quia illam includit solum prout in Deo, non vero ex genere suo, & in sua abstractione. Si ergo intellectus Divinus ex genere suo, & in sua abstractione non includit intellectionem, sed solum ratione subjecti, nempe quatenus Divinus, seu prout in Deo, illam consequenter non includit ex propria ratione formalis, ex proprioque formalis, & specifico conceptu, sed solum ex ratione communi actus puri; & sic non possunt non ad diversam lineam pertinere, & virtualiter adaequatè distingui.

*Objiciuntur, & solvantur argumenta.*

49 **A**rgumenta ferè omnia, quæ contra hanc resolutionem videntur procedere, soluta manent ex dictis à principio in secundo notabili, & ex dictis resolutione precedentibus. Pro majori tamen claritate objicies 1. Perfectio simpliciter simplex secundum proprium, & formalem conceptum debet concipi in Deo infinita, & actus purus intra propriam lineam, quia, ut diximus, nedum debet reperiri in Deo secundum proprium, & formalem conceptum, quem habet in sua abstractione totali, & ut analogicè communis Deo, & creaturis, sed etiam cum ea puritate, & perfectione, quam habet in sua abstractione formalis; at divina intellectio pertinet ad eandem lineam, ad quam pertinet divinus intellectus, nempe ad lineam intellectivam: ergo.

50 Confirmat. Divinus intellectus in Deo ex proprio, & formalis conceptu debet excludere omnem imperfectionem, alias intra propriam lineam non esset actus purus, & infinitus: debet ergo excludere intra propriam lineam omnem potentialitatem; consequenterque debet includere intellectionem, nam eo ipso quod intellectionem non includat, concipitur ut actuabilis per illam, & sic ut includens potentialitatem.

51 Ad argumentum resp. dist. illam minor.

pertinent ad eandem lineam genericam, conc. specificam, nego min. & conseq. Tam enim intellectus, quam intellectio pertinent ad lineam, intellectivam attamen intra lineam intellectivam dantur plures linea specificè distinctæ, nempe linea intellectiva per modum principij proximi, ad quam pertinet intellectus, & linea intellectiva per modum actus secundi, ad quam pertinet intellectio, quippè intellectus ex proprio, & formalis conceptu non includit intellectionem. Et sic duntaxat argumentum convincit, quod quia intellectus in Deo debet concipi ex proprio, & formalis conceptu, ut actus purus, & infinitus intra propriam lineam, consequenter debet concipi, ut continens omnem perfectionem intra lineam principij, videlicet ut continens virtutem infinitam ad cognoscendum Deum, quantum cognoscibilis est, ita ut neque sit in potentia ad ulteriore actualitatem, & perfectionem, quæ talis sit per modum principij, & virtutis, licet non concipiatur, ut continens perfectionem intellectus, ut potest comprobari à paritate linea volitivæ, quæ licet una sit genericè, intra eam tamen dantur plures linea specificè distinctæ, nam datur linea volitiva per modum principij radicalis, quod pertinere non potest ad linea volitivam per modum actus, aliter cum principium radicale volendi sit natura divina, hæc ex proprio formalis conceptu includeret volitionem. Similiter intra lineam volitivam per modum actus datur linea volitiva per modum actus communis, ad quam pertinet volitio essentialis, & linea volitiva per modum actus particularis, ad quam pertinent particulares volitiones: immo intra lineam actus particularis distinguuntur plures linea, nempe justitia, misericordia, veracitatis, &c. à simili ergo.

52 Ad confirmationem respond. quod sicut de ratione perfectionis simpliciter simplicis in Deo solum est quod continet ex proprio, & formalis conceptu omnem perfectionem propriæ linea, sic solum est quod excludat omnem potentialitatem à perfectione propriæ linea; proinde excludat omnem imperfectionem intra propriam lineam, non vero absolute, & in omni linea, neque ex hoc infertur quod absolute aliquam imperfectionem includat positivè loquendo, sicut neque quod includat potentialitatem, quia ut supra in principio notavimus: aliud est non excludere potentialitatem ad perfectionem alterius linea, & aliud eam positivè includere. Perfectio namque simpliciter simplex ex proprio, & formalis conceptu, seu in sua abstractione formalis hanc potentialitatem neque excludit.

cludit, neque includit, sed permissivè se habet ad exclusionem prout in Deo ex ratione communi actus puri, & ad inclusionem prout in creatura ex ratione communi actus potentialis.

53 Sed dices, hoc ipsum, quod est divinum intellectum ex proprio, & formalis conceptu non excludere potentialitatem ad intellec-tionem, est aliqua imperfectio in divino intellectu, quia est permis-sivè se habere ad potentialitatem, quæ imperfectio est. Sed respondeatur, hanc eadem imperfectionem continere divina naturam, attributaque divina, ut potè nequè divina natura ex proprio, & formalis conceptu excludit potentialitatem ad perfectionem linea-  
attributorum, nequè similiter unum attributum ad perfectionem linea-alterius attributi, ut ipsi facientur; nequè enim est de ratione perfectionis simpliciter simplicis quod secundum proprium, & formalem conceptum sit in Deo actus purus, & infinitus simpliciter; hoc enim solum habet ratione subjecti, & quia in Deo, sed pure intra propriam lineam, aliter ex proprio, & formalis conceptu creaturae repugnaret. Unde bene nota quod cum dicitur perfectionem simpliciter simplicem dicere perfectionem sine imperfectione, debet intelligi de imperfectione positiva, seu positivè tali, non verò de imperfectione tali negativè, aut permis-sivè.

54 Secundo objicies: intellectus divinus ex proprio, & formalis conceptu administrus includit intellec-tionem communem, & essentialiem, qua Deus se intelligit: ergo ab hac administrus non potest virtualiter adæquate distingui. Prob. anteced. illa intellec-tio cōcipitur à nobis cum fundamento in re ut magis perfecta, quam ceteræ intellec-tiones; sed hoc ipso intellectus divinus eam includit ex proprio, & formalis conceptu: ergo. Prob. min. eo ipso quod concipiatur cum fundamento in re, ut magis perfecta, concipiatur ut habens majorem unitatem cum intellectu divino; at hæc major unitas non in alio consistere potest, nisi in eo quod intellectus divinus eam includit ex proprio, & formalis conceptu, quamvis eam non explicet secundum proprium munus, quod est solum virtualiter inadæquate ab ea distingui: ergo. Minor videtur certa, nam si semel eam non includat ex proprio, & formalis conceptu, sed ab ea virtualiter adæquate distinguitur, eo ipso intellectus divinus distinguitur ab illa intellec-tione eadem distinctione, qua distinguitur ab alijs intellec-tionibus, cum ab istis non possit plus distingui, quam virtualiter adæquate. Major verò probat. quia perfectio major, vel minor rei attenditur penes majorem, vel minorem accessum ad unitatem principij, unde Angeli, quò perfectiores, magis accedunt

ad unitatem Dei, proindeque intelligunt per majorē unitatem, seu per pauciores, & universaliores species: ergo à simili.

55 Resp. neg. assumptum, & concedimus intellec-tionem illam communem, & essentialiem concipi à nobis cum fundamento in re, ut magis perfectam, sed non extra lineam actus secundi, sed intra illam; quia nempè objectum illius est divina essentia in se, & omni sublato respectu ad creaturas, quo modo est objectum primarium, & specificativum divini intellectus. Objectum verò aliarum intellec-tionem, quæ nempè libere sunt, est divina essentia cum prædicto respectu, quo modo est objectum secundarium. Et sic ex illa majori perfectione solum licet inferre majorem accessum ad virtutem principij intra propriam lineam actus secundi, quæ major unitas non est alia, quam eam esse primariam, essentialem, & specificam operationem divini intellectus; non tamen ita, ut sit de illius proprio, & formalis conceptu, ut potè perfectio pertinens ad unam lineam, non potest pertingere, ut sit de conceptu proprio, & formalis perfectionis alterius linea, ut patet in voluntate Dei, quæ licet infinite perfecta sit, non pertingit, ut sit de proprio, & formalis conceptu divini intellectus. Et ex hoc patet ad probationem, exemplumque est pro nobis, ut potè quantumvis perfectior sit Angelus, & ex hoc magis accedat ad unitatem Dei, nunquam tamen potest ita in perfectione crescere, ut pertingat divinam perfectionem; quia illa major perfectio debet esse intra lineam perfectionis creatæ: similiter ergo.

56 Sed dices: quo prædicatum est perfectius, includit prædicatum inferius seclusa illius imperfectione; sed intellec-tio essentialis à nobis concipiatur cum fundamento in re, ut perfectior alijs intellec-tionibus: ergo & concipiatur à nobis ut continens eas, seclusa illarum imperfectione, proindeque seclusa illarum distinctione virtuali adæquata. Sed resp. quod imperfectio distinctionis virtualis adæquate, quæ est propria aliarum intellec-tionum, est distinctio virtualis adæquata per modum actus secundarij, & hanc non includit intellec-tio essentialis, licet includat distinctionem virtualem adæquatam per modum actus primarij, ab hac enim purificari non potest.

57 Tertiò objicies: ex eo divinus intellectus ex proprio, & formalis conceptu non includeret intellec-tionem, quia ex proprio, & formalis conceptu est principium, & intellectio est actio egrediens à principio, propterea quæ debet supponere principium perfectum, & adæquate constitutum; at ex hoc non sequitur: ergo. Prob. minor: stat, quod intellectio pertineat ad conceptum

primum formalem intellectus, & ad hoc retineat conceptum, & formalitatem actionis egredientis à principio: Ergo. Prob. anteced. in intellecione præpter conceptum inadæquatum egressionis à principio, datur alter inadæquatus conceptus ultimæ actualitatis in linea operativa: Ergo potest pertinere ad conceptum formalem intellectus secundum conceptum inadæquatum ultimæ actualitatis, eumque prout sic constituere, & ab eo procedere secundam alterum inadæquatum conceptum egressionis. Prob. consequentia nam eo ipso quod detur duplex ille inadæquatus conceptus potest secundum unum presupponi ad se ipsam secundum aliud, & eo ipso potest secundum unum ( scilicet ultimæ actualitatis ) intellectum constituere, & secundum aliud ab eo egredi, quod & potest comprobari pluribus exemplis; aptius tamen est in relatione, in qua pariter distinguitur duplex inadæquatus conceptus; nempe in & ad & secundum conceptum in presupponitur ad se ipsam secundum conceptum ad, ita ut secundum conceptum in constituerat Personam Divinam, & secundum conceptum Ad eam præ supponat constitutam, & referat ad terminum à simili ergo, quia non minus relatio definitur per hoc quod est respicere terminum, quam actio per hoc quod est egredi à principio.

58 Pro solutione hujus argumenti breviter hic est notanda doctrina thomistarum loquendo de personatum constitutivo in divinis, quod scilicet actio generativa nullo modo constituit personam Patris, quia de ejus ratione est quod sit egrediens à patre, ac proinde quod presupponat personam Patris constitutam, quæ est doctrina Div. Thom. infra quæst. 40. art. 4. in corp. & ad 3. Hoc autem non convinceret si actio secundum conceptum in adæquatum egressionis presupponeret se ipsam secundum alterum inadæquatum conceptum ultimæ actualitatis, utpote secundum hunc inadæquatum conceptum posset personam Patris constituere, & secundum aliud egredi ab eo, sicut à simili argumentum convincit de relatione. Admittimus ergo in divina intellecione illum duplum inadæquatum conceptum, attamen non ita quod conceptus ultimæ actualitatis presupponatur ad conceptum egressionis, sed potius è contranam quod primò intelligitur in actione est egressio à principio, ut patet ex ejus definitione, & deinde intelligitur quod sit ultima actualitas; undè hæc est vera causalitas, quia actio egreditur ab operante, eum perficit, & in actu ultimo constituit. Et conseqüenter si secundum conceptum inadæquatum egressionis supponit divinum intellectum adæquate constitutum, à for-

tiori debet illum supponere adæquatè constitutum secundum conceptum inadæquatum ultimæ actualitatis. In relatione verò conceptus in est prior quam conceptus ad quia non potest intelligi relatio, ut referens, quin prius intelligatur, ut in hærens, vel conveniens; undè hæc etiam est vera causalitas: quia relatio inhæret, vel convenit subiecto, cum refert ad terminum. Hinc in divinis, ut argumentum supponit, relatio secundum conceptum ad supponit generationem in qua fundatur, generatio autem supponit personam constitutam, & relationem secundum conceptum in.

56 Quarto objicies; quod neque intellectus, neque voluntas ex genere suo, & in sui abstractione includunt minus potentia exequitiva, aliter etiam in homine potentia exequitiva non esset distincta ab intellectu, & voluntate, & tamen in Deo potentia exequitiva non est ab intellectu, & voluntate adæquate virtualiter distincta, ut asserit communis sententia thomista: Ergo à simili.

56 Resp. disting. anteced. non includunt minus potentia exequitiva, quæ est propria agentis pure intellectualis, nego; quæ est propria agentis mixti ex intellectuali, & corporeo, concedo major. & min. & nego conseq. Intellectus enim ex genere suo, & in sui abstractione includit potentiam exequitivam, quæ est propria agentis pure intellectualis, quia in agente pure intellectuali intellectus nedum est efficax ad intra, sed etiam ad extra; undè ejus imperium immediate ordinatur ad exequitionem operis, proptereaque talis potentia exequitiva pertinet ad eandem lineam principij intellectivi. Quia ratione nedum est de conceptu formalis intellectus divini, sed etiam intellectus creati, qualis est intellectus Angeli, de quo ait Div. Thom. oposculo 11. art. 13. *Quod movet Cœlos Conceptione sui intellectus efficacit.* In agente vero mixto ex intellectuali, & corporeo, intellectus non est efficax ad extra, sed solum ad intra, proptereaque imperium illius immediate non ordinatur ad exequitionem operis, sed solum ad applicandum organa, & instrumenta quibus exequendum est opus, & sic potentia executiva non potest non realiter ab intellectu, & voluntate distinguiri, ut patet in homine.

51 Quinto objicies ad idem; personalitas, & relatio ex genere suo, & in sui abstractione non se includunt secundum proprios, & formales conceptus, aliter etiam increatis se includeant, cum tamen personalitas creata realiter à relatione distinguatur; & tamen in Deo personalitas non est adæquate virtualiter distincta à relatione, sed duntaxat inadæquate, & penes di-

versa munera, quia nempe secundum conceptum in constituit personam, & secundum conceptum ad eam referit: ergo a simili. Idem argumentum fit de potentia productiva hominis, & de potentia productiva equi; una enim potentia alteram non includit secundum proprium, & formalem conceptum, & tamen in Deo virtualiter non distinguuntur ergo.

62 Ad hoc argumentū respond. quod cum nos dicimus ea virtualiter adæquate in Deo distingui, quorū unum ex genere iuo, & in sui abstractione alterū non includit ex proprio, & formalī conceptu, intelligitur de his, quorū unum independenter ab alio potest intra propriam linēam admittere infinitatem, quia ut in principio notavimus, & patet ex dictis, perfectio, quæ intra propriam lineam infinita non est, non potest esse formaliter in Deo. Personalitas autem intra propriam lineam non potest intelligi infinita, nisi formaliter sit relativa, siquidē una personalitas debet ab altera realiter distingui, & nullum infinitū potest realiter distingui nisi ab alio sibi relativè opposito; proptereaque quāvis personalitas ex proprio, & formalī conceptu non includat relationē, in Deo non potest à relatione virtualiter distingui; è contra verò intellectus intra propriam lineaem potest intelligi infinitus independenter ab intellectione, scū intellectione non intellecta; & sic non est paritas. Per quod etiam patet ad secundum exemplum, nam potentia productiva hominis, nō potest intra propriam lineam intelligi infinita, nisi intelligatur simūl potentia productiva equi, immo, & universaliter omnium rerum.

63 Tandem objicies: stat intellectum ex genere suo, & in sui abstractione influere in intellectionem, & aliquem intellectum non distingui virtualiter ab illa: ergo nullum est fundamentum nostra sententia. Probat. anteced. Stat principiū ex genere suo, & in sui abstractione influere in actum secundum, & aliquod principiū non influere in illū ullo modo: ergo similiter. Conseq. pat. & anteced. prob. à paritate, stat quod de ratione intellectionis ut sic sit productio Verbi, & aliquam intellectionem Verbum non produceat. ergo pariter. Conseq. pat. & anteced. probat. & in primis, quod aliqua intellectio non producat Verbum, patet in visione beata, & intellectio, qua angelus se ipsum intelligit ut probabilitate tenent plures thomistæ. Quod verò de ratione intellectionis, ut sic sit productio Verbi prob. ex D. Thom. infra q. 27. art. 1. in corp. Ubi probat processionē Verbi in divinis: *Quia omne intelligens ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliqui intra ipsum, quod est cōceptio rei intellectae.*


64 Sed de hoc late thomistæ loco citato, & M. Carrasco.

genuina explicatio D. Tho. est, quod ly *omne* non distribuit complete ex parte intellectionum, t.c. solum ex parte intelligentium, ita ut sensus sit, non quod intelligens per omnem suam intellectionem producat Verbum, sed quod omne intelligens per aliquam sui intellectionē Verbum producit. Unde illa verba: *Ex hoc ipso, quod intelligit,* interpretari debent: id est, ex hoc ipso, quod est intellectualis natura. Et sic negatur, quod de ratione intellectionis, ut sic, attēto ejus proprio, & formalī conceptu sit productio Verbi, sed solum est productio Verbi, vel ratione fecunditatis intelligentis, ut cognitio Patris in divinis, vel ex indigentia subjecti, cum scilicet objectum per se ipsum non est in ultima actualitate suę passivę intellectionis, ut contingit in creatis. Cum ergo in visione beata objectum, scilicet Deus, sit in ultima actualitate suę passivę intellectionis, nequè Verbo indigeat, cum sit purus actus in omni liena, propterā visio beata non est productio Verbi.

65 Sed dices, illud principiū: *Omne intelligens ex hoc ipso, quod intelligit,* &c. Salvatur secundū nos per distributionem completam ex parte intelligentiū, licet non per distributionem completam ex parte intellectionū, ita ut sensus sit, quod omne intelligens per aliquam sui intellectionē producit Verbum: ergo similiter illud principiū à nobis constitutū secundum D. Th. nempe omne principiū ex hoc ipso, quod principiū influit in operationem, sive formaliter, sive virtualiter, potest salvari per distributionē completam ex parte principiij, sine distributione completa ex parte operationum, ita ut sensus sit non quod principiū influit in omem sui operationem, sed quod omne principiū influat in aliquam sui operationē. Conseq. videt. bona à paritate, consequēterque, ut intellectus divinus sit principiū suę intellectionis, sufficit, quod in aliquam sui intellectionem influat, nempe in liberam ad creaturas terminatam, vel intellectionem notionalem, non tamen in omnem, videlicet in communem, & essentialiem.

66 Sed resp. neg. conseq. & disparitas est, quod intellectio, ut diximus, non est productio Verbi, nisi ratione fecunditatis intelligentis, vel ex indigentia objecti; cum ergo aliquod objectū scilicet beatificū per se ipsum sit Verbum, cum sit suum intelligi, ex hoc illius intellectio non habet producere Verbum; & propterā principiū illud verificari valet sine distributione completa ex parte intellectionum. In nostro tamen casū principiū influit in actionem propter objectum, quod vel est creatū, si sit actio ad extra, vel bonitas divina, scū divina essentia, si sit actio essentialis, & ad intra, vel Filius, scū Spiritus Sacerdos si

sit actio notionalis; at objectum creatum per se ipsum non est realiter actio divina, & licet divina essentia sit realiter suum intelligere, & suum velle, non tamèn virtualiter; & pariter neque Filius, nequè Spiritus Sanctus est virtualiter sua generatio, vel spiratio: ergò sempèr indigent ut principium in ea influat media actione sive formaliter, sive virtualiter distincta, & elicita.



## DUBIUM III.

*Quod sit constitutivum methaphysicum divinæ naturæ.*

1 **N**on inquirimus de constitutivo philosophico, seu reali, vel entitativo divinæ naturæ, hoc enim haud dubium, quod sint omnia prædicata formaliter in Deo inventa, cum omnia sint realiter cum divina essentia identificata, omniaque sint una indivisibilis, seu simplicissima entitas, ubi non obest relationis oppositio. Procedit ergò dubium de constitutione methaphysica divinæ naturæ, & non in lata acceptance, prout essentia est abstractum entis nominaliter sumpti, & est idem ac entitas, proindeque essentia divina est idem ac entitas divina; ut sic enim consideratur per modū transcendentis, ratio enim divinæ entitatis omnia divina prædicata transcendent; sicut & ratio entitatis creatæ omnia prædicata creatæ; undè, & omnia ea essentialiter, & objectivè includit. Procedit ergò sermo de constitutione methaphysica divinæ naturæ in stricta acceptance, sūpta scilicet natura pro prædicato, quod primo concipiatur in re tanquam radix cæterorum. Undè idem est inquirere, quod sit constitutivum methaphysicum divinæ naturæ, ac quodnam sit prædicatum ex his quæ verè, & formaliter Deo convenienter, quod à nobis cum fundamento in re concipiatur, ut primum, & radix cæterorum, seu ex quo cætera virtualiter diminantur.

2 Quo in dubio tot sunt difficultates, quot sententiæ, quæ præcipue reducuntur ad sex. Prima afferit constitui per infinitatem; secunda per hoc quod sit ens à se, seu per essentiam; tertia per cùmulum omnium perfectionum, seu attributorum collectionem; quarta distinctionem virtualem ponit inter conceptum objectivum essentiæ, & conceptum objectivum naturæ; afferitique primo modo constitui per immaterialitatem à se existentem; secundo verò modo per intellectuionem actualem; quinta sententia præcedentibus magis plausibilis afferit methaphysicè constitui per intellectuionem actualem; sexta denique afferit constitui per intelligere radicale. Sit ergò.

## RESOLUTIO I.

*Constitutivum divine naturæ nequit esse infinitas.*

3 **E**st contra Scotum, & omnes ejus discipulos; eam tamèn tenent ceteri theologi. Qua fundatur multipliciter, & primo: quia, ut nuper diximus, illud est constitutivum methaphysicum divinæ naturæ, quod in Deo primo intelligitur, tanquam radix cæterorum; at hujusmodi non est infinitas: ergò Probatur minor, & multipliciter, primo: nam quod in Deo intelligitur tanquam radix cæterorum non est demonstrabile à priori, aliter intelligeretur aliud prædicatum prius; at infinitas Dei demonstratur à priori, ut patet ex D. Thom. supra q.7.art.1. & alijs in locis, eam demonstrante ex quo esse divinum non est receptum in aliquo, sed ipse est suum esse subsistens: ergò.

4 Dices quod, ut notat Cayet, prius est formam esse finitam, quam esse receptibilem, vel irreceptibilem in aliquo, & sic prædicta demonstratio D. Thom. non est à priori. Sed contra est, nam D. Thom. sumit ibi esse irreceptū in sensu positivo, prout idem est ac per se subsistens; non autem prius est naturam divinam esse infinitam quam esse per se subsistentem, sicut nequè prius est naturam creatam esse finitam, quam esse subsistentem in alio, cum ex subjecto in quo recipitur ortum habeat ejus finitas, & limitatio; qua ratione plures repetit D. Tho. quod, si ponatur albedo abstracta ab omni subjecto, eo ipso ponitur infinita intra propriam lineam, & speciem; & solum est limitata in quantum est in hoc vel in illo, sicut & solum per hoc una albedo distinguitur ab alia; idem enim est principium distinctionis, & limitationis; de quo late in tractatu de Angelis dubio primo resolut.2.

5 Secundo ex hoc ipso probat. eadem minor: namque in ente creato non primo intelligitur tanquam radix cæterorum finitas: ergò nequè infinitas in Deo. Conseq. pat. à paritate; sic enim se habet infinitas respectu entis divini, sicut finitas respectu entis creati; undè sicut per infinitatē distinguuntur Deus à creaturis, sic & creature per finitatē distinguuntur à Deo. Antec. autem est per se notū, aliter natura creata, v.g. humana, per finitatē constitueretur, & non per rationalitatem.

6 Tertio probat. eadem minor: nam infinitas est modus divinæ perfectionis, sicut & finitas est modus perfectionis creatæ: ergò, cum modus supponat substantiam rei quam afficit, non potest esse id quod primo in Deo intelligitur, ut radix cæterorum. Conseq. pat. & anteced. ostenditur primo, quia perfectionem aliquam esse tantam, vel tantam est modus ipsius: ergò div.

divinam perfectionem esse tantam, ut contineat omnem perfectionem excogitabilem, quod est esse infinitam, sicut & creatam esse perfectionem sub certo termino, quod est esse finitam, est illius modus. Secundo: nam sicut se habet finitas, vel infinitas ad quantitatem mollis, sic se habet finitas, vel infinitas ad quantitatem virtutis; sed juxta Philosophum 3. phisic. textu 15. finitum, & infinitum sunt modi quantitatis mollis: ergo & quantitatis virtutis, quae cum in perfectione consistat, erunt consequenter modi perfectionis.

7 Secundo fundatur nostra resolutio: infinitas in carentia termini, seu finis consistit; sed natura divina constitui nequit per carentiam aliquam: ergo. Minor probat. tum ex eo, quod juxta Div. Basilius lib. 1. contra Eunomium innascibilitas, quia in carentia consistit, nequit esse de substantia, seu quidditate Dei: tum quia eo ipso infinitas, non tam ponit, quam removet aliquid à Deo, qua ratione immensum, & immutabile non constituant naturam divinam, sed numerantur inter attributa negativa Dei. Major verò in qua est difficultas probat. tum ex Div. Thom. quæst. 7. citata art. 1. ubi ait, quod infinitum dicitur aliquid ex eo quod non est finitum: tum, quia finitum ex in, & finitum coalescit, ut loco citato ait Cayetanus, quod utrumque exclusionem finis significat: tum denique, namque nomen affirmativum divinæ perfectionis est totalis, & summa perfectio: ergo infinitas est solum nomen negativum. Hac enim ratione probat Div. Thom. infra quæst. 33. art. 4. hoc nomen ingenitum esse negativum, quia primum principium innescit duplicitè, uno modo per relationem ad ea, quæ ab ipso sunt, alio modo per hoc, quod non est ab alio, & primo modo innescit paternitatem, & communispiratione, secundo modo per proprietatem innascibilitatis, quam significat hoc nomen ingenitum. Cum ergo divina perfectio innescat affirmative per continentiam omnis perfectionis, quam significat nomen totalis, & summa perfectio, negative solum poterit innescere hoc nomine infinitas, quod significat carentiam termini, & finis.

8 Sed dices, æque repugnat negationem esse proprietatem Patris, ac esse constitutivum Dei; at quamvis innascibilitas in negatione consistat, non inferitur non esse proprietatem patris, ut patet ex D. Thom. loco citato de Trinitate ad primum ubi ait: Neque propter hoc sequitur quod ingenitus non debeatponi propria notio Patris, quia prima, & simplicia per negationes notificantur, sicut dicimus, punctum esse cuius non est pars: ergo. Sed respondetur Div.

Thom. debere intelligi non de proprietate strictè sumpta, quæ nimis est passio dimanans à natura; quod enim non est, nequè dimanare potest; sed de proprietate largè, prout nimis dicit prædicatum proprium Dei, quo in sensu omnia attributa negativa dicuntur Dei proprietates. Neque valet, quod propria, & simplicia per negationes notificantur, & consequenter divina natura per negationem notificari potest, ac tandem constitui, cum constitutivum rei sit rei notificativum. Non inquam valet; nam constitutivum rei notificat ponendo, negatio vero notificat removendo, & sic constitutivum rei esse non potest.

9 Dices, ex hoc fundamento solum probari divinam naturam constitui non posse per infinitatem pro formaliter consideratam, quia prout sic in carentia consistit, secùs vero fundamentaliter consideratam, quia hæc in positivo consistit, nempe in summa, & torali perfectione omnem perfectionem ex cogitabilem continent. Sed de hoc in 3. resolut. Ubi probabimus, naturam divinam constitui non posse per cumulum, seu collectionem omnium perfectionum. Præterquamquod divinam perfectionem esse summam, & totalem, seu continentem omnem perfectionem excogitabilem, est modus divinæ perfectionis, ut pater ex fundamento præcedenti; unde neque naturam divinam constitueret valet, sed necesse est eam constitutā supponere.

10 Tertio, & ultimo fundatur nostra resolutio: quia infinitas est prædicatum transcendentis naturam divinam, & omnia illius attributa non ergo potest naturam divinam metaphysice constituere. Major patet, non enim sola natura divina, verum, & omnia illius attributa sunt infinita; sicut & divina. Conseq. vero probnam divina natura debet constitui per illud prædicatum ratione cuius distinguitur nedum à creaturis, verum, & ab ipsis attributis; aliter non erit eorum radix, & ratio à priori, sed hoc ipso quod infinitas prædicatum sit transcendentis divinam naturam, & omnia illius attributa, per eam potius cum attributis convenit: Ergo.

11 Dices, divinam naturam non constitui per infinitatem transcendentalis, seu transcendentem divinam naturam, omniaque illius attributa, quæ dicitur infinitas simpliciter; & in omnī linea, sed per infinitatem in propria linea naturæ, quæ dicitur prima, & essentialis; propterea que distincta ab infinitate attributorum. Sed inquiror, unde habet hæc infinitas, quod sit infinitas in propria linea naturæ, primaque, & essentialis, nisi quia est infinitas in linea illius prædicati, quod primo intelligitur in Deo tanquam ra-

dix ceterorum ergo illud praedicatum, & non infinitas erit constitutivum divinæ naturæ. Immo omnia attributa sunt infinita in propria linea, proindeque infinitate distincta ab infinitate naturæ; & tamè nullus hucusque dixit attributa per propriam infinitatem constitui. Ratioque à priori est, quia infinitas in propria, & determinata linea est infinitas competens divinis praedicatis non ex ratione communi entis divini, & actus puri, sed ex proprio illorum conceptu, v.g. infinitas divini intellectus in propria linea ei competit ex proprio illius formalis conceptu, secundum quem à voluntate distinguitur, non ex ratio communis entis divini, tè auctus puri, secundum quam intellectus divinus includit objectivè, & essentialiter cætera divina praedicata: infinitas ergo in propria, & determinata linea sequitur ex proprio, & formalis conceptu alicujus, & si sit prima, & essentialis sequitur ex proprio, & formalis conceptu illius, quod primo in eo intelligitur tanquam radix ceterorum, & consequenter illud erit constitutivum divinæ naturæ, non vero infinitas illius, licet haec sic illius modus.

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

12 Sed contra nostram resolutionem objicies primò: illud est constitutivum naturæ divinæ, quod est proprium Dei, proindeque incomunicabile creaturis, ejusque à creaturis distinctivum; at talis est sola infinitas: ergo. Maj. pat. cum idem sit constitutivum rei, ac illius distinctivum. Min. vero non minùs videtur certa, nam alia divina perfectiones, ut esse, vivere, intelligere, & velle communicantur creaturis, infinitas vero non communicatur. Confirmatur, quia ablata à Deo infinitate non est in eo assignabile praedicatum aliud per quod à creaturis possit distinguiri: ergo neque per quod possit constitui, & consequenter per illam solum constitui necesse est.

13 Sed in primis instatur argumentum ex dictis; sicut enim infinitas est propria Dei, ejusque à creaturis distinctiva, sic finitas est propria entis creati, ejusque à Deo distinctiva; & tamè hinc non licet inferre, ens aliquod creatum constitui metaphysicè per finitatem: ergo à simili. Respond. ergo 1. juxta primum fundamentum, minime sequi infinitatem esse divinæ naturæ constitutivum ex quo est propria Dei, creaturis incomunicabilis, ejusque à creaturis distinctiva, cù risibilitas sit propria hominis, equo incomunicabilis, ejusque ab equo distinctiva; & tamen non inde licet inferre esse constitutivum hominis. Et hoc ideo, quia ut aliquid sit constitutivum alicujus, alterius necesse est, quod sit pri-

mum, quod in eo intelligitur, tanquam radix ceterorum, quod non est risibilitas in homine. Immo infinitas cuiuslibet attributi, sive transcendentalis, sive formalis, & in propria linea, etiam est propria Dei, creaturis incomunicabilis, ejusque à creaturis distinctiva; unde etiam non licet inferre Deum constitui per infinitatem attributorum, quia haec non primo intelligitur in Deo: à simili ergo.

14 Secundo etiam juxta dicta in 1. fundamento resp. dist. maj. illud est constitutivum divinæ naturæ, quod est proprium Dei per modum substantiarum, proindeque incomunicabile, substantialiter, & per modum substantiarum ejus à creaturis distinctivum, concedo; quod est proprium Dei, ut modus illius, proindeque incomunicabile tam substantialiter, quam accidentaliter, & distinctivum solum, ut modus Dei, nego. Patet namque quod gratia est participatio formalis divinæ naturæ per modum naturæ, non substantialis, sed accidentalis: ergo de conceptu naturæ divinæ solum est, quod sit imparticipabilis, seu incomunicabilis substantialiter, non vero accidentaliter. Cum ergo infinitas neque substantialiter, neque accidentaliter comunicabilis sit creaturis, consequenter potius inferatur naturam divinam per infinitatem non constitui, licet sit propria Dei, ut modus illius, quo pacto solum est illius à creaturis distinctiva, cuius pone etiam exemplum in attributis, quæ quia substantialiter imparticipabilia sunt, non vero accidentaliter, illorum infinitas, quæ imparticipabilis est substantialiter, & accidentaliter, non ingreditur illorum constitutivum, sed solum se habet, ut illorum modus.

15 Tertio respondetur juxta secundum fundamentum, distinguendo etiam maj. illud est constitutivum divinæ naturæ, quod est proprium Dei, &c. tanquam praedicatum positivum, concedo, negavitum, nego; infinitas autem quamvis omnia ea exerceat, est praedicatum negativum Dei, quod non ponit, sed removet aliquid à Deo. Quarto respond. juxta tertium fundamentum, quod constitutivum divinæ naturæ taliter debet esse proprium Dei, ut nendum sit incomunicabile creaturis, & Dei à creaturis distinctivum, sed etiam sit incomunicabile attributis, & pariter ab attributis distinctivum. Cum ergo infinitas, licet creaturis incomunicabilis sit, Deumque à creaturis distinguat, non tamen est attributis incomunicabilis, sed potius eis communis, ut potè transcendens, consequenterque per eam ab attributis divina natura distinguiri non possit, neque potest esse divinæ naturæ constitutivum.

16 Ad confirmationem respondetur dist. anteced. ablata à Deo infinitate per rationem,

seū ea explicitè non intellecta, nego; ablata realiter, seū à parte rei, concedo. Ut enim infinitas sit constitutivum divinæ naturæ, non sufficit, quod ablata, seū destruxta infinite a parte rei non sit aliquid prædicatum aliud per quod posuit a creaturis dītingui, sicut neque hoc sufficit, ut finitas sit constitutivum naturæ creatæ, & hoc ideo; quia ad hoc sufficiens est, quod finitas sit prædicatum transcendens quamcumque naturam creatam, & ejus constitutivum, qua ratione ea realiter destruxta, & tollitur constitutivum, & tollitur ipsa natura creata; & sic si non remaneat natura constitutibilis, quid mirum, quod nequæ remaneat constitutivum, nequæ assignabile sit prædicatum aliquod distinguivum? Eset ergo necesse, quod ea ablata per rationem, seū ea explicitè non intellecta, non esse assignabile prædicatum distinguivum, quod est falsum, adhuc enim assignabilis est intellectualitas comprehensiva Dei, sive radicalis, sive actualis, per quam ab omni natura non divina distinguitur, sicut per rationem ablata, seū præcisa ab homine trinitate, est in eo assignabile prædicatum rationalitatis, per quod differt ab alijs animalibus.

17 Secundo objicies: si divina natura non constitueretur per infinitatem, Deus non esset per se primo, & essentialiter infinitus; sed hoc est falsum: ergo. Major pater; nam, quia natura humana non constituitur per risibilitatem, homo non est per se primo, & essentialiter risibilis; minor vero probatur: tum quia Deo per se primo, & essentialiter repugnat termino claudi: ergo per se primo, & essentialiter est infinitus, cum infinitas in carentia termini consistat: tum quia natura divina, ut ab attributis distinguita est infinita, aliter nequæ esset infinita intra propriam linjam, nequæ infinitas esset prædicatum transcendens: ergo per se primo, & essentialiter.

18 Hoc argumentum patitur etiam instantiam in natura creatæ, nam homo per se primo, & essentialiter est ens, & finitus, inde tamè non sequitur per entitatem, seū finitatem constitui. Et hoc solum, quia ratio entis, & finiti cōvenit ei per se primo, & essentialiter per modum rationis transcendentis, non vero per modum rationis differentialis; prædicatum autem transcendens non computatur inter prædicata metaphysica, & constitutiva inferiorum; propterea nequæ illorum definitionem ingreditur: à simili ergo. Vel dicatur hoc ipsum alijs terminis: Deus per se primo, & essentialiter est infinitus, sumpta essentia in larga acceptione, neppè transcendentaliter, concedo; sumpta in stricta acceptione pro eo, quod 1. intelligitur, &c.

nego, quod patet ex notabili posito à principio. Ad probationem in contra respondetur, quod homo non est per se primo, & essentialiter risibilis præcise, quia non constituitur per risibilitatem, sed aliundè, quia risibilitas prædicatum transcendens non est; aliter esset per se 1. & essentialiter risibilis, quamvis per risibilitatem non constitueretur, ut patet de entitate, & finitate. Hinc consequenter dicimus, quod Deo per se primo, & essentialiter repugnat termino claudi, sed non taliter, quod repugnat ortum habeat ex concepiū proprio, & formalis essentie, sed solum ex ratione transcendentali, communique essentiæ, & attributis. Pariter dicimus, quod natura divina, ut ab attributis distinguita est infinita, sed non taliter, quod per infinitatem ab attributis distinguitur, sed potius cum eis convenit, quod necesse erat, ut per eam constitueretur. Homo enim adhuc, ut distinguis ab equo est ens, & finitus, cum tamè per entitatem, & finitatem ab equo non distinguitur.

19 Tertio, & ultimo objicies: infinitas est radix omnium divinarum perfectionum: ergo cum in prædicta radice essentia Dei consistat, hæc constituetur per infinitatem. Conseq. pat. & anteced. prob. radix omnis imperfectionis creatæ est creatura limitatio: ergo è converso radix omnium divinarum perfectionum erit Dei illimitatio, seū infinitas. Resp. nego assumpt. ad probationem negatur etiam antec. namque imperfectio creata in potentialitate consistit; limitatio autem ex potentialitate formæ provenit: ergo potius radix limitationis est imperfectio in potentialitate consistens, quam è contra. Unde, ut diximus in primo fundamento, infinitas Dei ortum habet ex quo est suum esse subsistens, sicut & finitas naturæ creatæ ex quo, vel non est suum esse subsistens, vel recipitur in alio, ut in subiecto. Hinc ut ait Div. Thom. opusculo 42. cap. 1. prima entis divisio non est infinitum, & infinitum, sed iactum, & potentiam.

## RESOLUTIO II.

*Neque constitutivum divine nature est ratio entis à se, seū per essentiam.*

20 **E**st contra Capreolum, Bañez, Ledesma, Molina, Bazquez, & Granados. Eam tamè tenent cæteri theologi. Et fundatur 1. ex dictis in principio dubij: namque ratio entis à se solum potest constitutere essentiam divinæ, quatenus essentia est abstractum entis nominaliter sumpti, & est idem ac entitas, proindeque essentia divina est idem ac entitas divina; sed hæc est essentia divina in lata acceptione, & transcendentaliter considerata; quia prout sic transcendit ipsa attributa, non vero in-

stricta acceptancee, seu metaphysicè considerata, sumpta scilicet pro prædicato, quod primò intelligitur tanquam radix ceterorum, quo in sensu de ea in præsenti loquimur: ergò.

21 Confirmatur, & explicatur: constitutivum metaphysicum naturæ est quod 1. in ea intelligitur tanquam radix ceterorum, & consequenter per quod distinguitur nedum ab alijs naturis, verum & ab ipsis attributis, & proprietatibus radicatis; at per rationem entis à se, & per essentiam, licet distinguatur Deus à creaturis, non tamen ab ipsis attributis radicatis, cum prædicta ratio sit communis, & transcendens naturam, & attributa: ergò. Hinc sicut homo potest duplicitè considerari: uno modo, ut ens creatum est, alio modo, ut homo formaliter est, & 1. modo constituitur per rationem entis ab alio, seu per participationem per quam natura humana solum distinguitur a Deo, convenit tamen in eo cum alijs creaturis; secundo vero modo constituitur per rationalitatem, per quam nedum à Deo, verum & ab alijs creaturis distinguitur, & propterè primum constitutivum dicitur transcendente, & in lata acceptance; secundum verò dicitur metaphysicum, & in stricta acceptance: Sic parimenti Deus considerari potest, & ut ens increatum est, & ut Deus formaliter est, primoque modo constituitur per rationem entis à se, per quam natura divina solum distinguitur à creaturis, convenit tamen in ea cum attributis, seu alijs prædicatis divinis; secundo vero modo constitui debet per aliud prædicatum ratione cuius nedum à creaturis, verum & ab attributis ipsis distinguatur de quo in præsenti inquirimus.

22 Secundo fundatur nostra resolutio: namque vel per esse Deum ens à se, & per essentiam intelligitor, quod non sit ab alio tanquam à causa, vel intelligitur, quod sit suum esse; neutro ex his modis esse à se, & per essentiam potest constituere divinam essentiam, seu naturam: ergò. Prob. min. & in primis, quod ratio entis à se, & per essentiam prout significat non esse ab alio tanquam à causa, non possit constituere divinam essentiam, vel naturam, prob. 1. ex dictis resolut. antec. fundam. 2. Namque non esse ab alio tanquam à causa est carentia causabilitatis; sed divina natura nequit constitui per carentiam aliquam, hac enim ratione constitui nequit per infinitatem, sicut neque pater per rationem ingeniit: ergò.

23 Secundo prob. namque non esse ab alio tanquam à causa supponit naturam divinam constitutam: nequit ergò eam constituere. Prob. anteced. esse ab alio, tanquam à causa supponit constitutam naturam creatam: ergò pariter non esse

ab alio tanquam à causa supponit naturam divinam constitutam. Conseq. patet à paritate, & anteced. videtur notum, quando quidem habitudo naturæ creatæ ad causam efficientem, utpotè extrinsecam inponit genus causæ formalis, quæ intrinseca est. Quod, & expressè docet Div. Thom. infra q. 44. art. 1. ad primū ubi ait: *Quod habitudo ad causam efficientem non intrat in definitione entis, quæ est creatum, sed sequitur ad ea, quæ sunt de ejus ratione.* Quod, & fit evidenter ex eo, quod quia ens creatum, vel creabile intelligitur habens talē, vel talē naturā, intelligitur potens, & petens sic, vel aliter produci. Dantur enim aliqui effectus, qui petunt produci per creationē, ut sunt angeli, & dantur alij, qui petunt produci per educationem, ut equus vel ignis, & dantur alij, qui non possunt produci à solo Deo etiam per miraculum, ut sunt actiones nostræ vitales, alij verò possunt produci; at exigentia hujus diversæ producibilitatis provenit eis ex ipsorum natura; seu ex constitutivo proprio, & formalī illorum: ergò. Patet hæc minor: nam quia angelus est forma completa spirituallis, proindeque expers materia, non est producibilis per educationem, sed solum per creationē ex nihilo. Item forma materiale, quia receptibiles in materia, & ab ea in esse dependentes petunt produci dependenter ab illa, & per educationem. Tandem quia actio nostra vitalis petit essentialiter procedere à principio intrinsecō vitali, non potest etiam per miraculum à Deo produci, secùs vero equus, vel ignis. Patet ergò, quod quia ens creatum, vel creabile intelligitur talē, vel talē habens naturā, intelligitur consequenter potens, & petens sic vel aliter produci, & consequenter habitudo ad causam efficientem etiam primam, quæ explicatur per esse ab alio supponit naturam creatam constitutam.

24 Quod, & potest confirmari, namque ut præcedenti resolutione probavimus, infinitas nō constituit naturam divinam: ergò à fortiori neq. ratio entis à se in sensu explicato. Prob. conseq. nam ratio entis à se in prædicto sensu supponit infinitatem: si ergò infinitas præintellecta divinam naturam non constituit, à fortiori neque illum constituit ratio entis à se. Anteced. prob. 1. & à priori: nam hæc est vera causalis, quia Deus est infinitus, est in causabilis; ex hoc enim, quod est infinitus, & summe perfectus; est sibi sufficiens, & nullo indigens, & sic ab omni alio independens. Deinde prob. à paritate, namque ratio entis ab alio tanquam à causa supponit finitatem, & limitationem, utpotè creatum indiget alio, & ab alio dependet, quia in se finitum, & limitatum est: ergò à simili.

25 Et nota quod hoc fundamentum nedū

probat Deum, ut Deum, seu sub speciali concep-  
tu naturę distinctę ab attributis non constitui  
per esse à te, id est non ab alio, tanquam à causa  
verū neque Deum sub generali, & transcen-  
dentali conceptu communi ejus naturę, & at-  
tributis, seu quatenus distinguitur à creaturis,  
ut potè in Deo prout sic non primò intelligitur  
ratio entis à se, sicut neque in creatura prout  
distinguitur à Deo ratio entis ab alio. Unde con-  
stitutivum Dei sub hac ratione ponitur à nobis  
in ipsius purissima actualitate, & simplicitate,  
hæc enim est quæ primò in Deo prout sic intel-  
ligitur; nam ex ea sequitur infinitas, & ex infi-  
nitatem quod sit ens à se, sicut in creatura cōstitu-  
tivum illius prout sic est potentialitas, & com-  
positivo, nam ex hac sequitur illius limitatio, &  
ex limitatione quod sit ab alio. Consequenter  
que primò Deus distinguitur à creaturis per  
suam purissimam actualitatem, & simplicitatem,  
creaturaque à Deo per suam potentialitatem, &  
compositionem.

26 Deinde quod si per esse Deum ens à  
se, & per essentiam intelligatur, quod sit suum  
esse, ratio entis à se non posset naturam divi-  
nam methaphysice constituere, prob. namque  
licet identificetur esse cum essentia Dei, virtua-  
liter tamen, seu ratione cum fundamento in re  
ab ea distinguitur: non ergo Deus essentialiter  
methaphysice per esse constituitur. Conseq. pa-  
tet, & anteced. est Div. Thom. quæst. 10. de  
verit. art. 12. ad 9. Et deinde potest fundari,  
namque in Deo datur actus primus virtualiter  
distinctus ab actu secundo in genere operativo,  
v. g. intellectus ab intellectione, & voluntas à  
volitione, ut patet ex dictis dubi præced: Ergo  
similiter essentia Dei virtualiter distinguitur ab  
ejus existentia, ut actus primus ab actu secun-  
do in genere entitativo; namque ut ait Div.  
Thom. infra quæst. 59. art. 1. *Actio est propria  
actualitas virtutis, sicut esse est actualitas sub-  
stantie, vel essentiae.* Unde infert quod in illo in  
quo sua existentia realiter distinguitur ab esen-  
tia, non potest non distinguiri realiter operatio à  
principio operativo. Et confirmatur: nam si ali-  
quid obesset prædictę distinctioni, esset potentia-  
litas, quæ ab essentia Dei totaliter relegari de-  
bet, at talis potentialitas omnino excluditur per  
hoc præcisę quod licet existentiam non inclu-  
dat ex proprio, & formalī conceptu, in quo  
virtualis distinctione consistit, eam tamen actu  
implicat, & continet ex ratione communi entis  
divini, ut pariter diximus dubio precedenti de  
intellectu, & voluntate respectu intellectionis,  
& volitionis: Ergo.

*Objiciuntur, & solvantur argumenta.*

27 **S**ed contra nostram resolutionem  
objicies primò: Deus suam natu-  
ram declarans Moysi Exodi 3. di-  
xit: *Ego sum, qui sum, & qui est misit me ad  
vos.* Ergo ipsa ratio entis à se, & per essentiam  
est constitutivum divinę naturę. Confirmatur  
primò: illud est constitutivum divinę naturę,  
quod est magis proprium Dei; at juxta Hilari-  
um lib. 2. de Trinit. *Non aliquid magis pro-  
prium Dei, quam esse intelligitur:* Ergo. Secun-  
dò: illud est constitutivum divinę naturę, quod  
significatur per propriissimum Dei nomen, at  
hoc juxta Div. Thom. infra quæst. 13. art. 11.  
Est nomen *qui est:* Ergo. Ad hoc argumentum  
patet ex dictis in 1. fundam. convincere nempe  
naturam seu essentiam divinam in lata acceptio-  
ne, seu transcendentaliter consideratam esse ip-  
sam rationem entis à se; & per essentiam, hanc  
enim solam declaravit Deus Moysi, quia ad rem  
solum erat se ipsum declarare, ut distinctum à  
creaturis. Ad primam confirmationem pariter  
respondet: quod juxta Hilarium esse est magis  
proprium Dei sub conceptu transcendentali, &  
communi ejus naturę, & attributis, prout nem-  
pe ens in creatum est, non verò sub speciali, &  
methaphysico conceptu naturę, quatenus radix  
est attributorum. Quo in sensu etiam nomen  
*qui est* dicitur à Div. Thom. propriissimum  
nomen Dei. Unde neque ibi asserit significare  
naturam, & quidditatem Dei, sed quodam pe-  
lagus substantię infinitum. Immò ad primum  
expræsse habet, quod licet hoc nomen, *qui est*  
sit magis proprium nomen Dei, quam hoc no-  
men *Deus* quantum ad id à quo imponitur,  
quia nomen *Deus* imponitur ab universalis pro-  
videntia, qui actus liber Dei est, nomen vero  
*qui est* imponitur ab esse, seu existentia: Ta-  
men quantum ad id ad quod nomen imponitur  
ad significandum est magis proprium hoc nomen  
*Deus*, quod imponitur ad significandum natu-  
ram divinam.

28 Secundo objicies, nam si essentia divi-  
na non constitutatur per esse à se, seu per hoc  
quod sit suum esse, sequitur existentiam in Deo  
secundū nostrum modum concipiendi, esse per-  
fectorē essentia; at hoc dici nequit: Ergo. Minor  
patet, ut potè essentia in Deo est virtualis radix,  
fons, & origo omnium perfectionum, quæ repe-  
riuntur in illo: Ergo debet esse perfectior omnibus  
illis. Sequela autem prob. namque existentia,  
cum sit actualitas ipsa essentia, seu qua es-  
sentia est in actu, eo ipso est perfectior essentia,  
si alias essentia non sit sua existentia.

Sed

29 Sed respond. primò conced. sequiam, & patet instantia in essentia creata, quæ etiam est radix, fons, & origo suarum proprietatum, & nihilominus non eit perfectior. Immò, ut dicemus de voluntate Dei, & de Trinitate, non eit in essentia alia perfectio præter perfectionem existentie, quia unumquodque eit perfectum in quantum eit in actu, & essentia eit in actu per solam existentiam; ob hanc enim rationem existentia definitur quod sit actualitas essentie, quod & nullies repetit Div. Thom. quare probant thomistæ essentiam præcissam ab existentia nullam dicere bonitatem; unde neque relationes divinæ eam exprimunt, neque creature possibles eam includunt. Secundo respond. in alia sententia, quam locis citatis probabilem judicamus, nempe essentiam importare perfectionem condistinctam à perfectione existentie; licet non nisi ut connotat existentiam cui subest; in hac enim sententia negamus sequelam. Ad probationem dicimus, quod licet existentia sit actualitas essentie; est tamen entitas incompleta, & modalis: unde non ponitur directè in prædicamento; è contra vero essentia est entitas completa directe in prædicamento posita, & sic dubium non eit, existentiam excedi in perfectione ab essentia, sicut modus à re imodificata.

30 Tertio objicies: id eit constitutivum divinæ naturæ, quod primo intelligitur in Deo; at primò intelligitur in Deo esse à se, quam intelligere, sive radicale, sive actuale: Ergò. Sed respondetur, constitutivum divinæ naturæ non esse illud quod quomodolibet primò intelligitur in Deo, sed quod primò intelligitur tanquam radix attributorum, proindeque, ut distinctum ab attributis. Ratio enim entis creati primò etiam intelligitur in re creata, quam gradus intellectivus; cum tamen non per eam creatura constituantur; & hoc ideo, quia intelligitur primò non ut radix proprietatum, sed ut prædicatum commune, & transcendens naturam, & proprietates, à simili ergò in præsenti, ut patet ex dictis in primo fundamento.

31 Tandem objicies; constitutivum rei non solum ingreditur ratio differentialis, sed etiam ratio communis: Ergò ex dictis solum sequitur, quod ratio entis à se non cōstituat divinæ naturam per modum rationis differentialis, non tamen quod eam non constituant per modum rationis communis. Sed resp. anteced. esse verum, de ratione communi generica, non tamen transcendentali ( nam ut supra diximus ) prædicata transcendentalia non computantur inter prædicata metaphysica inferiorum, neque illorum diffinitionem ingreditur. Præterquam-

quod in præsenti loquimur de constitutivo naturæ divinæ per modum rationis differentialis, nedum à creaturis; sed etiam ab attributis.

### RESOLUTIO III.

*Neque constitutivum divinæ naturæ eft cumulus, seu collectio omnium perfectionum, vel attributorum.*

32 E st contra Suarez, Molinam, Varentiam, Albiz, Amicum, Perez, & alios. Eam tamen tenent cæteri theologi. Et fundatur primò: Nam cumulus, & collectio omnium perfectionum, seu attributorum solum potest esse constitutivum divinæ naturæ sub ratione transcendentali, & communi, quatenus nempè entitas divina eft, & purissima actualitas; at de hoc non eit controversia inter theologos, sed de constitutivo naturæ divinæ, in stricta acceptione: id eft ut ab attributis distinguitur, sumpta videlicet primo prædicato, quod in Deo intelligitur tanquam radix caterorum: Ergò prædicta sententia punctum difficultatis non attingit; immò; & confundit constitutiva omnium divinorum prædicatorum; nam sicut omnia divina prædicata pertinent ad constitutivum divinæ naturæ, ne entitas divina, & actus purus eft, ita ad constitutivum divinæ iustitiae, vel misericordiae, quatenus entitas divina, & actus purus eft pertinet, & ipsa natura, & cætera attributa.

33 Deindè fundatur: Quia vel in Deo concipiatur à nobis cum fundamento in re prædicatum aliquod, ut primum, & radix cæterorum, quod proinde sit à ceteris virtualiter distinctum vel non? Hoc secundum eft falsum, si primum: Illud solum prædicatum necesse eft quod constituat methaphysice naturam divinam: Ergò. Prima pars prob. nam divina prædicata distinguuntur nedum distinctione rationis ratiocinantis, seu cum fundamento duntaxat in nostro modo concipiendi, quatenus divina non valeamus concipere nisi per analogiam ad res creatas; sed etiam ratione ratiocinata, & cum fundamento in re; at hoc ipso non potest non concipi in Deo cum fundamento in re prædicatum aliquod, ut primum, & radix cæterorum, quod proinde sit à ceteris virtualiter distinctum: Ergò. Major est communis theologorum contra nominales, prob. que communiter, ex eo quod prædicta distinctio fundatur etiam in eminentia divinæ perfectionis, quæ licet in se sit simplicissima, æquivaler tamen pluribus per se & iohibus à parte rei distinctis. Quod & expressè docet Div. Thom. in primò distinct. 2. quæst. 1. art. 2. dicendo: *Quod pluralitas istarum rationum*

*non tantum est ex parte intellectus nostri, sed etiam ex parte ipsius Dei, in quantum sua perfectio superat unamquamque perfectionem nostri intellectus; & ideo pluralitati rationum correspondet aliquid in re que Deus est, non quidem pluralitas Dei, sed plena perfectio.*

34 Minor vero, quod scilicet hoc ipso non possit non concipi in Deo praedicatum aliquod, ut primum, & radix ceterorum, quod proinde sit a ceteris virtualiter distinctum; est clarissima, quia illa divina praedicata non distinguit intellectus noster secundum rationem communem, & transcendentalis entis divini, & actus puri; cum prout sic potius invicem se includant, gaudeantque summae; & simplicissima unitate; sed secundum proprios, & formales conceptus illorum, nempe intellectum, ut intellectus est a voluntate, ut voluntas est, at divina praedicata prout sic distincta ordinem servant inter se; ita ut unum sit prius, & ratio alterius, v. g. intellectus voluntatis: ergo eo ipso non potest non concipi in Deo cum fundamento in re praedicatum aliquod, ut primum; & radix ceterorum.

35 Secunda vero pars, nempe quod si in Deo concipitur a nobis cum fundamento in re praedicatum aliquod, ut primum; & radix ceterorum, illud necesse sit constitui metaphysice naturam divinam, est per se nota, quia ut in principio notavimus naturam in sensu metaphysicorum consistit in illo praedicato quod a nobis primo intelligitur, ut radix ceterorum, neque enim aliud est natura quam primum, seu radicale principium operandi, ut patet ex ejus definitione; unde neque est de conceptu illius quod actualiter continet perfectiones suarum proprietatum, sed solum radicaliter.

36 Tertio fundatur nostra resolutio; divina essentia quatenus entitas divina, & purissima actualitas simpliciter, & in omni linea infinita, non minus continet actu attributa, quam relationes, siquidem nendum attributa, sed etiam relationes transcedit, & tamen inde non sequitur quod natura divina metaphysice considerata non distinguitur virtualiter a relationibus, sicutque omnium illarum radix: ergo a simili de attributis. Consequentia patet, minor vero prob. nam si natura divina metaphysice considerata non distinguatur virtualiter a relationibus; communicata natura divina filio per generationem, etiam ei communicaretur paternitas, & pariter personalitate verbi unita primario humaniti, ei etiam unitetur primario divina essentia, quod esse falsum patet.

37 Dices quod inter naturam divinam, & paternitatem datur distinctio virtualis, quia de eis verificantur praedicata contradictiones, nem-

pe natura divina communicatur filio, paternitas non communicatur filio; de natura autem divina, & attributis praedicata contradictiones verificantur non possunt. Sed contra est; siquidem de divino velle verificantur, quod communicatur Spiritui Sancto formaliter; & ex vi processionis, & de natura divina quod non communicatur Spiritui Sancto formaliter; & ex vi processionis; sed hujusmodi sunt praedicata contradictiones. Ergo:

38 Et ex hoc ipso tertio fundatur nostra resolutio, quia divina voluntas, vel volitio nequit naturam divinam constitui: Ergo divina natura non constituitur per collectionem omnium attributorum. Anteced. prob. tum; quia voluntas potius est inclinatio consequens naturam: tum quia divina voluntas supponit intellectum, ut raditem illius, & per eum a priori demonstratur, ut fatentur contrarij: Ergo supponit naturam divinam constitutam, vel per intellectum, vel per aliud praedicatum, quod primo in Deo intelligatur, ut radix intellectus. Neque valet quod divina voluntas, & divinus intellectus sunt conceptus solum partialiter, & inadæquate distincti; non inquam valet; nam ea distinguuntur virtualiter adæquate, quæ pertinent ad diversam lineam; at intellectus divinus divinaque volitio, seu voluntas pertinent ad diversam lineam, nempe intellectivam, & voluntivam: Ergo. Præterea, nam ideo natura divina, & paternitas distinguuntur virtualiter adæquate; quia de eis verificantur praedicata contradictiones supra relata; at etiam de intellectu, & voluntate verificantur praedicata contradictiones videlicet: *Intellectus divinus est assimilatus; divina voluntas non est assimilativa, & pariter divinus intellectus est principium quo generandi non voluntas, & è contra voluntas est principium quo spirandi; & non divinus intellectus.* De hoc vero late in tractatu de voluntate Dei:

#### *Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

39 **S**ed contra resolutionem objicies primo; divina natura adhuc metaphysice considerata debet intelligi, ut summe, & infinite perfecta, ita ut nihil perfectius, & melius ea concipi possit; sed non potest sic intelligi nisi concipiatur, ut continens omnes divinas perfectiones: Ergo necesse est constitui etiam metaphysice per cumulum omnium. Minor patet: quia perfectius intelligitur divina natura, si concipiatur, ut continens omnes divinas perfectiones, quam si intelligatur solum ut continens unam, vel alteram: v. g. perfectius intelligitur si concipiatur, ut in-

telligens. Confirmatur, & explicatur hoc ipsum: primus conceptus Dei est ratio actus puri, infiniti, & optimi formalissimum; namque significatum Dei est id, quo nihil majus, aut melius potest excogitari: ergo primus conceptus Dei est omnis divina perfectio, utpote ratio actus puri consistit in omnimoda actualitate, ac proinde in actualitate omnis linea; ratioque infiniti simpliciter consistit in continentia omnis perfectionis simpliciter simplicis; & tandem ratio optimi consistit in eo quod excogitari non posse aliquid melius ipso.

40 Respond. quod divina natura methaphysice considerata debet intelligi, ut summè, & infinitè perfecta in propria linea naturæ, nempe in linea illius prædicati, quod primò in Deo intelligitur, tanquam radix ceterorum, non tamen in omni linea, nisi radicaliter; de conceptu enim methaphysico naturæ, ut diximus, solum est continere radicaliter omnes perfectiones attributales, non verò actu, & formaliter. Hinc debet intelligi ita perfecta, ut nihil perfectius, & melius ea concipi possit excessu resultante ex perfectione propriæ, & ejusdem linea. Ut autem intelligatur ita perfecta, ut nihil ea perfectius concipi possit: excessu resultante ex perfectione ejusdem linea, sufficit, quod concipiatur ut actu, & formaliter continens omnem possibilem perfectionem pertinentem ad lineam illius prædicati, quod primò in Deo intelligitur, tanquam radix ceterorum, v. g. ad lineam intellectivam, si prædicatum sit ad lineam intellectivam pertinens.

41 Ex his patet ad confirmationem, quòd primus conceptus Dei sub conceptu transcendentali, & communī naturæ, & attributis, nempe ut ens divinum est, est ratio actus puri, infiniti, & optimi absolute, & simpliciter; seu in omni linea; & ut sic fatetur, quod primus conceptus Dei est omnis divina perfectio, ut argumentum probat; attamen primus conceptus Dei sub speciali, & methaphysico conceptu naturæ, quatenus radix est attributorum, duntaxat est ratio actus puri, infiniti, & optimi in propria linea, ita ut non concipiatur in potentia ad perfectionem ejusdem linea, sed concipiatur, ut habens omnem perfectionem possibilem illius linea, neque intra illam possit aliquid melius, aut majus excogitari. Quod & pariter currit de ipsis attributis: Omnipotentia enim, si consideretur, ut ens divinum est, etiam de illius primo conceptu est ratio actus puri, infiniti, & optimi in omni linea; secus verò si consideretur sub proprio, & formalí conceptu, seu ut Omnipotentia est; ut sic enim solum est de ratione illius, quòd sit actus purus, infinitus, & optimus intra propriam li-

neam Omnipotentię, ita ut nulla alia potentia excogitari possit melior ipsa: à simili ergo.

42 Sed dices: essentia divina est simpliciter infinita: ergo infinita in omni linea, propterea que debet formaliter includere, seu continere perfectionem cuiuscumque linea. Prob. assumptam juxta Div. Thom. infra quæst. 13. art. 11. nomen maximè proprium Dei est *qui est*; sed nomen *qui est* juxta ipsum Div. Thom. significat esse immensum, interminatum, & omnia comprehendens: ergo, cum nomen maximè proprium Dei sit illud, quod significat ejus naturam, hęc debet esse simpliciter, & nedum in linea determinata, infinita. Sed ad hoc fuit jam data responsio fol. præced. ad 1. quòd scilicet illud nomen est maximè proprium Dei sub conceptu trascendentali, & communī naturæ, & attributis, nempe ut ens divinum est, non verò sub speciali, & methaphysico conceptu naturæ; proindeque solum significat essentiam divinam sumptam trascendentaliter in larga acceptione.

43 Secundò objicies, quod in Deo dentur perfectiones ordinatè se habentes, ita ut una intelligatur prior altera, non infert divinam essentiam in prima perfectione consistere, & non in cumulo omnium: ergo ruit nostrum fundamentum. Prob. ant. plurib. exempl. namquè in relatione prior est respectus ad subjectum, quam ad terminum, & tamè relatio in utroque respectu methaphysice consistit. Similiter in homine prius est posse apprehendere, & componere, quam posse discurrere, cum discursus ex sui formalissima ratione apprehensionem, & compositionem supponat; & tamè homo essentialiter nedum apprehensivus, & cōpositivus, sed etiam discursivus est. Item homo essentialiter componitur ex materia, & forma; cum tamè materia formam præcedat. Pariter beatitudo, sicut & prædestinatio juxta sententiam probabilē in actu intellectus, & voluntatis consistit, non obstante præcedentia actu intellectus ad actum voluntatis. Tandem universum in collectione cœlorum & elementorum consistit, cum tamè Cœli elementa præcedant: à simili ergo.

44 Ad hoc argumentum respond. nostrum fundamentum procedere de perfectione completa, & ab alijs virtualiter adéquate distinetā; unde ob defectū primi, quod materia præcedat formā non obest hominē in materia, & forma essentialiter consistere, quippe materia sicut, & forma non est entitas completa, sed incompleta, & partialis. Ob defectum etiam secundi licet respectus ab subjectum prior sit in relatione respectu ad terminum, relatio in utroque respectu methaphysice, & essentialiter consistit, ut potè illi respectus inadéquate duntaxat distin-

guitur. Et pariter solum inadæquate distinguuntur apprehensivum, compositivum, & discursivum in homine. Sententiam illam de constitutivo beatitudinis, & prædestinationis non admittimus. Universumque non mirum quod in illa collectione consistat, ut potè non est unum, unitate simpliciter, sed secundum quid, nempè unitate ordinis.

45 Sed dices, intellectivum, & volitivum in homine adæquate virtualiter distinguuntur; & tamen homo essentialiter nedum est intellectivus, sed etiam volitivus: Ergò. Sed respond. quod si sermo sit de intellectivo, & volitivo proximo, homo neque est essentialiter intellectivus; nec volitivus, si verò sermo sit de intellectivo, & volitivo radicali, est essentialiter intellectivus, & volitivus. Attamen intellectivum, & volitivum radicale non distinguuntur virtualiter adæquate, immò neque intrinsece, sed solum extrinsice, nempè per ordinem ad diversa connotata; idem enim principium radicale dicitur intellectivum per ordinem ad intellectum, quem primario radicat, & volitivum per ordinem ad voluntatem, quam radicat secundario, & medio intellectu.

46 Ultimo objicies: omnia divina prædicata faciunt unum ens per se; sed quæ faciunt unum ens per se, constituunt unam, & eandem essentiam, siquidem unum ens per se dicitur quod habet unam naturam, & essentiam: Ergò. Dices quod in creatis essentia, existentia, & substantia faciunt unum ens per se, & tamen non constituunt unam naturam, & essentiam. Sed contra est, nam licet hoc ita sit, attamen loquendo de alijs formalitatibus, quæ sola ratione distinguuntur in anima hominis non ita contingit nam licet in homine ratione nostra distinguatur ratio intellectivi radicalis à ratione volitivi radicali, ita ut illa sit ratio istius, nihilominus omnes has formalitates dicimus constituere essentiam hominis, quia omnes illæ sunt unum ens per se substantialiter, at non minus sunt unum ens per se substantialiter omnia divina prædicata: Ergò.

47 Respond. quod non omnia quæ faciunt unum ens per se ratione identitatis constituunt unam essentiam, aliter existentia in sententia contrariorum est de constitutivo methaphysico essentia creatæ, siquidem cum illa identificatur. Immò ens, verum & bonum etiam faciunt unum ens per se ratione identitatis, & tamen non constituunt unam essentiam. Ea ergò constituunt unam essentiam, quæ faciunt unum ens per se ratione inadæquationis, quia videlicet sunt conceptus partiales, & inadæquati, seu incompleti: quorum scilicet unum aliud includit ex proprio, & formalis conceptu, licet illud non

explicet secundum proprium munus juxta dicta dubio præcedenti, & sic se habent in homine ratio intellectivi, & volitivi radicalis, ut nuper diximus. Quando verò sunt conceptus completi, & adæquati, quoruin scilicet unum non aliud ex proprio, & formalis conceptu includit, quavis identificantur inter se, & ratione identitatis unum ens per se constituant, non tamen propterea constituunt unam essentiam; sed comparantur inter se ut natura, & proprietates, qualiter inter se comparantur ens unum, & bonum, vel ut natura, & modus naturæ, qualiter inter se comparantur essentia, & existentia.

### RESOLUTIO III.

*Conceptus naturæ, & essentiae solum sunt virtualiter inadæquate distincti; unde si semel natura divina, ut natura constituitur per actionem intellectionem, etiam debet per eam constitui ut essentia; vel si ut essentia constituitur per immaterialitatem ut à se existentem per eam debet constitui, ut natura.*

48 **E**st contra Magistrum Cornexo; eam tamen tenent communiter theologi. Et fundatur primò, & à priori: nam conceptus essentiae est constitutuere, conceptus naturæ est radicare potentias, & earum operationes; sed forma per idem formalissimum prædicatum per quod habet constitutuere, per idemmet, & habet radicare potentias, & earum operationes: Ergò prædicta distinctione non est objective, seu virtualis adæquata: hoc est secundum proprios, & formales conceptus, sed solum inadæquata, & penes diversa minera; ita ut conceptus constituendi sit essentialiter conceptus radicandi, licet munus unius non explicet munus alterius. Minor constat in anima rationali, quia per idem formalissimum prædicatum intellectualitatis substantialis habet constitutuere hominem, & radicare potentias, & earum operationes. Quod & comprobatur exemplis, nam quia per id ipsum formalissime per quod res est immaterialis, est etiam intelligibilis, licet ut immaterialis sit ad se, & ut intelligibilis connotet intellectum: immaterialitas, & intelligibilitas non distinguuntur virtualiter adæquate, seu objective, & secundum proprios, & formales conceptus, sed solum inadæquate, & penes diversa minera ejusdem forme. Similiter est exemplum in relatione, nam quia relatio respiciendo subjectum, illud refert ad terminum, respectus in secundum quem respicit subjectum & respectus ad secundum quem respicit, terminum non sunt adæquate virtualiter distincti, sed solum

solum inadæquate, & penes diversa munera ejusdem formæ relativæ: ergò similiter quia forma constituendo per idem formalissimum prædicatum radicat, conceptus constituendi, & radicandi erunt solum conceptus inadæquati ejusdem formæ, & distinæti duntaxat penes diversa munera, non vero adæquate.

49 Si autem dicas, ita esse increatis; non vero in divinis; contra est: nam inde sequitur plus distingui in Deo conceptus essentia, & natura, quam increatis, quod dici non potest, cum in divinis debeat semper concipi major unitas, & simplicitas, quam in creatis. Dices, quod in creatis operatio realiter supponit essentiam, & naturam operantis; in divinis vero virtualiter supponit essentiam, non tamen naturam, sed eam constituit. Sed quia de hoc est quæstio, ideo secundo fundatur nostra resolutio rejiciendo fundamentum oppositæ sententia; ideo namque convincitur sententia opposita ad asserendum actualiem intellectiōnem non posse constituere essentiam divinam; quia actualis intellectus etiā divina est vera operatio, & ideo non potest non virtualiter supponere divinam essentiam à qua, intelligatur egredi; sed hæc ratio probat, actualēm intellectiōnem nedium non posse constituere divinam essentiam, verum neque divinam naturam: Ergo vel naturam divinam constituit, vel non constituit divinam essentiam. Patet minor, siquidem de conceptu veræ operationis nedium est egredi ab essentia; verum & à natura, immo ut natura est principium operationis, sic ut patet ex illius definitione.

50 Confirmatur primò: non minus operatio in creatis supponit realiter essentiam quam naturam: Ergo & in divini, actualis intellectio non minus supponit virtualiter essentiam quam naturam. Patet consequentia, ideo in creatis operatio supponit realiter essentiam, & naturam quia est realis motus prout ab agente, & realis egredio ab illo; at etiam in divinis actualis intellectio, utpotè vera operatio est virtualis motus prout ab agente, & virtualis egredio ab illo: Ergo nō minus operatio increatis supponit realiter essentiam, & naturam, quam in divinis actualis intellectio eam supponit virtualiter. Confirmatur secundo, ideo juxta oppositam sententiam ex quo intellectio est vera operatio colligitur eam supponere deitatem in ratione essentiae constitutam, quia unumquodque operatur in quantum est in actu, sed ex hoc principio non minus colligitur debere eam supponere constitutam etiam in ratione naturæ: Ergo. Prob. min. namque ex illo principio colligitur, quod actualis intellectio debeat oriri virtualiter à Deitate: ergo, & quod Deitas ad illam compa-

retur, ut principium activum virtuale; sed conceptus naturæ in ratione principij motus, & operationis consistit: Ergo tandem ex illo principio colligitur, quod Deitas ad illam comparetur, ut natura, & consequenter actualem intellectiōnem in Deo nedium supponere Deitatem constitutam in ratione essentie; verum & in ratione naturæ.

51 Ultimo fundatur nostra resolutio: nam si semel conceptus naturæ virtualiter dæquate distinguitur à conceptu essentia, seqñitur divinam naturam sub conceptu naturæ radicari in se ipsa sub conceptu essentia; at hoc involuit contradictionem: Ergo. Major patet, nam quæcumque virtualiter distinguuntur ab essentia, radicantur in illa, cum essentia sit ratio ea conveniendi Deo, ut patet in attributis. Minor vero, quod hoc involvit contradictionem prob. si semel divina natura sub conceptu naturæ radicetur in se ipsa sub conceptu essentie, eo ipso sub conceptu naturæ supponit se ipsam sub conceptu radicis: Ergo eo ipso supponit se ipsam sub conceptu naturæ, cum conceptus naturæ sit conceptus radicis; sed contradictionem involvit naturam divinam sub conceptu naturæ supponere se ipsam sub conceptu naturæ: Ergo.

52 Confirmatur, & explicatur, si semel essentia divina sub conceptu essentiae est radix sui ipsius sub conceptu naturæ, necessario debet supponi constituta in ratione radicis pro aliquo priori ad conceptum naturæ, eo fere modo quo causa debet supponi constituta pro aliquo priori ad effectum; at hoc est implicatio in terminis, cum pro eodem priori, quo intelligitur constituta in ratione radicis, necessarie fit intelligi constituta in ratione naturæ, cum formalissimus conceptus naturæ, ejusque proprium munus sit radicare: ergo. Unde videtur inferri denique formalissimum conceptum naturæ esse conceptum attributi, quod ex terminis falsum esse constat, cum attributum ideo tale dicatur, quia radicatur in natura, & natura ideo talis dicitur quia radix est attributorum.

### Objiciuntur, & solvuntur argumenta.

53 **S**ed contra nostram resolutionem objicies primò ex Divo Thom. quæst. 39. art. 2. ubi inquirit utrum sit dicendum tres personas esse unius essentie, & objicit tertium argumentum sic: natura Divina est idem, quod essentia: sufficit ergo dicere, quod tres persona unius sunt naturæ. Et responderet. Ad tertium dicendum quod quia natura designat principium actus, essentia vero ab effendo dicitur, possunt dici aliqua unius naturæ, que

conveniunt in aliquo actu, sicut omnia calefacientia. Sed unitas essentia dici non possunt, nisi quorum est unum esse; & ideo magis exprimitur unitas divina per hoc, quod dicitur, quod tres personae sunt unius essentiae, quam si diceretur, quod sunt unius naturae. Ergo secundum D. Thom. conceptus naturae situs in eo quod est principium actus, & conceptus essentiae, quae ab essendo dicitur, sunt virtualiter adaequatè distincti. Alter quomodo possunt aliqua dici unius naturae ex convenientia in aliquo actu, & non unius essentiae ex inconvenientia in esse? Et pariter si conceptus essentiae objectivè virtualiter est idem cum conceptu naturae, quomodo magis exprimitur unitas divina per hoc, quod dicitur, quod tres personae sunt unius essentiae, quam si dicteretur, quod sunt unius naturae?

54. Et infra quest. 50. art. 4. Ubi inquirit utrum angelii differant specie? objicit primum argumentum sic: Cum enim differentia sit nobilior genere, quæcumque convenient secundum id, quod est nobilissimum in eis, convenient in ultima differentia constitutiva, & ita sunt eadem secundum speciem; sed omnes angelii convenient in eo quod est nobilissimum in eis, scilicet in intellectualitate: ergo omnes angelii sunt unius speciei. Et responderet: Ad primum dicendum, quod differentia est nobilior genere, sicut determinatum indeterminato, & proprium communis, non autem sicut alia, & alia natura, alioquin oporteret, quod omnia animalia irrationalia essent unius speciei, vel quod esset in eis aliqua perfectior forma, quam anima sensibilis. Differunt ergo specie animalia irrationalia secundum diversos gradus determinatos naturae sensitivæ, & similiter omnes angelii secundum diversos gradus naturae intellectivæ. Ex quibus constat, quod secundum Div. Thom. omnia animalia irrationalia, & pariter omnes angelii convenient in natura, & solum differunt secundum diversos gradus in eadem natura; cum tamen non omnia animalia irrationalia convenient in essentia seu specie, angelique omnes specie differant: ergo secundum Div. Thom. conceptus naturae adæquatè ad minus virtualiter distinguuntur à conceptu essentiae.

55. Ad primum locum D. Thom. duplicitè responderet Gonet, primò, D. Thom. ibi solum statuere distinctionem virtualem inter essentiam, & naturam in rebus creatis; non vero in divinis; sed hanc solutione esse nullam constat ex titulo articuli, & ex argumento proposito, non enim D. Thom. responderet ad propositum. Melius ergo aliter respondet dicens D. Thom. ibi usurpare naturam improprie, & in ampla quadam significatione, in qua solum illa dicuntur esse ejusdem naturæ, quibus correspondent actus ejusdem rationis, sive illarum principia distinguuntur essentialiter, ut in sole, & igne respectu calefactionis, sive non, ut in duobus ignibus calefacientibus. Quia ergo unitas in natura potest in hac ampla acceptione summi, unitas vero in essentia solum dicitur respectu eorum, quæ habent idem esse, propterea Div. Thom. dicit, quod magis exprimitur unitas divina per hoc, quod dicitur, quod tres persona sunt unius essentiae, quam si dicatur, quod sunt unius naturae. Quæ solutio mihi placet, alioquin possunt aliqua in essentia distinguiri, & non in natura sumpta in stricta significatione, pro eo scilicet, quod primò intelligitur tanquam radix ceterorum, quod implicitorum est; illudmet enim prædicatum, quod primò intelligitur, confituit, & radicat, & ut confituit dicitur essentia, & ut radicat dicitur natura: si ergo illud prædicatum est specie distinctum, non potest non esse distinctum, & ut essentia, & ut natura.

56. Ad secundum locum respondet, quod cum Div. Thom. afferit, quod differentia non est nobilior genere sicut alia, & alia natura, non intendit differentiam specificam non constituere diversam naturam à natura generis, aliter rationalitas in homine non constitueret naturam intellectualem, quæ distingueatur à natura animali. Sed solum intendit non semper differentiam superaddere nobiliorem naturam supra naturam generis, ut patet in animalibus irrationalibus in quibus eorum differentia constitutiva non superaddunt naturam nobiliorem supra naturam sensitivam; neque similiter differentia constitutiva angelorum superaddunt naturam nobiliorem supra naturam intellectivam. Differentia tamen hominis eam superaddit, quia supra naturam sensitivam superaddit naturam intellectivam, seu rationalem, quæ nobilior est. Qua ratione pro eodem debet usurpari animalia irrationalia, & similiter angelos distinguuntur secundum diversos gradus in natura sensitiva, vel intellectiva, ac distinguuntur secundum diversas naturas intra naturam genericam, sensitivam, vel intellectivam, & non secundum naturas nobiliores supra illas, qualiter distinguuntur homo ab alijs animalibus irrationalibus per naturam, quæ est supra naturam sensitivam, vel intellectivam.

57. Et hanc esse legitimam interpretationem patet ex eodem D. Thom. art. 8. de spiritualibus creaturis, ad 9. Ubi idem argumentum objicit, & responderet: Quod non semper illud, quod constituit in specie, ad nobiliorem naturam pertinet, ut patet in speciebus animalium irrationalium; non enim constituantur hujusmodi species

per additionem alterius naturae nobilioris supra naturam sensitivam, quae est nobilissima in eis, sed per determinationem ad diversos gradus in illa natura; & similiter est de intellectuali, quod est commune in angelis. Hac ibi, sed dices: cum differentia sit nobilior genere, si animalia irrationalia, vel angeli differunt secundum diversas naturas, eo ipso non possunt non distinguui secundum naturas nobiliores natura generis; sed D. Thom. assertit, non distinguui secundum naturas nobiliores natura generis: ergo neque secundum diversas naturas. Sed respondeo, quod distinguuntur secundum naturas nobiliores natura generis, sicut determinatum nobilis est indeterminato, & proprium communis, non vero sicut natura intellectualis est nobilior sensitiva, quomodo nobilior est natura hominis, natura animalis, quod aper-te constat ex contextu.

58 Secundo objicies ratione: ea in divinis distinguuntur virtualiter adaequate, quae distinguuntur ab intellectu nostro cum fundamento in re, qua dicitur distinctione ratione ratiocinata; ea vero tantum inadaequate distinguuntur, quae solum ratione ratiocinantis distinguuntur, seu cum fundamento solum in nostro imperfecto modo cognoscendi; at conceptus naturae, & essentiae distinguuntur ab intellectu nostro cum fundamento in re: ergo. Prob. min. inter conceptum essentiae, & conceptum naturae datur ordo prioris, & posterioris cum fundamento in re: ergo & distinguuntur ab intellectu nostro cum fundamento in re. Conseq. pat. quia omnis ordo importat distinctionem: si ergo praedictus ordo est cum fundamento in re, necesse importat distinctionem cum fundamento in re. Anteced. autem probat. quia, ut diximus dubio precedenti, conceptus naturae, a priori demonstratur per conceptum essentiae, sicut una ex definitionibus animae in qua dicitur esse quia vivimus, loco movemur, & intelligimus, demonstratur per alteram in qua dicitur, esse actum primum corporis organici, ut patet ex libris de anima: ergo inter conceptum essentiae, & naturae datur ordo prioris, & posterioris cum fundamento in re. Patet conseq. nam aliter secundae intentiones ad praedictam objectivam demonstrationem concurrentes non erunt entia rationis cum fundamento in re; unde neque pertinebunt ad objectum logicum.

59 Ad hoc argumentum respondetur ex notatis dubio precedenti in principio, non rete assignari differentiam inter distinctionem adaequatam, & inadaequatam illo modo, eo quod, quae solum inadaequate distinguuntur, possunt etiam distinguui cum fundamento in re, ut videre est in immaterialitate, & intelligibilitate, ut potè

intelligibilitas etiam à priori demonstratur per immaterialitatem, ut patet ex D. Thom. q. 14. art. 1. & consequenter, ut argumentum probat, inter utramque est ordo prioris, & posterioris cum fundamento in re, cum tamen solum inadaequate distinguantur. Patet similiter in relatione in qua respectus ad, & respectus in solu inadaequate distinguuntur, cum tamen respectus in sit prior cum fundamento in re respectu ad; unde in divinis relatio secundum respectum ad generationem supponit, cum in ea fundetur; secundum vero respectum in ad generationem supponitur, & personam constituit, ut patet ex Div. Thom. infra quæst. 40. art. 4. differentia ergo inter distinctionem adaequatam, & inadaequatam sita est in eo, quod ea differunt adaequate, quæ pertinent ad diversam lineam, è contra vero, quæ solum inadaequate distinguuntur; pertinent autem ad diversam lineam, ea quæ distinguuntur secundum proprios, & formales conceptus, ita ut unum ex proprio, & formali conceptu non includat aliud, è contra vero ea pertinent ad eandem lineam, quæ solum distinguuntur penes diversa munera, unum tamen alterum ex proprio, & formali conceptu includit, licet illud non explicit secundum propriū munus, ut videre est in exemplis allatis. Et hoc solum modo distinguuntur conceptus essentiae, & naturae, ut patet ex primo fundamento.

60 Sed dices, essentia pertinet ad lineam essendi, cum dicatur per ordinem ad esse, & natura pertinet ad lineam operandi, cum sit principium actus; sed linea essendi diversa est à linea operandi: ergo. Ad hoc respondent aliqui, ita esse in creatis, secus vero in divinis, redduntque disparitatem; nam in creatis existentia, & operatio realiter distinguuntur, & sic non mirum, quod essentia, quæ dicitur per ordinem ad esse, virtualiter adaequate distinguatur à natura, quæ dicitur per ordinem ad operationem. Attamen in divinis, quæ in inferioribus sunt dispersa, reperiuntur unita, qua ratione sicut cum majori adunatione reperiuntur existentia, & operatio in divinis, quam in creatis, etiam cum majori adunatione reperiuntur in divinis quam in creatis ratio essentiae, & naturae, & consequenter sine distinctione virtuali adaequata, quæ in creatis reperitur.

61 Sed fateor hanc solutionem fugere vim argumenti, siquidem argumentum intendit conceptum essentiae, & naturae ex genere suo adaequate virtualiter distinguui, fundamentumque nostrum æque probat de conceptu essentiae, & naturae in creatis, ac in divinis. Ut enim diximus, per idem formalissimum prædicatum per quod anima rationalis constituit essentiam hominis

minis nempè per intellectualitatem substantiam, per idem met radicat potentiam intellectuali, & intellectioitem. Deinde predicta solutio rejicitur, nam existentia, & operatio ex genere suo pertinent ad diversam lineam: ergo nedium in creatis, sed etiam in divinis, ut potè etiam in divinis reperiuntur existentia, & operatio secundum proprios, & formales conceptus qui eis competunt ex genere suo; qua ratione intellectus, & voluntas in Deo pertinent ad diversam lineam. Patet antecedens quia existentia ex proprio, & formalis conceptu nedium non explicat operationem secundum proprium munus, verum nequè illam includit; aliter etiam eam includeret in creatis. Et quod eam includat in Deo non habet ex proprio, & formalis conceptu, sed ex ratione communi entis divini; & actus puri, ratione cuius etiam intellectus includit voluntatem, & omnia divina prædicata invicem se includunt. Ac tandem falsum est, quod si conceptus essentia, & naturæ in rebus creatis virtualiter adæquatè distinguuntur; in Deo virtualiter adæquatè non distinguuntur; quia in Deo debet reperiri cum majori adunatione; patet enim instantia in ratione veritatis, & bonitatis, quæ in creatis virtualiter adæquatè distinguuntur, cum specificent potentias realiter distinctas; & tamè adhuc in Deo etiam virtualiter adæquatè distinguuntur, cum pariter specificent potentias virtualiter adæquatè distinctas.

62 Dices, quod propterea veritas, & beatitas quæ in creatis virtualiter adæquatè distinguuntur, etiam virtualiter adæquatè distinguuntur in Deo, quia prædicta distinctione non provenit ex potentialitate, & limitatione creature, sed ex proprio utriusque conceptu formalis; distinctione tamè essentiæ à natura non provenit ex proprio, & formalis conceptu utriusque, sed ex potentialitate, & limitatione creature, ex co[n]temp[or]e, quod essentia quamvis actuata per esse, concipitur, & est in potentia ad operationem. Sed hujus doctrinæ falsitas ex eo manifestè constat, quod licet essentia actuata per esse sit in potentia ad operationem, non tamè ad principium radicale operationis; & licet possit concepi ut actuata per esse, quin concipiatur ut principium radicale operationis, sed non implicitè, & objectivè, sed solum quoad explicitum; ut potè idem formalissimum prædicatum utrumque exercet: ergo licet ex potentialitate creature proveniat distinctione realis essentie ab operatione, qua ratione in Deo realiter non distinguuntur; distinctione tamè virtualis adæquata, si semel datur inter essentiam, & naturam creatam, non ex limitatione, & potentialitate crea-

turae provenit, sed ex proprio utriusque conceptu formalis; quia nempe essentia est principium essendi; natura vero principium operandi. Manifesteque apparet instantia in intellectivo, & volitivo radicali, quæ adhuc in creatis virtualiter adæquatè non distinguuntur in probabiliori sententia, sed idem principium quod denominatur intellectivum per ordinem ad intellectuionem; quam primario radicat, denominatur volitivum per ordinem ad volitionem, quam secundario, & medio intellectu radicali; & tamè intellectivum radicale quamvis actuatum per intellectuionem, contipitur; & est in potentia ad volitionem. ergo.

63 Melius ergo negatur, quod essentia, & natura adhuc in creatis pertineant ad diversam lineam. Ad probationem negatur etiam, quod natura pertineat ad lineam operandi, sed tam natura, quam essentia pertinent ad lineam essendi. Ad probationem in contra respondetur distinguendo: natura est principium actus denominativè sumpta, concedo; objectivè, & essentialiter sumpta, sub distinguendo; immediate, nego; mediate, concedo; & nego conseq. Quod explicatur exemplo nuper allato de intellectivo, & volitivo radicali: intellectivum namque radicale, & radicale volitivum pertinent ad eandem lineam, scilicet intellectivam in probabiliori sententia; cum tamè intellectivum radicale sit principium intellectuionis, & volitivum radicale principium volitionis, & intellectio, & volitio sicut intellectus, & voluntas, ad diversam lineam pertineant; & hoc ideo, quia principium radicale intellectivum immediate radicat intellectuionem, & ea mediante volitionem; proptereaque idem formalissimum principium sine adæquata virtuali distinctione est intellectivum, & volitivum radicale: denominatur tamè intellectivum per ordinem ad intellectuionem, quam primario, & immediate radicat, & denominatur volitivum per ordinem ad volitionem, quam radicat secundario, & media intellectuione. Sic contingit in nostro casu, essentia, & natura pertinent ad eandem lineam, nimirum essendi; quamvis essentia sit principium essendi, & natura principium operandi, & esse, & operari ad diversam lineam pertineant; & hoc ideo, quia essentia immediatè radicat ipsum esse; & eo mediante radicat operari, quia operari sequitur ad esse, & unumquodque operatur in quantum est in actu; proptereaque idem formalissimum prædicatum sine adæquata virtuali distinctione est essentia, & natura, denominatur tamè essentia per ordinem ad esse, quod primario, & immediatè radicat, & denominantur natura per ordinem ad operationem, quam radicat secundario, & medio esse.

## RESOLUTIO V.

*Constitutivum divinae naturae est intelligere,  
non actuale, sed radicale.*

64 **E**st contra Albeldam, Nazarium, Zumel, Salmanticenses, Lisbonensem, Gonet, Suarez, Herice, Hurtadum, Isambertum, & plures alios in manuscriptis. Eam tamè tenent Capreolus, Ledesma, Serra, Araujo, Curiel, Alvarez, Choquetius, Silvius, Zamorensis, Oxomensis, Granados, Arrubal, Albertinus, Arriaga, & alij. Et quidem prima pars fundatur: namque constitutivum divinae naturæ debet pertinere ad gradum intellectivum: ergò vel debet esse intelligere actuale, vel radicale, seu potentiale. Conseq. patet, & anteced. ostenditur, namque constitutivum divinae naturæ, utpotè perfectissimum debet pertinere ad gradum perfectissimum; led inter gradus constituentes naturas videlicet essendi, vivendi, & intelligendi, perfectissimum est gradus intellectivus: ergò. Patet minor, utpotè per gradum intellectivum constituuntur naturæ perfectiores, ut sunt angelica, & humana; sed naturæ perfectiores per perfectiorem gradum constituentur: ergò. Confirmatur, nam sola creatura intellectualis dicitur facta ad imaginem Dei, sed non alia ratione, nisi quia Deo assimilatur in ratione intellectiva: ergò signum evidens est differentiam ultimam Dei pertinere ad gradum intellectivum. Patet conseq. quia si ad alium gradum præter intellectivum pertineret, non magis creatura intellectualis, quā ceteræ creature essent ad imaginem Dei; siquidem omnes ei assimilantur in gradu essendi, vel vivendi.

65 Secunda verò pars, nempè quod tale constitutivum non sit intelligere actuale, sed radicale fundatur: namque constitutivum divinæ naturæ, ut plures dictum est, est illud quod primò in Deo intelligitur tanquam radix cætorum; sed supposito, quod constitutivum divinæ naturæ pertineat ad gradum intellectivum, quod primò in Deo intelligitur tanquam radix cætorum est intellectivum radicale, non verò actuale, cum actualis intellectio ex proprio, & formalí conceptu supponat intellectivum radicale, immò, & proximum, à quo elicitive virtualiter egreditur: ergò.

66 Dices, non dari in Deo intellectivum per modum radicis virtualiter ab ejus intellectione distinctum, sed solum distinctum ratione ratiocinantis, seu cum fundamento solito in nostro imperfecto modo cognoscendi divina per analogiam ad res creatas. Sed contra sunt omnia, quæ late, & per otium percurrentibus dubio

precedenti probando dari in Deo intellectu per modum potentiarum, & actus primi virtualiter ab ejus intellectione distinctum; illa enim que probant dari in Deo intellectivum per modum radicis eodem modo ab intellectione distinctum. Videantur ibi ne eadem in utiliter repetamus.

67 Secundo fundatur nostra resolutio: Gratia est participatio formalis divinae naturæ; & tamè non est participatio formalis divinae intellectonis: ergò natura divina cōstitui methaphysicè nequit per actualem intellectiōnē. Major est communis fententia theologorum, minor etiam constat; si enim gratia esset participatio formalis divinæ intellectiōnis, esset formaliter intellectio, cum in eo distinguitur participatio formalis à virtuali, quod participatio formalis est cum convenientia in conceptu formalis formæ participata, licet non in modo; unde modum relinquit, & conceptum formalem capit, proptereaque dicitur participatio, quia partem capit, & partem relinquunt; at qui gratia non est formaliter intellectio, sed potius principium radicale videndi, & amandi Deum: ergò. Confirmatur visio beata creata est participatio formalis divinae intellectiōnis, ut intellectio est, & tamè non est participatio divinae naturæ: ergò intellectio, ut talis divinam naturam non constituit. Major pat, utpotè convenit cum divina intellectione in proprio, & formalí illius conceptu, si quidem est cognitio actualis quidditativa, & intuitiva Dei prout in se. Min. etiam constat, quia visio beata non constituit beatum filium adoptivum, & heredem, sed potius est ipsa hereditas ad quam filius adoptatur.

68 Dices, quod in divina intellectione est duplex munus, & munus principij, seu radicis, & munus actionis; & secundum primum munus constituit naturam divinam, secundum aliud verò eam constitutam supponit. Gratia ergò est participatio divinae intellectiōnis secundum primum munus, secundum alterum autem est illius participatio visio beatifica. Sed contra hanc evasionem insurgit Reverendissimus Bayona in suis manu scriptis, quod haec distinctione penes diversa munera datur in Deo cum fundamento in re, siquidem gratia participat unū, & non aliud: Ergò natura divina, ut exercens munus naturæ, & radicis, potest concipi cum fundamento in re, non concepta ut exerceente munus intellectiōnis; sed hoc est distinguiri virtualiter natura ab intellectione: Ergò. Confirmatur, ut distinguitur virtualiter natura ab intellectione, sufficit quod cum fundamento in re concipiatur entitas divina ut est natura, quin concipiatur ut est intellectio; sed hoc ipso, quod haec munera in Deo cum fundamento in re, non concepta ut exerceente munus intellectiōnis;

in re distinguatur; potest concipi entitas divina ut natura, quin concipiatur intellectio, siquidem potest concipi ut exercens munus naturae, quin concipiatur ut exercens munus intellectonis: ergo.

69 Sed hęc impugnatio minus urget, siquidem solum convincit in divina intellectione praedicta munera inadæquata distinguiri virtualiter, sicut & inadæquate virtualiter, seu cum fundamento in re diliguitur in Deo conceptus naturae, & essentiae, & in divina relatione respectus in, & respectus ad. Unde non licet inferre divinam naturam non constitui per intellectiōnem secundum munus radicis, quod primo intelligitur, sed solum non constitui per eam secundum munus actionis, quod posterius est; sicut neque distinctio virtualis inter respectum in, & ad relationis convincit, divinam personam non constitui per relationem secundum respectum in, qui primo intelligitur, sed solum non constitui per eam secundum respectum posteriorem ad.

70 Melius ergo impugnatur praedicta solutio; quia visio beata, & gratia distinguuntur secundum proprios, & formales conceptus: ergo forma participata à gratia, & forma participata à visione beata, debent etiam diligui in Deo secundum proprios, & formales conceptus; quia ut diximus participatio formalis est cum convenientia in conceptu formalis formae participati: ergo munus principiij, & radicis participatum à gratia debet diligui secundum proprium, & formalem conceptum à munere intellectiōnis, quod participat visio beata, & consequenter illa duo munera sunt adæquate virtualiter distincta, nequę possunt esse munera ejusdem formaliter formę itenpē divinę intellectiōnis. Confirmatur, participatio formalis debet esse participatio alicujus predicationis formaliter existentis in Deo: si ergo gratia formaliter participat munus radicis intellectiōnis, cum sit radix, & principium videndi, & amandi Deum, tale munus radicis intellectiōnis formaliter existit in Deo; at hoc ipso divina natura nequit non constitui per intelligere radicale, quod in eo munere consistit; quia eo ipso primo intelligitur in Deo; unde contrarij hoc ipso, quod asserunt divinam naturam constitui per intellectiōnem, negant in Deo formaliter intellectum per modum actus primi, & pariter negant intelligere radicale: ergo;

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

71 **A**rgumenta, que directe procedunt ad probandum, non dari in Deo intellectivum per modum radicis, vide-

ri possunt in dubio præcedenti; ipsamet enim contra presentem resolutionem procedunt; quia sicut ibi arguitur, quod principium virtualiter elicitiū dicit imperfectionem, sicut & potentialitatem vel dependentiam, pariter idem argumentari potest de principio virtualiter radicativo. Videantur ibi.

72 Nunc ergo primo objicies: Verbum Divinum ex vi sue processionis procedit, ut simile in natura: ergo divina natura constituitur per actum secundum, & ultimum in linea intellectuali. Probatur conseq. Verbum Divinum procedit ut Verbum, seu ut species expressa, & actualis representatio sui principij, in quo explicatur secundus, & ultimus actus linea intellectiva: ergo si procedit, ut simile in natura, haec constituitur per secundum, & ultimum actum linea intellectiva. Confirmatur primo D. Thom. infra quest. 27. art. 2. Probat processionem Verbi Divini esse generationem, quia in Deo idem est esse, & intelligere; unde cum per processionem Verbi communicatur formaliter intelligere, communicatur etiam formaliter esse, seu natura divina; & cum communicatio formalis naturae sit generatio, processio Verbi est generatio; sed haec ratio nisi supponat, quod intelligere sit formaliter esse, seu natura Dei non magis probaret, processionem Verbi esse generationem, quam processionem Spiritui Sancti, cum velle Dei ex quo procedit Spiritus Sanctus, sit etiam identice ipsa natura divina, & solum ab ea virtualiter distinguatur, sicut & alia attributa: ergo. Confirmatur secundo: nam Div. Thom. hic art. 8. Probat Deum per intellectum suum causare res, quia intelligere Dei est esse Dei; hacten autem ratio non convinceret, si sermo procederet de identitate solum entitativa, & formalis, & non virtuali; nam cum relationes etiam sint esse Dei realiter formaliter, etiam Deus per relationes causaret res: ergo.

73 Sed in primis argumentum probat, divinam naturam constitui non per intelligere, sed per intelligi, quia Verbum non explicat secundum, & ultimum actum linea intellectiva: qui est intelligere, sed passivę, qui est ipsum intelligi. Deinde respondetur: quod Verbum Divinum procedit ut simile in natura quantum proredit ut Verbum, ly ut reduplicante naturam, & quidditatem Verbi, non verò modum illius; Verbum enim assimilatur generanti in natura, non in modo essendi naturę cum in generante sit per modum principiantis, & in genito per modum terminantis; unde in modo potius discriminatur. Pro quo nota doctrinā generalē, quod species impressa, & expressa sit ejusdem quidditatis inter se, sicut & cum obiecto, cuius ta-

impressa, quām expressa est formalis similitudo, proindeque cum eo debent convenire in forma, seu natura, & quidditate. Diferunt tamen in modo, ut potè in specie impressa est natura objecti per modum moventis, seu frēundantis, & in specie expressa per modum terminatū. Quod ergo Verbum Divinum sit terminus divinae intellectio[n]is, seu dicat, & explicet actum secundū, & ultimum linea[re] intellectivā p[er]tinet ad modum natura[re], n[on] s[ed] forte reduplicetur modus, ut reduplicatur, quatenus significatur hoc nomine *Verbum*, ut in tractatu de Trinitate latius dicemus. Immò etiam si divina natura constitueretur per volitionem, adhuc divinum Verbum procedere ut Verbum, quia adhuc procederet per intellectum, & similiter procederet ut simile in natura; quippe intellectus assimilatus est: ergo quod Verbum procedat ut simile in natura, quatenus procedit ut Verbum, non infert, quod si Verbum explicat actum secundū, & ultimum linea[re] intellectivā, divina natura per predictum actum constitutur, sed in omni opinione circa constitutivum natura[re], Verbum illum modum retinere debet.

74 Ad primam confirmationem respondet. Quod si Div. Thom. intenderet ibi probare, quod processio Verbi est generatio ex quo in Deo idem est intelligere, & esse, cum art. 4. Probat processionem Spiritus Sancti generationem non esse, illud probaret, quia velle Dei non est suum esse vel natura; at Div. Tho. non sic probat processionem Spiritus Sancti non esse generationem, sed quia non procedit ut similis in natura, & hoc ideo, quia procedit per voluntatem, quae assimilativa non est: ergo cum in art. 2. probat processionem Verbi esse generationē, hoc probat ex eo solum, quod procedit ut simile in natura, quia procedit per intellectum, qui assimilatus est. Unde cum addit: *Et in eadem natura existens, quia in Deo idem est intelligere, & esse*, non probat processionem Verbi esse generationem, sed taliter esse generationem, quod Verbum procedat ut consubstantiale suo principio, seu in identitatem natura[re] cum Patre, quae ratio communis est utriusque processioni. Ad hanc enim consubstantialitatem convincendam sufficit realis identitas intellectio[n]is per quam Verbum procedit cum divina natura. Unde quia volitio hanc eandem identitatem habet cum divina natura, Spiritus Sanctus per eam procedens, procedit etiam ut consubstantialis suo principio, & in identitatem natura[re] cum illo, nempe cum Patre, & Filio.

75 Ad secundam confirmationem responderet. quod Div. Thom. non loquitur ibi de intelligere actuali, sed radicali, & est tensus, ut ex-

plicant nostri thomistæ, quod hoc ipso, quod Deus est natura[re] intellectualis per essentiam, debet per intellectum, & voluntatem cauare res; quia eo ipso ei debetur perfectior modus causandi, & perfectior modus causandi est modus causandi per intellectum, & voluntatem, quām per naturam, id est liber quam naturalis. Praterquamquod modus causandi solum est duplex, videlicet naturalis, seu per naturam, & liber, seu per intellectum, & voluntatem; non autem datur modus causandi per relationes, & sic ad rem non facit, quod relationes sint identicē esse Dei, ut Deus per eas causet res, & non per intellectum, & voluntatem.

76 Secundo objicies, & est replica contra dicta ad præcedens argumentum: Verbo Divino primariō, & formaliter communicatur divina natura; sed communicatur ei primariō, & formaliter divina intellectio: ergo in hac consistit, seu per hanc constituitur divina natura. Major supponitur, & min. probat. Tūnq[ue] quia Verbo Divino primario, & formaliter communicatur divina sapientia, namque ex vi processionis est sapientia genita: tūnq[ue] quia Verbum per se, & formaliter procedit ex cognitione Patris; sed ei primario, & formaliter communicatur, quod se tenet formaliter ex parte principij: ergo. Tūnq[ue] Pater sub eadem ratione est generans, & dicens; sed Verbo ut terminanti dictiōnēm primariō, & formaliter communicatur divina intellectio, ut potè Pater ut dicens, & loquēs primariō, & formaliter exprimit mentem, & nō habitualem, seu in actu primo, sed actualēm, quae idem est, ac actualis cognitio: ergo. Immò dictio, & genera[t]io in Patre non differunt objectivē, sed solum ex modo significandi: ergo neque terminus formalis dictiōnis debet esse objectivē distinctus a termino formalī generationis. Ac tandem si natura divina supponeretur constituta ad actualēm intellectiōnēm, prius secunda persona procederet ut Filius, quām ut Verbum, siquidem prius ei communicaretur natura, quām notitia actualis.

77 Sed resp. neg. min. Ad primam probationem respondeatur, quod secundum D. Thom. quarto contra gent. cap. 12. Sapientia summittur, & pro principio sapientia, & actuali sapientia, & pro termino ex sapientia producto. Verbum ergo est sapientia genita ex vi processionis primo modo, quia ex vi processionis accipit naturam Patris, quae est principium sapientiae, & tertio modo, quia est terminus productus ex sapientia Patris, non vero secundo modo. Quod exprasse Div. Thom. infra quæst 34. art. 1. Ad secundum, dum ait: *Quod cum Verbum dicitur notitia non accipitur notitia pro actu intellectus cognoscen-*

*tis, sed pro eo, quod intellectus concipit cognoscēd.. Unde, & Augustinus dicit, quod Verbum est sapientia genita. Ratioque est clara, quia Verbum adhuc in creatis est terminus productus per intellectionem sub conceptu dictio[n]is, aliter si Verbum esset formaliter idem ac intellectio, sicut defacto datur intellectio creata quidditativa Dei, qualis est visio beata, daretur etiam defacto Verbum creatum essentiam divinam quidditativē representans, quod nullus thomista audet concedere.*

78 Ad secundam probationem respond. quod cum dicitur Verbo per se, & primario communicari id, quod se tenet formaliter ex parte principij, intelligitur de principio *quo* obiectivo, quod est ipsa divina natura fecundans divinum intellectum per modum speciei. Neque enim verbum procedit, ut simile intellectui, qui est principium, *quod* subiectivum, cum neque sit imago illius, sed solum procedit, ut simile obiecto cuius est imago. Immo cum hoc sit species impressa, ad huc non procedit, ut simile ei secundum modum, & conditionem speciei impressa, aliter procederet, ut species impressa; & non ut verbum; sed procedit ut simile in natura, & quidditate, quam importat, quia tam species impressa, quam expressa, & obiectum sunt ejusdem quidditatis, ut supra diximus. Cum ergo actualis intellectio non sit principium *quo* obiectivum moveens, & fecundans intellectum, cum potius eum fecundatum supponat, & ex ipso prout sic procedat, siquidem ab obiecto, & potentia paritur notitia, consequenter non infertur, eam primario, & formaliter verbō comunicari.

79 Ad tertiam probationem resp. quod dicens primario, & formaliter intendit exprimere obiectum in mente contentum, id est in specie representatum; unde cognitionem solum exprimit ratione obiecti, quod cum respectu divinæ cognitionis sit natura divina, hanc solam primario, & formaliter per verbum exprimit, & ei communicat, non vero cognitionem. Et ex hoc patet ad secundam hujus probationem, nāque adhuc in creatis dictio non communicat verbo intellectionem, sed obiectum solum inesse intelligibili, & intentionali. Ad tertiam probationem negat. sup. nempe verbum, ut tale primario procedere; ut simile Patri in notitia actuali, sed tam ut Filius, quam ut verbum procedit primario ut simile Patri in natura; allio; quin processio Verbi ut talis non esset generatio, & essent sex notiones in divinis, sicut & duplex relatio Filii, & Verbi virtualiter distincta, qualiter distinguuntur in Patre relatio spirato[r]is ab ipsa Paternitate, & pariter distincta in

Filio à filiatione. Solū ergo differt ratio Verbi à ratione Filii, in eo quod ut Filius dicit solum ordinem ad generantem, ut Verbum vero dicit etiam secundario ordinem ad creaturas, quas repräsentat; quia ex illarum cognitione procedit; in objecto autem primario utraque ratio Filii, & Verbi convenit.

80 Tertio objicies, idem est constitutivum ac distinctivum; fed intellectualitas radicalis nō distinguit naturam divinam à natura intellectuali creati: ergo neque eam constituit. Probatur minor, quia natura divina, & natura intellectualis creati convenient in intellectualitate radicali, utpote utraque est radicaliter intellectualis; sed per id, in quo natura divina convenient cum creata, ab ea distingui non potest: ergo. Sed respondeat argument. probare constitutivum divinæ naturæ non esse intellectualitatem radicalem ut sic; quia in hac convenient cum natura intellectuali creati, non verò non esse intellectualitatem radicalem purè actualem, summam, & infinitam, nempe radicantem intellectum infinitum, infinitamque, & comprehensivam Dei intellectionem; hæc enim omnia verificantur de natura divina intra propriam lineam radicis; in quibus non convenient, sed maximè distat à natura intellectuali creati, quæ quia potentialis, & finita duntur; at radicat intellectum finitum, finitamque intellectionem.

81 Quarto objicies: natura divina intra propriam lineam, & secundum proprium, & formalem conceptum intelligitur vivens in actu secundo; sed non nisi per actualem intellectualitatem, cum hoc solum sit vita in actu secundo intellectualis: ergo actualis intellectio ingreditur constitutivum metaphysicum, & formale divinæ naturæ. Prob. in maj. natura divina intra propriam lineam, & secundum proprium formalem conceptum intelligitur, ut habens perfectionem à se; sed vita actualis divina solum potest consistere in habere perfectionem à se; non enim potest consistere in eo quod est se mouere, cum ab actione divina motum removeri necesse sit: ergo.

82 Respondeatur facile, quod de ratione actus secundi vitalis est quod procedat elicitive à principio intrinseco vitali, sive realiter, ut in creatis, sive virtualiter, ut in divinis. Cum ergo perfectionem illam, quam habet natura divina, intra propriam lineam, & secundum proprium formalem conceptum, non habeat à se per realiter, vel virtualem processum, sed solum per identitatem, consequenter neque ex habitudine illius infertur eam intra propriam lineam, & secundum proprium formalem conceptum vivere in actu secundo; sed solum ut sic vivit vita,

quæ

quæ est propria naturæ, & principij radicalis, quomodo etiam homo secundum essentiam vivens dicitur, non verò quoad exercitium vitæ actualis. Et nota instantiam; quia Deus etiæ habet à se perfectionem existentiarum, & subsistentiarum, immò entitatem, veritatem, bonitatem, & unitatem; & tamè per nullam ex his rationibus vivit in actu secundo formaliter: Ergò similiter.

83 - Neque valet, quod si de ratione actus vitalis sit egressio à principio, Deus non est formaliter vivens in actu secundo, sed tantum virtualiter; siquidem non formaliter, sed tantum virtualiter, ab eo egreditur actus secundus vitalis, quod est falsum, siquidem Deus nèdum virtualiter, sed & formaliter est intelligens in actu secundo. Sed respond. argumentum convincere, si de ratione actus vitalis sit egressio formaliter à principio, non tamè si sit egressio à principio, sive formalis, sive virtualis, licet autem actu divino virtuali non conveniat formaliter, quod sit egressio formalis à principio, ei tamè formaliter convenit, quod sit egressio à principio virtualis. Et nota manifestam instantiam, nam de conceptu naturæ est, quod sit radix proprietatum, seu attributorum; sed natura divina non est formaliter radix attributorum: Ergò. Consequentia non valet; quia licet ei non conveniat formaliter, quod sit radix formalis, ei convenit formaliter, quod sit radix virtualis, & de conceptu naturæ non est, quod sit radix formalis, sed vel formalis, vel virtualis. Et eadem instantia appetit in attributis, de quorum ratione est dimanatio à natura, sive formalis, sive virtualis.

84 Sed dices, sequitur ex hac doctrina sufficere virtualem processionem termini à principio generante, ut sit realiter formaliter generans; nam sicut de ratione actus vitalis est egressio à principio vitali, sic de ratione generationis est processio termini à principio generante. Sed respond. quod definitio actus vitalis communiter ab omnibus explicatur de egressu, ut abstrahit à formali, & virtuali, quia aliter in suo conceptu dicaret imperfectionem, & Deo convenire non posset. Secus tamen definitio generationis, quæ ab omnibus explicatur de origine, & processione formalis; & hoc ideo quia de ratione generantis creata est, quod sit causa; causa autem in suo conceptu includit realem distinctionem ab effectu, & licet in divinis Filiis procedat à Patre per generationem, quin Pater sit causa illius, adhuc tamè non potest non procedere, ut realiter ab eo distinctus propter oppositionem relativam, quamvis non ut effectus, via procedit per identitatem naturæ. Inimo

principium ad actu realiter egredientem comparatur, ut à quo participat perfectionem, proptereaque tale principium imperfectionem involuit; ad terminum verò comparatur, ut cui communicat perfectionem, proptereaque importat perfectionem sine imperfectione; & sic non est paritas.

85 Quinto objecies: illud prædicatum secundum nos est constitutivum divinæ naturæ, quod in Deo primò intelligitur, tamquam radix ceterorum; sed hoc non est intellectualitas radicalis: Ergò. Prob. min. Div. Thom. hic quæst. 74. art. 1. ex summa Dei immaterialitate probat demonstrative, & à priori ejusdem intellectualitatem, ut patet ex dictis dubio primò: Ergò hęc in illa virtualiter radicatur, utpotè ad verā demonstrationem à priori requiritur, quod procedat per veram causam formalem, vel virtualem, seu per rationem à priori.

86 Ad hoc argumentum aliqui respondent, quod licet summa Dei immaterialitas prior quidem sit divina intellectualitate, non tamen divinam essentiam constituere potest, quia est prædicatum transcendens divinam essentiam, attributa, & relationes, sicut à simili diximus de ratione entitatis à se. Hac tamen solutio communiter rejicitur; quia immaterialitas transcendens essentiam, attributa, & relationes est immaterialitas summa; & à se per exclusionem causæ, immaterialitas tamen summa, & à se per exclusionem principij virtualis non transcendit attributa, & relationes, sed est propria divinæ essentiarum, seu naturæ, à qua attributa, & relationes dimanaunt.

87 Qua propter melius respondet primò quod Div. Thom. non demonstrat per summam Dei immaterialitatem ipsius summam radicaliter intellectualitatem, sed formalem, & proximam, seu actualem, v. g. intellectum, illiusque intellectualem, nam demonstrat intellectualitatem Dei per ipsius immaterialitatem, tanquam per rationem à priori, seu radicem; intellectualitas autem radicalis in ratione à priori, seu radice intellectualitatis formalis consistit, proindeque idem est dicere constitutivum divinæ naturæ esse intellectualitatem radicalem, ac esse illius constitutivum summam Dei immaterialitatem. Quod fit etiam manifestum, ex eo quod constitutivum divinæ naturæ non est præcisè illud prædicatum, quod primò intelligitur, sed quod primò intelligitur, tanquam radix ceterorum: si ergò immaterialitas summa Dei est constitutivum divinæ naturæ, eo ipso intelligitur primò in Deo, tanquam radix ceterorum: Ergò tanquam radix intellectualitatis formalis; sed radix intellectualitatis formalis est

**Intellectualitas radicalis:** Ergo summa Dei immaterialitas non constituit divinam naturam, nisi ut radicaliter intellectualis.

88 Si tamen velimus radicalem intellectualitatem à summa Dei immaterialitate distinguere, dicendum est juxta dicta dubio primò talem distinctionem esse solum inadæquatam, & penes diversa munera, non verò adæquatam, & penes diversos conceptus formales; ut potè immaterialitas ex proprio, & formalí conceptu includit radicalem intellectualitatem, licet eam non explicet secundum proprium munus. Unde distinguuntur eo solum modo quo supra resolut. 4. diximus distingui essentiam, & naturam, quia ut natura radicat, & ut essentia constituit, idem tamen est quod constituit, & quod radicat. Nequè obstat solum inadæquate distinguiri, ut unum demonstretur per aliud, ut patet etiam ex dictis dubio primò, namque etiam ratio naturæ solum inadæquate distinguitur à ratione essentiæ, & hæc per illam demonstratur. Et potest ponи etiam exemplum in homine in quo radicale discursivum demonstratur per radicale compositivum, quæ solum inadæquate sunt distincta.

89 In hoc ergo modo dicendi distinguitur major argumenti: illud prædicatum est constitutivum divinæ naturæ, quod primò intelligitur in Deo tanquam radix adæquata ceterorum, conc. inadæquata subdistinguendo, est constitutivum inadæquatum, conced. adæquatum, nego. maj. & min. Ad prob. respond. quod Div. Thom. ex summa Dei immaterialitate probat demonstrative, & à priori ejusdem intellectualitatem tanquam ex conceptu inadæquato, non verò adæquato. Neque obstat constitutivum alicujus naturæ esse duos conceptus inadæquatos, quorum unus intelligitur prior, & ratio alterius, ut patet in exemplo positivo, constitutivum namque naturæ humanae est intellectivum radicale compositivum, seu principiorum, & intellectivum radicale discursivum, seu conclusionum, cum tamen primum intelligatur prius, & ratio alterius.

90 Sed dices: respectus in in relatione est solum inadæquatus, & tamen ille est sufficiens constituere adæquate divinam personam: ergo à simili. Sed retorique argumentum, namque in relatione distinguitur ille duplex respectus inadæquatus, neimpè ad subjectum, & terminum, respectusque ad subjectum prior est respectu ad terminum, & tamen non in illo præcise, sed in utroque respectu relatio essentialiter consistit, omnes ergo tenentur reddere disparitatem. Et stat in eo quod munus adæquatum relationis est subjectum referre ad terminum; non autem potest subjectum referre ad terminum per inadæ-

quatum solum respectum ad subjectum, sed ad hoc indiget consortio alterius inadæquati respectus; proptereaque relatio adæquate in utroque respectu essentialiter consistit. Attamen munus adæquatum personalitatis est constituere substans in communicabili in natura divina, hoc autem præstat relatio secundum respectum ad subjectum quin ad hoc indigeat consortio explicito alterius respectus, licet non possit non eum objective, & implicite includere, ut supponit argumentum. Et sic personalitas adæquate essentialiter consistit in relatione secundum præcissum respectum ad subjectum. Cum ergo in nostro casu munus adæquatum naturæ nedum sit constituere, verùm etiam radicare potentias, & operationes, licet primum possit præstare immaterialitas, ut virtualiter distincta à radicali intellectualitate, non tam secundum, & propterea natura intellectualē in utraque ratione consistere necesse est.

91 Hinc Oxomensis asserit, quod quia essentia explicatur per ordinem ad esse, & natura per comparationem ad operationem: constitutivum naturæ divinæ sub inadæquato conceptu essentiæ est summa immaterialitas à se, constitutivum verò illius sub inadæquato conceptu naturæ est radicalis intellectualitas. Unde tandem infertur quod constitutivum adæquatum illius, nempe sub utroque conceptu est summa Dei immaterialitas à se radicaliter intellectualis. Ecce sic, ait, accipiendi sunt theologi Dei essentiam, vel naturam constituentes in intellectualitate radicali, non enim in solo conceptu radicis intelligendi contendunt Dei essentiam consistere, sed in conceptu substantiae perfectissimæ spiritualis; aut immaterialis radicaliter intellectualis.

92 Sed objicies contra hoc, differentiæ pertinentes ad diversa genera nequeunt adunari ad constitutendum naturam aliquam creatam, vel incretam, ut patet in ratione veri, & boni, & in relatione, & qualitate; sed immaterialitas, & radicalis intellectualitas ad diversa genera pertinent, siquidem immaterialitas pertinet ad genus entis, & radicalis intellectualitas pertinet ad genus intellectivum: ergo adunar' nequeunt, tanquam conceptus iradæquati ut constituant naturam aliquam creatam, vel incretam. Sed respond. quod immaterialitas pertinet ad genus entis, non tanquam differentia contraria illius siquidem prius ens dividitur in substantiam, & accidentem, & deinde substantia dividitur in materiale, & immateriale, unde immaterialitas completa est differentia contrahens immediate genus substantiae; sed hoc idem genus immediate etiam contrahit radicalis intellectualitas, quippe eadem est divisio substantiae completa in

materialem, & immaterialem, ac in radicaliter intellectivam, & non intellectivam, ac proinde radicalis intellectualitas etiam est intra genus entis. Negamus ergo quod immaterialitas, & radicalis intellectualitas pertineant ad diversa genera.

93 Sed dices, intellectualitas radicalis non pertinet ad lineam entis, sed ad lineam intellectivam: Ergo neque est differentia intra gradum entis, sed solum intra genus intellectivum. Sed respond. quod, ut dubio praecedenti diximus, linea intellectiva est multiplex specifica, nempè alia per modum radicis, alia per modum potentie, & alia per modum actus secundi, linea ergo intellectiva per modum radicis duntaxat connotativa, & quantum ad id quod in obliquo importat, videlicet intellectum, & intellectionem, est linea distincta à linea entis, non verò secundum id quod dicit in recto, namque ut sic est linea substantiae immaterialis completa. Dices ergo constitutivum divinæ naturæ non pertinet ad gradum intellectivum, sed ad gradum essendi. Respond. quod gradus intellectivus etiam est intra gradum essendi, & sic ex quo constitutivum divinæ naturæ ad gradum intellectivum pertineat, non sequitur, quod non pertineat ad gradum essendi, sed non in sua communitate relictum, sed quatenus contrafactum ad gradum specificum essendi substantialiter immaterialiter.

94 Tandem objicies, illud est constitutivum divinæ naturæ, quod est radix omnium divinorum attributorum; at tale non est intelligere radicale: Ergo prob. min. in Deo præter attributa, quæ pertinent ad lineam operandi, ut sunt intellectus, & voluntas, dantur alia attributa, quæ pertinent ad lineam essendi, ut immaterialitas, eternitas, & immensitas; at intelligere radicale solum est radix attributorum, quæ pertinent ad lineam operandi, v. g. intellectus, & eo mediante voluntatis: non ergo intelligere radicale est radix omnium divinorum attributorum.

95 Sed ad hoc respond. ex dictis, quod intelligere radicale in adæquate consideratum solum est radix attributorum, quæ pertinent ad lineam operandi, secùs tamen adæquate consideratum, quia ut sic includit rationem substantiae summe immaterialis completa à se, quæ radix est immutabilitatis, eternitatis immò primario radicat esse, & secundario operari. Quia ratione diximus, quod quia essentia explicatur per ordinem ad esse, & natura per ordinem ad operationem, constitutivum divinæ naturæ sub inadæquato conceptu essentia est summa immaterialitas à se, & constitutivo illius sub inadæquato conceptu naturæ est intelligere

radicale. Constitutivum tamen adæquatum est utrumque, nempè summa immaterialitas à se radicaliter intellectiva. Pro quo recole quæ diximus resolut. precedenti ad secundum.

96 Notetur etiam doctrina Div. Thom. supra quest. 24. art. 1. ad primum ubi ait: *Quod natura secundum se est quantitas virtualis in radice, quia secundum eam dicitur res major, aut perfectione; non in effectu, ita ut secundum eam dicatur magis durare, vel magis posse operari; sed primum attenditur secundum quantitatem virtutis in effectu primario, qui est esse, in quantum ea, quæ sunt perfectioris nature, sunt majoris durationis. Secundum autem attenditur secundum quantitatem virtutis in effectu secundario; qui est operatio, in quantum ea quæ sunt perfectioris nature sunt magis potentia ad operandum.* Quæ doctrina nostram confirmat, sicut enim natura primario radicat esse, & secundario operari, sic primario radicat attributa, quæ pertinent ad lineam essendi, & penes esse attuluntur, & secundario, quæ pertinent ad lineam operandi, & attenduntur penes operari. Et per ordinem ad effectum primarium dicitur essentia, & per ordinem ad secundarium dicitur natura. Et sub inadæquato conceptu essentiae constituitur per immaterialitatem, & sub inadæquato conceptu naturæ per intelligere radicale, quod cum objective, & essentialiter ab immaterialitate sit indistinctum, semper est verum, quod objective, & essentialiter est radix attributorum quæ pertinent ad lineam essendi, licet inadæquate, & quoad explicitum, seu denominative consideratum, duntaxat sit radix attributorum, quæ pertinent ad lineam operandi.



#### DUBIUM IV.

*Num, admissa naturam divinam per intelligere radicale constitui, detur in Deo intellectus per modum potentiae, seu actus primi.*

**C**onsulto præfens dubium proposo, quia cum disceptatione majori publice in Universitate Piniana defendissem divinam naturam per intelligere radicale constitui; & minori disceptatione in Conventu Sancti Pauli proponerem dari in Deo intellectum per modum actus primi; Magister studiorum regens dixit in nullo protus hanc conclusionem à precedenti discriminari. Quod ego egre ferens, statim, ut discrimen apparissimè appareret, propugnandum suscepit, quod dato naturam divinam per intelligere ra-

dicale constitui, adhuc in Deo non datur intellectus per modum actus primi. Quia in resolutione appetit intentum non fuisse defendere in Deo non dari intellectum per modum actus primi, cuius oppositum dubio primò latè ostendimus, sed solum, nullam esse coherentiam inter unam, & alteram sententiam, illaque affirmata hanc negari posse, neque fundamenta illius sententiae inferre affirmativam partem istius. Quod uno verbo ostendi ex dictis dubio præcedenti resolut. 4. ad 2. & resolut. 5. ad 5. nepe intelligere radicale in Deo pertinere ad lineam essendi substantialiter immaterialem, ad quam pertinere non potest divinus intellectus, nec intellectio: unde nec possunt non virtualiter adæquatè distingui. Quæ ratio neutiquam procedit de divino intellectu respectivè ad ejus intellecitonem, cum utrumque ad eandem lineam, videlicet intellectivam pertineat. Quod fundatum ex solutione argumentorum præcipue apparuit:

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

2 **P**rimò ergo fuit sic objectum: ex eo non datur in Deo intellectus per modum actus primi, quia intellectus divinus virtualiter adæquatè non distinguitur à divina intellecitonem, ex eo autem virtualiter adæquatè non distinguitur à divina intellecitonem; quia pertinent ad eandem lineam, nempe intellectivam; at etiam intelligere radicale pertinet ad lineam intellectivam: ergo, vel neutrini virtualiter adæquatè distinguitur à divina intellecitonem, vel utrumque.

3 Fuit responsum disting. min. etiam intelligere radicale pertinet ad lineam intellectivam secundum id, quod in oblico, & de connotato importat, conc. quantum ad id, quod importat in recto, nego. In recto enim importat rationem substantię immaterialis completem à se; proindeque prout sic pertinet ad lineam substantię, & est intra lineam essendi; sicut & genus substantię est intra genus entis. Ratioque est clara; siquidem immaterialitas substantialis completa, & intellectualitas radicalis non distinguuntur adæquatè, & penes proprios formales conceptus, sed inadæquatè, & penes diversa munera, hoc enim ipso, quod immaterialitas substantialis completa sit, est formalissime radicaliter susceptiva specierum; proindeque est radicaliter intellectiva, licet ut immaterialitas dicatur per ordinem ad esse, & ut intellectualitas dicatur per ordinem ad intellecitonem, & sic distinguuntur penes diversa munera, nempe penes radicare existentiā, & radicare intellecitonem.

4 Dixerunt: si ut immaterialitas dicatur per ordinem ad esse, & ut intellectualitas per ordinem ad intelligere, co ipso pertinent ad diversam lineam; nam esse, & intelligere ad diversam lineam pertinent; hac enim ratione ad diversam lineam pertinent intellectus, & immaterialitas. Fuit responsum, quod ut intellectualitas denominative dicatur per ordinem ad intelligere, objectivè vero, & essentialiter, licet dicatur per ordinem ad intelligere secundariò, & mediatè, primariò; & immediate dicatur per ordinem ad esse, sicut & immaterialitas, quæ objectivè est idem cum ipsa radicali intellectualitate. Quod explicatur exemplo intellectivi, & volitivi radicalis, ut videtur est loco supra citato ex dubio præcedenti resolut. 4.

5 Dixerūt iterum: ergo constitutivum divinæ naturæ non pertinet ad gradum intellectivum, sed ad gradum essendi. Fuit responsum ex dictis dubio præcedenti ad quintum, quod gradus intellectivus etiam est intra gradum essendi, & sic ex quo constitutivum divinæ naturæ ad gradum intellectivum pertineat, non sequitur, quod non pertineat ad gradum essehdi, licet non in sua communitate relatum, sed quatenus contrarium ad gradum specificum essendi substantialiter immaterialiter completem, qui eo ipso est gradus intellectivus. Sed replicarunt, natura divina, licet ut essentia dicat immediatum ordinem ad esse, ut natura tamè dicit immediatum ordinem ad operari, ut patet ex ejus diffinitione. Fuit etiam responsum ex dictis dubio præcedenti resolut. 4. Quod natura divina ut essentia, & ut natura non distinguitur adæquatè, sed inadæquatè, & inter istos inadæquatos conceptus, prior est conceptus essentia; qui dicitur per ordinem ad esse, quam conceptus naturæ, qui dicitur per ordinem ad operari, quia operari sequitur ad esse. Et licet ut natura denominative dicat immediatum ordinem ad operari, secùs verò objectivè, & essentialiter, cuius est simile in volitivo radicali.

6 Secundo fuit objectum, & est replica contra solutionem præcedentem: intra lineam intellectivam distinguimus lineam specificam per modum radicis intellecitonis, & lineam specificam per modum intellecitonis: ergo à simili intra lineam intellectivam possimus distinguere lineam specificam per modum principij proximi intellecitonis, & lineam specificam per modum intellecitonis.

7 Fuit responsum neg. conseq. quia propteræ distinguimus lineam specificam per modum radicis à linea per modum intellecitonis; quia linea per modum radicis intellecitonis secundum id, quod importat in recto, est linea es-

fendi, quæ non potest non esse distincta à linea intelligendi, quæ linea operandi est. Attamen linea per modum principij proximi intellectio-nis non potest non esse etiam secundum id, quod importat in recto, linea operandi, cum potentia sit propter operationem; & ab illa specificetur.

8 Fuit contra objectum: quod linea operandi, quæ est linea specifica volendi, dividitur in plures lineas specificè distinctas, ut linea misericordia, linea justitiae; & linea veritatis. Fuit responsum, quod in praesenti solùm procedit sermo de intellectu respectivè ad intellectio-nem essentialiè; & quantum ad hoc currit pa-ritas voluntatis, quæ etiam respectivè ad volitionem essentialiè non habet rationem actus primi, nequè pertinent ad diversam lineam, li-cet ad diversam lineam pertineant alia libera volitiones ad extra terminatz. Ex quo solùm probat. alias liberas intellectiones ad extra terminatas pertinere etiam ad diversas lineas. Immò respectu harum non datur in Deo po-tentia, seu actus primus, si considerentur subje-ctivè, & secundum id, quod dicunt actualitatis, ut potè ut sic non distinguuntur ab intellectione, seu volitione essentiali, sed solùm si consideren-tur terminativè, seu connotativè, in quantum connotant terminos essentialiter, vel personaliter diversos; quia sub hac connotatione non tam intelliguntur, ut actus tangentes, & perficientes potentiam, quam ut attingentes, & perficientes terminum.

9 Tertio fuit objectum, & urgentius: ex eo secundum nos datur in Deo intelligere per modum radicis adæquatè virtualiter distinctum ab intellectione, quia intelligere radicale ex proprio, & formalí conceptu non includit intellectiōnem, licet eam includat ex ratione communi actus puri; at etiam si intellectus ex ratione communi actus puri includat intellectiōnem, eam non includit ex proprio, & formalí concep-tu: ergò Prob. min. illud secundum nos non includit aliud ex proprio, & formalí conceptu, quod non includit illud ex genere suo, & in sui abstractione, licet illud includat quia in Deo; at intellectus ex genere suo, & in sui abstractione non includit intellectiōnem: ergò. Probat. min. nam intellectus ex genere suo, & in sui abstractione distinctam distinctionem habet, ac intellectio, nequè intellectio ingreditur distinctionem intellectus, nisi ad summum in obliquo, & deconnato, aliter etiam intellectus creatus ex proprio, & formalí conceptu includeret intellectiōnem: ergò.

10 Fuit primò responsum, instando argu-mentum in personalitate, & relatione, quæ (ut

supra dubio primò notavimus) ex genere suo, & in sui abstractione non se includunt, alias etiam in creaturis se includerent; & tamen in Deo in-vicem se includunt ex proprio, & formalí conceptu, & nedum ex ratione communi actus puri. Deinde distinximus de non includente aliud ex genere suo, & in sui abstractione totali, quatenus analogicè cōmuni Deo, & creaturis, & de nō includente aliud in sui abstractione formalí, quo-modo consideratur perfectio simplicitè simplex per modum per se subsistentis, infinita, & actus purus intra propriam lineam, & speciem; nam ut sic, & non aliter reperitur in Deo perfectio simplicitè simplex: illa ergò perfectio aliā nō includit ex proprio, & formalí conceptu, quæ illam non includit in sui abstractione formalí; id est, ut actus purus, & infinita intra propriam li-neam, & speciem. Unde licet personalitas ex ge-nere suo, & in sui abstractione totali non inclu-dat relationem, aliter eam etiam in creaturis includeret; quia tamē eam includit in sui abstractione formalí, ut potè ut sic consideratur, ut actus purus, & infinita, quomodo considerari nō potest, quin consideretur, ut relativa, sicut neq; unū infinitū ab alio non potest distinguī, nisi ut sibi relativè opposito, eam etiam includit in Deo nedum ex ratione communi actus puri, sed etiā ex proprio, & formalí conceptu. Cum ergò intellectus licet non includat intellectiōnem ex ge-nere suo, & in sui abstractione totali, alias etiam eam ut sic includeret in creaturis, eam includit in sui abstractione formalí, quia ut sic consideratur, ut actus purus intra propriam lineam in-tellectivam formalem, & consequenter non po-test non intelligi, ut in actu ultimo, qui est actus secundus; consequenter ex proprio, & formalí conceptu debet in Deo includere intellectiōnem, & nedum ex ratione communi actus puri.

11 Hinc, intellectus ex genere suo, & in sui abstractione totali, nequè includit intellectiōnē, nequè excludit illam, sed indifferentē, & per-missivē se habet, ut includat prout in Deo ex ratione actus puri intra propriam lineam, & speciem, & ut excludat prout in creaturis ex ra-tione actus potentialis etiam intra propriam li-neam, & speciem. Attamen intelligere radicale etiam in sui abstractione formalí non includit intellectiōnem, quamvis consideretur, ut actus purus, & infinitus intra propriam lineam; quia propria linea illius est linea substantia immate-rialis completa, in qua potest intelligi omnimo-da puritas, & infinitas non intellecta intellectio-ne; quia hęc pertinet ad aliā lineā, cum illa sit linea essendi, & hęc linea operandi.

12 Sed contra hanc solutionem fuit dupli-citer replicatum, primò, licet substantia imma-

terialis completa non intelligatur, ut in actu ultimo essendi, intelligitur purus actus, & infinita intra propriam lineam essendi: ergo & si intellectus non intelligatur, ut in actu ultimo intelligendi, potest etiam intelligi, ut actus purus, & infinitus intra propriam lineam intelligendi. Secundo, ex eo intelligere radicale intelligitur in Deo, ut actus purus intra propriam lineam, & speciem, quia intelligitur, ut habens vim radicativam infinitam, videlicet radicativā intellectus infinita, & comprehensivę Dei, licet non intelligatur in actu ultimo illius: ergo ex eadem ratione per hoc praeceps, quod intellectus in Deo intelligatur, ut habens vim elicivam infinitam, nempē elicivam intellectus infinita, & comprehensivę Dei, potest intelligi ut actus purus intra propriam lineam, licet non intelligatur in actu ultimo intellectus.

13 Fuit responsum ad primum concedendo anteced. & negando conseq. Disparitasque fuit, quod linea substantia immaterialis est linea rationis, quae specificatur in se, & ad se, non verò ab aliquo extrinseco in ordine ad quod comparetur essentia, ut actus primus, & existentia ut actus secundus. Propterea que non infertur, quod substantia immaterialis sine existentia intelligatur ut actus primus sine secundo, & consequenter potest adhuc ut sic intelligi intra propriam lineam, & speciem, ut actus purus, & infinita. Attamen linea intellectus est linea rationis, quae specificatur ab objecto, in ordine ad quod intellectus comparatur ut actus primus, & intellectio, ut actus secundus. Propterea que si intelligatur in ordine ad objectum sine intellectione, eo ipso intelligitur ut actus primus sine secundo, & ultimo intra suam lineam, & speciem, & consequenter non ut actus purus, & infinitus.

14 Et ex hoc patet ad secundam objectiōnem: licet enīm intelligere radicale secundum nostrum modum concipiendi explicetur per ordinem ad intellectiōnem, & objectum; objectivē tamē, & essentialiter talem ordinem non dicit, sed consistit solum in ipsa ratione substantiae immaterialis completa, quae talis est in se, & ad se, aliter non esset cur substantia non esset immediatè operativa, propterea que idem est intelligi ut habens vim radicativam infinitam, ac intelligi ut habens esse substantiale infinitum in se, & ad se. Unde infertur, quod licet non intelligatur in actu ultimo intellectus, possit intelligi ut actus purus, & infinitus intra propriam lineam, & speciem, quia non eo ipso intelligitur ut actus primus sine secundo, & ultimo. E contra tamē intellectus, ut

*M. Carrasco.*

explicatum est, undē per hoc praeceps, quod intelligatur ut habens vim infinitam elicivam, intelligitur ut actus purus intra propriam lineam inadéquatè solum consideratam, id est, sub munere intellectus, non verò adéquatè scilicet sub munere intellectus.

15 Quarto fuit objectum: hoc ipso, quod divina natura constituitur per intelligere radicale, essentia divina est principium radicale divinę intellectus; sed principium radicale non operatur nisi medio principio proximo: ergo preter essentiam divinam datur in Deo principium proximum divinę intellectus; quod idem est ac intellectus per modum actus primi. Fuit responsum illud fore si divina intellectio procederet ab essentia divina elicivę etiam virtualiter, non tamē sic procedit, sed solum dimanativę tanquam illius proprietas, & ut quoddam divinum attributum; & principium radicale, & proximum dimanationis est idem, ut patet in qualibet essentia respectu suarum proprietatum.

16 Sed contra fuit objectum, nām intellectio divina est actus vitalis; sed actus vitalis petit procedere à suo principio elicivę: ergo. Probat. minor: de ratione actus vitalis est quod vivens per illum se moveat modo proprio viventis, & non communi non viventibus; at principium dimanationis commune est non viventibus, cūm in eis etiam essentia principium sit, & radix suarum proprietatum, sicut essentia ignis est principium caloris, & essentia lapidis est principium gravitatis: ergo se movere per modum viventis est se movere non dimanativę, sed elicivę, & consequenter de ratione actus vitalis est elicivę procedere à suo principio, vel realiter, ut in creatis, vel virtualiter ut in Deo.

17 Fuit responsum dupliciter, primo, quod de ratione actus vitalis est quod vivens per illum se moveat elicivę, sive positive, sive negative; licet autē per intellectiōnem Deus non se moveat elicivę positive, quia non supponit principium proximum à quo elicitive procedat, se tamen movet per illam elicitive negative, quia ut sic non movetur ab alio; actus enim vitalis debet in Deo constitui sublatis imperfectionibus, quibus constituitur in creatis; in creatis autem vivens pervenit ad actum secundum, se movendo de actu primō ad illum; in Deo autem debet poni sine praedicto motu, & consequenter eatenus solum Deus dicitur vivere in actu secundo, quatenus per se ipsum est in actu secundo, sine eo quod moveatur ab alio.

18 Secundo fuit responsum, quod licet

non detur in Deo intellectus per modum actus primi adæquate virtualiter ab ejus intellectione distinctus; bene tamen virtualiter inadæquate: hoc est penes diversa munera intellectus, & intellectio. Hinc secundum munus inadæquatum intellectus potest esse principium eliciti, & secundum munus inadæquatum intellectio potest ab eo elicitive procedere, eo modo quo discurrent afferentes naturam divinam per actualem intellectio nem constitui.

19 Quinto, & ultimo fuit objectum: una ex præcipuis rationibus, quibus probatur divinam naturam constitui per intelligere radicale, & non per actualem intellectio est, quia de ratione intellectio sicut, & operationis, est egressio ad minus virtualis à suo principio; proindeque non potest non supponere aliud prædicatum in quo necesse est, naturam divinam constitutere; at hoc ipso, quod de ratione intellectio sit egressio à principio, intellectus habet rationem principij eliciti illius ergo.

20 Fuit responsum ex dictis ad præcedens argumentum, quod ut actualis intellectio non constitutat divinam naturam, sufficit, quod supponat principium à quo egrediatur, sive egrediatur elicitive, sive dimanative, cum eo ipso non primo intelligatur in Deo tanquam radix ceterorum; licet autem divina intellectio non egrediatur elicitive à divino intellectu, egreditur tamen dimanative ab alio priori principio, quod est intelligere radicale, & sic ex conceptu egressionis non probatur dari in Deo intellectum per modum actus primi. Dixerunt: Div. Thom. probat personam Patris non constitui per generationem, quia, cum generatio sit actio, de cuius ratione est egressio à principio generante, non potest non supponere personam Patris constitutam; at hæc egressio est talis nedium dimanative, sed etiam elicitive: ergo. Fuit responsum ita esse loquendo de actione, quæ habet terminum productum, sive essentialiter, sive personaliter, in sensu quo supra dubio primo fundamentum. 1. Explicavimus, scilicet verò de intellectione, & volitione essentiali.

21 Alia argumenta non fuerunt ad propostum, quia non tam intendebant dari in Deo intellectum per modum actus primi, ex quo divina natura constituitur per intelligere radicale, quam dari in Deo absolute intellectum per modum actus primi, de quo in presenti non curramus, ut notavimus in principio.

## DUBIUM V.

*Quod fit objectum primarium intellectus divini?*

1 **O**biectum intellectus aliud est motivum, & aliud terminativum. Motivum ideo sic dicitur quia movet, determinat, seu fecundat potentiam ad cognitionem; vel se ipso immediate gerente munus speciei, vel media specie ab eo realiter distincta: unde & dicitur specificativum potentia, seu objectum quo, & primarium, seu formale illius. Et licet Deo attribui non possit objectum motivum per realem motionem, nam sic petit distinctionem realem inter movens, & motum; bene tamen per motionem virtualem, seu per rationem, & ex modo conceipiendi cum fundamento in re. Terminativum verò sic dicitur, quia terminat cognitionem, ut quod. Unde sequitur, quod motivum ut tale semper exercet aliquam prioritatem respectu intellectio; scilicet verò terminativum ut tales. Et similiter objectum motivum semper est primarium, terminativum verò potest esse primarium, cum per se, & ratione sui attingitur; & secundarium, cum solùm attingitur ratione alterius. Hinc consuevit etiam objectum dividi in specificativum, & extensivum, quod sic dicitur; quia comprehendit sub se quidquid attingitur à potentia sive ratione sui, sive ratione alterius, qualiter ens prout abstractum à reali, & rationis est objectum extensivum nostri intellectus; cum tamen solūm ens reale sit objectum illius specificativum. Et de utroque objecto tam motivo, quam terminativo dubium procedit.

2 Deinde intellectus divinus potest comparari, vel ad ens prout abstractum à creato, & in creato; vel ad ens determinate divinum, & in creatum. Et per ordinem ad hoc, vel quatenus abstractum ab essentia, attributis, & relationibus, vel quatenus determinate est essentia virtualiter ab attributis, & relationibus distincta. Igitur triplex est in praesenti dubio difficultas: prima, an objectum primarium, & formale divini intellectus sit ens prout abstractum à creato, & in creato. Secunda, an sola divina essentia prout virtualiter distincta ab attributis, & relationibus, sit objectum formale motivum illius. Et tertia procedit de objecto primario terminativo. Igitur sit.

## RESOLUTIO I.

*Objectum primarium, & formale divini intellectus non est ens propter abstractus à creato,  
& increator.*

3. **E**s contra Ocham, Gabrielem, & Dauandem, quibus subscrigit Pater Albiz. Eam tamè tenent cōfessores exercitū theologi, tam intra, quam ex extra Scholam Dñi. Thom. Quam fundat Oxoniensis ex quo objectum primariū voluntatis divine non est bonum in cōmuniū abstractus à creato, & increator; sed bonum determinatē in creato, & divinum. Sed hoc fundamento tū in presenti non possumus, cum eadem difficultas sic de objecto divina voluntatis; ac de objecto divini intellectus. Ichmō, & plures sunt. Auctores alluviant objectum divina voluntatis esse bonum abstractus à creato, & increator, quam riferentes ens, sicut verū prout abstractus à creato, & increator esse objectum divini intellectus; nām pro illa sententia prater citatoe, recutit solent Averroës; Suarez; Ludo-vicus de Torres; Puente; Hurtado; Merize, & Accubil. Ac tandem dato, quod objectum primarium est in motu, quam terminativum divina voluntatis, nām si bonum abstractus à creato, & increator, non inferior idem dicendum de objecto primario saltem terminativo divini intellectus; quippe respectu intellectus distinguere objectum primatum motivum, & terminativum, sedis tamè respectu voluntatis, nām ei objectum motivum est hinc; & hinc non inter se in modo attractivo; & consequenter ēst hinc motus, prudencie, & formalitē, prima; & postea terminatus.

4. **N**on dubitamus priuī ratione D. Thom. priuī à terra genito cap. 48i num. 7. Quod est in intellectu, & in voluntate intellectualis speciem, & in intellectu voluntate situandum, id quid est per se, & primū intellectum, eum nō sit ejus objectum. Si igitur dicitur aliud à se intelligeret, quasi per se, & primū intellectum, ejus operatio intellectualis propriam, & voluntatem habebit secundum id quod ut alius in ipso, hoc autem est impossibile; erga sua operatio si ejus sentia; sic ēgitur impossibile est in ipsius intellectum à Deo primū, & per se sit aliud ab ipso.

5. **Q**ua ratio procedit ex communi Philosopherum sententio: quod potentia, habitus, & actus distinguuntur, & specificantur per objecta primaria, & secundaria, & quod talis specificatio est in natura canis formis extrinsecis. Cū ergo divinis intellectu, ut potest Dei essentia-

tia ad minus per realem identitatem nequeat specificari ab aliquo creato, sicut neque ab eo in aliquo genere cause dependere, consequenter neque potest ingredi objectum primarium, & formale illius.

6. **V**arie tamè occurunt praedicto fundamento AA. contrarij tām in presenti, quam loquendo de objecto divina voluntatis, ubi simile fundamentum pro sententia D. Thom. statuitur. Et primò quidem hoc fundamentum convincere de divina intellectione, sicut volitione secundum sui intrinsecam perfectionem, secūs verò secundum terminationem liberam ad creaturas. Sed contra est, nām divina intellectio, vel volitio nedūm secundum suū intrinsecam perfectione, verū & secundum terminationem liberam activē sumptam est omnino independens à creaturis, sicut & identificata cū divina essentia: ergo neque secundum terminationem liberam activē sumptam potest à creaturis specificari. Dices divinam intellectiōnem, aut volitionem quantum ad terminationem liberam dependere à creaturis, non esse inconveniens, sed potius defacto sic dependet, nām dependere unum ab alio est non posse esse sine illo; divina autem intellectio, vel volitio sic terminativē sumpta non potest esse sine creaturis. Sed contra est: nām sic non posse esse sine creaturis nō procedit ex subordinatione aliqua ad creaturas, quia omnis subordinatio imperfectionem involvit; sed procedit ex connexione, quam habet cū creaturis; unum autem non posse esse sine alio propter connexionem hōi est ab aliō dependere; aliter Omnipotētia dependeret à possibilibus cū quibus connectitur, & sine quibus esse noti potest; & similiter in divinis Pater dependeret à Filio; & ē contra, quia neque Pater sine Filio, neque Filius sine Patre esse potest. Dices, quod & si subordinatio imperfectionem includat, non tamen repugnantem divina intellectiōni, sicut volitioni quantum ad liberam terminationem; siquidē non minor imperfectio est in divina intellectione, vel volitione, quantum ad liberam terminationem subordinari, quam posse non esse; at quantum ad liberam terminationem potest non esse, aliās non ēst libera, sed necessaria: ergo. Sed contra est; nām, ut in tractatu de voluntate dicimus, licet divinia voluntio, & idem est de intellectione, quantum ad liberam terminationem potuerit deficere denominativē ex defectu extrinseci connotati, tēmpore passiva mutationis creaturatum, secūs tamen subjectivē, & ex defectu alicujus intrinsecā actualitatis; posse autem deficere pure denominativē ex defectu alicujus extrinseci connotati, nullam importat imperfectionem, sicut subordinatio, quā ex

proprio conceptu illam imbibit, veluti & dependentiam.

7 Secundo occurunt negando, quod divina intellectio, seu volitio specificetur ab ente creato, quamvis hoc ingrediatur objectum illius primarium, & formale; quia, dicunt, actus virtutum moralium in Deo non summere bonitatem, & honestatem moralem ab objecto, sed solum ex infinita sanctitate principij, nimurum ex quo Deus est infinite Sanctus, & bonus, opera illius sunt infinite Sancta, & bona, admodum quotheologi docent, opera Christi Domini esse moraliter infinita ex infinite personae a qua procedunt. Sed in primis haec solutio procedit contra communem Philosophorum axiomam, ut diximus. Deinde contra illam est, quod per id actus in Deo fortuntur speciem, per quod ab alijs distinguuntur, cum idem sit distinctivum, & constitutivum; at si divina intellectio, vel volitio respiciat tanquam objectum primarium, & formale ens creatum, hoc, ut potest propter se attacatum, illam distinguere ab intellectione, vel volitione, quae respicit ens increatum in se, & propter se: ergo. Immò in sententia contraaria actus justitiae, & misericordie in Deo non distinguuntur, nisi secundum quod respiciunt tanquam objecta primaria, & formalia diversas honestates creatas. Deinde in illorum sententia amor, quo Deus amat creature propter bonitatem divinam, ab illa specificatur: ergo, & amor, quo Deus amat creature propter illarum intrinsecam bonitatem ab hac etiam specificari necesse est; atque enim primario in illorum sententia attingitur illo amore bonitas divina, sicut & hoc amore bonitas creata. Ac tandem falsum esse actus virtutum moralium in Deo non desumere bonitatem, & honestatem moralem ab objecto amato patet: Tum, quia bonitas moralis actus attenditur penes objectum conforme recte rationi, & ex hoc ipso, quod operatio terminatur ad objectum conforme recte rationi est bona moraliter: Tum etiam, quia si solum ex sanctitate principij actus virtutum moralium in Deo desumant bonitatem, & honestatem moralem, cum sanctitas infinita principij universalis sit, & eadem respectu omnium divinarum operationum, bonitas, & honestas moralis justitiae in Deo non esset distincta ab honestate, & bonitate moralis misericordiae; cum ergo sit distincta, & non sit unde proveniat haec distinctio, nisi ex objectis, consequenter, &c. Neque valet opera Christi Domini esse moraliter infinita ex infinitate personae a qua procedunt; nam hoc intelligitur quantum ad valorem, & condignitatem; secus tamquam quantum ad bonitatem, & honestatem

moralement, alias in Christo virtutes morales non erunt diversae speciei. Desumunt ergo bonitatem, & honestatem moralem ab objectis, & juxta diversitatem formalem objectorum diversa est in una, ac in altera virtute bonitas, & honestas moralis.

8 Tertio occurunt, quod potentia specificatur ab objecto primario, & formalis a posteriori, nempe tanquam asigno, vel medio explicativo, quatenus ex objecto colligitur, & arguitur species unius cuiuslibet potentiae; non vero a priori, quia objectum in nullo genere causa dat speciem potentiae. Sed contra est primò: nam potentia specificatur ab objecto primario, & formalis tanquam ab aliquo priori: ergo a priori, & non a posteriori. Probat. anteced. primò ex Philosopho secundo de anima. Text. 33. afferente: *Priores potentias actus, & operationes secundum rationem, & adhuc his priora sunt opposita, seu objecta.* Secundo ratione Div. Thom. infra quæst. 77. art. 3. Nam specificatio, quae est per causam finalem est a priori; sed specificatio potentiae per objectum primarium, & formale est per causam finalem, quia objectum est finis potentiae; tum quia potentia instituta est, ut attingat objectum; hac enim ratione operatio est finis potentiae, quia instituta est propter elicientiam illius: Tum quia objectum est ratio essendi potentiae, & non est converso, quia non ideo est color, quia est potentia visiva, sed potius est potentia visiva quia est color: Tum quia sicut ars utitur instrumentis ad exequendum opera, ita natura utitur potentias ad attingendum objecta, qua ratione dicuntur virtutes instrumentariae anime; opus autem ad instrumenta comparatur ut vera causa finalis: ergo. Sed dices, quod, sicut potentia instituta est ut attingat objectum, ita relatio ut respiciat terminum; & tamen relatio non est propter terminum ut finem; immò in relationibus non mutuis terminus est ratio essendi relationi, & eam non causat. Ac tandem cogitatio albedinis, vel entis rationis est propter illius attingentiam; & tamen neque albedo, & multo minus ens rationis est finis illius, ut potest ea imperfectius. Non inquam valet siquidem potentiam esse institutam ut attingat objectum, non est esse institutam ut pure respiciat illud, aliud est enim pure respicere terminum, & aliud eum cognoscere, vel attingere, aliter ordo potentiae ad objectum esset prædicamentalis: licet ergo relatio instituta ut respiciat terminum sit propter illum ut purum terminum, potentia tamen, quae instituta est ut attingat objectum, est propter illud non ut purum terminum, sed ut finem. Quod idem verificatur in termino relationis non mu-

tur respicere; namque terminum, ut purum terminum cōmune est omni relationi predicalentali. Vel dicatur, quod terminus relationis non mutuus est ratio essendi per modum connotati, quatenus sine eo non existeret relatio; non tamē est ratio essendi motiva, ut illa sit, sicut objectū est ratio essendi motiva ut sit potentia. Ac tandem negamus albedinem, vel ens rationis non esse finem cognitionis illius. Nequē ad hoc est necesse, quod objectum secundum se, vel entitativē sit perfectius cognitione, sed sufficit, quod sit perfectius objectivē, sc̄iū terminativē, quatenus scilicet est terminus per ordinem ad quem perficitur intelligens. Etiā dicas, hoc adhuc verū non esse de potentia ipsa, quippe hēc non est propter objecta ipsa, sed propter illorum attingentiam, sc̄iū cognitionem: Respōdeo, quod sicut ex visione Dei, & ipso Deo conflatur finis ultimus voluntatis humanae, & similitē ex pecunia, & possessione illius conflatur finis avari, quia nēc pecuniae dicant nisi media illius possessione, nequē similitē Deus beatificat nisi media illius visione; ita finis potentia conflatur ex cognitione objecti, & ipso objecto, utpote objectum media cognitione perficit intelligentem; undē pro eodem habetur, potentiam esse propter cognitionem objecti, ac esse propter ipsum objectum. Vel dicatur, quod cognitio objecti est finis formalis, sc̄iū quo & objectum ipsum est finis objectivus, sc̄iū qui, & quia ex fine formalī, & quo, & fine objectivo, & qui, conflatur unicus finis absolute, propterea diximus ex cognitione, & objecto conflari unicum finem potentia, à simili ac in exemplis allatis.

9 Secundo est contra praecedentem evasione, nām in eo sensu etiam posset dici, objectum specificari per potentiam, nām etiam potentia infert nobilitatem, sc̄iū perfectionem objecti; benē enim sequitur, potentia est nobilior: ergo & objectum illius nobilior est; at juxta modum commune loquendi potentia specificantur per objecta, non objecta per potentias: ergo. Tandem; nām si objectum in nullo genere causæ daret speciem potentia, purè terminaret ordinem illius; at hoc est falsum: ergo. Probat. min. tūm quia hoc, quod est primario purè terminare ordinem alterius est proprium relativi praedicalentalis, ut diximus: tūm quia objectum primarium preter hoc quod est terminare, exercet respectu potentia ratio nem proprię mensuræ, quia mensura dicitur illud ad cuius exigentiam potentia est māgis, vel minus perfecta; est autem māgis, vel minus perfecta juxta exigentiam objecti, eo quod attendens ad exigentiam objecti, natura

communicat perfectionem; & esse potentias: Tūm quia potentia dependet ab objecto; ergo in aliquo genere causæ ab eo specificatur. Probat. anteced. tūm ex Philofopo s. methaph. Text. 20. Docente relationem scientiæ ad icitum non esse mutuam, quia fundatur in dependentia, & licet scientia dependeat ab objecto, objectum tamē non dependet à scientia, ut ibi explicat Div. Thom. Tūm quia omnis ordo realis ad terminum alterius naturæ, & diversi ordinis fundatur in aliqua dependentia, hac enim ratione Deus producens creaturas non resertur realiter ad illas, quia eo ipso ab illis dependet; sed potentia ordinatur realiter ab objectū, quod est alterius naturæ, & diversi ordinis: ergo.

10 Quarto occurunt adversarij dicendo, quod, licet divina intellectio specificati nō possit ab aliquo creato causativē, vel etiam formaliter, benē tamē terminativē, sc̄iū tanquam à termino ordinis, quia hoc nihil aliud est, quām ordinem ad illud terminum esse differentiam, quasi specificam intellectionis Dei, quod & suaderi potest in nostra sententia in qua afferimus divinam intellectionem specificari tanquam ab objecto primario ab ipsa divina essentia, non quidē causativē, sed terminativē tantum: ergo à simili. Sed hēc solutio manet impugnata ex dictis, quod nimirūm specificatio potentia, vel intellectio ab objecto primario est specificatio ab illo tanquam à fine, & mensura, & consequenter nedium terminativē, sed etiam causativē. Pratercā; namque Dō, & similitē divinæ, intellectio nedium repugnat specificari ab aliquo extrinseco causativē, sed etiam terminativē specificari; namque est perfici, & implicat Deum perfici per attingentiam alicujus extrinseci, aliter non habere omnino à se, & intra se totam suam perfectionem. Nequē est simile de divina essentia cum qua intellectio divina identificatur, & ex hoc habet illam specificare purē ut ratio formalis, vel ut causa solum virtualis; creaturæ verò quia realiter à divina intellectio distincta, eam specificarent realiter causativē, & quodlibet objectum creatum propter hāc rationem sic creatam intellectionem specificat.

11 Tandem occurunt dicēdo Deum non posse specificari ab aliquo creato specificativē sumpto, benē tamē reduplicativē ut attraō, quia ut sic dicit ipsam divinam cognitionem. Sed contra est: nām in praesenti loquimur de specificativo extrinseco; divina autem intellectio non potest extrinsecè specificari à se ipsa: ergo nequē ab objecto quatenus dicit ipsam divinam intellectio. Deinde potentia, vel actus specificatur ab objecto ut distincto, quia enim respicit ut mensuram, & finem; sed objectum solum

secundum se est distinctum à potentia, vel actu, non verò ut attractum, ly ut dicente ipsam potentiam, vel actum: ergò specificatur ab objecto secundum se, sūt specificative sumpto. Si diccas ita, esse in potentia vel cognitione creata nō vero increata; contra est, nam in præsenti loquimur de potentia, vel actu secundum utriusque proprium, & formalem conceptum communem tam potentiaz, vel actui creato, quam increato, quia secundum hunc conceptum reperiuntur in Deo potentia, & actus, licet ratione potentialitatis potentia creata realiter distinguatur à suo objecto specificativo, & potentia increata solum virtualiter propter summam actualitatem.

12 Secundo fundatur nostra resolutio etiā ratione Div. Thom. loco p̄ allegato ex Contragentes, & est ordine prima: *Illa res solum est primò, & per se ab intellectu cognita, cuius specie intelligit, operatio enim formæ ( quo est operationis principium ) proportionatur: sed id, quo Deus intelligit, nihil est aliud quam sua essentia, ut supra probatum est: igitur intellectus ab ipso primò, & per se nihil est aliud quam ipse est.* Qua ratio demonstrativa est, quia cum intellectus in actu ad intelligendum constituantur per speciem, solum potest primò, & per se intelligere id, quod primò, & per se per speciem representatur; at, quod primò, & per se per speciem, quia Deus intelligit, representatur, est solum Deus, non verò aliud ab ipso, cum hæc species sit sua essentia, quæ non potest non primò, & per se representare se ipsam, quia non est primò, & per se ordinata ad representandum, sed ad essendum ergo.

13 Et ex hoc omnino evanescit solutio contrariorum, solum scilicet sequi divinam essentiam esse primò, & per se intellectum ab intellectu divino motivè, & ut quo, non verò terminativè, & ut quod. Evanescit inquam, tūm quia alias Div. Thom. probaret idem per idem, cum idem sit essentiam divinam esse speciem, qua intellectus divinus intelligit, & esse primò, & per se intellectum ut quo: Tūm quia ex hoc ipso, quod sola essentia divina est species, qua intellectus divinus intelligit, infertur objectum primò, & per se ut quod ab intellectu divino attractum, debere esse id quod primò, & per se ut quod per essentiam divinam representatur: si ergo essentia divina solum potest primò, & per se representare se ipsam, ipsa sola, & non aliud ab ea potest primò, & per se ut quod ab intellectu divino attingi.

14 Unde solum potest responderi, vel negando solum essentiam divinam esse speciem, qua intellectus divinus intelligit, vel neg. essen-

tiam divinam solum primò, & per se representare se ipsam. Sed primum supponitur à Div. Thom. probatum cap. 46. præcedenti; & quia species est principium formale intellectionis; unde si aliquid præter essentiam divinam esset species, qua divinus intellectus intelligit, aliquid præter essentiam divinam esset causa, & principium divini intellectionis, quod omnino repugnat; & quia per speciem intelligibilem fit intellectus in actu; unde species ad intellectum comparatur ut actus ad potentiam; & sic si intellectus divinus intelligeret alia specie quam se ipso, eo ipso esset in potentia respectu alterius, quod esse non potest; & quia species intelligibilis in intellectu præter essentiam ejus existens, esse accidentale habet, & sic in Deo jam esset aliquod accidens; & quia illa species non posset esse similitudo alicujus intellecti, non quidem essentiæ divinæ, quia sic divina essentia non esset intelligibilis per se ipsam, neque alterius rei, nām vel esset ei impressa à se, vel ab alio? Non à se, quia sic idem esset agens, & patiens, essetque aliquid agens, quod non sit actu, sed alterius similitudinem induceret in patiente, & sic non omne agens sibi simile ageret; neque ab alio; nām eo ipso esset aliquid agens prius eo: ac tandem quia intelligere Dei est ejus esse, & sic si intelligeret per aliquam speciem, quæ non sit essentia, esset etiam per aliquid aliud à sua essentia.

15 Si autem negatur, divinam essentiam solum primò, & per se representare se ipsam, hoc fit manifestum ex dictis de visione dum probamus implicare speciem creatam quidditativam Dei; quia nempe species debet esse admittens in eodem gradu immaterialitatis cum objecto primò, & per se per eam representato; nihil autem creatum potest esse in eodem gradu immaterialitatis cum divina essentia, cum hæc sit immaterialis per exclusionem omnis materiæ etiā metaphysicæ, sūt potentialitatis. Et adde creature non representari per divinam essentiam, nisi quatenus in ea virtualiter continetur, unde divinus intellectus eas intelligit in essentia sua tanquam in causa: Ergo primò, & per se representat se ipsam ut causam, & solum secundario creature, ut effectus.

16 Tandem Div. Thom. loco citato ex Contragentes nostram resolutionem fundat, & quia objectum primò, & per se cognitum est perfectio intelligentis, nam secundum hoc intellectus perfectus est, quod actu intelligit, quod quidem est, per hoc quod est, unum cum eo, quod primò, & per se intelligitur; nihil autem creatum potest esse perfectio intellectus divini; & quia impossibile est simul multa primo, &

per se intelligere; cum ergò Deus primò, & per se intelligat se ipsum, si intelligit, aliquid aliud primò, & per se, oportet quod intellectus ejus mutetur de consideratione sui in considerationem alterius, quod est mutari in pejus; & quia intellectus differens à suo intellecto primò, & per se, est in potentia ad ipsum; ac tandem, quia ex multis intellectis primò, & per se intelligentis scientia integratur, & consequenter scientia Dei erit ex multis composita; undè vel erit essentia divina composita, vel scientia erit accidentis Deo.

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

17 **S**ed contra nostram resolutionem objicies primò vulgare argumentum durandi: objectum primariū, & formale intellectus creati est ens, prout abstrahit à creato, & in creato: Ergò & objectum intellectus divini. Prob. conseq. intellectus divinus perfectior est intellectu creato; at non est perfectior si objectum illius sit tantum ens increatum, & objectum intellectus creati sit ens prout abstrahit à creato, & in creato: ergò. Prob. min. potentia èò est perfectior quò habet objectum universalius; sed eis prout abstrahit à creato, & in creato, universalius objectum est, quām ens determinate increatum: Ergò intellectus divinus non est perfectior intellectu creato, si illius objectum sit ens determinate increatum, & istius objectum sit ens prout abstrahit à creato, & in creato. Maj. prob. Tum inductione; nam hac ratione intellectus perfectior est voluntate, & inter sensus communis, & inter scientias naturales perfectior est metaphysica; quę agit de omni ente. Ratione autem prob. nam potentia èò est perfectior quò habet objectum perfectius: sed objectum èò est perfectius quò est universalius: ergò. Prob. min. objectum èò est perfectius, quò est abstractius abstractione formalī, siquidēm abstractio formalis in eo consistit, quod sit abstractio forma à materia, & actus à potentialitate; sed quò objectum universalius est, est abstractius abstractione formalī: Ergò.

18 Sed in primis retorqueo argumentum, potentia èò est perfectior, quò habet universalius objectum, sed dato quod objectum intellectus divini sit ens prout abstrahit à creato, & in creato, non est adhuc universalius objecto intellectus creati, cum hoc etiam sit ens, prout abstrahit à creato, & in creato: Ergò vel intellectus divinus non est perfectior intellectu creato, vel neganda est major, seu distingueda.

19 Unde prima solutio negat maj.

quia intellectus angelī perfectior est intellectu hominis, & non habet objectum universalius; & inter scientias theologia perfectior est metaphysica, cum tamē objectum istius universalius sit, siquidēm objectum theologie est solus Deus, ratioque à priori est, nam major perfectio est, specificari solum ab ente in creato, quām specificari simili ab ente creato; sicut & major imperfēctio est dependere etiā ab ente creato, quām solum dependere ab ente in creato. Hinc negamus intellectum esse perfectiore ceteris potentij, quia universalius habet objectum, & similiter quod hac ratione sensus communis perfectior sit ceteris sensibus, & metaphysica ceteris scientijs naturalibus; sed quia sub perfectiori immaterialitate attingunt sua objecta, quā ratione etiā si logica &que universalis sit ac metaphysica, cum etiam agat de omni ente, imperfectior est illa, quia agit de omni ente sub imperfectiori immaterialitate, qualis est abstractione ab omni materia negativē.

20 Hinc ad probationem concedimus eò objectum esse perfectius, quò est abstractius abstractione formalī, & negamus, objectum quò universalius, esse abstractius hac abstractione, licet abstractius sit abstractione totius potentialis, nempe quatenus abstrahit à pluribus inferioribus, aliter objectum intellectus angelici esset &que abstractum, ac objectum intellectus humani abstractione formalī, cum sit &que universalius, & objectum logicę cum objecto metaphysicę, quod etiam videre est in colorato, quod universalius est albo, & tamen non est abstractius abstractione formalī; & idem est de animali respectu hominis, immò homo universalior est Angelo Gabriele, & non abstractior hac abstractione; ac tandem, quis heget, Deum abstractionem esse abstractione formalī quām ens ut abstrahit à creato, & in creato, etiā abstractione formalī, etenim ens ut sic dicit explicite rationem determinabilem per rationem entis creati, & increati, atque etiam implicite, seu objective actu continet ens creatum: ergò esti omnimode abstrahat abstractione formalī forma à materia, minime tamē abstractione formalī actu à potentialitate, qua abstractione etiam Deus omnimodè abstrahit, cum sit purissimus actus. Ratioque à priori est, quòd universale dicitur aliquid per abstractionem ab inferioribus, quę est abstractio totalis; unde quò à pluribus abstrahit, universalius est; abstraction autem formalis non est abstraction ab inferioribus, sed à materia, vel potentialitate; potest autem contingere aliquid magis recedere à materia, & minus ab inferioribus; à pluribus enim abstrahit natura hu-

mana, quam angelica, quæ solùm potest contí-  
nere unicum individuum, cum tamè natura  
angelica plus à materia recedat, quia nequè  
materiam communem essentialiter includit,  
quam essentialiter includit natura humana.

21 Secunda solutio distinguit maj. poten-  
tia eò est perfectior, quòd habet objectum uni-  
versalius universalitate in effendo, sùm in prædi-  
cando, neg. maj. universalitate in continendo,  
& causando, conc. maj. & eidem terminis di-  
stinguo minor. Quia ens increatum est causa e-  
minentè continens omne ens creatam, secun-  
dum omnem differentiam, modum, vel formal-  
itatem. Et hinc summittur ratio à priori, siquidem  
ratione illius universalitatis potètia est per-  
fectior, ratione cuius plura perfectius cognoscit,  
at ratione universalitatis in continendo, & cau-  
sando plura perfectius divinus intellectus co-  
gnoscoit, quam si objectum illius esset universalius  
in effendo, & prædicando, nám ratione  
illius universalitatis omnia creata cognoscit se-  
cundum omnem differentiam, modum, & for-  
malitatem, quia sic omnia ea continent: Ergò.

22 Hinc methaphysica habens objectum  
universalius in effendo, & prædicando, non sic  
perfectè omnia attingit; nequè enim descendit  
ad attingendum ea sub ea ratione qua Philoso-  
phus, vel mathematicus ea considerat. Et dato  
quod omnia creata secundum omnem differen-  
tiā, modum, vel formalitatem contineantur  
sùb objecto intellectus angelici, vel humani,  
quia tamè omnia ea continentur ratione uni-  
versalitatis in effendo, & prædicando, omnia ea  
intelligit per species superadditas, & multipli-  
catas; proindeque non simul, sed successivè, &  
pluribus actibus. E contra verò Deus omnia sim-  
ul, & unico actu in essentia sua tanquam in  
causa intelligit. Perfectior ergò est potentia ha-  
bens objectum universalius in continendo, &  
causando, quam potentia habens objectum uni-  
versalius in effendo, & prædicando.

23 Et inde ad primam probationem ex  
exemplis desumptam fatemur, quod in potentiis  
creatis, vel habitibus major perfectio desummi-  
tur ex majori universalitate objecti in effendo, &  
prædicando, siquidem cum perfectior sit potentia  
quæ ad plura se extendit, & potentia creata, vel  
habitus non possit ad plura se extendere nisi ra-  
tionē universalitatis objectiva in effendo, & præ-  
dicando; consequenter illa potentia, vel habitus  
perfectior est, quæ habet objectum universalius  
in effendo, & prædicando. Attamè divinus in-  
tellectus ratione universalitatis objectivè in co-  
tinendo, & causando ad plura se extendit, vel  
ad minus perfectius ea attigit. Ad probationem  
ex ratione desumpta pariter dicimus, quod ob-

jectum est perfectius quòd universalius in conti-  
nendo, & causando, non verò in effendo, & præ-  
dicando; namque ut argumentum probat, eò  
est perfectius, quòd abstractius abstractione for-  
malis; abstractius autem est abstractione formalis  
objectum universalius in continendo, & cau-  
sando, quam in effendo, & prædicando, ut patet  
ex dictis in praecedenti solutione.

24 Secundo objicções: divino intellectui  
debet assignari objectum primarium, & formale  
perfectissimum; at ens ut abstrahens à creato, &  
increato perfectius objectum est, quam ens de-  
terminatè increatum: ergò Probat. min. ens ab-  
strahens à creato, & increato actu formaliter eó-  
tinet omnem perfectionem creatam, ens autem  
increatum solum actu formaliter continet om-  
nem perfectionem divinam: illud ergò est per-  
fectius, quam hoc. Conseq. videtur bona, utpo-  
tè illud objectum est perfectius, quod majorem  
continet perfectionem, major autem perfectio  
est perfectio divina, & creata, quam sola perfe-  
ctio divina. Anteced. autem tenet in sententia  
thomistarum assertum ens non perfectè, &  
objectivè præscindere à suis inferioribus, sed  
imperfectè tantum, & quoad explicitum, sùm ex  
modo significandi.

25 Dices cum Oxomensi, ens abstrahens à  
creato, & increato continere actu omnem per-  
fectionem divinam, & humanam implicitè, se-  
cùs verò explicitè; nequè enim rationes illæ  
continentur actu explicite in formalitate expli-  
cata; nequè in illa continentur eminentè. Ens  
autem increatum importat constitutivè forma-  
litè rationem entis divini, in qua eminentè a-  
ctualissimè continentur omnes perfectiones  
creatæ, ac proinde excedit in perfectione ens sù-  
ptum in illa communitate. Sed contra est: ergò  
licet ens ut abstrahens à creato, & increato non  
explicet majorem perfectionē quam ens increa-  
tum, actu tamè objectivè, sùm essentialiter est  
perfectius; sed divino intellectui assignari de-  
bet objectum perfectius, nedum explicitè, ve-  
rū, & implicitè sùm objectivè: ergò.

26 Melius ergò respondetur juxta supra-  
dicta, distinguendo quoad utramque partem:  
abstrahens à creato, & increato, actu formaliter  
continet omnem perfectionem divinam, &  
omnem perfectionem creatam, cum imperfec-  
tione, & potentialitate, concedo; sine illa, nego.  
Et similiter distinguo aliam partem: Ens autem  
increatum solum actu, & formaliter continet  
omnem perfectionem divinam, & omnem per-  
fectionem creatam eminentè, sive imperfectio-  
ne, & potentialitate, concedo; cum illa, nego; &  
nego conseq. Itaque ens abstrahens à creato, &  
increato actu formaliter continet omnem per-

fectionem creatam, sed cum imperfectione, & potentialitate, non solum qua ratione explicat rationem coquimur, & determinabilem per rationem creati, & increati, sed etiam, qua objectivè, & implicitè continet ens creatum; utpote perfectio creata in ente creato invenitur cum imperfectione, & potentialitate, sicut humanitas in homine. In Deo autem actu formaliter non continetur perfectio creata, sed eminenter solum, & virtualiter; attamen sine imperfectione, & potentialitate, quippe humanitas secundum esse eminentiale, seu virtuale, quod habet in Deo, nullam imperfectionem includit, cum illud esse sit divinum: ergo eius continetur perfectio creata in Deo ex vi solum continentia eminentialis, quam in ente ex vi continentia formalis, & actualis: & consequenter perfectius quid est ens increatum, quam ens abstrahens a creato, & increato. Et quis dicat Christum, utpote Deum, & hominem perfectius quid esse Deo? Immo lineam fieri majorem peradditionem punti, bonum autem finitum ad infinitum comparatur, ut punctum ad lineam, ut ait Div. Thom. in 3. dist. 6. q. 2. art. 3. ad primū.

27 Tertio objicis: ens abstrahens a creato, & increato est objectum primarium, & formale alicuius actus divini intellectus. Conseq. pat. Tum quia objectum primarium, & formale actus intellectus non potest esse universalius objecto primario, & formali ipsius intellectus: Tum quia eo ipso horum inconvenit aliquid divinum specificari ab aliquo creato. Antecedens autem ostenditur, quia scientia Dei est formaliter metaphysica; sed hujus objectum primarium, & formale est ens abstrahens a creato, & increato: ergo. Prob. maj. Tum quia metaphysica est perfectio simpliciter simplex: ergo reperitur formaliter in Deo: Tum quia si non est metaphysica, erit ei subalternata, cum eō ipso habeat objectum inferius objecto illius subalternatum, sicut ens divinum enti ut sic.

28 Sed in primis probabile est Deum non contineri in recto sub objecto metaphysica, sed tantum in directè, & in obliquo, ut tenet Illustrissimus Araujo in Proemialibus metaphysicæ. In qua sententia argumentum factum probat, Deum in recto non ingredi objectum primarium, & formale divini intellectus. Deinde est etiam sententia probabilis, quod licet Deus ingrediatur in recto objectum primarium, & formale metaphysica, non tamè sub propria, & intrinseca immaterialitate, aliter cum objectum metaphysicæ sit unum unitate univoca, sicut & ipsa metaphysica una scientia est specie, Deus in propria, & intrinseca immaterialitate univo-

cè conveniret cum creatura, quod à thomistis non admittitur; ratioque à priori est; nam Deus est objectum metaphysicae quatenus attingibilis sub lumine naturali; sub lumine autem naturali nō potest attingi Deus in se, & sub propria, & intrinseca immaterialitate, sed solum per effectus, proindeque sub illorum in materialitate; quomodo solum cognoscitur connotativè, & ad instar creaturarum, & per illarum species, non tamè quidditativè, & per propriam speciem; ita Prado de unitate metaphysicæ controv. 2. Unde argumentum probat, quod Deus non prout in te, & quidditativè cognitus, sed solum connotativè sit objectum divini intellectus, quod utrumque proorsus alienum est à veritate.

26 Concesso tamè, objectū metaphysicæ esse ens prout abstrahit à creato, & increato, utroque ingrediente in recto sub propria, & intrinseca immaterialitate, negamus scientiam Dei esse formaliter metaphysicam, sed solum eminenter sicut & ut sic solum est philosophia, & logica, & mathematica: Et hoc ideo, quia omnium earum objecta cognoscit sub immaterialitate altiori, in qua immaterialitates predictarum scientiarum eminenter continentur. Hinc ad primam probationem nego, metaphysicam esse perfectionē simpliciter simplicem, nam hec secundum proprium, & formale conceptum dicit perfectionem sine imperfectione; metaphysica autem secundum proprium, & formale conceptum includit imperfectionem specificationis ab ente creato, ut argumentum supponit; hac enim ratione in Deo non est formaliter philosophia, nec logica, quia hæc ab ente rationis, illa vero ab ente mobili specificatur.

30 Ad secundam probationem pariter negamus, scientiam Dei esse subalternatam metaphysicæ, si semel objectum hujus est ens, prout abstrahit à creato, & increato, & illius objectum solum ens increatum; quia praterquamquid, licet ens divinum sit inferius ente, ut sic logicè, & in praedicando, est tamen eo abstractius abstractione formali, proindeque in immaterialitate superiorius, ut patet ex dictis, præter hoc inquit hæc inferioritas non sufficit ad subalternationem; aliter cætera scientiae naturales etiam metaphysicæ subalternarentur, cum omnia illarum objecta inferiora sint ad ens, ut sic. Ulterius ergo requiritur, quod procedat ex principijs notis lumine superioris scientiæ; hoc enim ipso est subalternata, quantum ad evidenciam principiorum, ut patet ex Div. Thom. art. 2. de Proemialibus theologiae, qualiter perspectiva procedit ex principijs notificatis per Geometriam, & musica ex principijs notificatis per Arithmeticam. Hac enim ratione probavimus dubitum.

## De Scientia Dei necessaria.

dub. i. de Proemialibus theologiam nostram esse scientiam proprie subalternatam scientiæ Dei, & beatorum, quia per scientiæ Dei, & beatorum ejus principia notificantur. Deinde requiritur, quod objectum scientiæ subalternata addat differentiam supra objectum scientiæ subalternantis, non essentiale, cum ad eandem scientiam pertineat agere de genere, & ejus speciebus, sed accidentalem, qualiter musica supra numerum addit rationem sonori. Nulla autem ex his conditionibus invenire est in Scientia Dei respectu metaphysicæ: neque enim ejus principia per metaphysicam notificantur, sed sicut Geometria, vel Arithmetica procedit ex principijs cognitiis lumine naturali intellectus, sic scientia Dei quam habet de suis attributis, vel creaturis procedit ex sua essentia cognita, ut causa creaturarum, vel cognita ut ratione formalis attributorum. Similiter ens divinum ad ens ut secundum explicitam rationem non addit differentiam accidentalem, sed essentiale.

31 Quartò objicies: Deus cognoscit omne ens eo modo, quo cognoscibile est; sed ens ut sic, seu abstrahens à creato, & increato est primariò, & ratione sui cognoscibile: ergo sic est cognoscibile ab intellectu divino. Minor patet; nam si primariò, & ratione sui non esset cognoscibile, nec sic esset cognoscibile ab intellectu creato; at ab intellectu creato est primariò, & ratione sui cognoscibile: ergo.

32 Sed resp. quod Deus cognoscit omne ens eo modo, quo cognoscibile est sine imperfessione ex parte cognoscentis; unde quia ens rationis est speculativè cognoscibile sine imperfessione cognoscentis, secùs verò practicè. Ens autem ut sic non est primariò, & ratione sic cognoscibile sine imperfessione cognoscentis, nempè specificationis, & dependentiæ ab ente creato; unde licet ut sic sit cognoscibile à creato intellectu, secùs tamen à divino.

33 Sed dices: sed ens ut sic est primariò, & ratione sui cognoscibile sine specificatione, vel dependentia intellectus cognoscentis ab entitate creatam: ergo & sine imperfessione ex parte cognoscentis. Prob. ant. ens ut sic non explicat entitatem creatam, sed entitatem solum Deo, & creaturis communem: ergo ens ut sic est primariò, & ratione sui cognoscibile sine specificatione, vel dependentia intellectus cognoscentis ab entitate creatam. Confirm. ens ut sic sine aliqua imperfessione cognoscitur ab intellectu divino; sed non secundariò: ergo primariò. Prob. min. objectum secundarium non includitur in primario, sicut partes inclusæ in composto non sunt objectum secundarium cognitionis primò, & per se terminatae ad compo-

tum; sed ens includitur in Deo: ergo non cognoscitur ad intellectu divino secundario.

34 Sed in primis iuxta Div. Thom. hic art. 6. in corp. *Intelligere aliquid in communi, O non in speciali, est imperfectè aliquid cognoscere unde intellectus noster dum de potentia in actu reducitur pertinet prius ad cognitionem universalem, O confusam de rebus, quam ad propriam rerum cognitionem, sicut de imperfecto ad perfectum procedens ut patet in primò pbsicorum.* Unde inferit, quod si cognitionis Dei de rebus alijs à se esset in universalitatem, & non in speciali, sequeretur, quod ejus intelligere non esset omnibus modis perfectum, & per consequens ejus esse. Licet ergo ens ut sic non explicet entitatem creatam, à Deo tamen non est cognoscibile nisi ut explicans entitatem creatam; ac proinde si primario, & ratione sui esset ab intellectu divino cognoscibile, intellectus divinus ab entitate creatam specificaretur, & dependeret.

35 Deinde intellectus potens primario, & per se attingere rationem aliquam communem, potest etiam primario, & per se attingere omnia ea, quæ sub illa continentur, vel propria virtute, si sint objecta proportionata, vel ut elevatus si objecta excedentia sint; unde intellectus creatus habens pro objecto ens ut sic, nondum illud, verum & creatum, & increatum distincte, & in speciali primario, & ratione sui cognoscit: ergo ex quo ens ut sic sit primario, & ratione sui attingibile ab intellectu divino, bene infertur ipsum in aliqua cognitione ab ente creato specificari, & dependere. Ac tandem licet ens ut sic non explicet entitatem creatam positive, bene tamen negative, id est non divinam, & increatam, specificari autem, & dependere ab aliquo non dicente infinitam perfectionem, etiam imperfecto est.

36 Ad confirmationem patet ex verbis D. Thom. præ allegatis, quod Deus non cognoscit, nec primario, neque secundario ens ut sic praecissive, quia hæc cognitionis universalis est, & confusa proindeque imperfecta; sed cognoscit illud contractive, & quatenus inclusum in ente creato, & increato; unde non est aliud Deum cognoscere ens inclusum in Deo, & ens inclusum in creaturis; ut sic autem cognoscit ens ut sic partim primario, & partim secundario, primario quatenus inclusum in Deo, & secundario quatenus inclusum in creaturis.

37 Quinto objicies, & urgencius: licet objectum primarium divinità simplicis intelligentiæ, quæ ad intellectum principiorum pertineret, sic sola divina essentia, objectum tamen primarium divinità scientia non potest non esse ens

creatū : ergo creaturæ sunt objectum primātū alicujus actus divini intellectus. Prob. anteced. nām in eo distinguitur simplex intelligentia à scientia, quod hēc vērsatur circa conclusio-nes demonstratas, illa verò circa principia; sed conclusiones divinæ scientiæ sunt creaturæ, es-entiaque divina solum est principium: ergo li-cet hēc sola sit objectum primarium divinæ sim-plicis intelligentiæ; creaturæ tamē sunt ob-jectum primarium divinæ scientiæ. Confirm. & ex-plicatur, nām quod per se, & ratione sui terminat auctum alicujus potentia primario pertinen-tem ad illam, per se, & ratione sui terminat ha-bitudinem illius potentia, siquidem objectum formale specificativum potentia debet specifi-care omnem auctum primarium talis potentia; sed creaturæ per se, & ratione sui terminant a-ctum intellectus divini primario ad illum perti-nentem: ergo ratione stui, & primario terminant intellectus divinum. Probat. minor. Nām actus scientiæ non est auctus secundarius intellectus di-vini, sed inter primarios contentus, sicut auctus scientiæ creati non est secundarius auctus intel-lectus creati, sed continetur inter primarios; sed creaturæ per se, & ratione sui terminant auctum scientiæ divinæ, cū distinguitur à lumine prin-cipiorum, & consequenter distinctum habeat objectum, lumen autem intellectus divini ha-bet pro objecto formalī essentiam divinam: ergo.

38 Hoc argumentum sibi objicit Oxo-mensis ad probandum in Deo non dari scien-tiam strictè sumptam respectu creaturarū, quia hēc petit primō conclusiones demonstratas attingere; divina autē cognitio solum potest primō attingere divinam essentiam. Et alijs so-lutionibus impugnatis, solutionem quam vo-cat frequenter assignat, negando omniem divinam cognitionem debere per se primō terminari ad divinam essentiam; nām licet cognitio luminis intellectus per se primō in divinam essentiam feratur, cognitio tamē scientifica non attingit primō divinam essen-tiam, sed attributa, & creaturas, & sic po-test rationem scientiæ strictè sumptu sortiri. Et cū sibi objiciat, quod essentia divina adhuc ut distincta ab attributis est objectum primarium, & specificativum divini intellectus, & conse-quenter hēc debet per se primō attingi ab omni auctu non secundario attinente ad intellectum divinum, & cognitio scientifica si reperitur in Deo non est actus secundarius divini intel-lectus, sicut nequè nostri intellectus cognitio sci-entifica auctus secundarius est, & quod saltim ad objectum creatum non potest divina cognitio per se primō, ut ex infra dicendis constabit: er-

go saltim per respectum ad creaturas non po-terit rationem scientiæ cū proprietate sortiri;

39 Respondet: Hēc tamē non urgent, ad primum constabit infra cū de objecto primario intellectus divini tractemus. Quo loco dūm in prima conclusione creaturas excludit ab ob-jecto primario divini intellectus, argumentum predictum non proponit. Hoc autēm objicit dūm in quarta conclusione excludit attributa à ratione objecti primarij formalis terminativi; & est argumentum à nobis positum pro confirma-tione mutato nomine attributorum in nomen creaturatum. Et respondet distinguendo illam majorem: quod per se, ratione sui terminat a-ctum alicujus potentia primario pertinentem ad illam, per se, & ratione sui terminat habitu-dinem illius potentia, distinguo, per se, & ratio-ne sui, hoc est secundum aliquod prædicatum, quod imbibunt, concedo; per se, & ratione sui, hoc est, ratione omnis formalitatis secundum conceptum expr̄sum, nego; & omissa minori, distinguit pariter consequens: attributa per se terminant intellectum divinum ratione essentiæ, quam transcendentaliter claudunt, concedo; ra-tione illius quod explicant, & superaddunt ei-ssentiæ, nego.

40 Ad secundum concessō antecedenti, di-stinguit consequens: rationem scientiæ prima-rio terminat ad creaturas, concedo; secundario ad alias terminata, nego. Non enim est contra rationem scientiæ secundario ad objectum ali-quot terminari, unde ex hoc, quod scientia Dei non primario, sed secundario erga creaturas ver-setur, non sequitur scientiam strictè non esse, sed tantum non esse illarum primario. Unde in sententia hujus authoris, ut patet ex collorario, licet nequè attributa, nequè creature ingredian-tur objectum formale sive motivum, sive ter-minativum divini intellectus, creaturæ tamē sunt objectum secundarium, attributa verò non sunt objectum secundarium, sed sub primario ob-jecto continentur tanquam objecta materialia il-lius: eoquod objectum secundarium non habet intime inclusum objectum formale primarium, ut constat in creaturis respectu divini intel-lectus, & in ente rationis cum nostro intellegendo comparato, & in proximo respectu charitatis theologicae, & pónit exemplum in homine, & equo, qui continentur materialiter sub objecto primario intellectus creati, quia claudunt tran-scendentaliter rationem entis, à qua ut objecto formalī suam specificationem capit.

41 Sed mihi videtur, hunc gravissimum Doctorem in consequenter loqui; quippè con-victus argumento factō de scientia cuius ob-jectum primarium sunt conclusiones demonstra-

tz , & inter actus primarios intellectus divini continetur , loquendo de scientia divina respectu attributorum , afferit primario ad attributa terminari , licet non tanquam ad objectum formale , sed solum materiale , eo modo , quo cognitio intellectus creati terminatur ad hominem , & equum . Et loquendo de scientia Dei respectu creaturarum , afferit eam solum ad creaturas terminari , ut ad objectum secundarum , hocque sufficere ut sortiatur propriam , & veram rationem scientiae . Si enim semel est verum , quod licet cognitio luminis divini intellectus per se primò in divinam essentiam feratur , cognitio tamen scientifica non attingit primò divinam essentiam , quia hec primò circa conclusiones demonstratas veriatur , & similiter ex hoc ipso est verum , quod actus divinae scientiae non est actus secundarius divini intellectus , sed inter primarios contentus : cum ergo in Deo nedum detur scientia respectu attributorum , sed etiam respectu creaturarum , fateri etiam tenetur , scientiam nedum versari primario circa divina attributa , sed etiā circa veritates creatas . Vel si salvatur in Deo scientia proprie sumpta respectu creaturarum , etiam si ad illas terminetur solum secundario , pariter posset idem dici de scientia attributorum , & falsum erit scientiam primario versari circa conclusiones demonstratas , pariterque scientiam Dei inter actus primarios divini intellectus contineri , utpote minor ab eo omissa est absoluta , immò argumentum objicit , dum loquitur de scientia Dei respectu creaturarum .

42 Melius ergo respondet ad argumentum à principio , neg . antec . ad probationem dicimus , quod illud est verum , cum simplex intelligentia comprehensiva non est , secus vero si comprehensiva sit , qualis est divina intelligentia , unde tunc scientia nec distinguitur virtualiter à lumine principiorum , sed solum denominative , quantum lumen principiorum dicitur per ordinem ad principia , quæ primario attingit , scilicet divinam essentiam ; scientia vero dicitur per ordinem ad conclusiones , quas attingit secundario , nempe creaturas . Quia in dubium verti non potest primam Dei cognitionem , & quæ simplex intelligentia dicitur , esse comprehensivam divinæ essentia ; cognitio autem comprehensiva sic dicitur , quia est cognitio objecti , quantum cognoscibile est , id est , secundum omnia , quæ tam formaliter continent , quam eminenter , seu virtualiter . Illa ergo eademmet cognitio adhuc virtualiter , quæ ad divinam essentiam terminatur primatio , & ratione sui , terminatur etiam ad creaturas in illa virtualiter contentas , proindeque ratione illius , & secundario . Cum ergo scientia Dei respectu creaturarum non in alio

consistat , quam in eo , quod Deus cognoscat creaturas in sua essentia , tanquam in causa , in qua virtualiter continentur ; scientia enim est cognitio rei per causam , consequenter scientia Dei non est cognitio adhuc virtualiter distincta à simplici illius intelligentia ; proindeque licet denominative dicatur primario per ordinem ad creaturas , formaliter , & objective dicitur primario solum per ordinem ad divinam essentiam . Cujus aptum exemplum est in intellectivo radicali , quod primario intellectum radicat , & secundario voluntatem ; proindeque idem principium sine virtuali distinctione est intellectivum radicale , & radicale volitivum ; dicitur tamen intellectivum per ordinem ad primum radicatum , & volitivum per ordinem ad secundum radicatum ; & consequenter volitivum radicale objective , & formaliter primario respiciat intellectum , licet denominative primario respiciat voluntatem , à simili : ergo .

43 Sed dices primò ex Oxomensi : scientia , quæ solum est scientia per se primò attingit conclusiones , & intellectus principiorum per se primò attingit principia : ergo scientia , quæ simul est intellectus principiorum , per se primò debet attingere principia , & conclusiones . Patet conseq . nam scientia ex adjuncta alia formalitate non potest à suo specificativo præscindit ; sed specificativum scientiae strictæ sumptæ sunt conclusiones demonstrabiles : ergo quamvis scientia sit simul intellectus principiorum , non potest non attingere primò , & per se conclusiones . Secundo licet actui cognitionis possit ex objecto tantum secundario aliqua denominatio competere , quæ non sortiatur ex objecto primario , non tamen potest illi convenire ex objecto secundario aliqua nova formalitas , vel specificum prædicatum ; sed ratio scientiae strictæ non est in Deo præcisissima nova denominatio , sed nova formalitas , vel specificum prædicatum : ergo nisi divina cognitio primò attingat creaturas , non potest ex illis rationem scientiae strictæ sumptæ sortiri .

44 Sed ad primum respondet . conced . anteced . & neg . conseq . Ad probat . dist . maj . ex adjuncta alia formalitate primaria , & respectu cuius scientia est formalitas secundaria , nego : ex adjuncta alia formalitate secundaria , conc . Unde neque intellectus principiorum ex adjuncta formalitate scientiae præscindit à suo specificativo , nempe à principijs , quia formaliter primaria est ; è contra vero scientia , quia formalitas secundaria est . Vel conc . major . dist . min . specificativum scientiae strictæ , quæ tantum est scientia , sunt conclusiones demonstrabiles , concedo : scientia strictæ , & quæ simul est intellectus principiorum , nego . Instoque argumentum , namque

scientia, quæ solum est scientia, & non sapientia est, quæ procedit per causas inferiores; sapientia vero est, quæ procedit per causas altissimas: ergo scientia, quæ simul est sapientia, debet simul procedere per causas altissimas, & inferiores; non valet conseq. namque scientia Dei, immo & theologia nostra est simul scientia, & sapientia, & procedit solum per causas altissimas. Unde procedere per causas inferiores, est proprium scientie, quæ tantum est scientia, ubi vero rationem sapientiae attingit, non per causas inferiores, sed per altissimas solum procedit. Est etiam adhuc aptius exemplum in habitu practico, & speculativo, namque habitus, qui solum speculativus est, habet pro objecto primario verum intra intellectum, id est, contemplationem veritatis; habitus vero, qui solum est practicus, habet pro objecto primario opus extra intellectum: ergo habitus, qui simul speculativus, & practicus est, habet simul pro objecto primario verum intra intellectum, & opus extra illum, non valet consequentia, utpote theologia nostra simul practica, & speculativa est; sed primario speculativa, & secundario practica in sententia probabili. Immò visio beatifica sic juxta Div. Thom. est primario speculativa, & secundario practica. Et adhuc intellectui nostro primario convenient ratio speculativi, & secundario ratio practici. Ac tandem hoc ipsum verificatur de Scientia Dei. Sicut ergo habere pro objecto primario opus extra intellectum, est proprium habitus, qui solum practicus est; habitus vero, qui simul speculativus est, habet pro objecto primario, solum speculabile, & practicabile solum pro objecto secundario, pariter scientia, quæ tantum est scientia, habet solum pro objecto primario conclusiones; scientia vero, quæ simul est intellectus principiorum, habet solum pro objecto primario principia, & conclusiones pro objecto secundario.

45 Ad secundum respond. negando pariter, quod ratio scientie strictæ in Deo secundum id, quod superaddit ad rationem simplicis intelligentiae, sit nova formalitas, vel quasi specificum prædicatum, & non pura denominatio; aliter, ut diximus formalitas simplicis intelligentiae non attingeret divinam essentiam comprehensive, siquidem sub hac formalitate non attingeret in ea creaturas, quod in sententia thomistarum admitti non potest; hac enim ratione probant thomista, Verbum Divinum per se, & formaliter procedere ex cognitione possibilium, quia per se, & formaliter procedit ex cognitione divinae essentiae, quæ cum non possit non esse comprehensive, eo ipso attingit in divina essentia creaturæ. Est ergo scientia in Deo

M. Carrasco.

secundum id, quod superaddit ad simplicem intelligentiam pura denominatio ei conveniens per ordinem ad creaturas, ut ad objecum secundarium; sicut & volitivum radicale secundum id, quod superaddit ad intellectivum radicale, est pura denominatio ei conveniens per ordinem ad voluntatem, quæ est secundarium radicatum. Quod etiam patet in actu libero Dei in probabili sententia afferente, quod supra actum necessarium non addit novam formalitatem, seu actualitatem, sed puram denominacionem provenientem ex terminatione ad fore, vel non fore creatoriarum, qua ratione est defectibilis sine aliqua intrinseca mutatione Dei.

46 Sed dices ex hoc ipso: si semel divina simplex intelligentia secundum propriam formalitatem est comprehensiva divinae essentiae, proindeque adhuc sub illa non potest attingere divinam essentiam, quin in ea attingat creaturas. sequitur divinam cognitionem non prius terminari ad essentiam, quam ad creaturas; at hoc est contra rationem objecti primarij; & secundarij, de illius enim ratione est prius terminare cognitionem, de hujus ratione eam terminare posterius: ergo. Sed ad hoc dicimus, quod licet non prius terminetur prioritate in quo, bene tamen prioritate à quo objectiva, quatenus, licet simul intelligantur terminare, essentia tamen terminat ratione sui, & creature ratione essentiae. Sicut licet Pater non possit intelligi, non intellecto Filio, intelligitur tamen prius Filius prioritate à quo effectiva, quia Pater intelligitur, ut principium Filii, & Filius ut terminus illius.

47 Et ex his patet ad confirmationem positam à principio, distinguendo de scientia divina secundum id, quod dicit actualitatis, & formalitatis, qualiter in distinta est à divina simplici intelligentia, ut sic est actus primarius divini intellectus; non tamen ut sic respicit primario creaturas, sed divinam essentiam. Attamen secundum id, quod addit denominatio, qua ratione primario respicit creaturas, non continetur inter actus primarios illius, sed est actus solum secundarius, vel ut melius loquar: est actus primarius sub secundaria denominatione, vel terminatione, sicut actus Dei liber est ipse actus primarius divinae voluntatis, sed non sub terminatione primaria ad essentiam, quia ut sic est necessarius, sed sub secundaria ad creaturas.

48 Si tamen vellimus scientiam Dei virtualiter adiquatè distinguere à divina simplici intelligentia, eo nimis, quod licet hæc utpote comprehensive non possit non attingere creaturas in divina es-

O

fen-

Sententia, non tamèn eas attingit ex illa, & per virtualem discursum, ut requiritur ad scientiam. In hac, itiquam, sententia necessario reputo negandum divinam scientiam, sive respectum creaturarum, sive respectu attributorum in sententia afferente ea esse objectum secundarium, esse actum primarium divini intellectus, sed solum secundarium. Unde concedendo versari immediatè circa creature, ut quod, non sequitur eas esse objectum primarium divini intellectus etiam materiale; sicut ex quo Logica scientia immediatè versetur circa ens rationis ut quod, suas passiones de illo demonstrando, non sequitur ens rationis esse objectum primarium etiam materiale intellectus creati. Unde etiam nego omnem actum scientiae creatæ inter primarios actus intellectus creati computari; aliter actus scientificus logicæ erit actus primarius illius, & consequenter etiam ens rationis erit illius primarium objectum. Unde dicendum est quod si actus scientiae sit talis erga objectum primarium intellectus, erit actus primarius illius, secùs verò si sit erga objectum solum secundarium. Hinc oportet prius probare actum scientiae versari erga objectum primarium intellectus, ut probetur esse actum primarium illius. Etsi attendatur doctrina Div. Thom. supra quæst. 8. art. 2. non improbabile videtur omnem actum scientiae etiam creatæ esse actum secundarium intellectus; namque loquendo de voluntate ait, quod est circa finem tantum: *Quia omnis actus denominatus à potentia nominat simplicem actum illius potentie, sicut intelligere nominat actum simplicem intellectus.* Simplex autem actus potentie est in id, quod est secundum se objectum potentie. Id autem, quod est propriè se bonum, & volitum, est finis; unde voluntas est propriè finis; ea verò, que sunt ad finem non sunt bona, vel volita propriè se ipsa, sed ex ordine ad finem. Unde voluntas in ea non fertur, nisi quatenus fertur in finem, unde hoc ipso, quod in eis vult, est finis. Sicut intelligere propriè est eorum que secundum se cognoscuntur, scilicet principiorum, eorum autem que cognoscuntur per principia non dicitur esse intelligentia, nisi in quantum in eis ipsa principia considerantur. *Hac Div. Thom.*

49 Ubi intelligere vocat simplicem actum intellectus, sicut vele est actus simplex voluntatis, & hoc, ait, solum versari circa id, quod est secundum se objectum potentie, quod respectu voluntatis est finis, & respectu intellectus principia; unde sicut voluntas est propriè finis, sic intellectus est propriè principiorum. Est autem sententia probabilis inter Thomistas, quam sequitur Medina cum alijs, quod solum si

nis est objectum primarium, & per se voluntatis, media autem solum peraccidens, & ratione finis, sicut paries respectu visus, nam sicut hæc non est visibilis nisi ratione coloris, sic nec media appetibilia, vel visibilia nisi ratione finis. Quod ex verbis Div. Thom. comprobari videtur, dum ait, quod ea, que sunt ad finem non sunt bona, vel volita propter se ipsa, sed ex ordine ad finem: unde inferunt isti AA. media solum esse bona bonitate extrinseca finis. Ergo pariter stando huic doctrinæ potest non minus probabilitè assiri, quod sola principia sunt objectum primarium, & per se intellectus; conclusiones verò solum secundarium, & peraccidens, quia sicut media non attinguntur nisi ratione finis, sic nec conclusiones, nisi ratione principiorum. Fateor tamèn sententiam oppositam esse etiam probabilem, nempe media esse bona bonitate intrinseca, & conditincta à bonitate finis, licet solum utili, & ordinata ad finem, ratione cuius licet non sunt objectum primarium formale voluntatis, sunt tamèn objectum illius primarium materiale; & similitè conclusiones respectu intellectus, namque etiam intrinsecè participant rationem formalem specificativam potentie, scilicet veritatem, & entitatem.

## RESOLUTIO II.

*Objectum primarium, & formale motivum divini intellectus est sola divina essentia prist à relationibus, & attributis virtualiter distincta.*

50 **E** st contra Albeldam, Molinam, Ruiz, & alios, eam tamèn tenent magis communiter theologi. Et fundatur primò ex notatis in principio dubij, namque objectum motivum sic dicitur, quia movet, determinat, & secundat potentiam ad cognitionem, vel scilicet ipso immediate gerente munus speciei, vel media specie ab eo realiter distincta, unde & dicitur objectum formale quo, & specificativum potentie: cum ergò Deus non intelligat per speciem ab eo realiter distinctam, illud erit in Deo objectum motivum, seu formale quo, quod in ipso gerit munus speciei; at sola essentia divina quatenus à relationibus, & attributis virtualiter distincta, gerit in Deo munus speciei: ergo. Probat. min. & in primis eam videtur insinuare D. Tho. loco p̄ allegato ex contra Gent. cap. 48. illis verbis: *Id quo Deus intelligit nihil est aliud quā sua essentia, ut supra probatum est.* Scilicet capite 46. antecedenti, ea ratione quia species est principiū formale intlectionis, & sola divina essentia est

hujusmodi. Quod etiam docet hic art. 5. ad tertium illis verbis: *Per illam formam intelligibilem specificatur intellectualis operatio, quæ facit intellectum in actu; & hæc est species principalis objecti, quæ in Deo nihil aliud est quam essentia sua.* Nequè enim dicendum est Div. Thom. loqui solum in sensu identico, id est de divina essentia, quatenus per identitatem est quidquid est in Deo; sed de illa secundum proprium, & formalem conceptum secundum quem virtualiter à relationibus, & attributis distinguitur.

51 Quod etiam suaderi potest ex probatione illius, qua primò ratione probat. minor: nàm species est principium intellectuonis, & quidquid de principio formalí expressæ traditur à Div. Thom. primò loco ex contra Gentes; de effectivo vero à perte etiam traditur ab ipso secundo loco in verbis antecedéntibus ad illa verba: *Operatio specificatur per formam; quæ est operationis principium, sicut calefactio per calorem.* Ubi formam intelligibilem à qua specificatur intellectio, ut operatio est; seu ut se tenet ex parte principij, comparat calori in ratione principij operationis, calor autem nedùm est principium formale, sed etiam effectivum calefactionis. Tunc sic, sed sola divina essentia prout à relationibus, & attributis virtualiter distincta est principium formale, & effectivum divina intellectuonis: ergò ea sola ut sic est species, seu generis munus speciei. Prob. min. & quidem relations non esse principium quo patet, ut potè principium quo intellectuonis est formaliter, vel virtualiter prius ipsa intellectuione, sed relations, nequè formaliter, nequè virtualiter sunt priorès divina essentiali intellectuione, cum potius absoluta, & essentialia in divinis priora sint notionalibus, & relativis: ergò. Secundo nàm relations non possunt esse principium formaliter activum sub expresso munere relationis, seu secundum conceptum Ad: Tum quia prout sic respiciunt terminum, ut purum terminum: tum quia prout sic supponunt ipsam actionem in qua fundantur, ut Paternitas generationem, & relatio spiratoris spirationem ipsam; aliundè non possum esse principium activum secundum conceptum in, nempe in quantum subsistentiæ, & constitutivæ personarum, cum ut sic solum exerceant rationem termini respectu naturæ, ita ut nequè prout sic respiciant terminum processionis: ergò relationibus sub nullo munere potest competere ratio principij formalis, & effectivi. Immò si relatio esset principium quo formale, & activum, maximè actionis notionalis, seu personalis; at hujus principium quo, & formale non est: ergò à fortiori nec intellectio,

nis essentialis. Patet min. Tum ex super dictis in precedenti probatione: Tum quia illud est principium formale quo alicujus actionis, in quo productum assimilatur producenti; at nèc Filius Patri, nequè Spiritus Sanctus Patri, & Filio assimilatur in relatione, sed in ea potius distinguuntur, & opponuntur: ergò.

52 Dices: sententia Thomistarum est principium quo divinæ processionis constari ex natura divina, & ipsa relatione: relatio ergò saltem inadæquatè est principium quo divinæ processionis. Sed respondetur conflari ex natura, & relatione, non utraque ingrediente in recto, sed natura in recto, & relatione in obliquo, quippe natura divina solum ut modificata Paternitate, seu prout in Patre est principium quo divinæ processionis, cum seclusa hac modificatione communis maneat tribus personis, quibus commune non est generare. Unde relatio, ieu Paternitas non tam est principium, quàm modificatio principij, ita Thomistæ, de quo late in tractatu de Trinitate.

53 Deinde attributa, & à fortiori relations non esse principium quo formale, & effectivum divinæ intellectuonis probatur primò: nàm cum intellectio divina comprehensiva sit Dei; illud solum potest esse principium quo formale, & effectivum illius, quod in se continet formaliter, vel eminenter quidquid est in Deo; at hujusmodi non sunt attributa, sed sola essentia divina, prout ab eis virtualiter distincta: ergò. Patet min. utpote attributa prout ab essentia, & relationibus distincta non continent formaliter, vel eminenter divinam essentiam, vel relations; è contra verò essentia divina adhuc ut sic distincta est attributorum, & relationum radix; proindeque tam attributa, quàm relations eminenter continent: illa ergò sola prout sic distincta potest esse principium quo formale, & effectivum divinæ intellectuonis.

54 Sed dices, principiem quo formale divinæ intellectuonis non esse illud in quo omnia divina cognoscuntur, sed debere esse unam rationem objectivam sub qua omnia ea cognoscantur; hæc autem non est essentia divina, sed est ratio entis divini, quod formaliter dicitur de omni divino, non essentia, quæ tantum identice habet convenire alijs divinis ab ipsa. Sed resp. Magister Ferre, quod licet sententia divina sub munere radicantis attributa, solum identice habeat convenire omnibus divinis, sumptu tamen sub ratione entis summo modo immaterialis, formaliter habet convenire attributis, & de illis prædicari. Hoc tamen ordine, quod primò habet essentia Dei sumptuam pro radice attributorum denominare formaliter

summo modo immateriale, & deinde attributa ad eum modum, quo existentia Dei primo denominat naturam divinam existentem, & secundario attributa. Sed haec solutio ad intentum non satisfacit, namque in presenti non loquimur de Essentia Divina transcendentaliter sumpta, seu quatenus essentia est concretu entis nominaliter iumpti, prout nimirum idem est ac entitas divina; sed loquimur de ea metaphysicè considerata, nempe pro illo praedicato, quod primo in Deo intelligitur tanquam radix categororum: si ergò prout sic licet contineat eminenter attributa, non tamè est ratio objectiva sub qua attributa cognoscuntur, quia prout sic formaliter attributis non convenit, neque de eis praedicatur, consequenter nec prout sic erit specificativum divini intellectus, seu principium formale quo divina intellectio.

55. Unde melius dicitur, quod hoc ipso, quod Essentia Divina sit, in qua omnia divina cognoscuntur, etiam est ratio objectiva sub qua omnia ea cognoscuntur. Hac enim ratione Essentia Divina est ratio sub qua cognoscuntur creaturae; & in universum quaelibet natura est ratio sub qua cognoscuntur illius proprietates. Licet enim necesse sit rationem formalem sub qua potentie formaliter convenire omnibus quæ per eam attinguntur primario, non tamen secundario, neque enim Essentia Divina formaliter convenit creaturis, neque ens reale sub cuius ratione attingitur ab intellectu nostro ens rationis, formaliter convenit enti rationis. Hinc ut notavimus in principio, theologi duplex distinguunt objectum potentie, aliud extensivum, & aliud specificativum; & de illo dicunt debere actu formaliter sub se continere quidquid attingitur à potentia, sive primario, sive secundario, secus autem de objecto specificativo, de cuius ratione solutio est ea continere formaliter, vel eminenter, formaliter, quæ attinguntur primario, & eminenter, seu radicaliter quæ secundario attinguntur.

56. Secundo probat assumptum etiam ex dictis, nam Verbum Divinum procedit ut simile primario Patri in principio quo formaliter sua divina intellectio; sed non procedit, ut simile primario Patri in attributis, sed solum in divina natura, seu essentia: tum quia haec sola est, quæ ei primario communicatur; tum quia procedit ut simile primario Patri in ea ratione cuius dicitur Filius, & dicitur Filius quia procedit ut simile Patri in natura, ut patet ex definitione generationis: ergo.

57. Tertio etiam probat, nam in presenti æqua ratio est de omnibus attributis, ac de quolibet eorum; sed aliquod attributum Dei nequit

esse principium quo formale, & effectuum divinæ intellectio: ergo. Prob. min. hanc volitionem etiam essentialis tale principium esse non potest, cum potius ipsa tequatur intellectio esse effectum, & sic eam pro posteriori supponit, quod à fortiori tenet in volitionibus particularibus justitia, & misericordia.

58. Dices: volitionem esse posteriorem intellectio regulative, cum per intellectio regulatur; cum quo stat volitione esse illa priorē effectiva, cum haec prioritas, & posterioritas, sit in diverso genere causa. Sed contra replicat Oxomensis, quod cognitione non potest efficienter causari ab actu regulato per ipsam, nam quia visio beatifica regulat amorem divinum, non potest ab alio procedere in genere causa efficientis. Sed cognitionem posse efficienter causari ab actu voluntatis regulato per ipsam, patet ex his, quæ supra docet praedictus author loquendo de divino imperio. Ait enim in Deo dari imperium monasticum, seu directivum suarum operationum, & cum ei obiectetur tale imperium solum desiderari, ut regularis usum activum voluntatis, ad quod in Deo non requiritur, nam cum in illo imperium sit actus divinae potentiae executiva, non potest non supponere voluntatem executivedi, quæ est usus activus. Respondet: divinum imperium considerari posse secundum duplex inadæquatum munus, & dirigentis, & exequentis; & quantum ad hoc secundum munus supponit usum activum voluntatis, ut argumentum probat; secundum verò primum munus, ipsum præcedit. Quod etiam tenent Gonet, & noster Lezana, & alijs communiter.

59. Qua doctrina supposita sic argumentor ad hominem: usus activus voluntatis divina posterior est imperio divino regulative, cum per ipsum reguletur; & tamen est prior illo effectiva, namque usus activus voluntatis effectiva influit in actum potentie executivæ; unde, & divinum imperium ab usu activo voluntatis divinae participat efficaciam exequendi: ergo.

60. In mea tamen sententia hoc argumentum non urget, quia ut dicemus in tractatu de prædestinatione cum alijs Thomistis negandum est in Deo, imperium monasticum, proindeque præcedens, & dirigens usum activum voluntatis divinae, solumque in eo recognoscimus imperium executivum, usum activum divinae voluntatis subsequens, ea duæ ratione, quia si semel imperium, ut dirigens, & quoad substantiam præcedit usum activum voluntatis, non potest ab illo participare efficaciam executionis, & consequenter illum subsequi ut exequens, quia ad hoc tantum illum subsequeretur ut ab eo prædictam efficaciam participaret. Quod & fundatur do-

doctrina illa apud Div. Thom. generali; quod virtus prioris actus manet virtute in sequenti, unde infertur, quod actus intellectus non potest participare efficaciam à subsequenti actu voluntatis, sed solum à precedentibus.

61 Quia tamē doctrina Oxomensis communis est inter Thomistas aliquos, potest aliqua lis disparitas assignari, quod licet ita sit in imperio, & usu activo voluntatis, scilicet tamē in prima intellectione, & volitione, namque intellectio etenim solum potest à volitione effectivè procedere, quatenus ab ea participat efficaciam, qualiter iudicium determinatum de medijs efficaciam participat ab efficaci intentione finis, & imperium ab efficaci electione mediorum; prima autē intellectio ab initio secō efficax non est, & sic non est pāt̄ ratio. Sed dices, Spiritus Sanctus à Filio effectivè, scū quasi effectivè procedit; & tamē idem Filius procedit ab ipso Spiritu Sancto tanquam ab objecto, sicut ex cognitione illius, namque procedit ex cognitione comprehensiva essentiae, quā comprehendendi non potest, non cognitis attributis, & relationibus: ergo. Sed respondet, procedere à Spiritu Sancto tanquam ab objecto non motivo, sed purè terminativo, solum autē objectum motivum est principium cognitionis, & de illo solo verificatur illud axioma: *Ab objecto, & potentia pariter notitia.*

62 Deinde secundo probat. min. principialis, nempē solum divinam essentiam quatenus à relationibus, & attributis virtualiter distingam gerere in Deo munus speciei: namque relations, & attributa ratione sui non gerunt in Deo munus speciei: ergo solum divina essentia, quatenus sic distincta prædictum munus gerit. Probat. anteced. nam si ratio speciei competit relationibus, & attributis ratione sui, sequitur speciem in Deo multiplicari realiter in relationibus, & virtualiter in attributis; at hoc dici nequit: ergo. Sequela probat. Nam quidquid convenit relationibus, & attributis ratione sui, & secundum id quod superadditum ad essentiam, non potest non multiplicari, hac enim ratione in Deo multiplicatur ratio personae, & hypostasis, sed relations in Deo multiplicantur realiter, & attributa virtualiter. ergo.

63 Sed dices, quod ratio personae, & hypostasis ideo realiter multiplicatur in Deo, quia convenit divinis personis tantum ratione proprietatum, scū relationum, ratio tamē speciei illis convenit etiam ratione essentiae, quia eis convenit ex ratione entis divini, quā communis est essentiae, & relationibus. Sed contra est regula theologorum in tractatu de Trinitate, quod ea, quā convenient divinis personis ratione solum

essentie, dicuntur tantum singulariter, quia essentia una, & singularissima est, undē una solum dicitur existentia, una sola aeternitas, unaque sola duratio. Quæ verò eis convenient tantum ratione proprietatum, dicuntur tantum pluraliter, undē non dicitur una persona, sed tres personæ. Quæ verò eis convenient ratione essentiae, & proprietatum, dicuntur singulariter, & pluraliter, ut videtur est in ratione entitatis, realitatis, & unitatis, quā quia nedum convenient ratione essentie, sed etiam ratione proprietati, divina personæ dicuntur una res, & una entitas, quantum ad essentiam, & plures res, & entitates quantum ad proprietates. Si ergo hujus generis est ratio speciei, dicetur in Deo singulariter ea parte qua convenient ratione essentiae, & pluraliter: ea parte, qua convenient ratione proprietati.

64 Quod autem hoc dici nequeat, patet ex eo quod species divina est in gradu summa immaterialitatis, iste autem gradus cum excludat omnem potentialitatem, non patitur latitudinem, sed consistit indivisibili, qua ratione solum datur in divinis unus intellectus, & non multiplex etiam virtualiter. Sed dices, etiam intellectio divina est in gradu summa immaterialitatis, & tamē in Deo multiplicatur virtualiter. Sed praterquamquod ex multiplicatione actuum non insertur multiplicatio intellectus, vel speciei, ut patet adhuc in intellectu nostro, qui unus, ex unaque specie plures elicere intellectiones; & hoc ideo, quia intellectus, & species habent rationem principij, cuius actus est determinatio: præter hoc inquam, nego min. namquæ ut in praecedenti resolutione diximus ad ultimum argumentum, intellectio Divina est comprehensiva Dei, proindeque una solum divina intellectio etiam virtualiter attingit, quidquid est in Deo; undē una, & eadem intellectio dicitur in Deo scientia, sapientia, & intellectus principiorum, ipsaque adhuc ut modificata paternitate est horizonalis, seu generatio Verbi Divini.

65 Tandem prob. eadem min. nam frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora; at divina essentia, ut distincta à relationibus, & attributis, sufficit secundate intellectum divinum ad cognitionem sui, & relationum, & attributorum: ergo dicendum est, eam solum in Deo gerere munus speciei. Probat. min. namquæ divina Essentia, adhuc ut sic distincta est radix relationum, & attributorum, eaque eminenter continet, ut supra diximus, at eo ipso sufficienter fecundat intellectum ad illorum cognitionem: ergo. Prob. min. tūm quia hac solum ratione substantia angeli intellectui unita per modum speciei sufficienter eum fecundat, & ad cognitionem

sui, & ad cognitionem proprietatum, & ceterorum ad ipsum pertinentium: rūm etiam quia species intelligibilis adhuc intellectus humani non est aliud preter quidditatem objecti in esse intentionali, quæ sola secundat intellectum ad cognitionem proprietatum, ea sola ratione, quia illarum radix est.

66 Confirmatur: nām cum dicimus speciem intelligibilem esse ipsam quidditatem, seu essentiam objecti, in alio modo essendi, nomine essentia non intelligitur essentia transcendentaliter sumpta, prout idem est ac entitas, sed metaphysicē sumpta, nempè pro primō prædicato cetera radicante: ergo si in Deo etiam adstruimus speciem intelligibilem, & non realiter distinctam ad ipso Deo, hæc debet constitui in eo prædicto, quod metaphysicē nomen essentiae obtinet, & cetera radicant; proindeque debet esse essentia, ut à proprietatibus, & relationibus distincta.

67 Omitto rationem, qua Magister Ferre fundat nostrum assertum, ex eo nempè, quod Deus cognoscit omnia divina ratione summa immaterialitatis; & hæc solius essentiae divina est, nām per eam omnia attributa absoluta, & relativa immaterialia sunt. Et confirmat ex eo quod ratio actus purissimi est ratio sub quaintellectus divinus attingit omnia, quæ ratio tantum convenit attributis divinis ratione essentiae. Omitto, inquam, hanc rationem, quia licet immaterialitas summa à se per exclusionem principij virtualis, propria, & solius essentiae sit, immaterialitas tamē summa absolute sumpta: seu à se per exclusionem causæ, nēdūm convenit ratione essentiae, sed etiam ratione attributorum. Et idem est de ratione actus purissimi, quippè hæc ratio est transcendentis omnia divina prædicata, sicut & ratio entis divini. Nequè divina essentia est objectum motivum divini intellectus ratione summa immaterialitatis transcendentis ipsam, & cetera divina, sed ratione summa immaterialitatis specificæ, & intra propriam lineam, quæ est, ut diximus, immaterialitas per exclusionem principij virtualis, quia hæc est prima radix ex qua ceteræ immaterialitates oriuntur.

68 Sed dices: hac eadem immaterialitate specifica essentiae, & non alia, attributa, & relationes dici immaterialia, & actualia, utpotè sic dicuntur ratione existentiæ divinae, & attributa, & relationes non alia existentia existunt, quām existentia essentiae; undè sic ut omnia divina una omnino indivisibili gaudent existentia, sic pariter una omnino indivisibili gaudent immaterialitate; & sic existentia attributorum non radicatur in existentia essentiae, sed est ipsissima essentia existentia, sic pariter immaterialitas attributorum non radicatur in immaterialitate es-

sentiae, sed est ipsamet essentia immaterialitas primō denominans naturam divinam immaterialē, & deinde attributa. Sed contra hanc doctrinam, est quod, ut supra resolutione precedēti diximus, attributa, & relationes adhuc ratione sui, & secundum id quod superaddunt ad essentiam sunt entia infinita, & divina, proindeque entitate propria, & nēdūm entitate essentiae in eis inclusæ, & implicatae; at immaterialitas summa, puraque actualitas sequitur entitatem divinam, & infinitam, immō identificatur adhuc virtualiter cum illa: ergo. Deinde essentia ipsa divina adhuc ut virtualiter distincta ab existentia est summa immaterialis, & purus actus, & hoc, quia entitas divina est: ergo immaterialitas, puraque actualitas divinae essentiae, & consequēter attributorum, & relationum non desummittur ab existentia. Neque valet, quod existentia divina est de conceptu essentiae, ab illaque virtualiter indistincta, namque oppositum est probabilius in via Div. Thom. ut patet ex dictis loquendo de constitutivo divinæ nature resolut. 2.

69 Omitto etiam aliam rationem, quā utitur Oxomensis in sententia assertum diuinam naturam constitui per actuale intelligere, utpotè in hac sententia nihil supponitur prius ipsa intellectione, sed potius ipsa est prima radix ceterorum; sed nisi divina essentia, ut ab attributis, & relationibus distincta constituitur pro objecto primario formaliter adæquate motivo, aliquid ab intellectione actuali virtualiter distinctum supponeretur prius ad ipsam, nām objectum motivum virtualiter ab intellectione distinctum est prius virtualiter actu ab eo specificato: ergo. Omitto etiam hanc rationem, quia assertentes divinam naturam constitui per actuale intellectionem, non dicunt eam constitui per intellectionem sub conceptu operationis, seu egressionis à principio; ut sic enim assertant supponere divinam naturam constitutam per se ipsam sub conceptu ultimæ actualitatis; sub hoc ergo solum conceptu est prima radix, & ad eam prout sic non potest aliquid supponi prius; non tamē in convenit supponi aliquid prius ea, sub conceptu egressionis sub quo solum specificatur à principio, seu ab objecto adæquate motivo.

70 Nequè valet, quod licet possit ad eam prout sic supponi aliquid prius inadæquate distinctum ut est ipsamet intellectio sub conceptu ultimæ actualitatis: non tamē adæquate distinctum ut sunt attributa, & relationes, aliter, cum intellectio sub conceptu ultimæ actualitatis sit prima radix, jām inter conceptus ipsius solum inadæquate distinctos mediaret aliquid ab ea adæquate distinctum, quod non videtur intelligibile. Sed si hoc non videtur intelligibile, ne-

quæ

quæ erit intelligibile id (quod supra diximus ipsum docere de divino imperio) nempè usum aetivum mediare inter ipsum sub conceptu dirigen-  
tis, & exequentis, ita ut imperium sub con-  
ceptu dirigen-  
tis sit prius usu activo , & usus a-  
etivus prior sit ipso eodem imperio sub conce-  
ptu exequentis ; cum tamē conceptus dirigen-  
tis, & exequentis sint solum inadæquate distin-  
cti. Immò hoc ipsum confirmat ipse exemplis,  
nam inter gratiam ut auxiliantem , & ipsam, ut  
justificantem mediat contritio ; seu ultima di-  
spositio ad gratiam , quæ ab ea adæquate reali-  
ter distinguitur : & inter intellectiōnem ut di-  
ctio est, & ut contemplatio mediat Verbum: & in  
Divinis inter conceptum relativum *Ad*, & con-  
ceptum relativum *in* mediat generatio. Cur ergo inter intellectiōnem, ut ultima actualitas est,  
& ipsam ut actio est à principio egredens, me-  
diare non poterit aliquid adæquate virtualiter  
ab ea distinctum, ita ut licet posterius sit ipsa in-  
tellectiōne sub primò conceptu, sit prius ea sub  
secundo conceptu.

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

71 **S**ed contra nostram resolutionem  
objicies primò, fundamentum eo-  
rum, qui divinę intellectiōnis de-  
negant objectum motivum, seu specificativum:  
& primò quidem divinam naturā esse non pos-  
se, probant: quia inter intellectiōnem, & objectū  
motivum illius necessario prærequisitum distin-  
ctio administrus virtualis , sicut & requiritur objec-  
tum motivum administrus virtualiter influere in  
intellectiōnem; at talis distinctio non intervenit  
inter divinam naturam , & divinam intellectiō-  
nem , cum divina natura per actualem intellectiō-  
nem constitutatur: ergo. Absolutē verò non  
esse assignabile tale objectum , probant: Tum  
quia in Deo non est assignare causam , & objec-  
tum; ergo nequè rationem specificantis, & spe-  
cificati, nam specificans in eo quod tale est cau-  
sa , & specificatum est effectus: Tum quia spe-  
cificari, & specificatum se habent ut mensura, &  
mensuratum ; mensura autem , & mensuratum  
non habent locum in Deo , namque de ratione  
mensurati est dependere à mensura; in Deo au-  
tem nulla potest dependentia admitti ergo.

72 Sed argumentum quantum ad primam  
partem non urget in nostra sententia afferente  
in Deo dari intelligere radicale , & intellectum  
per modum potentiarum proximarum , & actus primi  
cum virtuali adæquata distinctione ab intel-  
lectiōne actuali. In hac enim sententia divina na-  
tura non per intelligere actuale , sed radicale  
constituitur, quia hoc est, quod prius in Deo in-

telligitur, tanquam radix ceterorum. In qua non  
potest negari ipsam in intellectiōne virtualiter  
influere , esseque priorem illa , proindeque  
virtualiter adæquate ab ea distingui. In senten-  
tia tamē opposita negantur in Deo intelligere  
per modum radicis, sed solum per modum actus  
secundi, qui consequenter afferunt divinam na-  
turam per intelligere actuale metaphysicē con-  
stitui , cum eoque adhuc virtualiter identifica-  
ri, ita urget argumentum, ut Magister Ferre illud  
voce difficultum ; nequè in ea sententia veram  
rationem objecti specificantis divinam cogni-  
tionem in Deo reperiri.

73 Respondent tamē Patres Salmanticē-  
ses, quos sequitur Gonet de natura , & quiddi-  
tate Dei, quod natura divina non est objectum  
motivum divini intellectus, seu illius specificati-  
vum, formaliter tantum, sed formaliter eminen-  
ter, quatenus eadem entitas, & formalitas in Deo  
præstat diversa munia , quæ in rebus creatis per  
diversas entitates , & formalitates exercentur.  
Licit autem objectum motivum formaliter tā-  
tum debeat ab intellectione virtualiter distin-  
gui , & in illam virtualiter influere , secūs tamen  
objectum motivum formaliter eminenter tale:  
quoniam immò cum intellectus intelligendo fiat res  
intellecta, tantum abest , ut intellectio in suprā-  
mo sui analogato , ut est analogice communis  
Deo, & creaturis, petat ab objecto virtualiter di-  
stingui, quod potius petit oppositum , nimirum  
identitatem adhuc virtualem cum illo, nam iste  
est supremus identitatis gradus.

74 Sed patet juxta hunc modum dicendi  
non salvati in Deo rationē objecti motivi pro-  
prie, seu ex parte rei significatæ , sed improprie-  
tantum, & metaphorice, seu tantum secundum  
modum concipiendi, ad eum sensum , quo præ-  
dicti AA. afferunt in Deo non dari intellectum  
per modum potentiarum , & actus primi, nisi juxta  
nostrum modum concipiendi intellectum divi-  
num ad instar , & per analogiam ad intellectum  
creatum. Immò qualiter cohæreat hic modus  
dicendi cum doctrina ab ipsis tradita in præsen-  
ti resolutione non percipio; cum nobiscum sen-  
tiant Mag. Gonet speciem intelligibilem adhuc  
in Deo debere esse principiū quo intellectiō-  
nis , & cum intellectu ad intellectiōnem concur-  
rere ; debereque esse illa priorem, qua ratione  
relationes specialiter excludit à ratione objecti  
motivi.

75 Melius ergo in sententia supposita re-  
spondet ex nuper dictis cum eodem Gonet,  
qui naturam divinam constituit per actualem  
intellectiōnem non sub conceptu, & formalitate  
operationis, sed sub conceptu ultimae actualita-  
tis, & per se subsistentis in genere intellectuali,  
quia

quia ut ait Div. Thom. quæst. 1. de potentia art. 1. ad 1. de ratione operationis est habere principium, non verò de ratione essentia: ergo adhuc in hac sententia intellectio, ut operatio est, virtualiter egreditur à principio, seu ab intellectu secundato ipsa natura divina, quæ est ipsamet intellectio sub concepta ultime actualitatis, & sic adhuc natura divina sub illa formalitate intelligitur prior illa sub alia formalitate, in eamque prout sic virtualiter influens; consequenter que ab illa prout sic virtualiter distincta. Fateor tamèn predictam distinctionem non esse ad aquatam, sed non purè ratione ratiocinantis, seu cum fundamento solum in nostro modo concipiendi intellectiōnem divinam ad instar intellectiōnis creati, sed ratione ratiocinata, & cum fundamento in re, aliter in Deo ad intra non salvaretur ratio operationis propriè, & ex parte rei concepti, sed solum impropriè, & ex modo significandi contra Div. Thom. infra q. 25. art. 1.

76 Pro cuius majori intelligentia recolenda sunt quæ supra diximus dub. 1. & 2. de distinctione inter divinam immaterialitatem, & intellectualitatem, & inter conceptum naturæ, & conceptum essentia, & inter relationem secundum conceptum in, & conceptum Ad, in quibus distinctio est solum inadæquata, & tamen est cum fundamento in re. Unde tandem insertur cum sola hac inadæquata differentia salvari in Deo rationem objecti motivi verè, & propriè: id est nedum ex modo significandi, sed etiam ex parte rei significata, sicut & naturam divinam prout sic esse principium intellectiōnis, priorēque illa, non minus ac immaterialitas sic prior est intellectualitate, & conceptus essentia conceptu naturæ, & conceptus in relationis conceptu Ad ejusdē. Et forte in hoc sensu tenet Connexo, & cum eo Andreas à Cruce, divinam naturam conslitri per radicem virtualem intellectiōnis, per principium proximum illius, & per intellectiōnem ipsum: id est tanquam per predicta solum inadæquatè distincta, quia distinctio inadæquata sufficit, ut unum concipiatur ut radix, & proximum principium alterius.

77 Ad id autem, quod in prima solatione additur, quod quia intellectus intelligendo fit res intellecta, petit in Supremo Analogato identitatem adhuc virtualem intellectiōnis cum objecto, quia iste est supremus identitatis gradus: respondeo exigere identitatem virtualem ad aquatam, seu excludentem ad aquatam virtualem distinctionem, secùs tamèn inadæquatam. Namque estò identitas virtualis primo modo sit supremus gradus identitatis, cum ea tamèn non salvatur verus conceptus intellectiōnis, & objecti motivi, cum de illius conceptu sit ratio ope-

rationis egredientis à principio, & de illius conceptu sit ratio principijs simili cum intellectu concurrentis ad elicientiam illius, quia ab objecto, & potentia paritur notitia.

78 Ad secundam probationem respondet, quod sicut in Deo ponitur natura radix, & principium attributorum, non tamen causa, propter realem identitatem cum illis, & similiter bonitas divina ponitur finis respectu divina voluntatis, non tamèn per modum causa, sed per modum rationis finalis propter similem identitatem, pariterque tamèn intellectus, quam voluntas ponitur in Deo per modum potentie, seu principij respectu intellectiōnis, & volitionis, non tamèn per modum causæ propter eandem identitatem, namque causa ex proprio conceptu petit sui realem distinctionem ab effectu, sicut & dependentiam effectus, immò in divinis processiōibus utimur hoc nomine principium, & hoc nomine processio, non tamèn nomine causa, vel causalitas, eductio, seu creatio quia divine persona procedunt ut entia à se per exclusionem omnis dependentia, & participationis, & hoc propter identitatem in natura cum principijs à quibus procedunt: sic pariformiter licet in Deo ad intra assignetur specificans, & specificatum, non tamèn causa, & effectus, namque specificans solum est causa cum realiter distinguitur ab specificato, unde specificat purè per modum rationis formalis, seu finalis; vel si mavis dicatur specificare per modum causæ virtualis, ratio enim causæ virtualis sicut importat realem identitatem cum termino, etiam excludit dependentiam termini ab illa, unde non inconvenit in Deo consistui. Hinc theologi communiter naturam vocant causam virtualem attributorum, & intellectum causam virtualem intellectiōnis.

79 Ex his etiam patet ad tertiam probationem, licet enim mensuratum realiter distinctum à mensura, ab ea dependeat, secùs tamèn quando cum illa identificatur, quia tunc solum est mensura per modum rationis formalis. Neque valet intellectum creatum dependere à verò, à quo mensuratur, cum tamèn identificetur cum illo: namque verum mensurans intellectum creatum est verum universaliter sumptu, id est omnem verum; quod non potest non realiter ab intellectu distingui. Vel dicatur, quod mensuratum dependet à mensura, quæ est talis formaliter, secùs verò virtualiter, ut in nostro casu, & pro ultraque solutione nota exemplum, in æternitate, quæ à theologis ponitur mensura divini esse sine dependentia aliqua propter rationem assignatam.

80 Secundo obiectis: natura divina prout est in se non distinguitur à relationibus, & attri-

butis, sed est ipsa attributa, & relationes, aliter realiter, & non ratione ab eis distingueretur; at natura divina prout est in se est objectum motivum intellectus divini, alias ratio objecti motivi ei solum conveniret per considerationem nostri intellectus: ergo non est objectum motivum, prout distinguitur a relationibus; & attributis, sed potius prout est ipsa attributa, & relationes.

81 Dices, quod natura divina prout est in se est ipsa attributa, & relationes identitate reali formalis, secus tamen virtuali, seu fundamentali, ut in praesenti dubio supponimus; huc autem distinctio virtualis sufficit ut licet moveat prout in se, & prout in se sit attributa, & relationes moveat sola essentia, & non attributa, & relationes. Ut a simili patet, quod sola essentia divina communicatur Filio, non vero Paternitas, cum tamen essentia divina communicetur prout in se, & prout in se sit Paternitas; & hoc ideo, quia prout in se est Paternitas per identitatem reali formalis, non vero virtualem. Et propter eandem rationem humanitati Christi unitur immediate personalitas Verbi prout in se, & non natura illius, cum tamen personalitas Verbi prout in se sit ipsa natura. Immò in creatis hoc apparet, namque verum prout in re specificat intellectum, & prout in re est bonum, & tamen bonum non specificat intellectum, quia licet prout in re sit bonum reali identitate, non tamen virtuali. Ita communiter Thomista.

82 Sed contra Statim se offert objectio ex doctrina Thomistarum de Visione Dei; quod quia visio beatifica est intuitiva Dei prout est in se, & sola divina essentia noti est Deus prout est in se, sed simul attributa, & relationes, implicat divinam essentiam terminare Dei visionem, quin eam etiam terminent attributa, & relationes: ergo si pariter essentia divina prout est in se moveat divinum intellectum, & prout in se est attributa, & relationes, implicabit eam movere divinum intellectum, quin eum etiam moveant attributa, & relationes.

83 Confirmatur: ex quo divina natura prout in se communicetur Filio, & non communicetur Paternitas, quamvis divina natura prout in se sit Paternitas, non recte inferritur, quod divina natura possit videri prout in se non visis attributis, & relationibus, & idem est de alijs exemplis: ergo pariter neque recte inferritur, quod divina natura possit movere prout in se, non simul moventibus attributis, & relationibus. Probat. conseq. ideo illa conseq. non valet quia licet divina natura prout in se sit Paternitas, divina tamen natura nullam habet oppositionem cum Filio, secus tamen Paternitas; & similiter in secundo exemplo licet divina natura prout in se

sit personalitas Verbi, natura tamen humana Christi capax est terminationis, non tamen constitutionis, cum jam supponatur constituta; huc autem oppositio, seu incapacitas non splendor in visione essentiae, & attributorum, quia nempe intellectus incapax non est videndi attributa, neque attributa cum essentia quoad videri oppositionem habent, & consequenter licet in utroque casu sit paritas quantum ad distinctionem virtualem, non tamen quantum ad oppositionem, vel in capacitatem ex parte alterius extremi: ergo pariter secunda conseq. non valebit pure stando soli distinctioni virtuali, sed aliunde investiganda est aliqua oppositio inter attributa, & essentiam quoad movere, vel incapacitas in intellectu quoad moveri ab attributis, & relationibus.

84 Sed respondeatur, & in primis replica habet evidentem instantiam in veritate, & bonitate divina: huc enim consequentia tenet: *Veritas divina cognoscitur, seu videntur prout in se; sed prout in se est bonitas: ergo videri non potest non visa bonitate. Huc tamen conseq. non valet; veritas divina prout in se movet, & specificat divinum intellectum; sed prout in se est bonitas: ergo non potest movere, & specificare non movente, & specificante bonitate. Ergo a simili licet huc conseq. si bona: Essentia divina videntur prout in se; sed prout in se est attributa, & relationes: ergo non potest videri non visis attributis, & relationibus; non tamen inde infertur, quod si prout in se movet, & prout in se est attributa, & relationes, non possit movere non moventibus attributis, & relationibus.*

85 Disparitatem autem assignat Oxomensis, quia essentia, & attributa convenienter in terminando, secus autem in movendo. Et Magister Ferre, quia essentia videntur prout in se adaequate, movet autem prout in se solum adaequata. Sed utriusque restat assignare rationem. Et prima est quam in principio notavimus; nempe objectum terminativum posse esse primarium, & secundarium; primarium cum ratione sui attingitur, & secundarium cum ratione alterius. Motivum vero semper est primarium. Cum ergo attributa terminent divinam visionem ratione essentiae, in qua continentur, & sola divina essentia terminet ratione sui, sola divina essentia est objectum primarium, attributa vero secundarium. Et consequenter licet divina essentia, & attributa in terminando convenienter, non tamen in movendo. Unde etiam inferritur, quod licet divina essentia terminet prout in se adaequata, non tamen movere prout in se adaequata, sed solum inadaequata. Deinde ad rationem objecti motivi ultra terminare cognitionem, requiritur, quod

se ipso immediate, vel mediāte specie fœcundet intellectum ad illam, quod neque attributis, nec relationibus, sed solæ divinæ essentia competere potest, ut probatum est.

86. Ad confirmationem respondet. ita esse, consequentiam illam non valere pure stando distinctioni virtuali, sicut nequè ex exemplo infertur posse Filio communicari essentiam, non communicatis attributis, sed sicut supposita distinctione virtuali ibi adjungitur ratio defumpta ex oppositione. Paternitatis cum filiatione, & ex incapacitate naturæ humanæ ut constituantur divina natura, ita in præsenti supposita distinctione virtuali adjungitur ratio defumpta ex oppositione disparata, seu ex differentia inter objectum motivum, & terminativum juxta numerus allegata. Immò cum essentia divina licet uniatur prout est in se, uniatur ut virtualiter radix attributorum, & relationum, unitur ut quid virtualiter prius sufficienter fœcundans intellectum ad cognitionem attributorum, & relationum, & consequenter attributa, & relationes supponunt intellectum pro aliquo priori motu, & fœcundatum, & sic incapacem, ut pro posteriori ei uniantur relationes, & attributa in ratione objecti motivi.

87. Alijs terminis posset adhuc clarius argumento satisfieri à principio dist. major. prout est in se non distinguitur à relationibus, & attributis virtualiter, nego, formaliter, concedo. Et distinguo etiam min. sed prout est in se est objectum motivum divini intellectus, ly prout solum specificante omnia prædicata divina, concedo, ly prout ea omnia reduplicante: nego. Itaque natura prout in se, ly prout specificante omnia prædicata divina movet divinum intellectum, quia est dicere divinam essentiam per suam entitatem, quæ est omnia prædicata divina, & non per speciem ab ea realiter distinctam moveare divinum intellectum, quod verissimum est. Non tamè ly prout reduplicante, quia esset dicere divinam naturam per suam entitatem secundum omnem sui virtualitatem eum moveare, quod falsum est. Nāque licet divina natura per suam entitatem immediate moveat, sed non ratione omnis virtualitatis, sed ratione illius solum ratione cuius gerit vices speciei, seu est virtualitas illius, ut natura, & quidditas est, non verò ut attributa, & relationes est, ut probatum relinquimus.

88. Quod exemplificatur exemplis allatis: namque quod natura divina prout in se communicetur Filio, & prout in se sit Paternitas, & Paternitas non communicetur, non ex alio provenit, nisi ex quo licet natura divina sit Paternitas per identitatem formalem, non tamè vir-

tualem, & ly prout in se solum specificat omnia divina prædicata, non tamè omnia ea reduplicat: quia est dicere divinam naturam immediatè per suam entitatem, quæ paternitas est, communicare Filio, sed non per suam entitatē, ut Paternitas est, & similitè hoc idem apparet in alijs exemplis: nempè divinam personalitatem per suam entitatem, quæ natura est, immediatè uniri humanitati Christi, non tamè per suam entitatem ut natura est, & similitè verum per suam entitatem, quæ bonitas est, mouet intellectum, sed non per suam entitatem, ut bonitas est. Et inde patet etiam disparitas ad replicam, namque cum dicitur naturam seu essentiam divinam terminare prout in se, ly prout nedum specificat omnia prædicata divina, quia est dicere, nedum naturam divinam per suam entitatem, verum, & secundum omnem ejus virtualitatem terminare divinam cognitionem, quod verissimum etiam est. Secus verò in nostro casu, in quo licet moveat per suam entitatem immediate, sed non secundum omnem ejus virtualitatem, & solum ly prout specificat, non tamè reduplicat.

89. Tandem respondet Reverend. noster Bayona (Caroli Secundi à Sacris Confessionibus) in suis manuscriptis, negando, quod esse motivum conveniat Deo, ut est in se; sed ait illi convenire solum per nostram considerationem, quia essentia divina non mouet in re nisi virtualiter, unde, quod sit objectum motivum potest illi convenire ut per rationem distincte ab attributis. Quām solutionem fundat in Div. Thom. infra quæst. 19. art. 1. ad 3. Docente voluntatem divinam moveri à propria bonitate, eo modo quo intelligere, & velle dicuntur motus, & constat ex ipso Div. Thom. hic ad secundum intelligere, & velle dici, motus æquivoce, vel metaphysice. Ratio ergo motivi convenit secundum modum concipiendi objecto voluntatis divinæ, ac per consequens objecto divini intellectus.

90. Hec tamen solutio licet tanti Magistri videtur adversari communi doctrinæ Thomistarum, namque ex quo essentia divina non moveat in re, nisi virtualiter, non sequitur esse motivum convenire ei improprie, & solum per nostram considerationem, aliter quia solum radicat attributa virtualiter, ei non conveniret conceptus naturæ propriæ, seu metaphysice, sed solum per nostram considerationem; neque similiiter Deo conveniret ratio actionis, vel operacionis propriæ, & ex parte rei significata, sed solum secundum nostrum modum concipiendi, quia de hujus conceptu est egressio à principio, & in Deo non egreditur, nisi virtualiter.

91. Cum autem Div. Thom. ait intelligere, & velle dici motus æquivoce, vel metaphysice,

loquitur de motu secundum primam sui impositionem, sc̄u in sensu philosophorum, quatenus nemp̄ est actus entis in potentia ; secundum quod in potentia, ut patet ex illis verbis : *Non enim intelligere est motus, qui est actus imperfecti, qui est ab alio in aliud.* Non verò loquitur de motu attenta secundaria nominis impositione, & in sensu Theologorum appellantium motivum etiam illud, quod solum movet virtualiter. Sicut & vocant principium, & potentiam illud, quod solum influit virtualiter, & pariter vocant naturam illud, quod solum radicat virtualiter, & pariforinitè vocant operationem, quæ solum virtualiter egreditur. Et quidem cum Theologi inquirunt an in Deo detur intellectus per modum potentiae, & actus primi, non inquirunt attento solum nostro modo concipiendi, ut cum concipimus Deum ad modum corporis; sed de vero, & proprio conceptu potentiae, & actus primi: scilicet verè, & propriè, sc̄u ex parte rei significatè divino intellectui competit; & controversia tota sita est: an in Deo intellectus virtualiter adæquatè distinguatur ab ejus intellectione, vel non, ita ut negantes prædictam distinctionem, negent etiam ratione in actus primi, secùs verò affirmantes.

92. Tertio objicies : objectum motivum divini intellectus debet esse perfectissimum, ita ut nihil, & melius excogitari possit; at hujusmodi non est essentia ut distincta à relationibus, & attributis, sed potius ipsa, ut dicens attributa, & relationes: ergo. Prob. min. namque quid perfectius est essentia divina ut dicens propriam perfectionem, & perfectiones attributales, & relativas, quā dicens tantum propriam perfectiōnem; sed illa ut distincta à relationibus, & attributis solum dicit propriam perfectionem, non verò perfectiones attributales, & relativas: ergo illa ut distincta à relationibus, & attributis non est objectum motivum divini intellectus. Confirmatur, objectum motivum divini intellectus debet esse supernaturale; at solum Deus ut trinus supernaturalis est, utpote excedens nostram cognitionem naturalem, secùs verò ut unus, cum ut sic ratione naturali cognoscatur à nobis: ergo.

93. Sed argumentū instatur, namque etiam ipsa essentia divina debet esse perfectissima, ita ut nihil ea perfectius, & melius excogitari possit; & tamè perfectius intelligitur ut continens omnes divinas perfectiones, quā ut continens solum unam, vel alteram: ergo constituitur per cumulū, sc̄u collectionem omnium divinarum perfectionum, consequentia non valet, nām ut diximus loquendo de constitutivo divinæ naturæ, natura divina debet intelligi perfectissima in

propria linea, ita ut nihil ea perfectius excogitari possit excessu resultante ex perfectione ejusdem linea; non tamè in omni linea; sc̄u excessu resultante ex perfectione alterius linea, aliter confunderetur constitutiva omnium divinorum prædicatorum, quia quodlibet illorum debet intelligi perfectissimum, ita ut nihil eo perfectius imaginari possit, & perfectius intelligeretur, ut includēs alia prædicata, quā ut ab eis præscindens: undè intellectus divinus constitueretur per divinam voluntatem, divinaque intellectio per divinam volitionem. Asimili ergo objectum motivum divini intellectus intelligi debet perfectissimum in propria linea, nemp̄ speciei meventis, & secundantis intellectum divinum ad intellectiōnem, ita ut in eo prout sic nihil aliud perfectius, & melius excogitari possit. Quod salvatur per hoc, quod essentia divina, ut à relationibus, & attributis, distincta, ei uniatur per modum speciei, namque eo ipso cum secundat ad cognitionem comprehensivam, & infinitam fui, & ceterorum: utpote eum secundat, ut radix, & principium attributorum, & relationum, & ut causa in qua omnes creature virtualiter continentur. Licet absolute, & excessu resultante ex perfectione alterius linea, perfectius intelligatur ut dicens simili perfectiones attributales, & relativas, quā ut dicens solum propriam perfectionem.

94. Ad confirmationem respondet. quod Deus nedum ut trinus, verū neque ut unus, potest à nobis quidditativè, & prout in se cognosci lumine naturali; licet ut unus à nobis cognoscatur lumine naturali, quoad ai est, & abstractivè; sc̄u à posteriori propter connexionem cum effectibus, qualiter non connectitur ut trinus; undè licet prout unus non sit supernaturalis in ratione cognoscibilis à nobis abstractivè, & quoad ai est, in se tamè, & entitativè, sc̄u ut quidditativè cognoscibilis, nedum ut trinus, sed etiam ut unus supernaturalis est.

95. Quarto objicies: ideo natura divina est objectum motivum divini intellectus, quia est actus purus, & summe immaterialis; at etiam divina attributa, divinæque relationes ratione sui, & prout distinguuntur ab essentia, sunt actus puri, & summe immateriales: ergo. Prob. min. immaterialitas, & ratio actus puri conveniens attributis, & relationibus est talis ab alio, nemp̄ ab essentia, immaterialitas verò, & ratio actus puri divinæ essentiæ est talis à se: ergo distincta est immaterialitas, & ratio actus puri prout in attributis, & relationibus ac prout in divina essentia, & consequenter ratione sui, & prout ab essentia distinguuntur, sunt actus puri, & summe immateriales.

96 Ad hoc argumentum respondet Mag. Ferre concedendo maj. & neg. min. Ad probationem distinguit: est ab alio tanquam à radice, quasi immaterialitas attributorum, & relationē comparetur ad immaterialitatem essentiae, ut immaterialitas radicata ad immaterialitatem radicātē, nego, est ab alio, ly ab alio dicente formā non primō actuante, sed secundo, concedo. Itaque dicit relationes, & attributa esse immaterialia ipsissima immaterialitate divina essentiae, quæ quia primō actuat divinam essentiam, & secundario relationes, & attributa, horum immaterialitas dicitur ab alio tanquam à forma, non primō actuante, sed secundo: eo modo quo divina attributa dicuntur existētia non à se; sed ab alio, non quia eorum existētia radicetur in existētia divinæ essentiae, cum eadem existētia essentiae existant, sed quia existunt existētia primō actuante divinam essentiam, & secundario attributa. Sed hæc solutio non cohæret cum doctrina à nobis supra tradita impugnando fundamen-tum hujus auth̄ris, quę frequentior est inter Thomillas.

97 Unde melius respondet. conced. in attributis, & relationibus immaterialitatem, & actualitatem virtualiter distinctam ab immaterialitate, & actualitate divinæ essentiae propter rationem argumenti, nego tamen juxta dicta natūram divinam esse objectum motivum divini intellectus, quia actus purus, & summe immaterialis ut comque, seu immaterialitate, & actualitate communis; sed quia actus purus, & immaterialis rati immaterialitate, & actualitate, nemp̄ per modum radicis eminentē continentis cetera divina prædicata, quipp̄ ex hoc ipso ut diximus sufficienter secundat intellectum ad intellectionem, nedum sui, sed etiam ceterorum, unde relationes, & attributa ex hoc ipso, quod immaterialia sunt immaterialitate ab essentia tanquam à radice, supponunt pro priori intellectum secundatum, & consequenter rationem objecti motivi assequi non possunt.

98 Sed dices contra primō: hinc solum sequitur attributa, & relationes quia præveniuntur ab essentia unita per modum speciei divino intellectui, non ei uniri per modum speciei defacti; non tamen non posse quantum est ex se ei sic uniri, & consequenter per se esse objectum motivū divini intellectus, licet per accidens prædictum motivum non exerceant, eo fere modo quo dicitur in logica, secundam demonstrationem per se esse generationem habitus, licet per accidens, quia eum supponit adquisitum per primam, illum non generet. Secundo solum sequitur intellectum divinum per essentiam ei unitam per modum speciei sufficienter secundari

ad cognitionem mediaram attributorum, sicut & per eam solum mediare representantur; at attributa divina non solum sunt representabilia & cognoscibilia mediare, sed etiam immediate: ergo saltem attributa divina ratione proprię immaterialitatis possunt gerere munus speciei respectu representationis, & cognitionis immediatae ipsorum. Prob. min. namque quamvis effectus creatus præveniatur jam representatus, & cognitus mediare per speciem causæ, non indè impediuntur representari, & cognosci immediatè per propriam speciem, & similiter licet attributa divina præveniantur cognita mediare per lumen principiorum id est, quatenus continentur in divina essentia, non indè impediuntur immediatè, id est, in se ipsis attingi lumine scientiae: non ergo solum sunt representabilia, & cognoscibilia mediare, sed etiam immediatae.

99 Sed ad primum resp. potius ex exemplo oppositum sequi, namque demonstratio secunda, quæ per se, & necessario supponit primā demonstrationem, ut est demonstratio secundæ proprietatis, quæ per se, & necessario supponit demonstrationem primæ, nedum per accidens, verum neque per se est generativa habitus, quia eo ipso per se, & necessario eum generatum per primam supponit, licet aliter contingat in secunda demonstratione proprietatis non subordinatae proprietati demonstratae per primam, sed disparatae se habentis ad illam. Cum ergo attributa per se, & necessario supponant divinam essentiam intellectui divino unitam per modum speciei, consequenter potius infertur nedum per accidens, seu defacto, sed neque per se, & de possibili esse objectum motivum divini intellectus.

100 Ad secundum resp. neg. attributa esse representabilia, vel cognoscibilia immediatè. Ad primam probationem patet disparitas. Tum quia cognitionis effectus non supponit per se, & necessario sui representationē per speciem causæ, sicut attributa per se, & necessario supponit sui representationem per essentiam divinam: Tū etiam quia totum esse attributorum est dimanare à natura, & sic ex hoc ipso, quod attributa sunt, petunt cognosci per speciem naturæ cuius attributa sunt. Effectus autem præter esse à causa, habent suam quidditatem, quæ est ad se, & à qua etiam propria attributa dimanant; & sic eis prout sic non potest non correspondere propria species per quam immediate cognoscantur: ac tandem effectus in causa creata semper continetur sub aliqua ratione communi vel hominis, vel corporis, vel viventis; per speciem autem causæ non possunt cognosci effectus nisi quatenus in causa continguntur; & sic solum per specie causæ possunt cognosci sub aliqua ratione com-

muni, & non distincte, & secundum proprias differentias: ad eos ergo prout sic cognoscendos non sufficit species causae, sed requiritur species propria ab specie causa condistincta, per quam consequenter immediatè, & represententur, & cognoscantur. Secus autem contingit in specie causæ universalissimæ, quæ est Deus, in qua continentur secundum proprias differentias, & sic Deus in essentia sua cognoscit alia à se propria cognitione, ut tenet Div. Thom. hic art. 6. Cum ergo attributa in divina natura cognoscibilia sint secundum proprias differentias, quia sic in ea radicantur, & continentur, & idem est de attributis, & proprietatibus dimanantibus à natura creata; consequenter preter speciem naturæ ut sic attingantur, non indigent alia specie.

101 Ad secundam probationem patet primò ex dictis resolut. præcedenti, cognitionem scientificam in Deo non distingui etiam virtuallè à cognitione principiorum; sed eadem cognitio, quatenus terminatur immediatè ad essentiam est cognitio principiorum, scù ad lumen principiorum pertinens; quatenus verò mediataè, & ratione essentiæ terminatur ad attributa dicitur scientia; alias cum in Deo etiam sit scientia respectu creaturarum, etiam probaret argumentum Deum scientificè creaturas attingere immediatè, & in se ipsis, consequenterque dari in Deo speciem immediatè illorum representativam.

102 Deinde dato scientiam in Deo virtualiter distingui à lumine principiorum, ea scilicet ratione, quod licet cognitio essentiæ nuptiè comprehensiva non possit non terminari ad attributa ut in essentia, non tamè immediatè, & in se ipsis ex essentia, qualiter necesse est attingi per scientiam, quæ immediatè versatur circa conclusiones ex principijs. Dato, inquam, hoc, respondet non inde sequi dari speciem propriam, & virtualiter distinctam, per quam attributa immediatè represententur, namque ex cognitione immediata non inferri in specie representatio immediata; ut potè per scientiam logicæ immediatè attingitur ens rationis, quod tamè per nullam speciem immediatè representabile est: & solum est cognoscibile per speciem entis realis. Species ergo solum mediatè representans attributa, sufficit ad immediatam illorum cognitionem. Immò in creatis proprietates non nisi mediare, & per speciem natura representantur, & tamè immediatè per lumen scientificum cognoscuntur. Ac tandem angelus inadæquatè utendo specie representativa hominis, & equi, quæ una est, diversis cognitionibus adhuc eque primario attingit hominem, & equum.

M. Carraeo.

Quanto ergo melius poterit Deus per eandem speciem diversis virtualiter cognitionibus primario attingere essentiam, & secundario attributa? Ita ut licet hæc sit secundaria cognitione, immediatè tamè ad attributa terminetur. Hujusque ratio à priori est quia species se habet ut principium, actus verò ut determinatio principijs, hac enim ratione unus intellectus, una potentia, unusque habitus sufficit ad elicientiam plurium actuum.

### RESOLUTIO III.

*Etiam objectum primarium formale terminatum divini intellectus est sola divina essentia prout ab attributis, & relationibus distincta.*

103 **E**st contra Molinam, Nazarium, Albeldam, Lisbonensem, Serram, Ferre, & alios, eam tamè tenent cæteri theologi pro præcedentibus resolutionibus relati. Et fundatur sic, illud est objectum terminativum primarium, & formale aliquis potentia, quod ratione sui terminat actum illius, illud verò est objectum terminativum materiale, vel secundarium, quod non terminat actum illius ratione sui, sed ratione alterius primò terminantis, at essentia divina ut distincta ab attributis, & relationibus ratione sui terminat divinam cognitionem, attributa verò, & relations non ratione sui, sed ratione essentiæ primò terminantis, illam terminant: ergo. Major est definitio objecti terminativi primarij, & secundarij scù formalis, & materialis, & suadetur, namque non alia ratione creaturæ non sunt objectum primarium, & formale terminativum divini intellectus, sed duntraxat materiale, & secundarium, nisi quia non ratione sui, sed ratione divina essentiæ prius terminantis, terminant divinam cognitionem. Pariter hac eadem ratione ens rationis est objectum terminativum secundarium, & materiale, non primarium, & formale intellectus creati. Minor verò etiam constat, & quidem divinam essentiam ratione sui terminare extra dubium est.

104 Attributa verò, & relations terminare non ratione sui, sed ratione essentiæ prius terminantis probatur, namque divina essentia motivè, & ut quo, hoc est, per modum speciei est ratio cognoscendi attributa, & relations: ergo terminativè, & ut quod etiam est ratio cognoscendi attributa, & relations. Antecedens supponitur ex resolutione præcedenti. Conseq. verò probatur primò: ideo motivè, & ut quo est ratio cognoscendi attributa, & relations, quia moverit, ut continens radicaliter

per attributa, & relationes; at etiam terminat ut continens radicaliter attributa, & relationes: ergo. Secundo, illud ut prius cognitum est ratio cognoscendi aliud, quod ut prius representatum per speciem est ratio representationis alterius; at divina essentia ut prius representata per se ipsam, ut speciem, est ratio representationis attributorum, & relationum: ergo. Major pater: namque objectum cognoscitur, sicut per speciem representatur; unde, quod primò, & ratione sui representatur, primò, & ratione sui, cognoscitur: è contra vero, quod non ratione sui, sed ratione alterius prius representati representatur; unde quia Deus representatur per speciem creatam ratione creature representata, etiam cognoscitur per speciem creatam ratione creature prius cognitæ, & similiter propter eandem rationem ens rationis cognoscitur ratione entis realis prius cogniti, immo, & creature hac ratione cognoscuntur a divino intellectu ratione divinæ essentiae prius cognitæ. Rationemque supra resolutione 1. insinuavimus ex Dr. Thom. primò contra Gent. cap. 48. *Quia operatio formæ, quæ est operationis principium proportionatur. Minor vero etiam videtur nota, & quidem divinam essentiam prius representare se ipsam constat, ut posse species non intentionalis, id est ordinata, ad aliud representandum, sed substantialis, absoluta, & ad se, id est, ordinata ad essendum, qualis est divina essentia respectu intellectus divini, & essentia angeli respectu propriæ cognitionis, non potest non prius representare se ipsam, ut essentia angeli prius se ipsam, quam proprietates illius representat. Quod vero divina essentia, ut prius sic representata sit ratio representationis attributorum, etiam videtur manifestum, nam etenim divina essentia, ut species representat attributa, quia representat se ipsam ut radicem attributorum, sicut etenim representat creature, quia representat se ipsam ut causam creaturarum: ipsa ergo divina essentia ut prius representata est ratio representationis attributorum, & idem de relationibus.*

105 Confirmatur: cognitionis divina terminata ad essentiam non potest non esse comprehensiva: ergo nequè divina essentia potest terminare nisi ut terminus divinæ comprehensionis; at divina essentia est terminus divinæ comprehensionis, quatenus in eo cognoscuntur omnia ea, quæ virtualiter continet, & radicat: ergo ut sic terminat divinam cognitionem. Tunc sic: sed hoc est divinam essentiam ratione su terminare divinam cognitionem, cetera vero ratione essentiae: ergo.

106 Omitto alias rationes quibus Oxoniensis, & Gonet, nostram resolutionem suadere

conantur: nempe, quod ens reale propterea est objectum terminativum primarium, & formale nostri intellectus, quia ratione sui cognoscitur, & alias per transcendentiam inclusum in omni entitate creata est illi sufficiens ratio cognoscendi quamlibet entitatem creatam; sed essentia divina, ut distincta ab attributis ratione sui cognoscitur, & alias transcendentis omnem perfectionem & formalitatem divinam: ergo. Secundo, nam ratio ob quam in opposita sententia ens divinum commune per transcendentiam logicam omnibus predicatis divinis est ratione, cuius hujusmodi prædicata attinguntur à divino intellectu, quia in illis per intimam transcendentiam imbibitur; sed divina essentia ut ab attributis distincta etiam includitur per intimam transcendentiam in attributis, & relationibus, licet non logica, sed phisica transcendentia: ergo.

107 Omitto inquam has probationes: tūm quia percipere non valeo qualiter divina essentia ut distincta ab attributis transcendentis attributa, namque cum dicitur divina essentia, ut distincta ab attributis, non reduplicatur divina essentia ut transcendentis, quia ut sic non distinguatur ab attributis, sed reduplicatur à divina essentia secundum conceptum explicatum, proprium, & formale, qui primò intelligitur tanquam radix ceterorum, qui in nostra sententia, & ipsis Oxoniensis est intelligere radicale, secundum quem attributa non transcendentis, & ad summum est de conceptu relationum in oblioquo, & de connotato, ut potest subsistens distinguitur, quod est rationalis naturæ individua substantia, sicut è contra etiam relationes sunt tantum deconceptu naturæ tanquam modi quibus divina natura modificatur, ut probabilius assertur in tractatu de Trinitate: Tūm etiam, quia si divina essentia est ratio cognoscendi cetera divina prædicata, quia ea transcendentis, & in eis imbibitur: ergo ratio objecti terminativi primarij, & formalis ei convenit, quia ens divinum, & non quia intelligere radicale. Patet conseq. quia divina essentia non transcendentis, nisi quatenus ens divinum. Dicere autem esse objectum primarium, quia transcendentis phisica, non logica, non percipio, namque natura divina, sive logice, sive phisice non transcendentis, nisi quia ens divinum, & logica transcendentia supra phisicam non superaddit nisi abstractionem imperfectam, seu quo ad explicitum ipsis rationis phisicæ transcendentis. Item divina natura non est transcendentis sive logice, sive phisicæ quatenus infinita in determinata linea, sed quatenus infinita simpliciter, & in omni linea; at hoc habet pure ex ratione communis entis divini, namque ex proprio, & for-

mali concepti solum est infinita in propria linea, nemp̄ intellectivī radicalis: ergo. Ac tandem in sensu in quo divina natura transcendit attributa, & relationes, etiam relationes, & attributa transcendunt divinam naturam, omnia enim in Deo utpote summae actualitatis invicem se includunt; sed divina natura solum potest constitui objectum primarium terminativū ratione alicujus prædicati proprij ipsius, & non communis attributis, & relationibus: ergo.

*Objiciuntur, & solvantur argumenta.*

108 **S**ed contra nostram resolutionem objicies primò: non minus proportionatur ens divinum cum divino intellectu, quām ens ut sic cum intellectu creato; sed ens ut sic est objectū formale terminativum intellectus creati: ergo, & ens divinum est objectum formale terminativum intellectus divini. Confirmatur: illud est objectum formale terminativum intellectus divini, per quod objectivē distinguitur ab intellectu creato; sed ens divinum sufficienter distinguit objectivē intellectum divinum ab intellectu creato, utpote cuius objectum est ens, ut abstrahit à creato, & divino: ergo.

109 Sed argumentum instatur in objectō motivo, namque ens ut sic non solum est objectum formale terminativum, sed etiam motivū intellectus creati; undē nō licet inferre etiam ens divinum esse objectum formale motivum divini intellectus. Resp. ergo neg. maj. proportionabilit̄ ac diximus resol. 1. Ad primum, & secundum argum. Sicut enim etis ut abstrahit à creato, & in creato, licet proportionetur cum intellectu creato, non tamē cum divino, quia iste est perfectissimus, & propterea debet illi assignari objectum perfectissimum, & perfectius objectū est quod est commune communitate in causando, & continendo, quām in essendo, & prædicando, utpote, quia hoc dicit rationem communem potentialem, & determinabilem per rationem entis creati, & increati: sic pariter, quia ens divinum ut abstrahens ab essentia, relationibus, & attributis est commune communitate rationis; proindeque dicit rationem potentialem, & determinabilem per rationem entis virtualiter radicatis, & virtualiter radicati; ipsa verò essentia ut radix attributorum est communis communitate virtuali in radicando, & continendo, consequenter ipsa prout sic perfectius objectum est, quām ens divinum.

110 Et ex his paret ad confirmationem, sicut enim ens reale non sufficienter distinguit objectivē methaphysicam, physicam, & mathe-

maticas à logica; cujus objectum est ens rationis, nisi ut stat sub debita, & proportionata communitate scientiæ, cuius est objectum; sic neque ens divinum sufficienter objective distinguit intellectum divinum à creato, cuius objectum est ens prout abstrahit à creato, & in creato, nisi prout stat sub communitate debita, & proportionata intellectui divino, quā solum est communitas in radicando, & continendo, divinę essentię solum competens, qualiter ab attributis, & relationibus distinguitur.

111 Addē, quod ut prædictimus in confirmatione nostri fundamenti, objectum terminativum primarium intellectus divini debet esse commune communitate sufficienti, ut Deus in illo possit se comprehendere, hæc autem communitas est solum virtualis in radicando, & continendo attributa, & relationes; namque essentia divina non comprehenditur, ex quo cognoscantur omnia divina in se, & absolutè, sed ex quo cognoscuntur in essentia, & ratione illius; sicut neque Omnipotentia comprehenditur ex cognitione omnium possibilium in se, sed ex illorum cognitione in Omnipotentia ipsa, in qua virtualiter effectivē continentur ut patet ex dictis de Visione Dei.

112 Sed dices: hinc solum sequitur essentiam, attributa, & relationes non esse objectum terminativum primarium divini intellectus, ut stant sub ratione communi entis divini, non tamen omnia hæc collectivē sumpta non esse sic objectum illius primarium. Sed respondetur, quod objectum primarium intellectus divini nō potest non esse tale sub aliqua communitate, sicut & objectum primarium cuiuslibet alterius potentiae; cum ergo non possit esse commune communitate per rationem, debet esse commune communitate reali, vel formalis in continendo creaturas, vel virtuali in radicando attributa. Immò si sermo procedit de illis non ut stant sub ratione communi entis divini, sed in se ipsis, patet non omnia posse terminare primario, utpote natura divina non potest non terminare ut radix attributorum; sed eo ipso ut sic terminans est sufficiens ratio terminationis aliorum: ergo terminare non possunt nisi ratione naturæ; hac enim ratione solum ratione naturæ possunt movere, quia præveniuntur ab egerente munus speciei non solum sibi, sed alijs si ergo etiam præveniuntur à natura terminante, ut sufficiens ratio terminationis aliorum, consequenter, &c.

113 Secundo objicies: attributa, & relationes sunt objectum terminativum divini intellectus, non secundarium: ergo primarium. Prob. min. objectum secundarium, non habet intime inclusum.

sum objectum primarium, sed solum dicit habitudinem ad illud, vel causam, vel effectus, vel hujusmodi; sed relationes, & attributa habent intime inclusam divinam essentiam: ergo. Major patet in ente rationis, quod est objectum secundarium nostri intellectus, quod solum dicit habitudinem ad ens reale, non tamè illud in se imbibit, & idem est de creaturis, quæ objectum secundarium sunt divini intellectus, non tamè includunt divinam essentiam, sed ad eam comparantur, ut effectus ad causam. Et contra verò homo, & equus sunt objectum primarium nostri intellectus, quia in se imbibunt rationem entis realis, quæ est objectum primarium illius. Minor verò etiam patet, nàm divina essentia transcendent attributa, & relationes, quippe est de illarum conceptu, ut dicitur in tractatu de Trinitate.

114 Propter hoc argumentum Oxomensis cogitur asserere attributa divina, & relationes, non esse objectum secundarium, sed primarium divini intellectus, non quidem formale, sed materiale, eadem ratione ac homo, & equus sunt objectum primarium materiale intellectus creati, quia transcendentaliter includunt rationem entis, à qua ut ab objecto formalis suam specificationem capit, & cum-sibi objicit, quod objectum formale terminativum debet esse commune per predicationem omni objecto materiali inspeçto à tali potentia, sicut ens homini, vel equo; cum tamè essentia quatenus ab attributis, & relationibus distinguitur, non praedicitur de illis? Respondet neg. min. nàm cum essentia divina, ut distincta virtualiter ab attributis, & relationibus, includatur per realem transcendentiam in illis, etiam ut sic distincta de illis omnibus praedicatur.

115 Sed hæc solutio refutatam relinquimus impugnando fundamentum illius, namque falsum est essentiam divinam reduplicative, ut distinctam à relationibus, & attributis includi per realem transcendentiam in illis, & de illis praedicari, nàm hanc transcendentiam solum habet ex ratione communi entis divini, & actus puri, non ex proprio, & formalis, seu explicito conceptu, secundum quem solum ab illis distinguitur. Et sanè objectum formale primarium terminativum debet praedicari de objecto materiali primario, nedum in sensu idētico, sed etiam formalis, qualiter praedicatur ens, quod est objectum formale terminativum nostri intellectus de homine, & equo, qui sunt objectum primarium illius materiale; & similiter coloratum, quod est objectum primarium potentiarum visivarum, sic praedicatur de albo, & nigro, quæ etiam sunt objectum illius materiale primarium; at supposito

divinam essentiam constitui per intelligere, hæc propositio: *Velle est intelligere*, in sensu formalis est falsa, & solum est vera in sensu identico ex ratione communis entis divini: ergo essentia divina non sic praedicatur de attributis, & relationibus, sicut ens de homine, & equo, coloratum de albo, & nigro; & consequenter neque sufficienter, ut eadem attributa, & relationes comparentur tanquam objecta primaria materialia ad objecta primarium formale. Ac tandem iste author ut salvet proportionem essentiæ divinæ in ratione objecti cum divino intellectu recurrat ad communiam realem virtutem, quam essentia divina, ut radix habet cum attributis, & relationibus, sed hæc non est communitas in praedicando, sed in radicando, seu continendo, quæ competit omni essentiæ respectu suarum proprietatum, de quibus non praedicatur: immò sic ait ille essentiæ divinam ratione sui, & attributa ratione illius terminare actum divini intellectus, sicut essentia angeli ratione sui, & illius proprietates ratione illius terminant actum proprij intellectus: ergo.

116 Melius ergo dicitur attributa, & relationes neque esse objectum primarium materiale divini intellectus, sed solum objectum secundarium: & ad probationem in contra, conc. maj. & dist. min. habent intime inclusam divinam essentiam idētice, & ut ens divinum est, conc. maj. virtualiter, & secundum proprium, & formale conceptum secundum quem est objectum primarium formale terminativum, nego min. & nego conseq. Namque ut essent objectum primarium materiale, deberet in eis includi, & de eis praedicari divina essentia formaliter, seu in sensu formalis: id est, secundum formalissimum conceptum secundum quem sortitur rationem objecti formalis terminativi primarij, qualiter ens praedicatur de homine, & coloratum de albo, & consequenter nedum secundum rationem communis entis divini, qualiter solum divina essentia includitur in relationibus, & attributis, & de eis praedicatur, quia ut sic rationem objecti formalis terminativi primarij non sortitur.

117 Sed contra hanc solutionem objicies primò: ergo sic attributa, & relationes sunt objectum divini intellectus, sicut creatura sunt objectum illius, vel sicut ens rationis est objectum intellectus creati; at hoc est falsum, namque creaturae neque identice includunt divinam essentiam, neque ens rationis ens reale: ergo. Secundo: objectum pure secundarium aliquis potentiarum realiter distinguitur ab objecto illius primario, sicut ens rationis ab ente reali, & creatura à Deo; at attributa divina, & relationes realiter cum divina essentia identificantur: non ergo

ergò sunt objectum divini intellectus purè secundarium, sed primarium administrus materiale. Tertio: objectum primarium potest attingi sine secundario, sicut ens reale sine ente rationis, & Deus sine creaturis, administrus secundum proprias rationes particulares, ut patet in pluribus beatis, ad divina essentia nequè quidditativè, nequè comprehensivè attingi potest sine attributis, & relationibus in sententia thomistarum: ergo. Quarto, sicut attributa, & relationes attinguntur à divino intellectu ratione essentiae, sic homo, & equus attinguntur ab intellectu creato ratione entis, & tamè non infertur hominem, & equum esse objectum secundarium intellectus creati: ergo nequè attributa, & relationes esse objectum secundarium intellectus divini.

118 Sed ad primum dico: sicut attributa, & relationes esse objectum secundarium divini intellectus, sicut creaturæ sunt objectum secundarium illius, & sicut ens rationis est objectum secundarium intellectus creati, attēta ratione formalis objecti secundarij, secūs autem attenta ratione materiali. Et quidem attēta ratione formalis, quia ut argumentum probat objectum purè secundarium est illud, quod formaliter non includit primarium, sed ad illud solum dicit habitudinem radicati: ergo attenta ratione formalis objecti secundarij sicut attributa, & relationes sunt objectum secundarij divini intellectus, sicut creaturæ sunt objectum secundarium illius, & sicut ens rationis est objectum secundarium intellectus creati. Attamèn attenta ratione materiali, hoc est, entitativè, sicut in esse entis considerata, longè distant creaturæ, & attributa, sicut & relationes comparativè ad objectum primarium, quia creaturæ realiter ab illo distinguuntur, nequè illud adhuc ex ratione communi entis imbibunt; cum tamè attributa, & relationes cum illo identificantur, illudque includunt ex ratione communi entis divini.

119 Ad secundum respondetur: quod objectum purè secundarium ex ratione formalis objecti secundarij non petit realiter distinguiri ab objecto primario, quia prout sit solum petit non illud includere formaliter, quod stare potest cù inclusione identica, sicut entitativa. Nequè creaturæ ex ratione formalis objecti secundarij distinguuntur realiter à divina essentia, sed solum ex ratione materiali, quia nempè entia creata sunt, quæ eo ipso identificari non possunt cum ente divino, nequè similiter ens rationis cum ente reali, secūs autem attributa, & relationes

cum divina essentia, quia omnia divina sunt.

120 Ad tertium patet instantia, namque creaturæ nedum secundum proprias differentias, verum, & secundum rationem communem entis potibilis, seu creabilis sunt objectum secundarium, & divina cognitione uto potè comprehensiva non potest divina essentia attingi non cognitis omnibus possibilibus secundum proprias eorum differentias, nequè à beatis attingi potest adhuc quidditativè non eis cognitis secundum rationem communem entis possibilis; sicut nequè quidditativè potest cognosci, non cognita omnipotencia, & hoc propter connexionem divinæ essentiae cum possibilibus. Hinc consequenter, quod beatus possit videre divinam essentiam nullo possibili in particulari cognito, non est purè, quia creaturæ objectum secundarium sunt, aliter posset videre divinam essentiam non cognitis possibilibus in communio, sed quia divinæ essentia non unitur intellectui ipsius secundum totam sui representationem, nequè ei communicatur lumen in sufficienti quantitate, ut possit attingere, quæ in ea solum virtualiter continentur, cum ergo ex una parte divina essentia connectatur cum attributis, & relationibus, immò identificatur cum illis, intimeque in illis includatur ex ratione communio entis divini, & divina cognitione sit comprehensiva, & licet cognitione beati solum sit quidditativa sit quidditativa illius prout est in se, ita ut divinæ essentia intellectui illius unitatur secundum representationem omnium, quæ in Deo sunt formaliter, quodlibetque lumen gloriae, uto potè participatio divini luminis, de se sit sufficiens ad omnia illa attingendum, consequenter quamvis objectum secundarium, quia sic intimè connectitur cum primario, non indè sequitur, quod à beato possit, divina essentia visa, non videri, secūs autem ens rationis, quod nullam connexionem habet cum ente reali.

121 Ad quartum patet ex dictis, nām non sit attinguntur attributa, & relationes ab intellectu divino ratione essentiae, sicut homo, & equus ratione entis ab intellectu creato, uto potè attributa, & relationes attinguntur à divino intellectu ratione essentiae eis communi solum communicante reali, seu virtuali in radicando, & continendo, & sic solum sunt objectum per habitudinem radicati ad illam, ut radicem, quod est esse objectum purè secundarium. Attamèn homo, & equus attinguntur ab intellectu creato ratione entis eis communi in essendo, & predicando, undè formaliter participant rationem communem specificativam intellectus creati, quod est esse objectum primarium materiale illius.

122 Ex dictis manet solutum illud vulgare argumentum, quod objectum terminativum formale debet esse commune per prædicationem omnibus objectis materialibus; cum tamen divina essentia, non sic communis sit attributis, & relationibus. Manet inquam, solutum, nam illud solum est verum de objectis materialibus primariis, ut sunt homo, & unus respectu entis specificativi intellectus creatus secundis vero de objectis materialibus secundariis, ut est ens rationis respectu intellectus creatus, & creatura respectu intellectus divini. Cujus generis etiam sunt attributa, & relationes; namque hujusmodi solum debent contineri sub objecto extensivo intellectus divini, quod sicut est ens abstrahens a essentia, attributis, & relationibus; immo ut abstrahens a creaturis, sicut & objectum extensum intellectus creatus est ens ut abstrahit ab ente reali, & rationis.

123 Tertio obiectis: & est fundamentum Mag. Ferre: intellectui divino ut potè experti omnis potentialitatis tam phisicæ, quam methaphysicæ, debet assignari pro objecto primario terminativo omne id, quod formaliter, & in reto est ens depuratum ab omni potentialitate tam phisicæ, quam methaphysicæ, sed omnis divina formalitas tam absoluta, quam relativa est ens purissimum expers omnis potentialitatis tam phisicæ, quam methaphysicæ: ergo ex parte objecti terminativi, ut quod primarij assignari debet intellectui divino omnis formalitas divina tam absoluta, quam relativa. Discursus est bonus, & minor videtur certa, siquidem qualibet formalitas divina est actus purus in recto; prædicatur enim in recto actus purus de omni ente per essentiam divino. Major autem probat ex proportione quæ debet versari inter potentiam, & ejus objectum specificativum, debet enim hoc convenire cum potentia in modo essendi; cumque divinus intellectus sit actus purus, omne id, quod in recto actus purus est, & sic convenienter cum eo in modo essendi, debet assignari intellectui divino pro objecto primario ut quod terminativi.

124 Confirmatur illud debet esse objectum primario terminativum divini intellectus, quod in recto participat rationem formalem sub qua ejusdem intellectus; sed omnis formalitas divina cum in recto sit actus purus, participat in recto rationem formalem sub qua intellectus divini, quæ est ratio entis depurata ab omni potentialitate: ergo objectum primarium terminativum intellectus divini, est omnis formalitas divina, sive sit absoluta, sive relativa. Major probat: illud enim est objectum terminativum primarium potentia visiva, quod in recto est lucidum colo-

ratum, quia ratio lucidi colorati est ratio sub qua ejusdem potentia; & ideo argumentum fit de objecto primario terminativo cuiuscumque potentia creata, sive humana, sive angelica; ergo illud similiter erit objectum primario terminativum intellectus divini, quod in recto participat rationem sub qua divini intellectus.

125 Sed dices: illud tantum esse objectum primario terminativum, quod primò, & per se, & ratione sui habet terminare divinam cognitionem; hoc attem cum tantum sit essentia divina, illa sola erit objectum primario terminativum cognitionis divina. Sed contra est, nam objectum primario terminativum alicujus potentia non est id, quod primò terminat actum illius, etenim in unoquoque angelo propria substantia non est objectum primarium adequatum terminativum intellectus angelici; & tamen est id, quod primò cognoscitur: ergo nequè in Deo in eo quod primò cognoscitur debemus ponere adequatam rationem objecti primario terminativi, sed tantum partem principalem ejus.

126 Confirmatur: quamvis essentia divina ratione sui, & primò, & per se terminet cognitionem divinam, & attributa terminent medianente essentia, una tamen indivisibilis intelligibilitas, sicut & una summa immaterialitas est ratio cuius cognoscuntur essentia, & attributa: ergo ista attributa non primò terminent divinam cognitionem, erunt nihilominus partes objecti primario terminativi illius. Itaque aliud est prius terminare unum objectum praeter altero divinam cognitionem; & aliud est esse objectum primarium terminativum cognitionis. Fateor primum convenire essentia divina, nego autem convenire secundum; stat enim bene, quod intellectus unum objectum ratione alterius cogniti cognoscatur, & nihilominus utrumque expectet ad primarium terminativum intellectus. Videlicet enim, quod intellectus nequit terminari ad conclusiones, quia prius terminet ad principia, & nihilominus ratio objecti primario terminativi non reperitur tantum in principijs, sed etiam se extendit ad conclusiones. Ita in presenti predictus Magister.

127 Quibus facillime posset primò responderi juxta doctrinam Oxometisis in præcedenti solutione relatam: nempe argumentum solum convincere attributa, & relationes esse objectum terminativum primarium, & non secundarium, divini intellectus, non tam formale, sed materiale; sicut ex quo ens, & inferiora entis convenienter in immaterialitate specificante intellectum creatum, solum sequitur inferiora entis secundum id, quod superaddunt ad ens esse objectum primarium terminativum, & non secundarium.

Intellectus creatus, non verò formale, sed dumtaxat materiale; & hoc ideo, quia illa immaterialitas primò, & per se convenit enti, & inferioribus ratione illius. A simili ergo quamvis attributa, & relationes, utpote actus puri convenienter in immaterialitate, & actualitate cum essentia, quia tamè hæc immaterialitas primò, & per se convenit essentiæ, & ratione illius attributis, & relationibus, consequenter licet attributa, & relationes sint objectum primarium terminativum divini intellectus, non tamè formale, sed materiale.

128 Juxta nostrum autem modum dicendi responderetur ad argumentum ex dictis: quod si cùt non obstante illa convenientia attributorum, & relationum cum essentia in actualitate, & immaterialitate, sola essentia, ut ab attributis virtutaliter distincta est objectum motivum divini intellectus, nou verò attributa, & relationes, sic etiam illa convenientia non obstante sola essentia est objectum primarium terminativum. Paritasque fundatur, quia ideo sola essentia, non verò attributa quamvis purè actualia, est objectum motivum, quia illa pro priori unita intellectui divino, ut radix attributorum, sufficiet fecundat intellectum divinum ad cognitionem nedum sui, sed ceterorum, prouindeque attributa, & relationes in movendo præveniuntur à natura ratione cuius rationem objecti primario motivi obtinere non possunt; at etiam pro priori unitur intellectui divino, ut sufficiens ratio terminationis aliorum, quia etiam terminat ut illorum radix: ergo in terminando etiam præveniuntur à divina essentia, & sic sola illa potest habere rationem objecti terminativi primarij.

129 Deinde ideo sola essentia divina quamvis in immaterialitate, & actualitate convenienter cum attributis, & relationibus, est objectum motivum divini intellectus, quia non est objectum motivum, quia purus actus, & immaterialis ut cumque, seu immaterialitate, & actualitate summa, & pura ut sic, tali nimirum per exclusionem causæ, sed quia immaterialis immaterialitate per modum radicis. Et hoc ideo quia objectum motivum primarium divini intellectus debet esse commune communitate perfectissima, qualis non est communitas per rationem, seu in essendo, & prædicando, sed realis, vel formalis, vel virtualis in radicando, & continendo; at etiam objectum terminativum primarium divini intellectus debet esse commune communitate perfectissima: ergo debet esse etiam commune communitate solùm in radicando, & continendo.

130 Unde in forma distinguitur major, & conceditur de ente depurato ab omni poten-

tialitate per modum radicis, secùs autem per modum radicati; & eisdem terminis distinguitur minor, illam concedendo de puritate ut sic, & negando de puritate per modum radicis; namque de hac loquendo solum illam participant relationes, & attributa in obliquo, quatenus dicunt habitudinem ad illam ut radicata; neque est simile de objecto primario terminativo alterius potentiae creatæ, nam cum hæc non sit perfectissima, sufficienter proportionatur objectum cum potentia per communitatem in essendo, & prædicando; secùs autem intellectus divinus, qui perfectissimus est, proindeq; ut objectum terminativum primarij cum illo proportionetur, exposcit perfectissimam communitatem, quæ sola est in causando, vel radicando, seu in continendo formaliter, vel virtualiter. Hinc etiam quamvis omnes Angeli, ex quo convenient in eodem gradu immaterialitatis, neimpe per exclusionem omnis materia phisica, sint objectum primarium cujuslibet intellectus angelici, etiam infimi, non indè sequitur essentiam, attributa, & relationes, ex quo convenient in eodem gradu immaterialitatis, scilicet per exclusiōem omnis potentialitatis, debere esse objectum primarium divini intellectus, namque sicut objectum primarium intellectus angelici est commune in essendo, & prædicando, debet etiam constitui per immaterialitatem communem in essendo, & prædicando; proinde recte insertur ex participatione in recto illius immaterialitatis, quod sic objectum primarium terminativum illius. Et idem est de objectis aliarum potentiarum; secùs autem de divino intellectu, utpote sicut ejus objectum primarium non est commune in essendo, & prædicando, neque constituitur per immaterialitatem sic in essendo, & prædicando communem; & sic ex participatione illius in recto non insertur esse objectum primarium terminativum illius, si semel non participat communitatem in radicando, & continendo, sed solum dicit habitudinem ad illam.

131 Sed contra prædicta videtur stare id, quod additur in argumento de substantia angelii, & ejus proprietatibus, & similiter de principijs, namque etiam substantia angelii primò cognoscitur ab angelo, & ratione illius cognoſcuntur proprietates; & similiter prius intellectus assentitur principijs, & ratione illorum assentitur conclusionibus; undè non licet inferre substantiam angelii, & similiter principia esse objectum primarium adæquatè terminativum intellectus angelii, vel hominis.

132 Sed ad hoc responderetur, vel cum Oxoniensi: quod licet angelus suas proprietates cognoscat per suam substantiam, ut speciem, alia

tamèn entia creata per illorum species cognoscit, ex quo infertur, non substantiam propriam, sed ens illi, & alijs commune esse objectum primarium terminativum intellectus angelii; & quia sibi ente illius proprietates continentur, ulterius colligitur objectum specificativum intellectus angelici esse aliquid commune communitate rationis substantiae angelii, & proprietatibus ejus. Quod idem proportionabiliter dicendum est de principijs, & conclusionibus: quia enim intellectus noster non solum assentitur his vel alijs principijs, sed, & omnibus, quæ solum convenient analogicè in ratione entis, ex inde colligitar ens ut sic esse objectum primarium adäquatè terminativum illius. Et quia rationem entis ut sic nedum in recto participant principia sed etiam conclusiones, tandem colligitur etiam conclusiones ingredi rationem objecti terminativi primarij illius. Quod in nostro casu, non est unde colligatur, cum solum divinus intellectus cognoscat divinam essentiam ratione sui, & cetera ratione illius.

133 Vel dicatur juxta nuper dicta, quod substantia angelica ratione sui, & ratione illius proprietates cognoscuntur, ut sunt sub immaterialitate eis communi in essendo, & prædicando, & idem est de principijs, & conclusionibus respectu intellectus creati. Attamen essentia divina cognoscitur à divino intellectu ratione sui, & ratione illius cognoscuntur attributa, & relationes non sub immaterialitate eis communi in essendo, & prædicando, quia hęc imperfectionem importat, sed in radicando, & continendo, quæ communitas solum essentia convenient in recto, & attributis in obliquo.

134 Quarto objicies: illud est objectum formale terminativum alicuius potentiarum, cum quo convertitur ratio formalis sub qua specificativa illius; sed ratio formalis sub qua specificativa intellectus divini non convertitur cum essentia divina, ut distincta ab attributis, sed cū ente divino transcendentib; ergo. Prob. min. Ratio sub qua specificativa intellectus divini est veritas divina, sed hęc ad ens divinum consequitur, & cum illo se habet ad convertentiam, non autem cum essentia divina: ergo.

135 Dices, quod ratio sub qua specificativa intellectus divini non est veritas divina transcendentalis, seu communis communitate rationis, sed veritas formalis communis solum communitate reali virtuali, & illa est, quæ convertitur cum ente divino; hęc vero solum cum essentia. Sed contra est: nam sic veritas divina est objectum primarium terminativum divini intellectus, sicut bonitas divina est objectum primarium terminativum divina voluntatis; at bonitas di-

vina, quæ objectum primarium est divinę voluntatis, est bonitas transcendentalis communis in essendo, & prædicando essentia divina, attributis, & relationibus: ergo pariter veritas divina. Prob. min. primò quia sic expressè docetur à D. Thom. i. contra gent. cap. 74. ratione 5. Ubi ex quo divinę voluntati nihil ex aequo proportionatur, nisi ejus essentia, consequenterque principale objectum divina voluntatis est divina essentia, insert: *Quod cum divina essentia sit Dei intelligere, Omnia alia, quæ in ipso esse dicuntur, manifestum est, quod eodem modo principaliter vult se intelligere, se velle, se esse unum, & quidquid aliud est in usus modi.* Non autem eodem modo principaliter vellet essentiam, & attributa, si illam vellet primario, & istam secundario. Secundo: quia objectum formale terminativum divina voluntatis est bonitas increata; sed hæc attributis convenient ratione sui, scilicet secundum id quod superaddunt ad essentiam, & nedum ratione essentie ergo. Tertio: quia Deus amari potest non solum, quia Deus, sed etiam, quia sapiens, & quia justus: ergo non solum deitas, sed etiam attributa sunt ratio formalis terminandi.

136 Sed Oxomensis respondet concedendo major, & neg. min. & ad primam probationem ex Div. Thom. desumptam respondet juxta doctrinam supra allegatam: similitudinem tenere quoad rationem primarij, & principalis objecti, non tamèn quoad rationem objecti formalis, nam ut attributa sint objectum primarium divina voluntatis sufficit habere in se inclusam transcendentaliter essentiam, quæ est objectum ejus formale. Quod idem fatetur de divinis attributis, ut objectum sunt divini intellectus. Ad secundam respondet, quod bonitas increata primaria, & radicalis, & virtute continens omnem Dei bonitatem est objectum formale terminativum divina voluntatis; secùs autem bonitas increata per logicam transcendentaliam. Ad tertiam concedit anteced. & distinguat consequens: sunt ratio formalis terminandi comparatione particularis actus, concedo, comparatione potentiarum, nego. Plura namque objecta, quæ formaliter comparantur ad actus, materialiter comparantur ad habitum, & quæ respectu habitus se habent formaliter, se habent materialiter respectu potentiarum. Unde ex eo, quod Deus à se amari possit, quia sapiens sapientia formaliter objectivè se habente, solum sequitur sapientiam secundum bonitatem, quam superaddit essentie, esse rationem formalem terminandi illum particularem actum, non autem, quod sit ratio formalis terminativa voluntatis divina, sicut homo ut distinctus ab equo est ratio formalis terminandi cognitionem sui, & tamèn veritas peculiaris ho-

hominis prout ab equo distincti non formaliter se habet, sed materialiter comparatione entitatis.

137 Deinde potest concessa majori, satisfieri conformatr ad supra dicta: Div. Thom. per illa verba eodem modo principaliter parificare attributa cum essentia non quantum ad rationem objecti primarij, sed solum quantum ad rationem objecti necessarij: namque Div. Thom. loquitur de amore attributorum contra positive ad amorem creaturarum, qui liber est in Deo, secundus autem amor attributorum, qui necessarius est. Ad secundam probationem recte dictum est etiam in nostro modo dicendi. Ad tertiam resp. quod Deus potest amari, quia sapiens, non ly quia dicente rationem formalem, & primariam divinæ voluntatis, sed secundariam, in sensu in quo Augustinus t. 1. de Civitat. Dei cap. 24. querendo quare Deus fecerit lucem? Responderet, quia bona est; cum tamè bonitas creaturarum in Thomistarum sententia non sit objectum primarium divinæ voluntatis; fateor tamè bonitate in attributorum, & creaturarum diversificari quoad rationem materiale objecti secundarij propter identitatem cum bonitate essentiae, qualiter diximus de veritate in solutione precedentis argumenti.

138 Ac tandem ego non renuo negare majorem. Itaque, concedo attributa sicut cum essentia esse objectum primarium, & formale terminativum divini voluntatis, secundus autem divini intellectus. Disparitasque est clara, namque veritas divinæ essentiae, ut diximus comparatur ad veritatem attributorum ut radix eam virtualiter continens, qua ratione sola veritas divinæ essentiae est objectum formale terminativum divini intellectus. Attamè bonitas divinæ essentiae non sic comparatur ad bonitatem attributorum, sed tam attributa, quam essentia una indivisiibili etiam virtualiter bonitate gaudent. Ratio autem utriusque est, nam veritas etiam sequitur essentiam secundum proprium, & formalem illius conceptum; unde sicut essentia secundum proprium conceptum est radix attributorum, sic veritas divina essentiae est radix veritatis attributorum. Attamè bonitas non sequitur essentiam, nisi ut sit sub existentia, ita ut ab hac, & per hanc tanquam per rationem formalem dicatur bona. Sicut ergo existentia essentiae non est radix existentiae attributorum, sed tam essentia, quam attributa una, & eadem indivisiibili etiam per rationem existentia existunt, sic, & sunt bona una, & eadem bonitate etiam virtualiter, & per rationem.

139 Hanc autem esse doctrinam juxta methodum Div. Thom. constat, namque perpetuus est

in eo, quod unumquodque est bonum in quantum est in actu, unde supra q. 5. art. 1. expressum habet: Unumquodque est actu bonum in quantum est appetibile, est autem appetibile in quantum est perfectum; est autem perfectum in quantum est actu ens, quia esse est actualitas omnis rei; quod etiam expressum affirmat q. 6. sequenti art. 3. ubi ex quo solus Deus est suum esse, infert eum solum esse bonum per essentiam. Et 1. contra gent. cap. 28. estque perpetuus in eo, quod verum competit rebus prout in intellectu; bonitas vero prout in re, seu à parte rei: qua ratione intellectus trahit res ad se, voluntas vero fertur ad illas prout existentes. Hinc loquendo de creaturis possibilibus probabilit sententia in eis admittit veritatem actualem, secundus autem actualē bonitatem, quia dicunt, veritatem sequi ad essentiam etiam praecisa existentia, que dicitur ens nominaliter sumptum; bonitas vero solum sequitur ad ens participialiter sumptum, id est prout existens. Quo in loco id ipsum latius, & expresso attingo contra Oxomensem, concludendo essentiam non habere bonitatem condistinctam à bonitate existentiae.

140 Ac tandem juxta Div. Tho. objectum formale tam motivum, quam terminativum voluntatis est finis, media autem, vel sunt objectū solum per accidens, ut paries respectu visus, in sententia assertorum solum esse bona extrinseca bonitate finis: vel ad summum sunt objectum materiale in sententia assertorum esse intrinsecè bona, quia est bonitas utilis, & ordinata ad finem, propter quem sunt volita. Tunc sic: sed attributa in Deo non sunt media, sed finis, in Deo enim nihil est ad finem ordinabile, ut tenet Div. Tho. infra q. 22. art. 1. in corpore, & q. 5. de veritate art. 2. in fine corporis; hac ratione negante in Deo prudentiam, seu providentiam respectu sui ipsius, & solum concedit prudentiam, & providentiam economicam, vel politicam respectu creaturarum: attributa ergo secundum D. Tho. sunt objectum formale divinæ voluntatis.

141 Sed dices primò: hinc sequitur divinæ essentiam secundum proprium formalem conceptum, & prout distinguitur ab existentia non esse actu purum, neque consequenter ens divinum. Unde etiam sequitur neque esse summe immaterialē; immo solum esse immaterialē, sicut & actualem actualitatem, & immaterialitatem existentiae, quae est sententia Mag. Ferre à nobis supra in precedenti resolutione impugnata.

142 Secundo sequitur objectum divinæ voluntatis esse commune communitate rationis, seu in prædicando, namque communitas realis virtualis solum posset competere bonitatē divinæ essentiae radicantibonitatē attributorum.

143 Tandem licet bonitas divinæ essentia, & attributorum eadem, & indivisibilis sit sicut existentia, primò tamèn, & per se communicatur essentia, & deinde ratione illius attributis, sicut existentia primò, & per se facit essentiam divinam existere, & secundario attributa, unde bonitas attributorum, sicut & existentia est bonitas ab alio, licet non ut à radice, sed ut à forma primò actuante essentiam, ut à simili dicitur de existentia; bonitas vero essentia est opinio à se salvathr ergò bonitatem divinæ essentie esse objectum primario terminativum, attributorum vero esse objectum secundarium.

144 Sed ad primum resp. nos non negare actualitatem essentia condiscinetam ab actualitate existentiae realiter in creatis, & virtualiter in Deo; sed dicimus illam actualitatem dum non intelligitur in actu per existentiam, non intelligi perfectam, & consequenter neque bonam. Ad secundam dicimus, quod quia divina bonitas adhuc virtualiter in essentia, & attributis non multiplicatur, sicut multiplicatur entitas, & veritas, propterea non concipitur ut communis in essendo, & prædicando. Et licet communitas realis ei non competit per respectum ad attributa, bene tamèn per respectum ad creaturem, quatu bonitatem eminenter, seu virtualiter continet. Ad tertium resp. quod sicut bonitatem primario competere essentia, & secundario attributis non sufficit ut bonitas essentia sit primaria, & bonitas attributorum secundaria, sed utraque est una simplicissima bonitas, sic neque sufficit ut essentia dicatur objectum primarium, & attributa secundarium. Vel dicatur, quod sicut ratio entis divini non primario competit essentia, sed æque immediate essentiam, & attributa transcendir, sic existentia, quæ sequitur entitatem divinam, seu essentiam, & attributa, ut entitates divinæ sunt, non primario essentia, sed æque immediate essentia, & attributis convenienter, & consequenter etiam bonitas. Neque sequitur bonitatem divinam virtualiter multiplicari ex multiplicatione virtuali entitatis, quam sequitur; sicut enim in Thomistarum sententia, quamvis existentia sequatur entitatem divinam, hac virtualiter multiplicata, non multiplicatur existentia, sic bonitas divina non multiplicatur adhuc virtualiter multiplicata entitate divina.

145 Tandem objicies: primarium, & formale terminativum divinæ intellectio, ut pote intuitiva est Deus prout in se, at sola divina essentia non est Deus prout in se, sed simul cum attributis, & relationibus: ergò implicat divinam essentiam primario, & formaliter terminare divinam intellectio, quin eam primario formaliter terminet divina attributa, & relationes,

146 Confirmatur primò: objectum primarium, & formale divini intellectus debet esse perfectissimum, ita ut nihil perfectius eo excogitari possit; at perfectius intelligitur divina essentia simul cum attributis, & relationibus, quam ut ab eis virtualiter distincta: ergò. Secundo; in Deo datur scientia respectu attributorū, at hec prout distinguitur à simplici intelligentia versatur immediate circa conclusiones: hæc ergò attingit immediate terminative attributa, & consequenter primario, & formaliter.

147 Sed hæc omnia in precedentibus resolutionibus fuerunt objecta, & soluta. Et quidē ad primum patet instantia in objecto motivo divini intellectus, namque hoc est divina essentia prout in se; unde non sequitur ipsam movere non posse divinum intellectum, non simul moventibus attributis, & relationibus; & hoc propter virtualem distinctionem divina essentia, simul cum oppositione disparata inter divinam essentiam, & attributa in ratione terminandi; namque illa adhuc prout in se terminat ut radix attributorum, & relationum, proinde que ratione sui, & attributa, & relationes ratione essentie. Vel dicatur alijs terminis, quod objectum primarium, & formale terminativum divini intellectus est Deus, seu essentia divina prout in se, ly prout specificante omnia divina prædicata, & reduplicante solū virtualitatem, quæ est ratio terminationis aliorum, qualis est sola essentia divina. Videatur utraqüe solutio in precedentí resolutione ad secundum argumentum, namque hoc argumentum pariter probat solam divinam essentiam, ut ab attributis, & relationibus distinctam non esse objectum primarium, & formale terminativum, ac non esse objectum primarium, & formale motivum.

148 Sed dices: quia sola divina essentia ut sic distincta est objectum motivum, ipsa sola ut sic distincta potest movere non moventibus attributis, & relationibus; at ipsa ut sic distincta non potest terminare, non terminantibus attributis, & relationibus, ut supponimus ex tractatu de Visione: Signum ergò est solam divinam essentiam, ut sic distinctam non esse objectum primarium, & formale terminativum divini intellectus.

149 Sed resp. quod, ut in principio diximus, objectum motivum divini intellectus semper est primarium, objectum autem terminativum abstrahit à primario, & secundario. Cum ergò sola divina essentia sit objectum primariū, bene sequitur ipsam solam movere non moventibus attributis, & relationibus, non tamèn terminare, nām ad hoc sufficit attributa, & relationes terminare secundario, & simul necessario.

connecti, & identificati cum primario. Et patet ex exemplo in creaturis sine quibus divina essentia terminare non potest divinam intellectio nem, ut potè comprehensivam, propter connectionem necessariam, quam cum ea habent, licet solum secundario terminent.

150 Ad primam confirmationem pariter constat ex dictis precedentibus resolutione ad tertium argumentum, sicut enim ut sola essentia divina sit objectum motivum divini intellectus sufficit, quod intelligatur perfectissima in propria linea speciei fœcundantis sufficienter intellectum ad cognitionem sui, & ceterorum; licet prout sic non intelligatur perfectissima in omni linea; & in propria linea speciei intelligitur perfectissima per hoc praecesse, quod per se ipsam immediata uniat divino intellectui, ut radix attributorum: pariter ut ipsa sola sit objectum primarium, & formale terminativum sufficit, quod intelligatur perfectissima in ratione terminandi, licet non absolute, & simpliciter; & sic intelligitur hoc ipso, quod intelligitur terminare immediata, ut radix attributorum, quippe eo ipso unitur comprehensivè, ut ratio terminantis sui, & ceterorum.

152 Ad secundam confirmationem etiam patet instantia in scientia creaturarum, quæ pariter in Deo admittitur; unde non sequitur creature esse objectum primarium terminativum divini intellectus: & hoc quia, vel scientia in Deo non distinguitur virtualiter ad aquatè à simplici intelligentia, vel quia scientia in Deo non est actus primarius, sed secundarius divini intellectus: à simili ergo. Videantur quæ diximus resolut. 1. ad 5. argumentum loquendo de creaturis; nihil enim hic dicendum superest.



## DE SCIENTIA DEI LIBERA CIRCA FUTURA CONTINGENTIA DUBIA III.

### DUBIUM I.

*Quod sit constitutivum futuri.*

\* **N**omine futuri intelligitur, quod cum de presenti non existat, existet postea, qua ratione Ante-Christum dicimus futurum. Quod quidem aliud est absolutum, & aliud conditionatum; illud est, quod non dum existit, erit tamen postea; conditionatum est illud, quod esset si poneretur con-

tatio: exemplum primi est Ante-Christus, secundi est penitentia Tiriorum, si Christus illis evangeliū prædicaret. Item futurum absolutum est duplex: aliud absolutum simpliciter tale, & omnibus modis, & hoc est, quod infallibiliter erit, ut est Ante-Christus; alterum est secundum quid tale, quod nempè est talè attenta solum inclinazione causæ secundæ, quæ quia impedibilis est, potest non obstante inclinatione impediri, ne effectui communicet existentiam, quo in sensu verificatur illud Philosophi secundo de generat. *Futurus quis incedere, non incedet.* Et pariter mors Ezechiæ ab Isaiâ comminata, futura erat, quia morbus quo afflictabatur, de se inferret mortem nisi miraculosè impediretur. *Hinc Div. Thom. 1. p. q. 19. art. 7. ad 2.* Dicit, quod Deus pronuntiat aliquando aliquid futurum, secundum, quod continetur in ordine causarum inferiorum juxta dispositionem naturæ, & meritorum, quod tamè non fit, quia aliter est in causa superiori effectiva. In praesenti autem solum procedit sermo de futuro absolute, & simpliciter tali. Hinc enim facile est cognoscere constitutivum aliorū futurorum. Quo in dubio plures sunt difficultates: prima, & præcipua: an forma constitutiva futuri sit forma de presenti existens tempore futuritionis. Secunda: an prædicta forma sit scientia divina. Tertia: an sit habitudo quam res prout est in causa, habet ad se ipsam ut erit presentis suo tempore. Quarta: an sit habitudo realis pertinens ad realitatem essentia. Quinta: an sit tempus antevertens propriam durationem, seu negatio durationis, in qua erit existentia propria. Sexta: an denique sit determinatio cause ad productionem effectus. Sit ergo.

### RESOLUTIO I.

*Forma constitutiva futuri est existens de praesenti tempore futuritionis.*

\* **E**st contra Patrem Izquierdo, Arriaga, Puente, Hurtado, Matthæum, Borul, quos sequitur novissime Primarius Complutensis Herrera, & magis communiter discipuli Societatis. Eam tamè tenent universi Thomistæ cum suo Angelico Magistro locis citandis in 6. resolut. Quibus subscribunt ex Societate Antonius Perez, Martinus de Exparza, Cardinalis Esforzia, Riva de Neyra, & alij.

\* **F**undaturque primò: nam tempore futuritionis verificatur de objecto, quod est futurum nunc, & de presenti esse futurum ut nunc, & de presenti verificatur de Ante-Christo: ergo tempore futuritionis verificatur, quod existat forma constitutiva futuri. Anteced. est notum, conseq.

probat. nām forma constitutiva alicujus nequid non existere, existente constituto per illam, sicut neque effectus formalis, non existente forma, cum effectus formalis si ipsa forma communicata: ergo nequid verificari de præsenti, sū tempore futuritionis esse aliquid futurum, quin verificetur eodem tempore existere formam constitutivam futuri.

4 Sententia contraria afferit futuritionem solum importare carentiam existentiae de præsenti, & existentiam pro duratione sequenti, sū in qua existet res futura, præscindendo ab omni de præsenti. Juxta quam ad nostram rationem diversimodè respondēt; & primò quidam apud Herice absolutè, & absque aliqua distinctione negant, quod tempore futuritionis verificetur de objecto, quod est futurum de præsenti: namque objectum non est futurum modo, sed cras, sicut neque hodie, sed cras, & sua duratione est extitutum. Sed sanè si ita est: ergo cum nūc, & de præsenti profero propositionem hanc de fide: *Ante-Christus est futuras*, dico falsum. Patet conseq. quia copula est significat de præsenti, proptereaque cum dico: *Ante-Christus est futurus*, significatur futurum esse de præsenti. Deinde si nūc, & de præsenti non est verū, quod *Ante-Christus est futurus*: ergo tempore futuritionis non est verū, quod *Ante-Christus est futurus*, quippè tempus futuritionis est tempus antevertens existentiam futuri, quod explicatur per nūc, vel hodie, sū durationem in qua *Ante-Christus caret* existentia habenda sua duratione; sed si tempore futuritionis non est verū, quod *Ante-Christus est futurus*, nunquam erit verū, quod *Ante-Christus est futurus*; aliter erit verū, quod *Ante-Christus est futurus* transacto tempore futuritionis, quod est affirmare esse futurum, cum non est futurio; & consequenter existere effectum formalē, cum non existit forma constitutiva futuri: ergo. Explicatur hoc, namque futurio pro aliquo tempore existet: ergo vel tempore antevertenti existentiam rei futuræ, vel tempore existentia illius? Hoc secundum dici non potest, cum potius per existentiam rei futuræ dissolvatur illius futurio: solum ergo existere potest tempore futuritionis.

5 Dices futuritionem numquam actu existere, immo eam existere implicare, quia cum futurio importet existentiam rei, & carentiam durationis, in qua res erit, affirmare de præsenti futuritionem, eset affirmare rem existentem actu, & negationem durationis. Sed contra est: nā futurio non est quid confitum à nostro intellectu, sū ens rationis, sed quid reale sed omne ens reale est potens aliquando realiter existere,

cum non possit non dicere ordinem ad existentiam: ergo. Deinde hēc veritas objectiva: *Ante-Christus est futurus*, existit de præsenti: ergo, & futurio Ante-Christi existit de præsenti. Conseq. pat. & anteced. prob. contradictorium hujus veritatis: *Ante-Christus est futurus*, non existit de præsenti: ergo ipsa existit de præsenti. Antec. pat. nām contradictorium illius veritatis est veritas objectiva istius: *Ante-Christus non est futurus*; sed hāc nō existit de præsenti; alias esset verū dicere de præsenti, *Ante-Christum non esse futurum*: ergo. Conseq. verò probatur: nām ex duobus contradictorijs necesse est unū existere, aliter daretur mediū inter illa, & posset utrūque falsificari, contra illud principium: *Idem non potest simul esse, & neesse*: Si ergo veritas objectiva istius: *Ante-Christus non est futurus* defactò non existit, necesse est existere veritatem objectivam alterius *Ante-Christus est futurus*.

6 Neque ex quo futurio affirmetur de præsenti, sequitur affirmari rem existentem actu, namque alia est existentia futuritionis, & alia existentia rei futuræ, cùm existentia rei possit stare sine existentia futuritionis; utpote adveniente existentia rei, dissolvitur futurio, ut diximus: ut ergo affirmetur de præsenti futurio rei, non est necesse affirmare de præsenti existentiam rei, sed sufficit affirmare existentiam futuritionis. Immò necesse esse affirmare de præsenti futuritionem, non affirmata de præsenti existentia rei, patet ex adversariorum sententijs, namquè ipsi dicunt futurionem rei confitere in carentia existentiae illius de præsenti, & existentia postea; at non affirmata existentia rei de præsenti, affirmatur de præsenti eam carere existentia, quam postea habebit: ergo non affirmata de præsenti existentia rei, affirmatur de præsenti futurio illius. Et hinc tollitur equivocatio: Cūm enim dicitur, *Ante-Christus est futurus*, non enuntiatur de Antechristo, quod est exiturus nūc, sed quod nūc habet, quod sit postea exiturus; ex hoc autem quod nūc habebit, quod sit postea exiturus, non infertur Antechristum nūc existere, ut sit postea exiturus; nam ad hoc esset necesse denominationem futuri esse ei intrinsecam, cùm tamen extrinseca sit, ut patebit ex sequentibus; denominatio autem extrinseca de præsenti potest rei non existenti competere, sicut & possibilibus convenit de præfati possibilitas, & Adamo convenit de præsenti esse cognitum.

7 In idem fere incidit evasio Complutensis Herrera, qui non potens negare *Ante-Christum esse nūc*, & de præsenti futurum, ait, quod verbum est in predicta propositione non accipitur per statum, & omnino propriè, sed per alie-

alienationem, & impropriè. Accipitur per statum, & propriè, quando accipitur in sua propria, & stricta significatione: hoc, quando pro eodem accipitur, ac existit absolute de praesenti; ut cum dicitur, Petrus est albus, idem enim est, Petrus est albus, ac Petrus existit, habens absolute, & de praesenti albedinem. Tunc vero accipitur per alienationem, quando accipitur non strictè, & rigurose, sed impropriè, & latè ratione alicujus particulæ illud extrahentis à propria ad impropriam significationem. Et sic contingit in praesenti; nam cum dicitur, *Antechristus est futurus*, verbum est non accipitur de praesenti absolute, sed de futuro, ita ut perinde sit dicere, *Antechristus est futurus, ac Antechristus erit.*

8 Sed contra hanc evasionem militant pri-mò relata in praecedenti impugnatione, namque hæc propositio de fide *Antechristus est futurus*, est vera in proprio, & riguroso sensu: ergò Verbum est non accipitur in ea impropriè, & per alienationem, sed propriè, & per statum. Antecedens patet, ut potè futuritio convenit verè, & propriè Ante-Christo, quæ convenientia affirmatur per Verbum est.

9 Dices cum eodem, quod Verbum est accipitur impropriè improprietate opposita proprietati qua gaudet Verbum est secundum se; non vero impropriè improprietate opposita proprietati quam habet Verbum est conjunctū cum particula *futurum*. Sed contra est: nám absolute, & sine addito est concedendum Ante-Christum esse propriè, & rigurose futurum, aliter futuritio conveniens Ante-Christo non erit propriè, & rigurose talis: ergò in hac propositione *Antechristus est futurus*, Verbum est accipitur propriè absolute, scilicet proprietate qua gaudet Verbum est secundum se.

10 Confirmatur: in qualibet propositione vera de praesenti, in qua interveniat alienatio, sive particula alienans sit subjectum; sive prædicatum, non alienatur Verbum est: ergò dato, quod in hac propositione, concessa ut vera, *Antechristus est futurus*, interveniat alienatio, illa non potest cadere super Verbum est. Anteced. constat: namque in hac propositione: *Petrus est ridens*, in qua intervenit alienatio, hæc non cadit supra Verbum est, cum Petrus existat de praesenti, sed super prædicatum *ridens*, quod non accipitur pro ridente propriè tali, sed tali metaphorice, & similitudinarie. Similiter in hac: *Homo est piatus*, in qua etiam intervenit alienatio, hæc non cadit supra Verbum est, cum homo piatus existat de praesenti, sed supra subjectum *Homo*, qui non accipitur pro homine vere tali, sed similitudinarie tali: ergò voluntarie assertur, quod in hac propositione: *Ante-*

*M. Garrafo.*

*Christus est futurus*, Verbum est alienatur per prædicatum *futurus*; prædicatum enim solùm potest alienare subjectum, ut in hac: *Homo est piatus*, vel subjectū prædicatum, ut in hac: *Petrus est ridens*. Immò propterea in hac: *Petrus est ridens*, prædicatum alienatur, & in hac: *Homo est piatus*, alienatur subjectū, quia risus propriè dictus non potest convenire Petro, cum sit proprietas hominis, neque homo propriè dictus potest esse imago, vel pictura, cum sit animal rationale; at nec futuritio propriè dicta repugnat Ante-Christo, nequè repugnat Ante-Christum esse futurum futuritione propriè dicta: ergò nō est undè in prædicta propositione interveniat alienatio.

11 Deinde impugnatur prædicta solutio etiam ex dictis: namque futuritio est aliquid reale, & non ens rationis ab intellectu confitum: ergò dicit ordinem ad existentiam, estque potès realiter existere, sed non duratione illa, qua Ante-Christus est praesens, & realiter existens, ut potè tunc potius dissolvitur futuritio: ergò tempore antevertenti existentiam de praesenti ipsius Ante-Christi: Tunc ergò existit futuritio Ante-Christi, & consequenter cum dicitur: *Antechristus est futurus* Verbum est significat futuritatem, ut existētem absolute de praesenti. Et hinc etiam apparet equivocatio prædicti Authoris, quod propterea asserit Verbum est in prædicta propositione non accipi propriè, prout idem est ac existit, quia alias per eum affirmaretur Ante-Christum existere de praesenti, cum tamè solùm sit extiturus de futuro. Apparet, inquam, nam nos potius asserimus, quod in eo, quod dicitur: *Antechristus est futurus*, de Ante-Christo non enuntiatur existentia de praesenti, sed de futuro; enuntiatur tamè ipsum de praesenti habere, quod sit extiturus postea, scilicet de futuro, vel duratione posteriori ad tempus, in quo de illo affirmamus, quod est futurus; quod est futuritione illius de praesenti illo tempore existere.

12 Item impugnatur prædictus modus dicensi, & cæteræ impugnationes roborantur: namque licet verum sit, quod Verbum est in prædicta propositione solùm enuntiet de Ante-Christo esse impropriè, & secundum quid tale, non inde infertur formam constituentem illum in eo esse futuro non enuntiari, ut simplicitè existentem, sed potius oppositum; quod sit clarum ab inductione omnium rerum existentium secundum quid: nám cum dicitur, *Aliquid est possibile*, Verbum de possibili solùm enuntiat esse impropriè, & secundum quid; & tamè enuntiat formam constitutivam illius in esse possibilis, ut simplicitè existentem, nempe possibilitatem, quæ in divina

Q

Omni-

Omnipotentia consistit. Similiter, cum dico: *Salus est desiderata, Verbum est enuntiat de salute solum esse secundum quid*, & improprie; & tamen enuntiat formam constitutivam illius in eo esse, ut simpliciter existentem, nempe desiderium ipsum salutis. Pariter cum dico: *Adam est cognitus*, Verbum est solum enuntiat de Adamo esse improprie, & secundum quid; & tamen enuntiat formam constitutivam illius in esse cogniti, ut simpliciter existentem, nempe cognitionem. Idem pariter appetit cum de homine mortuo affirmatur, quod est pictus, namque tunc enuntiat simpliciter existere illius imaginem, à qua denominatur pictus.

13. Quibus exemplis clarissimè demonstratur, quod licet de Ante-Christo, utpotè non existente, sed exituro non possit vere affirmari per Verbum est aliquid esse propriè, & simpliciter tale, non inde sequitur non enuntiare futuritionem ipsam, ut simpliciter existentem: Immo necesse est eam sic enuntiare, sicut necesse est, ut verificetur rem esse possibilem, esse desideratam, esse cognitam, & esse pietam, quod existat possibilitas, desiderium, cognitione, & imago illius. Cujus ratio à priori est nostrum fundamentum, quia hoc, quod est rem esse possibilem, est effectus formalis possibilis, sicut saltem esse desideratum est effectus formalis desiderij, & esse cognitum est effectus formalis cognitionis, ac tandem esse pietum vel imaginatum est effectus formalis pieturæ, seu imaginis; & effectus formalis non potest existere, & de praesenti affirmari, quin de praesenti affirmetur, & existat forma cuius effectus formalis est: à simili ergò.

14. Tandem impugnatur predictus modus dicendi: namque aliqua copula propriè accepta debet assignari media, qua futurito affirmetur de Ante-Christo, utpotè futurito Ante-Christi est vere, & propriè talis, verèque, & propriè ens reale, sed talis copula non est Verbum *Fuit*, ut patet: ergò si aliud non est Verbum est, erit Verbum *erit*; at hæc non potest esse: ergò. Patet minor: nám inde sequitur hanc propositionem esse veram: *Nunc Ante-Christus erit futurus*; esseque falsam constat, nám inde sequitur, quod Ante-Christus solum sit futurus tempore sua existentie, quippe ante existentiam solum de illo potest propriè affirmari, quod erit, non quod est futurus.

15. Tertiò alij ex Doctoribus Societatis respondent, quod cum dicitur Ante-Christus est futurus, futurito non enuntiat de praesenti adéquatè, sed inadéquatè sumptu; namque futurito consistit in carentia existentie de praesenti, & existentia habenda postea, quæ utraque ra-

tio in eadem duratione existere non potest, ac proinde nequè ipsa futurito potest adéquate existere tempore futuritionis, sed hoc tempore existit ea parte, qua importat carentiam existentie, & duratione sequenti existit ea parte, qua dicit existentiam habendam postea. Ita inter alios Mathias Borul.

16. Sed hæc evassio multipliciter, & manifestè impugnatur, & primò ex dictis; namque falsum est futuritionem inadéquatè solum existere tempore anteverente durationem in qua res futura exitura est de praesenti, utpotè futurito nequè inadéquatè existit, cum existit de praesenti res futura, nám futurito neque inadéquatè existit tempore, quo dissolvitur futurito; dissolvitur dum res futura existit de praesenti: ergò tunc nequè inadéquatè est futurito. Conseq. pat. & minor, liquet ex terminis, & est expressa Div. Tho. hic art. 13. in principio corporis illis verbis: *Contingens aliquid duplicitè considerari potest: uno modo in se ipso secundum quod jam in acta est, & sic non consideratur, ut futurū, sed ut presens.*

17. Dices, quod tempore, quo res futura existit de praesenti, dissolvitur futurito ea parte, qua importat carentiam existentie, non vero ea parte, qua importat existentiam postea habendam. Sed contra primò: ergò dum res existit de praesenti, verificatur esse inadéquatè futura pro ipsa eadē duratione, qua existit, nám in praesenti loquimur de futuro purè tali, quod scilicet modo non existit, & existit postea, non de futuro, non purè tali, quod nempe modo existit, & postea existit; hoc autem falsissimum est, namque de eadem re verificari non potest, quod existit, & est futura pro eadem duratione, quia in hoc involvitur contradic̄io, nempe existit inadéquatè, utpotè in eadem duratione existit; nequè enim percipio quomodo dum existit, de ea possit verificari, quod est futura; nisi quatenus existit pro alia duratione, nisi forte participium *futura* etiam significet, quod de praesenti existit, quod hucusque innominatum est.

18. Neque valet, quod Verbum *erit* ampliat ante se pro eo, quod est, vel erit, namque hoc solum est verum, ut diximus, sumpto Verbo *erit* in communi, & quatenus indifferentè significat futurum, sive purè tali, sive non; quo in sensu de Petro existenti potest idem verificari. Et propterera dicitur, quod ampliat, quia nequè petit existentiam subjecti, nequè eam excludit. Secùs tamè est cum determinatè significat futurum purè tali, de quo solum potest verificari, quod nunc non existit, & existit postea, quod utrumque definit verificari dum de eo affirmatur, quod existit. Immo ex hoc ipso manifestè appetit aequivocatio, namque juxta hunc

hunc modum dicendi existentia habenda non constituit inadæquatè futurum, nisi quatenus habenda, sic enim ingreditur diffinitionem futuri: nempè futurum est, quod nunc non existit, & existet postea; sed dum futurum de præsenti existit, jam desinit esse existentia habenda, ut potè jam est existentia habitæ: ergò nequè inadæquatè pro existentia habenda exsistit tunc futurito, sed tempore antecedenti habitionem existentia existit adæquate.

19 Secundo impugnatur hic modus dicendi: nam vel tempore anteverenti durationem de præsenti rei futuræ verificatur absolute esse futuram, vel non? Hoc secundum est contra fidem, juxta quam Ante-Christus modo absolute dicitur futurus. Si primum? Non potest non toto illo tempore adæquatè futurito existere: ergò. Patet hæc pars. Tum: nam quia ab æterno Deus dicitur absolute libere volens, inferunt theologi, etiam adversarij, quod ab æterno est in Deo forma eum constituens libere volentem, ita ut creatura, quæ ab æterno non sunt, nequè inadæquatè possint constituere liberum Dei decretum. Tum: nam quia motus nequit totus simul existere, non potest absolute dici, quod nunc est motus. Ratioque à priori est, nam propositio affirmativa ad sui veritatem requirit prædicatum secundum sui adæquatam rationem convenire subiecto juxta differentiam temporis importatam per copulam. Ac tandem quis dicat Christum Dominum tempore legis, & ante sui naturalem conceptionem, temporealemque nativitatem à Patribus creditum non fuisse, neque expectatum, ut adæquatè venturum, solumque tunc fuisse futurum sumpta futuritione pro parentia existentia?

20 Tertio impugnatur: namque iste author jam fatetur futuritionem saltè inadæquatè enuntiari de præsenti cum dico: *Ante-Christus est futurus*; ergò adminùs inadæquatè existit tunc futurito; sed juxta hunc modum dicendi neque inadæquatè existit: ergò. Probat. min. nam juxta hunc modum dicendi tempore futuritionis anteverenti durationem in qua de præsenti existet Ante-Christus, non verificatur de illo nisi parentia existentia, quam postea habebit; sed prædicta parentia non existit: nequè capax est existendi, nisi obiective intellectu: ergò.

21 Dices forte, quod quia futurito solum enunciatur de præsenti ea parte, qua importat parentiam existentia, & parentia existentia propriæ, nequè est, nequè existit, non infertur futuritionem etiam inadæquatè existere. Sed argumentum manet in suo robore, namque, vel cōceditur futuritionem Ante-Christi esse inadæquatè proprie de præsenti, vel solum impropriæ?

Si hoc secundum? Impugnatà relinquimus contra Patrem Herrera. Immò tunc non est necesse distinguere de futuritione adæquata, vel inadæquata, sed melius posset responderi dicendo non esse propriæ, sed impropriæ; si primum? Cum propriæ esse sit existere, non potest non sequi futuritionem inadæquatè existere. Deinde si futurito solum est in tensu in quo est carētia existentia: ergò cum de parentia existentia non verificetur esse à parte rei formaliter, sed solum fundamentaliter, namque solum habet esse formaliter per intellectum, codem prorsus modo dicitur futuritionem Ante-Christi solum esse à parte rei fundamentaliter, non verò formaliter; proindeque Ante-Christum à parte rei, seu independenter ab intellectu non esse formaliter futurū.

22 Secundo fundatur nostra resolutio, & præcedens fundamentum roboratur: catenùs in sententia opposita forma constitutiva futuri non est existens de præsenti tempore futuritionis, quia per hoc præcise, quod res, seu consensus nunc non existit, & existet postea, constituit adæquate in ratione futuri, in quo nihil exprimitur de præsenti existens, præter parentiam existendi nunc; at falsum est, quod in hoc, quod dicitur: *Consensus nunc non existit*, & *existet postea*, nihil exprimitur de præsenti existens præter parentiam existendi nunc: ergò. Probatur minor: in hoc, quod dicitur: *Consensus nunc non existit*, & *existet postea*, exprimitur de præsenti consensum nunc non existente esse de præsenti determinatū ad existendum postea: ergo aliquid exprimitur de præsenti existens præter parentiam existendi nunc. Consequentia patet, & ante ced. probatur primò: quia in hoc, quod dicitur, *Consensus nunc non existit*, & *existet postea*, exprimitur de præsenti consensum esse in via, & tendentia ad existendum postea, potius quam ad non existendum; sed esse in via, & tendentia ad existendum postea, potius quam ad non existendum, est esse determinatum ad existendum postea: ergò.

23 Secundò probatur idem antecedens: nam in eo, quod dicitur, *Consensus nunc non existit*, & *existet postea*, exprimitur de præsenti ordo, & habitudo consensus non existentis ad existendum postea, potius quam ad non existendum; at iste ordo, & habitudo non aliud est, quam consensum esse determinatum de præsenti ad existendum postea. Minor patet, & major est expressa Divi Thom. quæst. 12. de verit. art. 10. ad 2. ubi expressa habet: *Præscientia Dei secundum hoc propriæ præscientie nomen habet, quod ad eventum respicit, qui futurus est; ordo enim ad eventum est in præsenti, unde de eo magis habetur scientia, quam præscientia.*

24 Tertiò probatur idem antecedens in hoc, quod dicitur: *Consensus nunc non existit, & postea existet*, exprimitur de præsenti, quod consensus non est purè possibilis: ergò exprimitur de præsenti, quod est aliquid, quo consensus extrahitur ab statu purè possibilitatis; at si solum de præsenti exprimitur catentia existendi nunc sine determinatione ad existendum postea, non exprimitur de præsenti aliquid, quo extrahatur ab statu puræ possibilitatis ad statum futuritionis, cùm illam parentiam etiam habuerit intra statum pure possibilitatis: ergò in hoc, quod dicitur: *Consensus nunc non existit, & postea existet*, exprimitur de præsenti consensum esse determinatum ad existendū postea, & nedūm consensum de præsenti non existere.

25 Quartò probatur idem antecedens in hoc, quod dicitur: *Consensus nunc non existit, & postea existet*, exprimitur de præsenti, quod consensus non est indifferens ad existendum, & non existendum postea; at indifferens non excluditur, nisi per determinationem: ergo in eo, quod dicitur, *consensus nunc non existit, & postea existet*, exprimitur de præsenti, quod consensus est determinatus ad existendum. Tam major, quam minor sunt notæ, namquæ si consensus sit indifferens ad existendum, & non existendum postea, non est, cùr potius dicatur futurus, quam non futurus; quippe futurus dicitur consensus, qui extiturus est postea; non futurus vero dicitur consensus, quia extiturus non est postea: ergò consensus, qui indifferens est ad existendum, & non existendum postea, non est cùr potius dicatur futurus, quam non futurus.

26 Quartò probatur idem antecedens: nám in hoc, quod dicitur: *Consensus nunc non existit, & postea existet* exprimitur de præsenti connexionis aliqua consensus cum existere postea; at hæc connexionis ex terminis est determinatio ad existendum postea: ergò. Probatur major, & claritatis gratia iterum noto, quod in præsenti solum loquimur de futuro contingentis infallibilitè tali: quod nimirum est objectum scientiæ divinæ, & per eam ab æterno præcognitum, quo supposito sic argumentor: in hoc, quod dicitur: *Consensus nunc non existit, & postea existet*, exprimitur de præsenti aliquid infallibilitè inferens ipsum existere postea; sed hoc est exprimi connexionem, immò infallibilem consensus cum existere postea: ergò. Minor, & conseq. patent. Major autem probatur: in hoc, quod dicitur: *Consensus nunc non existit, & postea existet*, exprimitur de præsenti aliquid constitutus illam propositionem infallibilem, sed si non exprimitur de præsenti aliquid infallibilitè inferens ipsum existere postea, non ex-

primitur de præsenti aliquid, quod illam propositionem constituat infallibilem: ergò. Major est nota, namque infallibile est infallibile; quod enim falsificari potest, infallibile non est. Minor vero etiam videtur peripicua, nam si non exprimitur de præsenti aliquid infallibilitè inferens ipsum existere postea: ergò non exprimitur de præsenti aliquid infallibilitè inferens veritatem hanc: *Consensus postea existet*; sed si non exprimitur de præsenti aliquid infallibilitè inferens veritatem hanc: *Consensus postea existet*, non exprimitur de præsenti aliquid, quod eam reddat, scū constitutat infallibilem, namque solum potest reddi infallibilis per id, quod eam constituit infallibilitè veram: ergò.

27 Sed dices: hoc fundamentum convincere omnino requiri aliquid de præsenti à futuro distinctum per modum determinantis cum ad existendum postea; non tamèn convincere futuritionem consistere in eo, & non in aliquo indistincto ab ipsa existentia futuri pro tempore habenda: quod probatur à paritate præsentis rei; ad hanc enim requiritur aliquid ab ipsa re distinctum, quod determinet illius existentiam; & tamèn præsentia non consistit in aliquo distincto ab existentia rei pro tempore jam existenti. Sed disparitas est clara, namque licet præsens, & futurum in eo convenienter, quod utrumque est determinatum, & non omnino indifferens, differunt tamèn, quod cum præsens sit determinatum ad existendum nunc, quod est habere existentiam de præsenti, ex hoc ipso sine alio distincto ab ipsa existentia de præsenti, scū nunc jam habita constituit formaliter in ratione præsentis. Attamèn futurum est determinatum ad existendum postea, & sic nequè in se est, ejusque existentia nondū est de præsenti habita; proptereaque ut sic de præsenti sit formaliter determinatum ad existendum postea, exigunt tanquam formam aliquid extrinsecum ab ipsa existentia postea habenda formaliter distinctum.

28 Tertio fundatur nostra resolutio, præcedensque fundamentum roboratur, evertendo responsionem contrariorum: namque si cum dicitur: *Consensus nunc non existit, & existet postea*, non exprimitur de præsenti consensum esse determinatum ad existendum postea, non est assignare rationem cur consensus potius dicitur futurus, quam non futurus: exprimitur ergò de præsenti consensum esse determinatum ad existendum postea. Probatur antecedens inquirendo à contrarijs: cùr nunc, & de præsenti consensu non existente, possit rationabiliter dici esse determinare futurum? Fatores enim

enim me non scire quis consensus sit futurus, scio tamèn quod si consensus aliquis sit futurus ideo est, quia est determinatus ad existendum. Nunc verò sicut ego assigno rationem cur consensus aliquis est futurus, assignent contrarij. Et sane omnes Chatholici sciunt ex divina revelatione Ante-Christum esse futurum: inquiro ergò unde habet, quod sit futurus potius quam non futurus? Et quidem adversarij respondent hujus non esse assignare aliam causam, quam ipsam suppositionem eventus futuri; ex eo enim, quod de consensu, vel de Ante-Christo aliquando verificabitur, quod nunc est, infallibilis redditur illius futuritio pro tempore antecedenti. Hinc consequenter docent futuritionem consensus formaliter, & constitutivè provenire ab ipso consensu de quo verificabitur, quod nunc est; effectivè verò, seu causativè ab ipsa causa, à qua consensus provenit cum defacto est. Quod est perinde ac si dicerent consensum esse futurum formaliter ex eo, quod aliquando de illo verificabitur, quod nunc est; & causativè, quia de voluntate verificabitur, quod nunc consentit. Sed sifstat attentio in Verbo: *Verificabitur*, & idem inquirio, unde aliquando verificabitur, quod consensus est? Illud enim Verbum: *Verificabitur*, etiam dicit veritatem de futuro; unde sicut de consensu futuro inquirimus unde habet, quod erit ita de veritate illa: *Verificabitur*, inquirimus unde habet, quod ita erit? Sanè juxta dicta respòdebis, quod verificabitur, quia aliquando de presenti verificabitur, quod nunc est verum consensum esse: ergò est dicere, quod aliquando verificabitur consensum esse, quia aliquando verificabitur verum esse, consensum esse; sed quod aliquando verificabitur verum esse, consensum esse, nihil addit supra quod aliquando verificabitur consensum esse, nam in presenti loquimur de veritate objectiva, que in esse consensus consistit: ergò de primò ad ultimum est dicere, quod aliquando verificabitur: *Nunc consensus est*, quia aliquando verificabitur: *Nunc consensus est*. Quod est respòdere per idem, quod inquirimus.

29 Et sane ita est, quid enim addit de consensu verificabitur aliquando, quod nunc est, supra *Consensus erit*. Ponamus exemplum, interrogetur quis cur, vel unde creatura habet, quod sit possibilis, & dicatur, quod est possibilis, quia potest esse, certè non responderet, quia idem est interrogare, unde habet creatura, quod sit possibilis, ac unde habet, quod possit esse, neque posse esse, addit aliiquid supra esse possibilem. Et ut respondeatur, necesse est recurrere ad non repugnantiam, vel ex parte Omnipotentia, vel ex parte terminorum. Ergò à simili non rectè

respondebitur ad questionem: *Cur aliquid erit*, per hoc, quod de illo verificabitur, quod aliquando est, quia hoc nihil addit supra esse futurum, prater materialem variationem terminorum.

30 Dices forte suppositionem eventus futuri non in eo consistere, quod aliquando verificabitur, quod eventus est, namque Verbum verificabitur per inde se habet ac erit; sed in eo quod aliquando verificatur, quod est; ex quo enim nunc verum est, quod est consensus, verum erat antea, quod erit, vel foret. Unde futuritionem consensus probabit eventus, nempe cum videamus Ante-Christum existentem, & Petrum consentientem; quo in sensu dicitur in dialectica, quod propositiones de futuro regulantur per suam de praesenti.

31 Sed contra est primò: nam licet ex suppositione, quod sit verum: *Nunc est consensus*, rectè colligatur consensum antecedenter fuisse futurum, non tamèn rectè colligitur fuisse antecedenter infallibilitè futurum, si ante consensum de presenti non si aliiquid connexionem inferens, vel determinans ipsum esse consensus pro duratione sequenti. Unde enim habetur, quod consensus, qui nunc est, non sit à casu, & fortuito? Et quidem ita esse à casu, & fortuito in hoc modo dicendi manifestè colligitur: namque effectus à casu definitur, esse illum, qui evenit præter omnem expectationem, inclinationem, & determinationem causæ: si ergò nunc consensus existit, quin antecedenter ad illius existentiam præcesserit expectatio, inclinatio, vel determinatio causæ ad illius productionem, dicam ego, quod nunc est à casu, & fortuito, & consequenter quod ejus futuritio antecedenter erat fortuita, & casualis, non infallibilis, de qua solùm nunc disputamus.

32 Hinc regula illa dialectica, quod propositiones de futuro regulantur per suam de praesenti, non intelligitur, cùm enuntiant futuritionem infallibilem, sed cùm enuntiant futuritionem casualem, & fortuitam. Ut enim docet noster Magister Nives, illa regula loquitur extra sublimitatem, & rigorem hujus questionis theologicæ, quam minimè penetrarunt Philosophi illi priores, à quibus illa regula accepta est. Sed dices, quod licet existentia consensus sit hodiè antecedenter absolute contingens in causis, ita illam ponentibus, ut potuerint illam non ponere; tamen ex suppositione quod sit, est certa, & infallibilis in se ipsa, & ut sic certo, & infallibilitè cognita ab æternō; proindèque antecedenter est infallibilitè futura. Sicut enim implicat non esse rem, dum est, ita non esse futuram, dum extitura est: sicut ergò ex suppositione,

tione, quod res est, infallibiliter est, ita ex suppositione, quod est extitura, infallibiliter est extitura. Sed contra est: nam hoc est dicere, quod licet consensus eveniat à causa, fuit antecedenter infallibiliter futurus; namque licet eveniat à causa, ex suppositione, quod est, implicat, quod non sit, at implicat aliquid evenire à causa, & esse antecedenter infallibiliter futurum, namque, quod antecedenter infallibiliter est futurum, habet aliquid connexum cum existentia pro sua duratione, proindeque jam non existit à causa, sed in vi prædictæ connexionis antecedentis: ergo.

33 Deinde, ideo ex suppositione, quod res est, infallibiliter est, quia in ea suppositione includitur de præsenti existentia incompositibilis cum statu pure possibilis, futuritionis, & præteritionis: ergo similiter ut res sit extitura infallibiliter ex suppositione, quod sit extitura, oportet in ea suppositione includi aliquid de præsenti incompossibile cum statu puræ possibilis, existentiae, & præteritionis: nempe determinatio ad existendum pro duratione sequenti; aliter erit supponere rem extitram cum omnimoda indifferentia ad esse extitram, vel non extitram, ac si supponerem; quod est sine existentia. Præterea oppositum expræsse tradit Div. Tho. 1. part. quæst. 16. art. 7. ad 3. Quod procedebat: quod id, quod est verum in præsenti, semper fuit verum esse futurum. Et respondet: Non sequi ex hoc, quod aliquid sit verum de præsenti, quod semper fuerit verum illud esse futurum, nisi quatenus in causa sempiterna fuerit ut esset futurum, quæ quidem causa solus Deus est. De quo in ultima resolutione.

34 Secundo impugnatur prædicta adversariorum responsio: namque licet ita sit bene inferri: *Consensus nunc est: ergo antecedenter erat futurus*, non tamè potest constitui futurus per hoc, quod nunc est, cum potius tunc definat esse futurus, utpote præsens, & existens: ergo in prædicto modo respondendi solum assignatur ratio futuritionis à posteriori, non vero à priori, sicut si dicerem: *Petrus actu intelligit: ergo antecedenter erat potens intelligere, vel Petrus actu consentit: ergo antecedenter poterat consentire*. Aequo enim hæc: *Petrus consentit* insert pro duratione antecedenti ipsum posse consentire, sicut ipsum fore consensurum. Hinc etiam regula illa, quod propositiones de futuro regulantur per suam de in esse, potest etiam explicari, quod intelligatur terminativè, & à posteriori, namque ex hujus veritate colligimus propositionem de futuro contingente esse veram; non vero formaliter, & à priori, sed prout sic regulatur per aliā propositionem affirmantem rem esse determina-

natam de præsenti ad existendum postea.

35 Tertio impugnatur prædicta responsio: hæc conseq. est bona in hoc modo dicendi, nunc est consensus: ergo antecedenter erat futurus: tunc sic ly antecedenter non appellat supra tempus quo affirmatur *consensus est*: ergo supra tempus illud anteced. ergo cum verificatur *consensus est*, jam non est futurus, sed tempore solùm antecedenti erat futurus: tunc ultra: ergo cum verificatur *consensus est*, non est constitutivum futuri, sed tempore solùm antecedenti erat constitutivum illius. Patet conseq. quia tunc solùm est constitutivum futuri, cum est futurum, sicut tunc solùm est futurum, cum est constitutivum futuri; essectus enim formalis, & forma in separabilitate se habent, non ergo consensus est formaliter futurus à consensu qui nunc est, neque causativè à voluntate, quatenus nunc consentit.

36 Quarto eadem responsio impugnatur: namque pariformiter discurrendum est in præsenti de constitutivo futuri conditionati, ac de constitutivo futuri absoluti, utpotè utrumque est verè futurum infallibile, sola distinctione penitus esse futurum sub conditione aliqua, vel non. De hoc ergo futuro, v.g. de consensu Petri futuro si vocetur auxilio A, idem inquirimus ac de futuro absoluto, unde nempe habet, quod si Petrus vocetur, infallibiliter consentiet? Sanè hic non est recurrere ad suppositionem eventus, supponimus enim Deum habere decretum de non conferendo Petrum auxilium A, proindeque de illo nunquam verificari posse: nunc est *consensus*. Explicatur hoc: juxta hunc modum dicens, quod consensus Petri, si conditionate futurus, formaliter provenit ab ipso consensu conditionate accepto, quia, ut dicunt, ab eo provenit formaliter consensurum esse conditionate sub auxilio, à quo provenit formaliter, quod Petrus consentiret, si vocaretur auxilio, deinde cum consentiret non sit, quod defactò detur aliquid, sed quod daretur, ab eo provenit Petrum fore consensurum, à quo si Petrus vocaretur, proveniret, quod consentiret, quia nihil aliud affirmatur per consensurum, quam per consentiret; cū igitur si Petrus vocaretur, ab ipso consensu proveniret formaliter, quod consentiret, hinc est, quod ab ipso consensu conditionate accepto proveniat formalissime Petrum esse consensurum, si vocaretur auxilio A. Ita ad pedem litteræ Complutensis Herrera, & frequenter alijs. Et pariter, quod si inquiratur à quo proveniat causativè Petrum esse consensurum, si vocaretur auxilio A, respondendum est: ab eisdem causis, à quibus si vocaretur, proveniret absolute consensus absolutus, ab eisdem omnino proveniet,

niet, & consensurum esse, quia eo modo quo res est, dependet à suis causis, cumque esse consensum, si vocaretur, non sit defactò consentire, sed fore, hinc deducitur, quod consensurum esse si vocetur, non causetur defactò, sed causatur si poneretur conditio. Quibus suppositis, inquirō, in vi cuius consensus Petri constituitur futurus sub illa conditione? Seù undè habetur Petrum consensurum, si vocetur illo auxilio potius quam non consensurum? Evidēm supposito illo consensu purè conditionato, nempe sine futuritione conditionis non potest recurrī ad suppositionem eventus, quia nūquam verificabitur, quod consensus Petri est, ut inde inferatur antecedenter fore consensurum. Dices, quod licet non sit recurrere ad suppositionem absolutam eventus, bene tamèn conditionatam, nempe, quod si vocaretur, esset verū dicere *consentit*; sed hoc est, quod inquirimus, cur vel, in vi cuius si vocaretur verū esset, quod consentit, potius quam quod non consentit? Unde suppositione illa redditur certa, & infallibilis, & non fortuita, & casualis? Evidēm voluntas adhuc cum illa vocatione consentiret sine aliqua determinatione, vel connexione antecedenti cum ipso libero consensu: ergo taliter, quod posset adhuc in sensu composito illius vocationis non consentire, seù cum illa conjugere dissensum.

**¶ 37** Tandem, & urgentissimè fundatur nostra resolutio: namque veritas objectiva futuri non distinguitur ab ipso esse futurum consensum, sed veritas objectiva futuri est præsens, & existens tempore futuritionis: ergo & ipsum esse futurorum consensum. Prob. min. veritas objectiva futuri est æterna, & indefectibilis: ergo est præsens, & existens tempore futuritionis. Conseq. patet, & anteced. in primis est D. Thom. 1. part. quest. 16. art. 7. ad 3. quod procedebat sic id, quod est verum in præsenti, semper fuit verum esse futurum; sed sicut veritas propositionis de præsenti est veritas creata, ita veritas propositionis de futuro: ergo aliqua veritas creata est æterna. Cui respondet, non neg. maj. Sed quod idem semper fuit verum, quia in causa sua erat, ut fieret: unde sublata causa non esset futurum illud fieri. Sola autem causa prima est æterna; unde ex hoc non sequitur, quod ea, que sunt, semper fuerit verum ea esse futura, nisi quaenam in causa semper fuit, ut essent futura. Est etiam parentis August. lib. 2. de libero arbitrio cap. 8. & cap. 12. & de vera relig. cap. 30. Pariter Anselmus in monolog. cap. 17. hoc ipsum expræsse affirmat illis elegantissimis verbis: *Cogitat, an potest, quando incepit, aut quando non fuerit hoc verum, scilicet, quod futurum erit aliquid, aut quando definit, & non*

erit hoc verum, scilicet, quod præteritum erit aliquid. *Quod si neutrum horum cogitari potest, & utrumque hoc verum sine veritate esse non potest, impossibile est vel cogitare, quod veritas, vel finis, vel principium habeat.*

**38** Sed respondet Complutensis Herrera cum suo Eruditissimo Ruyz de Montoya, eo solū sensu ab Augustino, Anselmo, & alijs Patribus dici veritatem propositionum esse ab æterno, quatenus si ab æterno affirmatio illa conciperetur, vera esset, nunquamque esset falsa, quod est futurum esse ab æterno verificative, nō tamèn formaliter. Sed quis non videat quam longe distare: Veritas futuri est æterna, quia in causa sempiterna fuit, ut esset futura, ut expræsse docet Div. Thom. & veritas futuri est æterna, quatenus si ab æterno affirmatio illa conciperetur, vera esset. Pariter quam longe distare, quod veritas est æterna, quia principium non habet, neque cogitari potest quando non fuerit verū, quod futurum erit aliquid, ut ait Anselmus. Deinde vel iste author loquitur de affirmatione facta per intellectum divinum, vel per intellectum humanum? Si de prima? Hæc est ab æterno; si de secunda? Quis cogitet veritatem objectivam futuri dependere ab affirmatione intellectus humani? Namque nullo intellectu considerante Ante-Christus est futurus, aliter ejus futuritio erit tantum en rationis.

**39** Dices fortasse ita esse de veritate objectiva futuri, attamen Patres loquuntur solū de veritate formalis, scilicet judicij. Sed contrā est, nam vel sermo procedit de veritate formalis judicij humani, vel divini? Si de prima? In contra est expræsse Anselmus, namque reputat inconveniens veritatem futuri incipere, seu habere principium; non autem est inconveniens veritatem formalem intellectus humani incipere, & habere principium, immò necesse est non esse ab æterno, cum nequè ab æterno sit intellectus humanus. Si vero sermo procedit de veritate formalis judicij divini? In contra est expræsse D. Thom. qui loquitur de veritate creata, veritas autem formalis judicij divini veritas creata non est.

**40** Secundò prædicta solutio, seu interpretatio impugnat; nam si veritas futuri est ab æterno, quatenus si ab æterno affirmatio illa conciperetur, vera esset, nunquamque esset falsa; ergo ab æterno datur fundamentum, ratio, & causa, ut si ab æterno affirmatio illa conciperetur, potius esset vera, quam falsa; immò hoc est futurum esse æternum verificative; nempe dari ab æterno fundamentum, rationem, vel causam, ut quandocumque affirmetur aliquid esse futurum, talis affirmatio sit vera, nunquamque

sit falsa; at illud fundamentum, ratio, vel causa est veritas ipsa objectiva futuri, quia ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa: ergo.

41 Tertiò: nam si affirmatio illa hoc ipso, quod est ab aeterno, potius esset vera, quam falsa: ergo objectum illius affirmationis est ab aeterno determinatum, ut si de illo affirmetur futuritio, illa affirmatio sit potius vera, quam falsa; namque si ab aeterno manet indifferens, quomodo stabit veritas praeterea falsitate, si ab aeterno affirmatio illa conciperetur: est ergo ab aeterno determinatio objecti ad erit. Neque valet, quod est determinatum objecti, seu in esse cogniti, non verò realiter, & phisicè; non inquam valet, namque determinatio objecti in esse cogniti, ut potè extrinseca, non est alia, quam determinatio cognitionis, sed præter determinacionem cognitionis debet dari determinatio alia ex parte objecti, cui cognitione conformetur, ut potius sit vera quam falsa: ergo. Immo unde habet objectum, quod sit determinatum in esse objecti, & cogniti taliter, ut potius affirmatio illius vera sit quam falsa? Sanè, non ex cognitione, aliter affirmatio esset vera, quia cognitione esset vera, quod est idem ac quia vera esset affirmatio: ergo ex se, & consequenter est determinatio ne-  
dum objectiva, sed phisica, & realis.

#### *Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

42 Sed contra nostram resolutionem objicit primò Complutensis Herrera: extitum esse consensum, sive absolute, sive conditionate, est futuritio con-  
consensus; sed extitum esse consensum non est aliquid de praesenti existere, sed extitum esse: ergo futuritio non est aliquid existere de praesenti. Conseq. est bona, & major certa, min. vero prob. extitum esse consensum, est præcisè extitum esse aliquid; sed præcisè extitum esse aliquid, non est existere de praesenti aliquid, sed extitum esse: ergo extitum esse consensum non est existere aliquod de praesenti. Confirmatur: Ea ratione, & non alia qua datur constituta per aliquam rationem formalem adequatè con-  
stituentem, datur ratio formalis adæquatè constituens; sed futurum non datur de praesenti, sed dabatur: ergo futuritio; quæ est ratio formalis adæquata constituens futurum in ratione futuri, non datur de praesenti, sed dabatur.

43 Ad argumentum patet ex dictis, namque licet extitum esse consensum non sit existere consensum, est tamen existere futuritionem illius, quæ de praesenti affirmatur, cum dicitur: Consensus est extitutus. In hoc enim dicitur co-

sensum habere de praesenti, quod sit postea extiturus, seu habere de praesenti determinationem ad existendum; nam si hoc verum non sit de praesenti, non est cur de praesenti dicatur potius extiturus quam nec extiturus.

44 Ad confirmationem pariter dicimus, quod licet futurum ex parte substracti non detur de praesenti, sed dabatur, v.g. consensus; atamen ex parte forme, quæ est futuritio datur de praesenti. Neque repugnat formam pure extrinsecè denominantem existere non existente subiecto denominato, ut patet ex exemplis allatis in primo fundamento.

45 Sed contra objicit: denominatio extituti est denominatio præcisè futuri; sed denominatio præcisè futuri non exigit formam denominante in de praesenti: ergo consensum extitum esse non est existere aliquid de praesenti. Minor prob. Denominatio quælibet ea ratione exigit formam, qua requiritur forma ad effectum formalem denominationis; sed effectus formalis denominationis futuri non exigit formam de praesenti: ergo neque ipsa denominatio. Minor probatur: effectus formalis hujus denominatio-  
nis futuri non est effectus praesens, sed futurus; at effectus futurus non exigit formam de praesenti, sed futuram: ergo effectus formalis futuri non exigit formam de praesenti.

46 Sed resp. neg. hanc maj. quam non probat; namque de praesenti denominatur Ante-Christus futurus: ergo denominatio futuri est effectus praesens, & non futurus; aliter non dicere-  
mus: Ante-Christus est futurus, vel denominatur futurus; sed Ante-Christus erit futurus, seu de-  
nominabitur futurus. Neque valet: est denominatio futuri: ergo est denominatio futura, sicut neque valet, denominatum est possibile: ergo denominatio est possibilis; & pariter denominatum non existit: ergo denominatio non existit, ut videre est in exemplis supra allatis.

47 Secundo objicit: qui affirmat, quod cō-  
sensus erit, affirmat consensum futurum esse, sed  
qui præcisè affirmat, quod consensus erit, non  
affirmat aliquid de praesenti, siquidem non dicit,  
quod aliquid est, sed quod erit: ergo qui affirmat  
consensum futurum esse, non affirmat aliquid de  
praesenti. Major ad quam revocatur difficultas  
probatur primò ex Div. Augustino lib. 11. confessionum pluribus in locis præsertim cap. 15.  
cap. 18. & dissertissime cap. 20. docet: *Inpropre  
dici res est futura, res est præterita, quia præte  
ritum jam non est futurum verò nos dum adve  
nit. Addit tamè, prædicta loquitionem admittē  
dam esse, quia licet sit inpropria, nobis tamen  
familiarior est, & corrigitur per propriam in  
telligentiam, quando quidem futurum est, idem  
jam*

*jam significat apud omnes, quod erit; & est præteritum, idem, quod fuit. Quarè ait Augustinus citato capite 20. Proprie non dici esse tria tempora, nisi tantum in memoria, contuitu, & expectatione. Verba Augustini sunt: Neque proprie dicitur tempora sunt tria, præteritum, præsens, & futurum; sed fortasse propriè diceretur tempora sunt tria: presens de præteritis, presens de presentibus, præsens de futuris; sunt enim hac in anima tria quedam, & alibi ea non video; præsens de præteritis, memoria, præsens de præsentibus, contuitus, præsens de futuris, expectatio.*

48 Secundo probatur eadem major ex ipsis grammaticæ regulis ex quibus constat idem significari per futurum indicativi modi quam per participium de futuro; quamobrèm idem omnino est apud Grammaticos asserere: *Cras legam, ac cras lecturus sum.* Idque, quod affirmatur hac ratione: *Petrus dixit, quod veniet cras,* melius significatur per participium hac ratione: *Petrus dixit de venturus cras,* quin per hanc secundam propositionem affirmetur aliquid, quod per primam non affirmetur: idem ergò significat *erit, ac est futurum.* Tertio: quia quando affirmo, quod consensus erit, affirmo consensus, non de præsenti, non de præterito: ergò de futuro: ergò affirmo consensus futurum esse: ergò idem est dicere *consensus erit, ac dicere, consensus est futurus.*

49 Ad hoc argumentum patet etiam ex dictis, & in primis major non est vera formaliter, & ex vi terminorum: nempe, quod qui affirmit, quod consensus erit, affirmet signate consensum futurum esse, licet illud affirmet exercite, quod patet, nam *in hac consensus erit, subintelligitur prædicatum existens, non prædicatum futurus;* est enim, ac si dicarem: *Consensus erit existens; non vero consensus erit futurus.* In hac autem *consensus est futurus* nomine futuri non intelligitur *existens*, sed determinatus ad existendum, existentia solum importata in obliquo, est enim ac si dicarem: *Consensus est determinatus ad existendum pro duratione sequenti, non vero consensus est existens.* Quia tamen *hac consensus erit, est nunc, & de præsenti vera, & non nisi quia nunc, & de præsenti habet consensus id ratione cuius erit, quod est esse de præsenti futurum, & determinatum ad existendum, ideo perinde se habet dicere: Consensus erit, ac consensus est futurus;* sicut & in universum, quotiescumque affirmatur signare effectus, exercite affirmatur causa, sive formalis, sive efficiens, à qua provenit effectus; sicut cum signate affirmo aliquid esse possibile, affirmo exercite causam talis possibilis, nempe Omnipotentiam, seu non repugnantiam terminorum, sicut & cum

affirmo signate salutem esse desideratam, affirmo exercite existentiam desiderij; & pariter cù affirmo signate objectum esse cognitum, affirmo exercite cognitionem illius; ac tandem cum signato hoc mortuo, de eo enuntio esse pictum, affirmo etiam exercite existentiam picturæ, seu imaginis illius. Unde cum *consensus erit* sit effectus formalis procedens ex determinatione consensus ad existendum sua duratione, in qua futuritio consistit, hoc ipso, quod signate nunc, & de præsenti affirmatur, *consensus erit, nunc de præsenti affirmatur exercite, quod consensus est futurus,* tè determinatus ad existendum.

50 Hinc non faciendo vim in Verbo concedimus, quod, qui affirmat, quod consensus erit, affirmat consensum futurum esse. Et dist. min. Sed qnī præcisè affirmat, quod consensus ei est non affirmat aliquid de præsenti, signate, cōcedo, exercite, nego. Nam licet non dicat, quod aliquid est signate, dicit tamē exercite, quod consensus nunc habet, quod erit, seu nunc est determinatus ad essendum, aliter non erit propositio illa vera de præsenti, neque esset cur de consensus affirmaretur, quod erit, quād quod non erit.

51 Hinc ad primam probationem desumptam ex Augustino respondeo, loqui de futuro sumpto substractivè, & pro materiali; nempe pro ipsa re futura, namque res futura propriè non est; scilicet tamen pro formalis, namque propriè est futuritio ipsius. Unde distingue *ly est* prout affirmat existentiam consensus futuri, & prout affirmat existentiam futuritionis consensus: primo modo summittur impropriè; secundo tamen modo propriissime summittur, cum propriissime affirmetur futuritionem de præsenti convenire Antechristo. Hinc patet omnino impertinentē se habère ad intentum non esse propriè tria tempora, namque sufficit nobis esse proprio tempus præsens, ut proprio affirmemus futuritionem consensus esse, seu existere; immo si stemus verbis Augustini, potius haec erit impropria loquutio *consensus erit;* namque verbum erit importat tempus futurum, quod proprio tempus non est.

52 Et ex his patet ad secundam probacionem. Ad tertiam pariter dico, quod cum dico *consensus erit, signate affirmo consensus non de præsenti, neque de præterito, sed de futuro,* & hoc ipsum est exercite affirmare consensus esse futurum, in quo præter existentiam futuram consensus exprimitur existentia præsens ipsius futuritionis. Et ex his cessant omnes replicæ ab hoc authore factæ contra alias solutiones. Namque omnes tendunt pure ad probandum idem significari per *consensus erit, ac per consensus est futurus.* Plane supponendo, quod cum per hanc

hanc *consensus erit*, nihil affirmetur de praesenti, neque etiam opus sit aliquid de praesenti existere ut affirmetur verè, quod *consensus est futurus*; quod nos negamus: nempe, quod per hanc *consensus erit*, nihil affirmetur de praesenti exercite, quam solutionem ipse, neque proponit neque impugnat.

53 Tertio objicies ex eodem: vel illa forma, quam de praesenti affirmamus existere, & constitutere Ante-Christum in ratione futuri: connectitur intrinsecè, & realiter cum existentia crastina Ante-Christi, vel non? Neutrum potest dici: ergò talis forma non est futuritio. Prob. min. & in primis nequit dici, quod non connectitur, quia si non connectitur, non erit infallibilis determinatio ad existentiam crastinam realem, & in actu exercito, & consequenter nequè erit vera, & infallibilis futuritio. Deinde nequè potest dici connecti realiter cum existentia crastina *consensus entitativè accepta*, & in actu exercito, quod sic probatur: namque non connectitur cum *consensu entitativè accepto* ut defacto existenti, ut est certum; non cum consensu, ut futuro entitativè accepto: ergò nulla ratione. Prob. min. si connecteretur cum consensu, ut futuro entitativè, & intrinsecè accepto, & in actu exercito, *consensus intrinsecè esset futurus*: ergò daretur futuritio intrinsecā, quod nos non concedimus: si ergò noui admittimus *consensum esse intrinsecè*, & in se futurum, neganda est similiter connexio illa cum consensu, ut cras realiter, & entitative extituro.

54 Sed respondetur facile distinguendo hoc ultimum antecedens: si connecteretur intrinsecē cum consensu ut futuro entitative, & intrinsecē accepto, & in actu exercito constitutive, *consensus esset intrinsecè futurus*, concedo; si purè connecteretur intrinsecè illativè, nego. Et nego conseq. Fatemur enim formam de praesenti existentem constitutivam futuri intrinsecè connecti cum consensu, ut futuro entitativè, & intrinsecè accepto, illativè loquendo, quia ut argumentum probat, infert ipsam existentiam crastinam *consensus entitativè*, & intrinsecè acceptam, nempe eandem, quæ cras poneretur. Non tamè inde licet inferre intrinsecè connecti cum consensu ut futuro entitativè, & intrinsecè accepto constitutive, nàm ad hoc esset ultra necesse formam illā esse intrinsecam ipsi consensui, quod stare non potest sine illius existentia de praesenti, namque, quod realiter non existit, capax non est intrinsecē realis denominationis, sùmū constitutionis.

55 Sed dices forte, quod omnis forma intrinsecē constitutiva connectitur cum suo effectu formalī, sicut albedo cum albo, & anima rationalis cum homine, sed effectus formalis il-

lius formæ est consensum esse futurum, & non nisi entitative, & intrinsecē acceptum: ergò.

56 Sed respondetur, quod intrinsecē constitutive connectitur cum suo effectu formalī, quantum addit, quod de praesenti existit, secùs tamen quantum addit, quod existens non est. Unde quia esse album, quod est effectus formalis albedinis existit, & pro formalī albedinis, & pro materiali corporis, intrinsecē constitutive connectitur cum albo quantum ad utramque rationem, propterea constituit corpus intrinsecē album. Attamen consensum esse futurū existit solùm pro formalī passivæ futuritionis, secùs autem pro entitate consensus, quæ solùm extitura est. Et sic non sequitur esse futurum entitative, & intrinsecē acceptum. Cujus pone exemplum in esse adamum cognitionem, qui est effectus formalis cognitionis, quæ propterā intrinsecē constitutive connectitur cum illo, sed non nisi quantum ad id, quod importat de formalī, nempe pro ipso esse passivæ cognitionis; secùs tamen pro ipso adamō entitative sumpto, quia prout sic non existit, propterā non dicitur intrinsecē, sed solùm extrinsecē cognitus.

57 Immò, quia adhuc objecto cognito existente, non constituitur per cognitionem intrinsecē, sed solùm extrinsecē cognitum, potest dici, quod forma connectitur intrinsecē constitutive cum suo effectu formalī, quando illum præstat per sui intrinsecam communicationem, vel unionem, qualiter albedo præstat esse album. Non tamè cum eum præstat per solùm sui extrinsecam terminationem, qualiter cognitio præstat esse cognitionem. Cum ergò forma constitutiva futuri non præstat suum effectum formalem, nempe consensum esse futurum, per sui intrinsecam communicationem, quippe hæc supponit existentiam subjecti, cui communicatur. Sed solùm per meram sui extrinsecam terminationem ad illum, ut extitum postea, consequenter neque consensum esse futurum, est denominatio intrinsecā, sùmū effectus formalis intrinsecē constitutus per illam formam.

58 Quartò objicies ex eodem: præteritio non consistit in aliquo de praesenti: ergo neque futuritio. Prob. conseq. ex eo rem esse futuram consistit in aliquo de praesenti, quia res de praesenti est futura, nullatenus existente re, quæ futura denominatur, sed etiam non existente re præterita, v. g. adamō, modo de praesenti est præteritus; ergo æqua ratio militat pro præteritione absolute existente, ac pro futuritione existente absolute de praesenti.

59 Hoc argumentum jam sibi objeceras Oxomensis, & responderet, discrimen esse, quod carentia existentie rei contingentis, quæ aliquā-

do fuit, non est indifferens ad esse, & non esse præteritam, sed determinatè connotat existentiam, quæ fuit, & intrinsecè illam supponit. Ideò que potest se ipsa fundare veritatem propositionis de præterito, & rem aliquam præteritam constituere, ingrediente constitutionem in reto carentia existentiæ, & existentia, quæ fuit in obliquo, & de connotato. Carentia autem existentiæ existens tempore futuritionis est indifferens ad esse, & non esse rem futuram, cum ei conveniat in statu possibilis; unde non connotat ab intrinseco existentiam postea habendam, neque cum illa connectitur, ac proinde non potest se sola, neque simul cum existentia postea ingrediente in obliquo fundare veritatem determinatam propositionis de futuro, neque futurum constitueret.

60 Sed contra objicit Complutensis Herrera, prædictam solutionem supponere principium quodam penitus falsum; nempe, quod licet carentia existentiæ rei contingentis sit indifferens ad esse, & non esse futuram, carentia tamen rei contingentis præterita non est indifferens, sed supponit intrinsecè ipsam rem, ut existentem tempore antecedenti. Hæc, ait, doctrina falsissima est, nam cum res, quæ exsistit in instanti A desinit esse in instanti B carentia, quæ succedit existentiæ, præcisæ habet excludere rem ab instanti B, non tamen habet intrinsecè rem extitisse. Explicatur hoc; quemadmodum licet Deus in sententia Thomistarum decernat decreto positivo consensum futurum in instanti B, carentia tamen consensus in instanti A, nullam habet connexionem ex se cum eo, quod res extituta sit in instanti B, quia carentia nullum aliud habet esse, quam excludere formam ab instanti, in quo carentia exsistit, neque ex se habet dependere ab illo decreto: ita similitè licet extiterit consensus in instanti A, dum deficit in instanti B, succedit carentia, cui per accidens est præcisæ, vel non præcisæ consensus in instanti A. Etenim carentia nullum aliud habet esse, quam præcisæ excludere formam, cuius est carentia: cum igitur excludere consensus formaliter ab instanti B, non dicat præcisæ, vel non præcisæ in instanti A. hinc sit defectum rei, qui extitit in instanti A, non dicere connexionem cum eo, quod consensus extiterit, vel non extiterit.

61 Confirmatur. Eadem est carentia consensus in instanti B, sive extiterit, sive non extiterit consensus in instanti A, sed dum non extitit consensus in instanti A, carentia consensus in instanti B, non habet connexionem cum eo, quod extiterit consensus in instanti A, ergo neque eam connexionem habet, dum extitit con-

sensus in instanti A, siquidem data eadem carentia, nequit esse diversa connexio intrinseca. Major suadetur. Carentia non diversificatur, nisi ab extremo excluso, & si velis, à duratione, à qua extrellum excludit; sed sive extiterit, sive non extiterit consensus in instanti B, dum res non existit in instanti B, ergo carentia est eadem omnino.

62 Sed respondet Oxomensis, negando majorem, videlicet esse eandem carentiam in uno, ac in alteto casu. Et reddit rationem, quia res contingens, antequam sit, est indifferens ad esse, & non esse, & consequenter nihil horum illi repugnat. Postquam tamen extitit, & existere desinit, non manet indifferens ad existendum, & non existendum, sed illi repugnat naturaliter existere, & consequenter carentia existentiæ præterita est cum repugnantia ad essendum. Carentia autem existentiæ futuræ talem repugnantiam non dicit; quæ subsistere non posse cum identitate utriusque carentiae. Ac proinde ex eo, quod carentia existentiæ futuræ non connotet intrinsecè existentiam, quæ fuit, vel quæ erit, non sequitur carentiam existentiæ, quæ fuit non connotare intrinsecè existentiam, ut habitat.

63 Sed contra instat prædictus Author, probando talem solutionem insufficientem esse; namque consensus antequam exsistit non deficit per carentiam entitativè naturaliter destruibilem, v.g. per carentiam A; & postquam exsistit per carentiam aliam distinctam entitativè naturaliter in destruibilem, v.g. per carentiam B. Hæc enim distinctio carentiarum respectu ejusdem termini commentitia est; sed ideo consensus postquam exsistit est naturaliter iterum improducibilis, quia causæ applicatae non exigunt producere terminum jam destructum. Quapropter importatio naturalis, ut iterum producatur, provenit à defectu exigentie in causis; qui defectus exigentia consistit in ipsis causis, quæ ex se habent non exigere existentiam termini pro casu, quo jam fuerit destructus. Ex quo sit in destruibilitatem hujus carentię non provenire ab ipsa carentia entitatively accepteda, nam hæc eadem carentia fuit antequam res existeret, tunc autem erat destruibilis, secùs postea; sed quia tunc non erat casus pro quo non exigunt causæ ejus destructionem, postea verò adest jam casus pro quo causæ ejus destructionem minime petunt.

64 Propter hanc replicat Reverendissimus Bayona in suis manuscriptis ait aliquid addendum esse solutioni Oxomensis: nempe hanc propositionem: *Res est præterita* verificari in propria acceptione de præsenti ratione alicujus, quod de præsenti exsistit; scilicet ratione carentiæ

tia rei, & ratione repugnantia ad negationem rei, ut coexistentem durationi præteritæ. Res enim quandiu est, necesse est esse, ac proinde in instanti, in quo extitit, non solum ponitur existentia rei, sed etiam ponitur impossibilitas ut protunc non existat, quæ impossibilitas ex quo semel res extitit in illo instanti, permanet in perpetum, quia semper est impossibile, quod res in illo instanti non extiterit. Carentia ergo rei cum prædicta impossibilitate est aliquid de presenti connexum cum eo, quod res fuerit, ac proinde sufficiens ad verificandum hanc propositionem de presenti *res est præterita*.

65. Etsi dicas, quod sicut præteritio salvatur sine aliquo positivo de presenti, ita & futuritio; negatur conseq. Tum quia futuritio est causa existentia rei postea, res enim erit, quia futura est. Et negatio non potest esse causa existentia, quæ præcessit, sed est effectus illius; non enim ideo res fuit, quia est præterita, sed è converso est præterita, quia fuit. Et negationi minimè repugnat esse effectum, vel vestigium relictum ex-existentia præterita: Tum etiam quia existentiam rei futuræ nulla negatio præcedit connexa cum illa: quidquid enim rem futuram præcedit, indifferens est ad illam, & illius carentiam. Existentiam verò rei præteritæ subsequitur negatio connexa cum eo, quod res extiterit.

66. Sed fateor, quod neque hoc additamente indiget solutio Oxomensis; camque in sufficiente esse tam longe abest, ut probet argumentum, quod potius convincit oppositum. Namque solutio non intendit carentiam existentia præteritæ esse naturaliter indestruibilem præcissa connotatione cause productivæ, sed ea cōnotata. Namque si semel est verum causam non exigere producere terminum jam destructum: ergo ex hoc ipso, quod terminus produktus per causam destruitur, & definit esse, resultat carentia existentia illius naturaliter indestruibilis, seu cum repugnantia ad illius naturaliter indestruibilis, seu cum repugnantia ad illius destructionem: quæ repugnantia, & indestruibilitas non convenit carentia existentia futuræ: ex connotatione ergo, seu potentia illius naturali ad reproducendum effectum semel destructum, habet carētia illa, quod sit intrinsecè connexa cum existentia, quæ fuit, camque intrinsecè supponit. Hinc negandum est, quod eadem carentia fuerit antequam res existeret; & ad probationem, quod carentia non diversificatur nisi ab extremo excluso, distinguo, entitativè, & materialiter, hoc est secundum se considerato, nego, formaliter, & ut exclusum, hoc est quatenus cōnotat causam

productivam, vel non productivam illius, concedo. Carentia enim existentia antequam sit, consideratur formaliter quatenus excludit existentiam cum indifferentia causæ ad illud producendum; carentia verò rei præteritæ consideratur formaliter, quatenus excludit existentiam cum potentia causæ ad illud producendum. Unde hac potentia seclusa non est carētia rei præteritæ, sicut & exclusa in differentia, seu potentia productiva non est carentia rei futuræ. Cujus potest aliquale exemplum ponи in maculis peccatorum, quæ in privatione consistunt, & formaliter diversificantur, sed non ab extremo excluso secundum se, namque hoc est unum, & idem nempè gratia justificans; sed ab eo ut connota, diversas causas, scilicet diversa peccata actualia.

67. Hoc dixi quantum ad impugnationem prædicti Authoris. Fateor tamen alteram solutionem melius exprimere constitutivum præteritionis, utpote sine recursu ad potentiam causæ, & sistendo in ipsa carentia rei præteritæ, quæ ex quo res, dum existit, non potest non existere, habet, re non existente, quod sit carentia rei cum impossibilitate ad non extitisse in eo instanti, in quo extitit; ratione cuius est aliquid de presenti connexum cum existentia præterita sufficiens fundare veritatem hanc de presenti, *res est præterita*.

68. Quia tamen una, & altera solutio præteritionem constituit per carentiam, quæ propriè non existit, nisi objective in intellectu, cum tamèn juxta utramque resolutionem Verbum est in hac propositione: *Res est præterita*, ita proprie accipiatur ex parte formæ, sicut in hac: *Res est futura* nempè, ut significat idem, quod extitit; melius meo videri satis fit huic argumento cum sapientissimo nostro primario Salmanticēsi Volibar, qui in suis manuscriptis pariformiter loquitur de futurione, ac de præteritione; dicimus enim infra formam instam de presenti existentem per quam constitutur futurum contingens infallibile esse divinum decretū, quo Deus vult rem existere in hac, vel illa differentia temporis. Pariter ergo prædictus Magister affirmat formam constituentem rem infallibiliter præteritam esse divinum decretum, quo Deus vult rem existere in hac differentia temporis, & postea non existere. Et sic Adamus, v.g. dicitur præteritus, non ex sola carentia existentia, quæ eadem est, sive Adamus extitisset, sive non; sed ex divino decreto, quo Deus sic statuit Adamum existere sua differentia temporis, quod non extiterit in alia; quod proinde decretum dicit connexionem de presenti existentem cum existentia præterita.

69 Sed contra hanc solutionem potest objici primum: quod secluso, aut praecisso quolibet defacto existente connexo cum existentia Adami præterita praecisse, per hoc quod intelligatur Adamus existens in sua differentia temporis, & modò non existens, intelligitur præteritus: ergò ad hoc non est necessarium prædicatum præsens. Antec. prob. quia implicat existere in sua differentia temporis, & modò non existere, quin modo non sit præteritus. Secundò contra eandem solutionem potest objici: ex ea sequi Adamū fuisse ab eterno præteritū, sicut & decretum de ejus præteritione ab eterno fuit in Deo.

70 Sed ad primum pater ex dictis loquendo de futuro, quod si tempore futuritionis anteverenti existenti existentiam de præsenti non haberet aliquid connexū cum illa, non esset unde potius diceretur futurum, quam non futurū, pariformiter dicimus de præterito, quod si non haberet de præsenti aliquid connexum cum existentia præterita, non haberet unde potius diceretur præteritum, quam non præteritum, siquidem sola carentia existentiae præscindit ab eo, quod res fuisse, vel non, ut argumentum factum pro contraria sententia fatetur. Hinc negamus suppositum probationis, supponit namque posse præscindi, vel secludi quodlibet existens de præsenti ab eo, quod intelligatur Adamus existens in sua differentia temporis, & modo non existens; namque quod sit existens intra differentiam temporis, & modo non, habet ratione divini decreti, ac proinde, isto praecisso, seu secluso non potest subsistere, quod existat in sua differentia temporis, & modo non existat; sicut & secluso quilibet existenti de præsenti, nempè divino decreto, non potest intelligi rem modo non existere, & extitaram postea infallibiliter. Ad secundam objectionem dicimus late in ultima resolutione, ubi hoc idem argumentum proponitur, & solvitur.

71 Hucusque Comp. Herr. Deinde 5 objicies ex alijs; eo praecisse res est formaliter futura in instanti A, præsenti, quo formaliter in rerum natura est posterior in existēdo comparative ad instans A, sic autem est posterior formaliter inclusis praecisse carentia existentiæ in instanti A, & existentiæ in instanti B: ergò, & futura. Min. prob. & maj. ut notam supp. Sed eam reputo falsam, unde ante probat. min. neg. namque id quo formaliter in rerum natura est posterior, in existēdo, comparative ad instans A, est existentia de præsenti in instanti B, supponens pro instanti A, futuritionem, ac proinde futuritio per illā constitui non potest, quia immò dissolvitur, ut patet ex dictis.

72 Sed objicies: repugnat rem pro instanti M. Carrasco.

A, non existere, & existere pro instanti B, & non esse futuram pro instanti A: ergò eo praecisse res est formaliter futura in instanti A, quo formaliter in rerum natura est posterior in existēdo comparative ad instans A. Sed nego cons. sicut hæc est mala: implicat existere effectum, & non existere causam: ergò eo praecisse est formaliter causa, quo formaliter existit effectus; & similiter, implicat existere risibile, quin existat homo: ergò eo est formaliter homo, quo est formaliter risibile. Et hoc ideo, quia utraque ista repugnatio est aposteriori, & arguitive, quia nempè existentia effectus supponit existentiam causæ, & risibilitas animam rationalem. A simili ergò aposteriori repugnat, quod si pro instanti A, res non existit, & existit pro instanti posteriori B, res pro instanti A, non sit futura, sed non quia carentia existentiæ in instanti A, & existentiæ in instanti B, constituant formaliter rem futuram, sicut neque existentia effectus constituit existentiam causæ, vel risibilitas hominem; sed quia carentia existentiæ in instanti A, & existentiæ in instanti posteriori B, supponit in instanti A, infallibilem connexionem, & determinacionem ad existendum pro instanti B, & hæc sola connexionis, vel determinatio est forma constitutiva futuri.

73 Sed dices: si hæc propositio, est homo, esset vera praecisse per hoc quod Petrus sit risibilis omni alio secluso, recte inferetur Petrum cōstitui in ratione hominis per solam risibilitatem; sed hæc propositio res est futura, est vera per hoc praecisse, quod res non existat in instanti A, & existat in instanti B: ergò recte inferatur solam carentiam existentiæ in instanti A, cum existentia in instanti B, constituere rem futuram.

74 Sed planè min. hæc nō potest prob. nisi prob. ante facta: quia nempè implicat illam rem non existere in instanti A, & existere in instanti B, quin sit futura. Unde necesse est in probatione cōmittere circulum; & sic neg. min. namque nō precedēti pro instanti A, aliquo infallibiliter connexo cum existentia in instanti B, quamvis supponamus in instanti B, existere; dicimus existere à casu, & fortuito, non tamē existentia infereat aposteriori futuritionē infallibilē pro instanti A, quidquid sit de futuritione à casu, quæ impudicē, & per alienationē potest dici futuritio.

75 Sed adhuc objicies: sicut res ex suppositione, quod est, infallibiliter est, ita ex suppositione quod erit, infallibiliter erit: ergò praecisse per hoc quod supponatur res non existens in instanti A, & extitura in instanti B, erit futura, non à casu, sed infallibiliter; sed ad hoc patet ex dictis in tertio fundamento, nāque ideo ex suppositione, quod est, infallibiliter est, quia in ea

suppositione includitur de præsenti existentia incompossibilis cum statu puræ possibilitatis, futuritionis, & præteritionis: ergo ut similiter res sit extitura infallibiliter ex suppositione, quod sit extitura, oportet in ea suppositione includi aliquid de præsenti incompossibile cum statu puræ possibilitatis, existentiæ, & præteritionis, nempe carentiam existentiae cum determinate ad existendum pro duratione sequenti, aliter erit suppositio chimérica, pariter ac si supponerem, quod res est præcisæ existentia.

76 Tandem dices: Petrum esse simultaneū respective ad hoc instans, consistit formaliter in existentia Petri, prout durante nunc: ergo pariter Petrum esse posteriorem, & futurum respective ad hoc instans, consistit formaliter in non existentia Petri pro hoc instanti, & in existentia Petri, prout durante post. Sed pater disparitas ex nupèr dictis dicendo, quod existentia præsens dum est præsens, necesse est esse, & non est contingens ad esse, vel non esse, & propterea se sola habet sufficientem determinationem ad denominandum ens existens, aut simultanè existens. Attamen existentia futura adhuc dum est futura si futura non sit vi alicuius determinationis ad esse potius, quam ad non esse, semper manet indifferens ad esse, & non esse, unde solùm poterit esse à casu. Et sic se sola non habet sufficientem determinationē ad denominandum Petru futurum, quam non futurū, vel ad summum poterit eū denominare futurū à casu, sed non infallibile

77 Sextò objicies: consensus futurus non potest esse subiectum denominationis formæ de præsenti existentis eum constituētis in ratione futuri: ergo forma constitutiva futuri non potest de præsenti existere tempore futuritionis. Prob. ant. consensus non potest esse subiectum denominationis illius formæ, quatenus existens, neque quatenus possibilis, neque quatenus futurus: ergo nullo modo. Duæ primæ partes sunt notæ, tertia suadetur, nam subiectum antecedit, & distinguitur adæquatè à forma denominante; sed consensus ut futurus, neque antecedit futuritionem, neque ab ea adæquate distinguitur, cum eam includat: ergo.

78 Sed hoc argumentum habet manifestam instantiam in ipsomet consensu producō, vel essentia qualibet existente; namque essentia existens non potest esse subiectum denominationis existentis, ut possibilis, neque ut futura, neque ut existens; namque essentia existens neque antecedit, neque adæquate distinguitur ab existentia: ergo. Resp. ergo, quod consensus futurus est subiectum denominationis illius formæ de præsenti existentis, sicut & denominationis producti, vel existē-

tis suo tempore, non ut possibilis, neque ut futurus, neque ut existens, sed secundum se, seu secundum sua prædicta essentialia, quibus neque repugnat possibilitas, neque futuritio, neque producō, neque existentia. Dices, quod inter possibile, futurum, & existens non datur medium. Sed contra est, nām licet non detur medium realiter, datur tamen medium præcissive, namque essentia secundum se, & idem est de consensu, præscindit ab omni suo statu, nempè possibilitatis, futuritionis & existentie, quia omnes isti status ē accidentaliter adveniunt. Cujus pone exemplum in substantia materiali, quæ neque est subiectum quantitatis, quatenus extensa, & divisibilis, neque quatenus indivisibilis, quia licet inter substantiam divisibilem, & indivisibilem non detur medium à parte rei, bene tamen medium præcissionis, scilicet substantia materialis secundum se.

79 Septimò objicies: potest denominatio præsens constitui per aliquod non præsens: poterit ergo denominatio præsens futuri constitui per formam de præsenti non existentem. Antec. prob. mult. exempl. Nam duratio hodierna nūc denominatur prior crastina; duratio enim hodierna aliquando denominatur sic prior, non autem cras, quia jām tunc præterit: ergo nunc: at nunc nihil habet de præsenti, quo prior constitutatur, prior enim constituitur ab eo, quod succedit duratio crastina, quæ non succedit nunc, sed postea: ergo. Deinde pater creatus denominatur nūc pater ratione generationis nūc præteritæ. Similitè domus hæc denominatur nunc antiqua, non præcisæ à duratione, quam nunc habet, sed à præteritis, quas habuit; sicut homo vita functus denominatur nūc præteritus, non præcisæ, quia nūc non durat, sed etiam ex durationibus antecedentibus ipsius, quæ præterierunt. Item peccator denominatur nūc odio Divino dignus à peccato præterito, non condonato, & Petrus remuneratione dignus à merito præterito non compensato, & pariter obligatus à lege præterita non revocata, & à voto præterito nō relaxato. Imago etiam Christi in Sanctis denominatur nunc bona ab accidentibus præteritis infantilibus Christi imaginis consentaneis. Ac tandem mobile denominatur nunc determinatum ad acquirendam per motum præsentiam in hoc spatio præ illo ex præterita præsentia in spacio immediate propinquo.

80 Sed mirum est, quod cum denominatio sit effectus formalis formæ, intendat, quis denominationē posse esse præsentem, & non formam esset quidem, & non esset. Unde negamus antec. ad primum exemplum resp. quod denominatio prioris, sicut & primi, vel primogeniti potest ac-

cipi, & negative, prout significat id ante quod nō est aliud, & positivē prout significat id, quod p̄cedit aliud. Primō ergo modo non exigit existentiam alterius, ut dicatur quis prior, sed ut sic denominatur prior à propria existentia, quo p̄acto Adamus ante existentiam alterius hominis dicebatur primus homo; & primus Filius etiam ante existētiā alterius Filij dicitur primogenitus. 2. verò modo exigit existentiam alterius; undē solum existentibus alijs hominibus post Adamum, Adamus dicebatur possitivē primus homo, & pariter solum existēte 2. Filio post pri-  
mū, primus dicitur possitivē primogenitus. Cum ergo nunc non existat duratio crastina, cō-  
sequenter duratio hodierna dicitur nunc prior duratione crastina, non possitivē, sed negative, & sic non à duratione crastina, sed à propria sui existentia, ante quam non est duratio crastina.

81 Neque valet, quod denominatio hodierna aliquando denominatur prior possitivē dura-  
tione crastina; namque hoc est falsum, licet ita sit in Adamo, & alijs rebus permanentibus, quæ si-  
mul subsistere possunt; secus verò in successivis,  
qualis est duratio præsens, quæ subsistere cum  
duratione crastina non potest. Vel si mavis, con-  
cedo, quod duratio hodierna nunc est possitivē  
prior duratione crastina; neg. tamen, quod ut sic  
denominetur à duratione crastina, sed à sua pro-  
pria existentia, ut connotante durationem crasti-  
nam, quod si eam connotet ratione alicujus in-  
fallibiliter connexi cum duratione crastina, erit  
prior certò, & infallibiliter; è contra verò erit  
prior solum fortuito, seu à causa, & omnino cō-  
tingenter. Unde illam propositionē, quod prior  
constituitur ab eo, quod succedat duratio crasti-  
na, debet distigi, duratione crastina ingrediente  
in recta, neg. obliquo, & decōnotato, conc. Quis  
enim dicat Adamum constitui positive prium  
hominem non per suam existentiam, ut conno-  
tantem existentias aliorum hominum sed per  
existentias illorum?

82 Pater autem denominatur nunc Pater à  
relatione Paternitatis, quæ adhuc transacta gene-  
ratione perseverat. Etsi sermo sit de Paternitate  
pro fundamento, denominatur Pater à potentia  
generativa ut connotante generationē præteri-  
tam. Pariter dominus hęc denominatur nunc anti-  
qua à præsenti duratione ut connotate duratio-  
nes præteritas. De homine autem jām vita fun-  
cto diximus supra. Peccatum autem, & similitèr  
meritum, licet physicè non existant, moraliter ta-  
men perseverant, quæ existentia sufficit ut pec-  
cator denominetur odio dignus, & justus dignus  
remunerationē, quia hujusmodi denominatio-  
nes morales duntaxat sunt. Pariter lex præterita,  
dum nou revocatur, moraliter perseverat, & ex-

ea sic denominatur homo obligatus, quia hac  
etiam denominatio moralis est; & idem dicimus  
de voto. Imago autem Christi denominatur nūc  
bona, non ab accidentibus præteritis infantilibus  
Christi imagini consentaneis, sed potius, è cōtra  
ab accidentibus imaginis consentaneis accidenti-  
bus præteritis infantilibus Christi: tandem mo-  
bile dum est in spatio A, non est determinatum  
ad acquirendum per motum præsentiam in spati-  
o B. Nisi de præsenti sit aliquid quo certa red-  
datur præsentia in spatio B, v. g. impulsus, vel  
quodvis aliud, aliter illa præsentia localis acqui-  
riritur omnino à casu, & fortuito.

83 Tandem potest objici, quod in sententia  
Thomistarū futurum conditionatum necessariū,  
ut si Petrus prædeterminaretur ad amorē ama-  
ret, est de præsenti verum; & tamen de præsenti  
non datur existens aliquid ratione cuius amor  
constituatur futurus sub ea conditione: ergo à  
simili ut verum sit de præsenti, quod Ante-Chri-  
stus erit, non est necessarium aliquid de præsenti  
existere ratione cuius constituatur futurus.

84 Sed in primis falsum est nō dari de præ-  
senti in illo conditionato necessario aliquid exi-  
stens ratione cuius constituatur futurus sub ea  
conditione; namque datur Omnipotentia, quæ  
sub conditione prædeterminationis infert, & cō-  
nectitur cum amore; ac proinde per eam sub ea  
conditione determinatur ad existendum postea,  
& constituitur in ratione futuri conditionati ne-  
cessarij; hinc sicut in hac: *Ante-Christus erit, præ-  
dicatur de Ante-Christo non existentia, sed de-  
terminatio ad illam suo tempore, quæ est divi-  
num decretum, sic in hac: Si Petrus prædetermi-  
naretur ad amorem, amaret, prædicatur de Pe-  
tro determinatio ad amorē sub conditione præ-  
determinationis, quæ est ipsa Omnipotentia.*

85 Potest tamen ultra reddi disparitas: nā-  
que inter prædeterminationē, & amorem datur  
infallibilis connexio, quæ proinde sufficit ut ob-  
jectivē, & signatè, proindeque sine aliquo phisi-  
cè, & de præsenti existente ex parte Petri, possit  
affirmari, quod si Petrus prædeterminetur ad  
amorem, abit; sicut & ab aeterno nullo homine  
existente verificatur, quod homo est animal ra-  
tionale, & idem est de omnibus propositionibus  
essentialibus, nempè propter infallibilem conne-  
xionem hominis cum animali rationali. Atta-  
men inter Ante-Christum, & existentiam illi-  
us postea, & pariter inter conversionem Ti-  
riorum, & prædestinationem Christi, & idem est  
de omni futuro contingenti; nulla datur infal-  
libilis connexio, proindeque non potest adhuc  
objectivē, & signatè verè affirmari Ante-Christū  
esse futurum infallibiliter, quin ultra existentiam  
Ante-Christi, & ipsum Ante-Christum non exi-  
stet.

stentē ponatur aliquid de præsenti existens conexum cum existentia Ante-Christi: nempè diuinum decretum, de quo in ultima resolutione.

## RESOLUTIO II.

*Hæc forma constitutiva futuri tempore futuritionis adequatè existens, non est scientia divina.*

86 Et contra Antiquiores AA. scientia media, quæ sententia per multos annos septuaginta, quia parum consona principijs scientiæ mediæ, eam noviter resuscitarunt Antonius Perez, Esparza, Anatus, Esforcia, & Riva de Neyra. Quæ debet intelligi juxta rationem futuri, namque in futurum est ab solutum, forma constitutiva illius est Scientia Dei absoluta; si verò sit conditionatum, est scientia media. Pro impugnatione tamèn' hujus sententie est notandum, quod in doctrina Thomistarum Scientia Visionis Dei est causa rerum saltè inadequata, proindeque ex determinatione hujus scientiæ, ut causa inadequata sumitur futuritio rerum; supponit tamen inadæquatè futuritionem desumptam ex decreto Dei libero in quo fundatur, qua ratione dicitur Scientia libera. Et in hoc sensu non impugnatur prædicta sententia, quin immo ut resolutione ponderabimus, Thomistæ afferentes futuritionem rei desummi ex determinatione cause, fatentur consequenter desummi inadæquatè ex determinatione divina scientiæ, & adæquatè ex illa, & ex divino decreto.

87 Procedit ergo sermo in sententia Jesuitarum afferentium Scientiam Dei non esse causam rerum, proindeq; esse purè speculativā, non verò practicā. Et hinc primò radicus rejicitur hæc sententia: namque Scientia Speculativa in eo distinguitur à practica, quod practica est factiva sui objecti, speculativa verò illud saltē pro priori existens supponit: sc̄ientia ergo divina futuri supponit futurum, & consequenter supponit formam constitutivam illius in ratione futuri, undè neque potest illud in ratione futuri constituere.

88 Confrinatur: namque, ut perpetuo clamat Jesuitæ, non ideo res sunt future, quia Deus eas scit, sed potius eas scit, quia sunt future; in hoc enim fundant, quod Scientia divina de futuris tam absolutis, quā cōditionatis est consequē ipsa fatura, habet reque suum objectum pro determinativo, ita ut determinativum scientiæ absolute de consensu libero sit ipse consensus liber propter distinctus à Scientia absoluta; & similiter determinativum scientiæ mediæ sit consensus conditionatus, sive conditionate, prævisus, etiam propter distinctus à Scientia Media illum conditionate attingente. Unde tandem deducunt Scientiæ divinam de nostris actibus liberis à no-

bis esse impedibile antecedenter, quia cum Scientia fundetur in nostra libera operatione, eadem potestate, qua possumus nostrum consensum impeditre, perinde Scientiam in eo fundatam impedire valebimus; aliter eset necessitas inevitabilis à nobis, quæ proinde libertatis jura penitus everteret.

89 At omnia ista societatis principia ruunt, si futuritio, seu forma constitutiva futuri sit ipsa Scientia divina: ergo. Patet min. quia eo ipso ideo res sunt future, quia Deus eas scit, non verò è contra Deus eas scit, quia sunt future, unde sequitur talem Scientiam non esse consequentem ipsa futura, & iterum futura ipsa determinari ex divina Scientia, non verò divinam Scientiam ex futuris; ac tandem me non posse eam impedire antecedenter, quia in eo casu non fundatur in mea operatione, neq; est consequens ipsam, & sic ex potestate, qua possum impedire consensum dissentiendo, non sequitur me dissentiendo posse impedire divinam Scientiam.

90 Hinc Complut. Herrera ingenue fatetur quod prædicti AA. vires adversarijs augent, & fundamenta sua doctrinæ circa Scientiæ medium infirmant. Ac tandem, quod si semel concedatur ad veritatem propositionum de futuro aliquid existēs requiri, magis philosophicè sentiunt, qui in decreto, quam qui in ea Scientia veritatem constituunt.

91 Nihilominus Pater Rivera de Neyra omnia illa conciliare conatur, dicendo, futurum considerari posse, & in esse veri formaliter, vel fundamentaliter. Ad hoc autem, ut divinam Scientiam terminet, tanquam Scientiam speculativam, ait, non requiri, quod præsupponatur ad eam in esse veri formaliter, sed satis est, ut secundum se, seu in esse entitativo præsupponatur. Ita disp. 21. num. 37.

92 Sed hoc ita est: ergo futurum in esse entitativo non constituitur, tanquam per formam, per ipsam divinam Scientiam; namque si in esse entitativo ad divinam Scientiam præsupponitur, non potest non ad divinam Scientiam præsupponi forma constitutiva illius; at nos in præsenti loquimur de futuro in esse entitativo, ut potè loquimur de futuritione in esse rei: ergo,

93 Deinde cum dicitur futurum in esse veri formaliter non præsupponi ad divinam Scientiam, vel nomine veri formaliter, intelligitur veritas formalis, consistens in conformitate intellectus cum re, vel veritas transcendentalis, quæ tanquam passio sequitur entitatem objecti, quæ & dicitur veritas objectiva, cum actu terminat intellectionem? Si primum? Quid ad rem; namque nequè homo, neque quidpiam aliud sic præsupponitur ad actum intellectus,

etiam creati; unde non licet inferre actum intellectus esse formā constitutivam illorum. Si vero secundum? Non potest, ut sic, non præsupponi ad divinam scientiam, si semel in esse entitativo præsupponitur, ut potè, ut dixi, veritas transcendentalis sequitur entitatem, & cum illa convertitur, ita ut pro omni priori, pro quo verificatur de aliquo, quod est ens, non possit non verificari de illo, quod est intelligibile, & verum.

94 Sed dices: quod cōversio Iudee sub auxilio A, pro illo priori, quo antecedit scientiā mediā, seu conditionatam, neque habet veritatem, sed haberet, neque habet terminare cognitionem, sed ab hoc præscindit. Ac proinde pro illo priori neque denominatur verum veritate entitatis, neque veritate cognitionis. Quod est in summa dicere, futurum conditionatè pro priori ad divinam scientiam non habere, quod sit, neque quod erit, sed quod esset, si poneretur conditio, ac proinde neque habet entitatem de præsenti, neque de futuro. Omnis ergò futuritio reducitur in divinam scientiam affirmantem, quod esset conversio Iudee, si daretur tale auxilium; unde sicut per illam constituitur in ratione veri formaliter, pariter & in ratione futuri. Ita prædictus Author num. 37. citato.

95 Sed in primis hæc doctrina procedit solum de futuro conditionato, non vero absoluto. Immò disputat. 10. antecedenti cap. 3. docuerat, futuritionem conditionatam entitativam esse indistinctam à futuritione absolute entitativa; ac proinde quemadmodū futuritio absolute entitativa consistit in non existere nunc, & existere postea, ita futuritio conditionata entitativa est, non existere nunc, & existere postea sub conditione. Exponit exemplum, cum afferitur: *Si Petrus postea vocetur, postea consentiet*, tunc enim directè afferitur non existere nunc consensum, & existere postea, licet hoc afferatur cum hac restrictione, *si vocetur*: ergò vel sibi contradicit iste Autor, vel pariter sicut futurum absolutum pro priori ad divinam scientiam habet, quod sit futurum absolute entitativè, propter non existere nunc, & existere postea absolute, pariter & pro priori ad divinam scientiam futurum conditionatum habet, quod sit futurum conditionate entitativè, propter non existere nunc, & existere postea sub conditione.

96 Et rationi stando videtur perspicuum, namque futurum conditionatum non distinguitur ab absoluto in futuritione, sed in conditione: ergò de utroque debet affirmari, quod erit, licet de uno absolute, & de alio conditionate. Et quidem in quo distinguitur *Petrus consentiret, si vocaretur*, ab eo, quod Petrus

consentiet, si vocetur, nisi mera variatione terminorum? Item cum dicitur pro priori ad scientiam medium, quod esset si poneretur conditio, vel assignatur aliiquid de præsenti connexum cum eo, quod esset si poneretur conditio, vel non? Si hoc secundum? Non est cur potius dicitur, quod esset, quam quod non esset. Si primum? Ergò pro priori ad scientiam medium est futurum saltem entitativè, namque illud conexum non potest non consensum extrahere ab statu possibilitatis.

97 Ultra reddit argumentum à principio, namque si futurum conditionatum pro priori ad scientiam medium neque est futurum entitativè, neque verificativè, sed tota illius futuritio reducitur in affirmationem divinę scientię: ergò hæc est vera casuallis, & à priori: quia Deus videt quod esset consensus, si poneretur conditio, talis consensus est futurus conditionatus. Unde sequuntur inconvenientia supra relata contra principia scientiæ mediae. Et addo omnino etiam everti fundamentum illud desumptum ex lege contradictiorum: nempe, quod pro priori ad decretum non potest Deus non cognoscere unam ex his esse determinatè veram, scilicet *consensus erit, consensus non erit*; ad quid enim hæc lex, si Deum videre, est objectum visum esse verum; & pro priori ad Dei scientiam neque est verum, quod erit, neque quod non erit, planè dicat, est verum, quia Deus videt, vel non est verum, quia Deus non videt.

98 Ac tandem sit validissimum argumētū: namque interrogo, vel illa scientia media de eo, quod consensus esset, si poneretur conditio, potuit absolute non existere in Deo terminativè, vel denominativè, vel virtualiter juxta diversos modos dicendi, vel nou potuit? Si non potuit? Ergò neque potuit absolute non fore consensum si poneretur conditio, & consequenter futurum illud conditionatum non liberum, sed necessarium esset. Si potuit? Ergò divinus intellectus ex se indifferens est ad videndum consensum fore, vel non, si poneretur conditio. Tunc sic interrogo, unde ergò habet, quod potius videat consensum fore, quam non fore? Ad hoc enim necesse est ab aliquo determinari: si ergò non à divino decreto, quia divina illa scientia est pro priori ad illud, non etiam ab objecto, quia pro priori ad illam neque est futurum, nec non futurum: ergò omnino voluntarie afferitur illam divinam scientiam esse formam constitutivam futuri conditionati in esse veri.

99 Sed dices ex disp. 21. num. 17. quod determinatur Deus ad habendam scientiam unā conditionatam potius quam ad aliam per ipsam determinationē creatam conditionatam, v.g. ad

sciendam Judæ conversionem sub auxilio A, determinatur per conversionem Judæ futuram sub eo auxilio, duratione vero non phisica, sed per modum rationis objectivæ inferentis logicè illam scientiam, & proveniente non à solo obiecto creato, sed ab illo simul cum infinite divinitate mentis.

100 Sed sanè si scientia divina est forma constitutiva conyersionis Judæ sub auxilio A, ita ut ante illam neque sit, neque intelligatur conyersionis Judæ conditionate futura, neque entitativè, neque verificativè; quomodo potest Deus ad prædictam scientiam habendam potius quam ad oppositam determinari etiam logicè per ipsam conyersionem Judæ conditionatam simul cum infinite divinitatis mentis? Hæc enim est quæ determinatur, ut potest ex se indifferens ad utramque scientiam; sola ergo conyersionis determinaret logicè, cum tamen neque logicè possit determinare pro priori quo neque est, neque erit. Et quidem si determinaret logicè, esset à posteriori per modum quo effectus objectivè infert causam; cum esse conyersionem conditionatam futuram effectus sit formalis ipsius divinitatis scientie; non vero à priori, de qua determinatione inquirimus, ut potest illa determinatio hanc necesse est supponere, sicut effectus causam.

101 Restat nunc jam perpendere membrum aliud, nempe futurum in esse veri fundamentaliter. Ait enim, quod sicut ens est verum, quatenus vel judicatur iudicio vero, vel præbet fundamentum certum ut sic judicetur; ita ens habet futuritionem in ratione veri, quatenus vel judicatur vere dari in rebus ipsis futuritionem entitativam, vel quatenus datur fundamentum certum, ut prædicta futuritio judicetur vera; & prout sic, nempe in ratione veri fundamentaliter constituit res creata futura per quodlibet infallibiliter, connexum cum futuritione entitativa.

102 Sed inquiero: quod est hoc infallibiliter connexum cum futuritione entitativa? Sane si non decretum, neque futuritio ipsa entitativa erit sola divina scientia, & sic est non distingue-re futurum in ratione veri formaliter à futuro in ratione veri fundamentaliter. Quod si distinguitur: ergo in ratione talis non per divinam scientiam, sed per aliquid connexum cum futuritione entitativa realiter à divina scientia distinctum constientur. Quod si concedatur: ergo de præsenti datur, & existit illud connexum, quod neque est scientia divina, neque decretum. Quid est hoc connexum? Sane non aliquid increatum: ergo creatum; sed non existentia consensus, neque illius possibilitas: ergo futuritio consensus. Sed futuritio consensus de præsenti existens pro-

prius appellatur futuritio entitativa consensus, quam futuritio consensus in esse veri fundamentum, sicut homo existens proprius dicitur homo absolutè, seu entitativè, quam homo in esse veri fundamentalis: ergo concedendo in re, quod intendit sententia contraria, utitur pro effugio termino impropriè, vel minus propriè significante futuritionem.

103 Præterea si utamur exēplo ab eo posito, quis unquam pro fundamento certo veritatis formalis aliud assignabit præter entitatem, seu existentiam rei? Ab eo enim, quod rō est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa. In modo quis unquam quodlibet connexum cum existentia rei appellavit existentiam rei in esse veri fundamentalis? Aliter dispositio ultima ad formam, operationes ab illa procedentes, ipsiusque correlativa poterunt dici existentia rei in esse veri fundamentalis.

104 Ac tandem licet illud connexum distinctum sit à futuritione entitativa, non potest dubitari futuritionem entitativam esse primum, vel radicale fundamentum veritatis formalis, quo remoto dari nequit aliud fundamentum proximum sufficiens adjudicandum certo de futuritione, ut à simili patet de existentia: vel ergo hac futuritio entitativa datur de præsenti pro priori ad divinam scientiam, vel non? Si hoc secundum? Ergo neque pro priori ad divinam scientiam datur futurum in esse veri fundamentalis. Si vero primum? Ergo pro priori ad divinam scientiam datur futurum in esse rei, & entitativè, de quo inquirimus.

#### Objiciuntur, & solvuntur argumenta.

105 **F**erè omnia argumenta hujus sententiae tendunt ut probent futuritionem salvati ante decretum divinitatis voluntatis; undè ea commodius proponeamus infra resolut. ultimia. Nunc vero duo, vel tria, quæ magis directè videntur pertinere ad propositum, objiciemus, & primum sic: conyersionis, v.g. prout præcisus esset abstrahendo ab eo, quod sit, non habet statum intrinsecum in esse rei, sed solum statum extrinsecum in esse veritatis; at qui ad statum extrinsecum in esse veritatis sufficit cognitio infallibili modo dicens, quod illa conyersionis esset sub cōditione prædicationis, immo Div. Thom. quando meminit hujus status, totum negotium revocat ad intellectum, nulla mentione facta voluntatis: ergo ad statum conyersionis prout præcisus esset, si daretur prædicationis, sufficit prædicta formalitas scientie.

106 Sed respond. neg. major. juxta dicta in prima resolut. namque licet conyersionis futura

con-

conditionata non habeat statum intrinsecum in esse rei, habet tamen in esse rei statum extrinsecum, nempè determinationem ad esse postea, si ponatur conditio seu prædictio; aliter non est cur de illa verificetur potius, quod esset, quam quod non esset. Quæ determinatio in aliquo infallibiliter connexo cum ipso esset, si poneretur conditio, consilfit; quod & non potest non distinguere à divina scientia juxta principia scientiæ media, aliter ex se habet dicere infallibili modo, quod illa conversio esset sub conditione prædicta, & sic jam est suppositio antecedens inevitabilis; seu quam repellere non est in nostra potestate, proindeque consentius per ipsam in ratione futuri constitutus non esset liber, sed necessarius, ut ipsi argumentantur contra prædeterminantes.

107 Secundò objiciunt. Sicut rem esse entitative futuram est dari futuritionem entitativam ex parte rei, ita rem esse verificative futuram est dari veritatem ex parte actus dicentis rem esse futuram: ergo sicut res constituitur formaliter entitative futura per futuritionem entitativam, ita constituitur formaliter verificative futura per veritatem prædicti actus,

108 Sed respondetur primò, omittendo: in præsenti tamen non loquimur de constitutivo futuri in esse veri formaliter, sed in esse entitativo, seu veri transcendentaliter. Deinde, nego rem esse verificative futuram esse dariveritatem actus dicentis rem esse futuram, sed est habere aliquid ratione cuius ille actus de re certò, & infallibiliter affirmet esse futurā; aliter erit futura, quia actus dicit esse futurā, actusq̄ ille erit causa infallibilis futuritionis ex se; unde estet suppositio anteced. inevitabilis, ut nuper diximus. Ac tandem licet ille actus ex conformitate cum futuro subinduat denominationem veri, quis tamen unquam dixit subinducere denominationē futuri, aliter quilibet actus ex conformitate cum suo objecto subinduet denominationem peculiarem ipsius obiecti, & dicetur homo, vel lapis in esse veri.

109 Tertiò objiciunt: res constituitur futura fundamentaliter in ratione veri per fundamentum certum ad judicandum juditio vero futuritionem entitativam; sed quodlibet infallibiliter connexum cum futuritione entitativa est prædictum fundamentū, ut constat; ergo est constitutivum futuritionis fundamentalis rei in ratione veri. Sed ad hoc patet ex dictis primò: quia impropriè dicitur futuritio fundamentalis in ratione veri, sicut impropriè dicitur homo fundamentalis in ratione veri. Ersi recte perpendatur, nomine futuritionis fundamentalis in ratione veri solum potest intelligi ipsa futuritio

entitativa. Etiamque patet non omne connexū cum re esse rem fundamentaliter in ratione veri. Ac tandem illud connexum, vel non est assignabile, ut distinctum à divina scientia, quam esse connexam cum futuritione entitativa evexit illius libertatem; vel si ab ea distinguitur, non potest non constituere rem formaliter in esse rei futuram, & nedium formaliter in esse veri.

### RESOLUTIO III.

*Neque hæc forma de præsenti existens constitutiva futuri est habitudo, quam res prout est in causa habet ad se ipsam, ut erit præsens in suo tempore.*

110 **E** st contra Suarez, Alarcon, & alios recentiores. Qæ sententia omnibus subobscura, & difficultaria non melius impugnatur, quam explicatio terminorum. Et in primis inquirō, quid nomine rei prout est in causa significetur? Est ne res prout est in causa omnino indifferenti, vel prout est in causa determinata? Negant, quod si res prout in causa determinata: ergo est res prout in causa indifferenti; at res prout in causa indifferenti non potest habere habitudinem ad se ipsam prout suo tempore erit præsens: ergo. Patet min. nam res prout in causa non habet alium ordinem præter ordinem causæ, namque res prout in causa est ipsa causa, neque ab ea distinguitur; at ordo causæ omnino indifferentis non est ordo ad effectum prout suo tempore erit præsens: ergo. Pat. min. nam ordo causæ ut omnino indifferentis, est ordo causæ ut pure potenter producere effectum; sed ordo causæ prout sic est ordo causæ ad effectum pure ut possibiliter: ergo non est ordo causæ ad effectum ut futurum, seu prout suo tempore erit præsens.

111 Confirmatur: ejusdem rei ad se ipsam non datur ordo, & habitudo realis; cum ergo habitudo constitutens futuritionem realem non possit non esse realis: consequenter illa habitudo non potest esse habitudo rei ad se ipsam: est ergo solum habitudo causæ ad rem, quæ suo tempore erit, & hoc significatur nomine rei prout in causa.

112 Nunc ergo inquirō: cur, vel unde causa illa dicit habitudinem ad consensum istum, ut suo tempore erit, & non ad consensum alium etiam possibiliter in ea contentum? Sane non potest responderi, quia suo tempore illum producit, & non istum, nam hoc idem inquirimus, cur nunc de præsenti est verum causam producturam esse istum effectum, & non alium? Idem enim significatur nomine illius habitudinis causæ, ac nomine causæ, ut productivæ.

Dein-

113 Deinde inquiero: quid significetur nomine rei ut suo tempore erit prælens? vel enim significatur existentia rei quatenus præsens sua duratione, vel res ipsa quatenus antevertit præsentiam, seu existentiam in sua duratione, dicit tamè ordinem ad illam? Si primum? Erit constitutere futuritionem in habitudine rei ad suam existentiam de præsenti, quod est falsum, quia res futura non est de præsenti. Si secundum? Ergò est dicere futuritionem consistere in habitudine rei in causa ad se ipsam ut dicentem habitudinem ad existentiam pro sua duratione, quarum prima habitudo eo ipso respicit pro termino futuritionem consistentem in habitudine rei ad existendum postea, & sic non est forma constitutiva illius.

114 Sed videamus jàm quid nomine illius habitudinis intelligat Suarez: ait ergò talē habitudinem nobis esse ens rationis, in mente vero divina esse objectivam præsentiam, quam res habet in æternitate, ratione cuius per modum præsentis cognoscitur, quamvis in ordine ad nos denominetur futura secundum varias temporis differentias. Verba quidem implicatissima, & quæ etiam indigent explicationem terminorum. Fator enim connexionem Omnipotenciam cum possibilibus nobis esse ordinem, & habitudinem rationis, namque connexio illa re vera ordo, & habitudo non est; à nobis tamè apprehenditur per modum cuiusdam ordinis, & habitudinis: si ergò habitudo rei prout in causa ad se ipsam prout suo tempore erit, est nobis ordo, & habitudinis, erit dicere re vera non esse ordinem, & habitudinem: Cum ergò forma constitutiva futuri non posset non esse realis, quippe furitio rei realis est, eique convenit independenter à nostri intellectus consideratione, sequitur ordinem illum, & habitudinem rei prout in causa non esse formam constitutivam futuri, sed quidpiam aliud, quod à nobis apprehenditur per modum cuiusdam ordinis, & habitudinis. Confirmatur: si nobis habitudo illa est ens rationis, & res in ordine ad nos denominatur futura; ergò vel denominatio futuri in ordine ad nos est denominatio rationis, vel habitudo illa non est forma constitutiva futuri. Aliter ergò, & non per habitudinem illam debet exprimi forma constitutiva futuri.

115 Jàm ergò videamus an habitudo illa constitutiva futuri sit in mente divina præsentia objectiva, quam res habet in eternitate. Et in primis illa habitudo constitutiva futuri est juxta hunc eximium Doctorem habitudo rei prout in causa, sed habitudo rei prout in causa nequit esse in mente divina præsentia objectiva, quam res habet in æternitate: ergò. Pat. min. nam pre-

senta objectiva, quam res habet in eternitate est præsenta objectiva rei secundum propria, & formalia illius prædicata, & indistincta à se ipsa, ut coexistente tempore futuro, proindeque distincta realiter à causa; at res prout in causa est res solum virtualiter, & realiter à causa indistincta, ut diximus non ergò habitudo rei prout in causa potest in mente divina esse objectiva præsentia, quam res habet in æternitate.

116 Deinde hic Doctor fatetur, quod licet illa habitudo in nobis sit ens rationis, in mente tamè divina non est ens rationis, sed objectiva præsentia, quam res habet in æternitate. Nunc ergò inquiero: vel res illa est objectivè præsens in mente divina taliter ut extra intellectum divinum nullum habeat esse, neque in se, neque in suis causis, vel taliter ut in se, vel suis causis habeat esse extra intellectum divinum? Si primum? Ergò nedium nobis, sed etiam in mente divina illa habitudo est ens rationis, namque hoc definitur: quod solum habet esse objectivè in intellectu. Si vero secundum? Ergò præter præsentiam objectivam quam res ab eterno habet in mente divina, datur aliquid præsens in quo posse consistere futuratio. Immò Deus licet omnia cognoscat, ut sibi præsentia, hoc tamè non obest, ut cognoscat ipsa eadem futura, & ut præsentia respectivè ad tempus, in quo exercite existunt, & ut futura pro tempore antevertente præsenté illius durationē, quis enim dicat Deum non me cognoscere ut nunc existentem in mea duratione, & pariter non cognoscere Ante-Chrīstum esse vere futurum in ordine ad suam durationem? Non ergò prædicta futuratio habet solum esse objectivum in mente divina.

117 Tandem illius præsentia objectivè refutat assignare causam, & fundamentum, res enim ipsa futura secundum se indifferens est ut existat objectivè, & ut non existat objectivè; sicut enim objectivè existit ejus existentia, potuit etiam objectivè existere ejus non existentia: Detur ergò ratio hujus objectivè existentie; potius quam non existentia? Certè non mens divina, alijs esset determinata ex se ad cognoscendum potius existentiam Ante-Chrīsti, quam non existentiam illius, quod esse non posse patet ex dictis resolutionibus: neque est assignabilis alia ratio praeterquam quod talis res potius erit quam non erit, quo circa, & si non dum existat, jam divinus intuitus propter sui efficaciam eam attingit ut præsentem; ergò ratio, & fundamentum illius præsentia objectivè est ipsa futuratio, consequenterque hec in illa objectiva præsentia consistere non valet. Contra hanc resolutionem nulla se offert specialis objectio præter communia infra objicienda.

## RESOLUTIO III.

*Neque hæc forma constitutiva futuri de præsenti existens est habitudo realis pertinens ad realitatem essentia?*

118 **E** St contra aliquos recentiores, qui tenentes cum Suarez formam constitutivam futuri esse ordinem, & habitudinem rei, prout in causa ad se ipsam prout suo tempore erit, videntes illam habitudinem non posse esse solam objectivam præsentiam in mente divina, quia aliter futuritio esset ens rationis; dicunt esse habitudinem quandam realem non realitate existentia, sed essentia; sed hæc sententia multipliciter impugnatur: primò, quia illa denominatio futuri est de præsenti existens, & consequenter forma, à qua provenit; at ante existentiam essentia nequit existere aliiquid identificatum cum essentia, aliter essentia existeret, & non existeret: ergò ante existentiam essentia nequit existere illa habitudo identificata cum essentia, & consequenter nequit esse forma, à qua proveniat denominatio futuri. 2. Näm si semel habitudo illa idéntificatur cū essentia: ergo denominatio futuri est in hac sententia denominatio extrinseca, ut potè à forma intrinseca proveniens; at res, dū non existit, incapax est intrinsecè denominationis, præcipue, si denominatio sit de præsenti existens, ut patet, & omnes Auctores testantur: ergò. Tertiò: nam hæc habitudo est habitudo rei in causa: ergò est habitudo causæ, & non rei in se prout distinetà à causa; sed habitudo causæ nequit pertinere ad realitatem essentia rei futuræ, ut constat: ergò. Quartò: realitas essentia condistincta à realitate existentia nequit non esse realitas essentialis; sed futuritio nequit consistere in realitate essentiali, tūm quia alias res esset futura essentialiter, & non accidentaliter, seu contingenter: tūm quia inde sequeretur omnia possibilia, esse futura cum omnia gaudeant realitate omni pertinente ad essentiam, immò realitas illa essentialis consistit in habitudine ad existentiam, quæ est ipsam et essentia possibilitas: ergò.

119 Dices: quod duplex est habitudo identificata cum essentia, alia indeterminata, & ad existentiam, ut pure possibilem; alia determinata, & ad existentiam, ut suo tempore habendam: & hæc sola secunda habitudo constituit futurum, quæ neque possibilibus, neque rebus alijs essentialiter convenit, sed contingenter solum, & accidentaliter. Sed contraria est primò: nám si semel rebus convenit accidentaliter, & contingenter: ergò potest eis realiter non convenire: ergo est ab eis realiter separabilis, & consequenter non potest realiter cum illarum essentia identificari.

120 Dices: sortè esse ab eis realiter separabilem quoad denominationem, non verò quoad entitatem, sicut unio à materia prima, vel forma in sententia quod non datur modus unionis, cuius sunt plura alia exempla. Sed contra: nam quod aliquid identificatum cum altero possit ei deficere, & ab eo separari quoad denominationem, & non quoad entitatem, provenit in hac sententia ex quo denominatio est connotativa, quæ ex solo defectu extrinseci connotati deficere potest. Inquiro ergò ex cuius connotati defectu deficit pùre possibili denominatio futuri futuritione cum ipso identificata? Non quidē ex defectu causæ, scilicet illius determinationis, aliter ante hujus determinationem non esset determinationis futuri, quod ipsis negant. Neq; etiā ex defectu existentia habende suo tempore, quia cum futurum esse aliiquid vel non, sit, quod ejus existentia erit, vel non erit, esset dicere, quod denominatio futuri deficit, quia deficit denominatio futuri, immò in horum Auctorum sententia existentia non distinguitur realiter ab essentia, non tamen eadem denominat existentem, nisi dum subest actioni productivæ causæ, & ex hujus defectu solum desinit eam denominare existentem: ergò pariter ex solum causæ defectu, nempe determinationis illius ad rei productiōnem posset realitas illa constitutiva futuri rem denominare futuram; ab eodem enim provenire debet effectiva, quod res aliqua actu existat, ac quod sit futura, ut infra explicabimus.

121 Secundo impugnatur illa solutio à priori, namque non est undè habitudo illa sit determinata ad existentiam, quæ suo tempore erit, potius quam è converso: Ergò. Patet, nam essentia ex se indeterminata est, ut existat, vel non: Ergò aliundè provenire debet quod dicat habitudinem ad existentiam, quæ suo tempore erit, potius quam è converso; at undè proveniat non assignatur in hoc modo dicendi: Ergò. Immo hæc habitudo, ut diximus, non est alia ab habitudine causæ; sed habitudo causæ ante sui determinationem non est habitudo determinata, sed indeterminata, & ad existentiam, ut pùre possibilem: ergo. Contra hanc resolutionem nulla etiam se offert specialis objectio.

## RESOLUTIO V.

*Neque forma constitutiva futuri de præsenti existens est tempus antevertens propriam durationem, vel negatio durationis in qua erit existentia propria.*

122 **E** ST contra Patrem Herice, qui distinguit inter futurum pro materiali, inquit importare existentiam in sensu prima sententia; pro formalis

mali verò unum ex duobus, aut hoc tempus antevertens durationem propriæ existentia, aut negationem illius durationis in qua talis existentia erit. Quę sententia facilimè ex terminis impugnatur, namque vel nomine temporis antevertentis durationem propriam, & negationis durationis in qua existentia erit, intelligitur tempus illud, illaque negatio secundum se vel non? Si primum? impossibile est, quod futuram rem constitutat unum ex illis duobus, quod fit manifestum: namque per tempus præsens antevertens durationem propriam alterius mundi, & similiter per negationem durationis existentia illius non constituitur alter mundus futurus. Si verò secundum? ergò præter tempus præsens antevertentis durationem, & negationem illius secundum se, aliquid aliud debet assignari ratione cuius res constituatur futura. Inquiero ergò, quod sit illud aliud? Dices esse tempus præsens antevertentis durationem in qua erit, & similiter esse negationem durationis in qua erit. Benè: ergò illud tempus, illaque negatio non constituit rem quantum ad erit, sed potius supponit, quod erit, & consequētè futuritionem. Patet conseq. namque si constitueret rem quantum ad erit, cum pro priori ad effectum intelligatur causa, eam constitueret quantum ad erit, quin pro priori constitutionis intelligatur, quod erit.

123 Confirmatur primò: quod res erit, est effectus formalis formæ constitutivæ futuri: ergò quod res erit, neque inadéquate est forma constitutiva futuri: ergò ante hoc quod erit res, est adæquata forma constitutiva futuri; at ante hoc, quod res erit, non est nisi tempus præsens antevertentis durationem rei, & similiter negatio illius durationis secundum se, quæ communis est etiam possibilibus: ergò. Secundo: in eo, quod dicitur: *Tempus antevertentis durationem in qua erit, tempus antevertentis durationem importatur per modum generis, in quo futurum convenit cum pure possibilibus;* & *Ily in qua erit, importatur per modum differentiæ, in quo à pure possibilibus distinguitur:* ergò juxta hanc sententiam adæquata differentia specifica futuri à pure possibilibus est duratio in qua erit; at duratio in qua erit non est forma de præsenti existens: ergò juxta hunc modum dicendi non assignatur forma constitutiva futuri existens de præsenti. Tertio: juxta: hunc Authorem futurum pro materiali importat existentiam: ergò existentia futuri non potest ingredi formam constitutivam futuri; in eo, quod dicitur *erit significatur existentia futuri:* ergò vel hoc *quod erit* non ingreditur formam constitutivam futuri, vel futurum non importat existentiam pro materiali. Quarto: vel duratio illa habet ex tempore illo præsenti eam

antevertente, quod sit duratio in qua erit res, vel non? Si hoc secundum? Ergò neque ex illo tempore habet res, quod sit formaliter futura. Si primum? Ergò tempus illud est connexum cum eo, quod duratio quam antevertit sit duratio in qua res erit. Sed undè hæc cōnexio? Namque eam non habet secundum se, neque eam habet ratione durationis, in qua erit, cum hæc sit extrellum connexionis: ergò. Ac tandem quis dixit, quod tempus antevertentis durationem possibilem in qua possibile existere potest, vel negatio illius durationem, est forma constitutiva possibilis? Cū ergò sicut futurum dicit ordinem ad existentiam, ut mensurabilem tempore futuro cum negatione durationis mensurantis actu existentiam, ita possibile dicat ordinem ad existentiam, ut mensurabilem tempore possibilem cum negatione durationis mensurantis actu existentiam, pariter nequè dici potest, quod tempus præsens antevertentis durationem, in qua res erit cum negatione illius durationis potest esse forma constitutiva futuri. Contra hanc resolutionem etiam nulla se offert specialis objectio.

### RESOLUTIO VI.

*Forma de præsenti existens constitutiva futuri est determinatio cause ad productionem effectus proindeque rectè definitur futurum per hoc, quod sit determinatum in causa ad habendum existentiam pro duratione sequenti.*

124 **E**st omnium Thomistarum, & intelligitur, servata proportione causæ, & futuri; namque forma constitutiva futuri simpliciter, & omnibus modis est determinatio certa, & infallibilis causæ, nempe in impedibili, ut est Deus; forma verò constitutiva futuri secundum quid est determinatio citrè certitudinem, & infallibilitatem, scilicet, causæ impedibili, ut est causa secunda inferior, v.g. voluntas creata.

125 Et fundatur primò expressa doctrina parent. Aug. cap. 9. de corrept. & grat. & tract. 68. In Joann. ad illa verba: *Perfectè fecit, que futura sunt,* ubi hæc habet: *Fecit futura ea predestinando.* Et lib. 6. de Gen. ad litter. cap. 19. dicit: *Deum futura facere, nihil est aliud, quam eorum causas preparare.* Ubi distinguit illa duo genera futurorum, de quibus nuper mentionem fecimus; nempe alterum per ordinem ad causas creatas, quod est tale ex vi determinationis eorum, quod non est omnino infallibile, nisi Deus ipsa velit, ex cuius efficacia accipit omnimodam infallibilitatem: alterum est, quod decrevit ab

eterno

æterno suo decreto, v. g. quo decrevit se producendum tempore posteriori Antechristum, & hoc est futurum omnino infallibile. Est etiam alter expræslus locus August. lib. 26. contra Faust. cap. 4. ubi afferit : *Si mibi dicatur posse fieri, ut caro, v. g. hujus, vel illius hominis in corpus cœlestis mutetur, concedo fieri posse; sed utrum futurum sit, nescio, & ideo nescio, quia quid habeat de hac re Dei voluntas, me later: illud me tamen non latet, sine dubio futurum si hoc Dei voluntas habet. Ubi clarissimè in determinationem divinæ voluntatis totam rationem futuritionis reducit.*

126 Est etiam expressa Div. Thom. pluribus in locis, & præcipue loco pluries citato ex r.p.q. 16. art. 7. ad 3. ubi ait: *Illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat, ut fieret; unde sublata causa, non erit futurum illud fieri. Sola autem causa prima est æterna; unde ex hoc non sequitur, quod ea, quæ sunt semper fuerit verum ea esse futura, nisi quæ tenus in causa sempiterna fuit, ut essent futura, quæ quidem causa solus Deus est. Hoc etiam probat, & planè affirmit q. 2. de verit. art. 11. ad 7. his verbis: *Cum dicitur hoc est futurum, designatur ordo, qui est in causis illius rei ad productionem ejus. Pariter in primò distinct. 38. q. 1. art. 5. dicit: Deus videt ordinem sui ad rem, ex cuius potestate res erat futura. Hoc ipsum etiam testatur primò contra Gentes cap. 6. & 1. per Hyermenias cap. 3. & 2. 2. q. 171. art. 6. ad 2. ac tandem in præsenti art. 13. habet: Alio modo consideratur contingens, ut est in sua causa, & sic consideratur ut futurum; sed non ut in causa indifferenti: ergo ut in causa determinata.**

127 Secundo fundatur à ratione: & 1. ex præcedentibus resolutionibus; namque ut patet ex 1. resolut. forma constitutiva futuri existit de præsenti tempore futuritionis; tempore autem futuritionis solum existit de præsenti, vel divina scientia repræsentativa futuri, vel præsentia ipsa objectiva futuri, vel tempus præsens, vel habitudo cause, ut determinata: cum ergo in nullo ex illis quatuor consistere possit forma constitutiva futuri, ut liquet ex præcedentibus resolutionibus, necesse est eam consistere in determinatione cause ad effectus productionem.

128 Secundo fundatur nostra resolutio à ratione sic: namque illa est forma constitutiva futuri, quæ de præsenti exprimitur cum dicitur: nunc consensus est futurus; at hæc est determinatio causa ad productionem illius: Ergo. Maj. patet ex prima resolutione, min. vero prob. nam ut ibi diximus fundamento 2. quod de præsenti exprimitur cum dicimus, *nunc consen-*

*sus est futurus*, est consensum esse determinatum ad existendum postea; at hoc esse determinatum ad existendum postea, aliud esse nequit præter determinationem causæ ad illius productionem: ergo. Patet minor, ut potè non est consensum esse determinatum à se, cum ex se omnino sit indifferens ad existendum postea: ergo solum est esse determinatum ab alio, & non nisi à causa, sed esse determinatum à causa non est aliud præter determinationem causæ, cum ut diximus hyc determinatione sit denominatio ex trinseca, ut potè consensus non existens: Ergo.

129 Tertio fundatur: namque ab eo habet consensus, quod sit futurus, à quo habet, quod sit existens, sicut ab eo à quo habet, quod sit existens, habet, quod sit possibilis; at habet, quod sit existens à causa: ergo, & quod sit futurus. Tunc sic, sed non à causa ut omnino in differenti, quia ab hac ut sic habet solum, quod sit possibilis, neque à causa ut aëtu influente in illum, quia ab hac ut sic habet solum, quod sit existens: ergo ab ea ut determinata solum ad consensus productionem. Confirmatur primò: cum futurum sit medium inter possibile, & existens, illa est forma constitutiva futuri per quam constituitur medium inter possibile, & existens; cum ergo existens sit, quod est omnino extra causam, & possibile sit, quod continetur omnino intra illam; & inter esse omnino extra causam, & omnino intra illam, non censeatur aliud medium præter contineri in causa determinata ad productionem effectus; hoc enim ipso partim est extra causam, & partim intra illam, videatur manifestum talem determinationem causæ esse formam constitutivam futuri. Confirmatur 2. quia causa, & effectus sibi invicem correspondent, unde sicut in causa est primò considerare virtutem secundum se, deinde determinationem ad agendum, tandem rationem, seu productionem actualem effectus, ita effectus primò consideratur secundum se, seu ut possibilis, deinde ut determinatus ad existendum, ac tandem ut existens: sicut ergo ut possibilis correspondet virtuti cause secundum se, & ut existens correspondet ei, ut actualiter producenti effectum; pariter ut futurus, seu ut determinatus ad existendum, correspondere debet causa, ut determinata ad productionem illius.

130 Unica est solutio adversiorum: nempe his argumentis convinci futurum habere esse tale à causa radicaliter, seu effectivè, secùs tamè formaliter, namque ut sic constituitur per existentiam. Quod & dicunt deduci ex nostra doctrina, ut potè sic habet futurum esse tale à causa, sicut & existens, & possibile; existens autem solum habet esse à causa effectivè ut patet,

pariter possibile, namque hujus denominatio non extrinseca, sed intrinseca est, nempe intrinseca non repugnantia ad existendum. Unde ex paritate possibilis, & existentis potius potest retorqueri argumentum contra nos. Sed sane paritas nunquam tenet quantum ad omnia, nec nos ex exemplis aliud intendimus, quam quod futurum radicatur illud, quod habet esse determinatum in causa. Est tamen disparitas clara inter possibile, & futurum, quod denominatio existentis est intrinseca, & sic non potest ei convenire à causa formaliter; sed solum effectiva. Denominatio futura est extrinseca, quae ab extrinseco principio formaliter convenire potest. De possibilibus potest negari, quod sit denominatio intrinseca; est enim sententia probabilior, quod est extrinseca, nempe proveniens à divina Omnipotentia potente ea causare, namque possibilia in se intrinsecè non sunt, neque aliquod habent esse præter esse objectivum consistens in non repugnantia terminorum.

131 Secundò potest dici, quod res dicitur possibilis positivè, & negative; negative à non repugnantia terminorum, positivè ab omni potentia potente illam producere; illa est intrinseca, hæc verò extrinseca, & quantum ad hanc parificatur à nobis futurum cum possibili. Tandem potest etiam omitri absolutè denominationem possibilis esse intrinsecam, & negando denominatione futuri, discrimenque consistit in eo quod possibile præter continentiam, quam habet in causa, habet intrinsecam non repugnatiā ad existendum, quæ propterea est indistincta ab ipsis rebus, & consequitur rem in omni statu, namque eam habet adhuc cum actu, & exercite exiit; futurum verò non habet aliud esse, quam esse determinatum in causa, ut potè non habet existentiam, & intrinseca non repugnantia ad esse postea, non eum constituit in ratione futuri, sed in ratione possibilis; & sic non est cogitare aliquid intrinsecum, in quo forma illius consistere queat, namque de existentia futura jam stabilitum est, in ea consistere nō posse.

132 Pro cuius adhuc majori intelligentia est notandum, quod res ante propriam existentiam potest à prædicatis essentialibus intrinsecè, & essentialiter denominari propter intrinsecam, & essentiale connexionem, quam habet cum illis, sicut dicimus, hominem esse animal rationale; non repugnantia autem ad existendum prædicatum essentiale est, sicut & connexum intrinsece, & essentialiter cum qualibet re creata, & sic ab ea potest res creata etiam ante existentiam intrinsece, & essentialiter denominari; futurum verò non est prædicatum essentiale rei futura, sed ei contingenter convenit; denominatio

natio autem contingens requirit esse intrinseca absque rei existentia, cum forma accidentalis intrinseca necessariò supponat existentiam subiecti, cui inest; & sic est disparatio inter unam & alteram denominationem.

133 Ex quibus jam planè convincitur, quod cum futurum simpliciter, & omnibus modis sit futurum contingens infallibiliter tale, hujusque forma constitutiva non potest non esse determinatio causæ inimpedibilis, & infallibilis, qualis est divina voluntas; determinatioque divina voluntatis sit ipsum decretum, quo Deus decernit rerum productionem pro sua duratio-ne, consequenter futurum infallibilitatem tale constituitur per liberum decretum divina voluntatis, ita ut hoc non intellecto non potest intelligi futurum infallibiliter tale, sicut neque forma illius in ratione talis constitutiva. Quod cum sit verum nedum de futuro absoluto, verum & de conditionato; ut patet etiam ex dictis, consequenter pergit objectum scientiæ Medicæ.

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

134 **S**ed contra nostram resolutionem objicies i. ex Suarez. Si determinatio causæ esset forma constitutiva futuri, perinde esset rem aliquam esse futuram, ac esse determinatam in causa; at hoc est falsum: ergo. Major patet, & minor prob. quia diversitas aliqua est inter rem esse futuram, & esse determinatam in causa: non ergo perinde se habet rem esse futuram, ac esse determinatam in causa. Antecedens constat, namque illi termini non sunt sinonimi.

135 Dices quod est diversitas ex modo significandi, seu penes explicitum, & implicitum, qualiter distinguuntur homo, & animal rationale, & in universum omnis diffinitio, & diffinitum secus verò ex parte rei significatæ. Sed contra primò, nam inter esse de præsenti, & esse de futuro datur distinctio nedum ex modo significandi, sed etiam ex parte rei significata; sed rem esse determinatam in causa est aliquid de præsenti, & rem esse futuram dicit aliquid de futuro: ergo. Secundo, inter causam efficientem, & illius effectum datur distinctio ex parte rei significata; sed rem esse determinatam in causa est causa efficientis futuritionis illius: ergo. Tertio, si rem esse determinatam esset idem ex parte rei significata, cum rem esse futuram, Angelus cognoscens causam determinationem ad productionem effectus, effectum ut futurum cognosceret; at angelus non cognoscit effectum, ut futurum, quamvis causam attingat, ut determinatam ad illius productionem: ergo. Quarto, si

rema

rem esse futuram idem esset ex parte rei significatę, ac esse determinatam in causa, perinde esset Deum cognoscere rem futuram certò, & infallibiliter, ac cognoscere certò, & infallibiliter illam esse determinatam in causa; at hoc est falsum, cùm eo ipso res sit futura certò, & infallibiliter, & esse determinatam in causa non infer certam, & infallibilem futuritionem illius. ergò. Quintò: si rem esse futuram perinde esset, ac esse determinatam in causa, sicut futurum nos potest non aliquando esse in tempore, quia ut ait Augustinus, tam non possunt futura non fieri, quam non fuisse facta præterita, neque posset res determinata in causa non esse in tempore aliquandò; at stat rem esse determinatam in causa, & non esse aliquandò in tempore, vel propter suspensionem divini cursus, vel quia non impeditur ab alia superiori causa: ergò. Tandem nam si res esse futurā sit idem, ac esse determinatā in causa, cum quidquid est in tempore non potuerit antecedentē non esse futurum sequitur, quod neque potuerit non esse antecedētē determinatum in causa; at stat aliquid esse in tempore, quia antecedētē fuerit determinatum in causa, ut si aetū liberum purè p̄ce deret juditiū indifferens circa objectū illius: erg

136 Ad argumentum recte dictum est. Ad primam replicam conc. major. & disting. min. rem esse futuram dicit aliquid de futuro pro materiali, id est, pro ipsa re futura, conced. pro formalī, neg. quia ut sic dicit futuritionem ipsam, quæ non de futuro, sed de præsenti existit. Ad secundum conc. major. & nego min. namquæ licet causa determinata sit causa efficiens rei futuræ, respectu tamen futuritionis non est causa efficiens, sed formalis. Ad tertiam resp. quod Angelus cognoscens causæ determinationem ad productionem effectus, eo ipso cognoscit effectum, ut futurum secundum quid, id est, attenta inclinatione causæ, scilicet verò simpliciter, quia ut sic constituitur solū per determinationem primæ causæ, quæ soli Deo, vel cui Deus voluerit revelare, potest innotescere, neque adhuc Angelus cognoscit determinationem causæ libere, ut potè dependentem à judicio determinato rationis, quod latet Angelum, & sic neque futuritionem adhuc secundum quid actus liberi cognoscere potest. Ad quartam dico, quod rem esse determinatam in causa secunda, & impedibili, non infer certam, & infallibilem futuritionem rei; scilicet autem esse determinatam in causa prima inimpedibili, Deus autem non cognoscit certò, & infallibiliter rem esse futuram in causa secunda, & impedibili, nisi quatenus subest primæ causæ, id est suo libero decreto, quod

M. Carrasco,

solū est forma constitutiva futuri simplicitè; id est, infallibilitè talis. Pro majori intelligentia distingue inter Deū cognoscere certò, & infallibilitè futurum, & Deum cognoscere futurum certò, & infallibilitè tale: Deus ergò sicut certò, & infallibiliter cognoscit determinationem causæ secundæ, etiam certò, & infallibilitè cognoscit futurum constitutum per talem determinationem, non tamen tunc cognoscit futurum certo, & infallibilitè tale, sed incertum, & fallibile, sicut & determinatio causæ secundæ incerta, & fallibilis est. Quod est cognoscere certo, & infallibilitè futurum secundumquid: id est, attenta inclinatione causæ secundæ; non verò simpliciter, namque hoc solū cognoscit in suo libero, & efficacissimo decreto, cui nulla causa creata resistere potest. Ad quintam respondeo, quod id quod est futurum simpliciter, & per ordinem ad causam primam, nempè per divinum decretum constitutum, non potest non fieri, & esse aliquando in tempore; & de hoc loquitur Augustinus; scilicet tamèn, quod est futurum secundumquid, & attenta solū inclinatione causæ secundæ, ut probatio argumenti convincit.

137 Ad ultimam paritè respondeo, quod quidquid est in tempore non potuit non antecedentē esse futurum per ordinem ad causam primam, & consequentē non potuit non esse antecedentē, immò ab aeterno determinatim in divina causa. Per ordinem verò ad causam secundam, licet non potuerit non esse futurum futuritione fortuita, & à casu, sicut à casu, & fortuito est, cum est præter inclinationem suæ causæ, benè tamèn futuritione proprie sumpta, & à futuritione à casu condistincta, de qua in præsenti loquimur.

138 Secundo objicies, futurum determinante debet constitui per aliquid creatum, vel incrementum; sed determinatio causæ ad productionem effectus non est determinate creatum, vel increata: ergò Minor patet, namque existens determinata constituitur per aliquid creatum; possibile verò determinatè constituitur per aliquid increatum: ergò paritè futurum determinate debet constitui vel per aliquid creatum, vel per aliquid increatū. Minor verò prob. namque determinatio causæ alia est creatum, & alia increata: ergò non est determinata creatum, vel increata.

139 Dices, quod sicut futurum est duplex, aliud simpliciter tale, nempè tale infallibilitè, & aliud secundumquid tale, scilicet tale solū attenta inclinatione causæ, quæ propterea solū analogicè convenient in ratione communi futuri, non est necesse assignare eandem determinationem causæ pro constituti-

vo utriusque; sed constitutivum futuri simpliciter talis determinate est determinatio increata, seu primæ causæ, nempè decretum ejus liberum; futuri verò secundum quid talis constitutivum determinate est determinatio causæ secundæ, quæ creata est.

140 Sed contra objicies primò: nam futurum quodlibet determinate est creatum, nequit enim dari divinum aliquid futurum, ut contra Suarez infrà dicemus: ergò & forma constitutiva cuiuslibet futuri debet esse determinatè creata. Secundò: futurum quodlibet ab eo habet futuritionem, à quo habet existentiam, ut supra docuimus; sed quodlibet futurum habet existentiam à sua causa secunda, & creata: ergò & ab illa habet futuritionem.

141 Sed resp. quod futurum quodlibet pro materiali est creatum, licet non exercitè, sed signatè, & objective; pro formalí verò in ratione futuri simpliciter, & infallibiliter talis est increatum, sicut & determinatio primæ causæ increata, & divina est; secùs tamen in ratione futuri secundum quid talis; namque tunc adhuc pro formalí creatum est, sicut & creata est determinatio causæ secundæ, per quam constituitur; hinc divinum aliquid non potest esse futurum, ut quod, bene tamen ut quo. Nec valet rem esse futuram esse veritatem creatam, nám pariter dico esse veritatem creatam ex parte substracti, v. g. consensus; secùs verò ex parte formæ, loquendo de futuro simpliciter tali. Sed dices: ergò futuritio non est effectus realis, namque denominatio effectus entitati increata repugnat; at hoc est falsum, aliter Deus non esset causa efficientis futuritionis: ergo. Sed respond. Deum esse causam efficientem futuritionis secundum quid talis, nempè talis per ordinem ad causas secundas; secùs verò futuritionis simpliciter talis, & per ordinem ad causam primam.

142 Sed dices: ergò rem esse futuram simpliciter non est effectus formalis futuritionis; namque effectus formalis nequit non procedere efficienter ab aliqua causa. Resp. quod non est effectus formalis propriè loquendo, nempè procedens à forma intrinsece informante; hic enim solùm petit procedere à causa efficiente causante formam, vel administris illius unionem cum subiecto; sed est effectus formalis impròpiè, & grammaticaliter, nimirum procedens à forma solùm extrinsece denominante, eo modo, quo denominatio voliti, seu prædefiniti à Deo dicitur effectus formalis divinae volitionis, seu prædefinitionis, cuius non est assignare aliquam causam.

143 Ad secundam replicam resp. quod su-

turum quodlibet ab eo habet futuritionem, à quo habet existentiam proportionē servatæ; namque ab eo, à quo habet existentiam inimpedibiliè, ut est causa prima, habet futuritionem simpliciter talem, nempè infallibilem ab eo autem, à quo habet existentiam impeditibiliè, ut est causa secunda, habet futuritionem secundum quid tales, scilicet fallibilem, & impeditibilem. Hinc idem futurum dicitur simpliciter tale per ordinem ad causam primam, & secundum quid tale per ordinem ad causam secundam.

144 Tertiò objicies, & est replica contra præcedentem solutionem: determinatio constituens futurum neque potest esse determinatio causæ creata, neque determinatio causæ increata: ergò nulla. Probat. antec. quoad primam partem: nam determinatio constituens futurum debet esse ab æterno, sicut ab æterno res est futura; at nihil creatum potest esse ab æterno: ergo. Quoad secundam partem etiam prob: nam determinatio causæ increata est divinum decretum; sed divinum decretum nequit constituere futurum: ergo. Prob. min. quia decretum, utpotè actus divinæ voluntatis, solùm potest denominare objectum volitum; sed denominatio voliti non est denominatio futuri: ergo. Secundò: nam decretum est actus, quo Deus vult futurum, seu rem esse futuram; sed actus non potest non distingui à suo objecto, neque eum potest constituere, sed supponere: ergo.

145 Ad hoc argumentum respond. negantec. Ad probationem. prima partis dico, quod res futura per ordinem ad causam primam est ab æterno, sicut sola determinatio causæ primæ est ab æterno. Per ordinem verò ad causam secundam, sicut hujus determinatio solùm existit in tempore, ita solùm existit in tempore illius futuritio.

146 Ad primam probationem secundæ partis dico, quod denominatio voliti, ut sic, non est denominatio futuri, secùs tamen denominatio voliti efficaciter in ordine ad existentiam habendam in tempore; namque per idem est esse sic volitum, ac esse determinatum ad existendum postea, quod est propriissime esse futurum, seu futurum denominari. Ad secundam probationem respond. quod decretum est actus, quo Deus vult exercite rem esse futuram, non verò signatè, namquè signatè solùm vult consensum nunc non existentem existere postea, in cuius objecto non importatur forma constitutiva futuri, scilicet ipsum decretum, proindeque neque importatur consensum esse futurum, quia tamen Deus volendo consensum nunc non existentem, existere postea per virtutem reflexionem, & exercitè vult se velle con-

seus nūc non existentem existere postea id ideo reflexe virtualiter, & exerceit vult formam constitutivam consensus in ratione futuri, & consequenter consensum esse futurum.

147 Sed dices: non solum actus debet distingui à suo objecto signate attracto, verum & exerceit attracto, namque cognitio efformativa entis rationis non solum distinguitur ab ente reali, quod signate attingit, verum & ab ente rationis, quod attingit exerceit. Sed respondeo ita esse de objecto adæquato exerceit attracto, secùs verò de inadæquato, namque per cognitionem efformativam entis rationis, nèdum cognoscitur exerceit ens rationis, verum & ipsa cognitio, quæ virtualiter est supra se ipsam reflexiva, proindeque ipsam est sui objectum inadæquatum. A simili ergò Deus per suum decretum exerceit vult se velle consensum nūc non existentem, existere postea, quod est decretum ipsum esse suum objectum inadæquatum, & cognitum ut formam constitutivam futuri.

148 Sed adhuc objices: decretum constitut infallibiliter cum consensu; sed non ut de facto existenti, non ut pure possibili, non ut futuro in decreto hoc enim est connecti cum se ipso: ergò ut futuro in se futurito ergò in se distinguitur à decreto. Sed respondendo distinguendo consequens: ergò ut futuro in se exerceit, & per resultantiam, concedo, signate, & directe, nego. Sicut cognitio effectiva entis rationis signate, & directe connectitur cum ente reali, quod est objectum signate, & directe per eam attractum; attamen exerceit, & per resultantiam connectitur cum ente rationis, quatenus ex ipsa cognitione entis realis ens rationis resultat. Pariter ergò ex decreto quo Deus vult consensum nūc non existentem existere postea, resultat determinatio consensus in ratione futuri, quod est exerceit cum consensu ut futuro connecti.

149 Sed dices: consensus etiam quatenus directe, & signate attractus per decretum distinguitur à se ipso, ut est pure possibilis: erò adhuc ut sic attingitur ut futurus. Sed respondendo distinguendo antecedens, distinguitur à ipso ut est pure possibilis distinctione intrinseca, & de futuro, concedo antecedens, distinctione extrinseca, & de praesenti tempore futurionis, nego antecedens. Consensus enim suis duplici distinctione distinguitur à se ipso pure possibili; prima est intrinseca, & in disticta ab ipsius existentia postea, & in temporabenda; & sicut existentia non est de praesenti sed de futuro, ita hæc distinctione tempore futurionis est de futuro, & non de praesenti: secunda est extrinseca, & de praesenti ipso tem-

pore futurionis, quæ nempè provenit ab aliquo extrinseco de praesenti infallibiliter connecto cum ipsa existentia postea habenda, quæ in nostra sententia est ipsum divinum decretum; cum ergò hoc decretum non attingat directe, & signate se ipsum, sed consensum extitum postea, consequenter attingit consensum ut distinctum à se ipso ut pure possibili intrinsecè, & distinctione de futuro, non verò extrinsecè, & distinctione de praesenti; sed ut sic solum attingit consensum ut distinctum exerceit, & per resultantiam.

150 Tandem dices: determinatio qua Deus determinat ad amorem ut nūc existentem, nempe physica prædeterminatio, adæquatè distinctetur ab ipsa existentia amoris: ergò determinatio qua Deus determinat ad amorem extitum, quæ est divinum decretum, adæquatè etiam distinguitur ab ipsa futuritione amoris. Sed nego consequentiam, sed quod infertur est, divinum decretum adæquatè distingui ab ipsa crastina existentia amoris, non verò ab illius futuritione; divinum enim decretum non determinat ad futuritionem amoris, sed solum ad existentiam crastinam amoris, in cuius determinatione futuritio existentiae amoris consistit.

151 Quinto objicies: si determinatio cause constitueret futurum, etiam illud constitueret scientia divinæ visionis; at hoc est falsum: ergò. Major patet: namque scientia divinæ visionis juxta Div. Thom. est causa rerum; minor verò probatur primò: nàm Deus cognoscit futura in forma illorum constitutiva: at non ea cognoscit in sua scientia; namque hæc non reflectitur supra se ipsam: ergò. Secundo: nàm scientia divinæ Visionis ut potè libera, in sententia Thomistarum supponit divinum decretum, & in eo fundatur; sed hoc secundum nos est forma constitutiva futuri simpliciter talis: ergò scientia divinæ visionis supponit formam constitutivam futuri simpliciter talis, & consequenter nequit esse forma constitutiva illius. Tertio: nàm Deus per scientiam visionis nèdum signate cognoscit consensum nūc non existentem extitum postea, verum & cognoscit esse futurum; sed actus juxta nos debet distinguere ab objecto, quod signate attingit, ipsumque constituere non potest, sed supponit: ergò.

152 Ad hoc argumentum respondetur concedendo majorem, & negando minorē. Ad primam probationem pariter concessa majori, negatur minor: namque divina scientia practica virtualiter est supra se reflexiva, & sic in se ipsa tanquam in forma potest cognoscere futurum. Ad secundum dico, quod scientia visionis, & divino decreto, completur determinatio adæquatè

constitutiva futuri, & sic ex quo divina scientia supponat divinum decretum, & in eo fundetur, solum sequitur supponere inadæquatam formam constitutivam futuri. Quia tamèn divinum decretum est primordialis, seu radicalis determinatio, à qua divina scientia sicut liberatem, ita & determinationem habet, propterea secundum nos absolute dicitur formam constitutivam futuri simpliciter talis consistere in divino decreto. Ex his patet ad tertiam probationem, quod scientia visionis nesciū exercite, verū & signate attingit futurum ea parte qua eum constitutum inadæquate supponit per decretum, & ut sic sicut supponit decretum, etiam supponit futurum, & ab eo distinguitur. Ea tamèn parte, qua futurum inadæquate constituit, non eum attingit signate, sed pure exercite, ut pariter diximus de ipso decreto.

153 Quinto objicies: si forma constitutiva futuri sit determinatio causæ ad productionem effectus, sequitur nullum dari futurum non constitutum per prædictam determinationem; at hoc est falsum: ergo. Sequela patet, minor vero probatur: namque peccatum Antichristi est ab æterno futurum, sicut simpliciter, & infallibiliter tale; & tamèn constitui nequit per determinationem primæ cause: ergo. Probatur minor: utpote Deus non est causa peccati ad minus pro formalī deformitatis quomodo de eo in praesenti loquimur.

154 Ad hoc argumentum respondet Sapientissimus Dominicanus Magister Serna in suis manuscriptis, quod futuritio peccati non provenit formaliter ex decreto Dei, sed ex determinatione potentia peccandi, quæ nullo modo provenit à Deo. Hanc tamèn determinationem cognovit in suo decreto permisivo, nam eo ipso, quod Deus nolit adjuvare nostram voluntatem ad bonum, ipsa infallibilitè se determinabit ad malum. Futuritio vero omnium aliarum rerum, quæ sunt effectus Dei, provenit ex decreto divina voluntatis, & solum de his rebus loquuti sumus in conclusione, hæc ista Magister. Sed videtur argumentum manere in suo robore: namque futuritio peccati Antichristi est ab æterno; sed ab æterno non est determinatio potentie peccandi Antichristi: ergo. Deinde peccatum Antichristi, ut dixi, est futurum infallibiliter tale; sed futurum infallibiliter tale constitui non potest per determinationem causæ fallibilis, & impedibilis, ut est potentia peccandi Antichristi: ergo. Tandem ut ipse fatetur, Deus cognoscit determinationem potentie peccandi in suo decreto permisivo: ergo in eo cognoscit talem determinationem esse futuram: cum ergo Deus cognoscat futurum in forma

constitutiva illius, videtur, quod decretum Dei permisivum forma constitutiva sit prædictæ determinationis. Unde cum de hac cadem ratio sit, ac de ipso peccato futuro, quippe neque peccatum futurum, neque determinatione causæ secundæ ad ilium est à Deo tanquam à causa, videtur, quod etiam peccatum futurum constituitur per decretum Dei permisivum.

155 Alio modo huic argumento conatur satisfacere Reverendissimus Bayona in suis manuscriptis, nempè, quod peccatum quo ad formalem malitiam non redditur formaliter futurum per divinum decretum, sed per impossibilitatem non existendi postea ortam ex connexione logica decreti cum existentia peccati de futuro. Quare futuritio peccati defunxit quidem radicaliter logicè, seu illativè à decreto; formaliter tamèn per hanc impossibilitatem debet constitui.

156 Hæc etiam solutio licet tanti Magistri, mihi displiceret, & primò quidem, namque ab solutè negat omne futurum constitui formaliter in ratione talis per determinationem causæ, contra illud principium apud omnes thomistas inconsumum, futurum omne importare determinationem de praesenti ad existēdum postea; quæ determinatio alia esse nequit, præter determinationem causæ. Cum ergo hac respectu peccati Antichristi non possit esse determinatio causæ secundæ, quia hæc ab æterno non est, neque est infallibilis, relinquitur ut sit divinum decretum. Deinde illa impossibilitas non existendi postea est formalissimè ipsa infallibilis futuritio peccati: dicere ergo peccatum constitui formaliter futurum per impossibilitatem non existendi postea, est dicere constitui formaliter futurum per ipsam futuritionem; cum tamèn de hac sit quæstio, nempè in quo consistat? Prob. antec. namque impossibile esse peccatum non existere postea, est formalissimè peccatum esse futurum infallibile; neque enim aliter explicari potest aliquid esse futurum infallibile, quam per hoc quid ita sit futurum, quod impossibile sit postea non existere, neque video quid unum supra aliud addat objective præter variationem terminorum: illa ergo impossibilitas ad non existendum postea, formalissimè est ipsa futuritio infallibilis. Præterea: hæc impossibilitas si ponatur distincta ab ipso decreto, oraque ex ipso, sequitur supponere pro priori ipsam peccati futuritionem: ergo, & quod in ea futuritio peccati non consistat. Probatur sequela, namque eo ipso pro aliquo priori supponit decretum permisivum; at eo ipso pro aliquo priori supponit futuritionem formaliter: ergo. Prob. min. eo ipso, quod pro aliquo priori supponat decretum permisivum, jam pro illo

prio-

priori decreti intelligitur aliquid formaliter infallibiliter connexum cum existentia peccati postea; sed haec formalis, & infallibilis connexio non potest non formaliter constituere existentiam peccati futuram: ergo

157 Sed praedictus Rms. Magister negat hanc connexionem decreti cum existentia peccati postea esse formalem, & ait esse solum radicalem, eo modo quo pro priori ad formam constitutivam risibilitatis procedit ipsa risibilitas radicalis, quae est rationalitas. Sed meo videri hoc voluntarie afferitur, namque futurum non comparatur ad divinum decretum, ut passio ad existentiam: ergo exemplum non est ad propositionem. Deinde sicut ex decreto permisivo inferatur impossibilitas non existentiae peccati suo tempore, sic ex decreto praedefinitivo inferatur impossibilitas non existentiae rei suo tempore; at ex hoc non licet inferre connexionem decreti praedefinitivi cum existentia esse radicalem, & non formalem: ergo à simili. Explicatur: idèo licet ex decreto praedefinitivo inferatur impossibilitas non existentiae rei, non tollitur, quia connexion illa sit formalis, quia illa connexion est illatio effectus formalis ex forma ipsa; at pariter hoc contingit in nostro casu, nam peccatum impossibile esse non existere, est effectus formalis decreti permisivi, vel reddatur disparitas: ergo.

158 Dices: quod futuritio, quæ extrinseca est rebus, debet illis proportionari, sicut ergo entitas qualibet sub ratione entitatis constituitur intrinsece per aliquid causatum à Deo; sub ratione vero deformitatis per aliquid logicè consequutum ex ipso; ita qualibet entitas sub ratione entitatis constituitur futura extrinsecè per causam primam, sub ratione vero deformitatis per aliquid ex ipsa logicè consequutum. Et cum ab eterno nihil sit positivum distinctum à Deo, & ex ipso logicè consequutum, sit consequens defectum in ratione futuri non debere constitui per aliquid positivum, quemadmodum constituitur effectus, sed per solam negationem.

159 Sed quod, ni fallor, sequitur, est, quod si ex quo futuritio debet rebus proportionari, & entitas sub ratione entitatis constituitur intrinsece per aliquid causatum à Deo, id est, phisice ex Deo consequutum, sequitur, quod sub ratione entitatis constituantur futura phisice per causam primam, pariter ex eodem principio, ex quo sub ratione deformitatis constituitur per aliquid logicè causatum à Deo, id est, logicè ex Deo consequutum, videtur sequi, quod sub ratione deformitatis constituantur futura logicè per causam primam; unde si principium illud de

proportione cum rebus aliquid convincit, est peccatum, non posse constitui phisice futurum per divinum decretum permisivum, non vero logicè. Quod si hoc intendit iste Sap. Mag. displicet tamen in medio, seu in terminis. Quibus adde totam difficultatem hujus argumenti consistere, in eo quod Deus neque est, neque potest esse causa peccati, ac proinde in Dei determinatione non potest consistere futuritio infallibilis illius; Deus autem nedium non est, neque potest esse causa proxima, verum neque radicalis, seu remota peccati: sicut ergo hoc non obstante iste Doctor fatetur divinum decretum permisivum radicaliter inferre futurum esse infallibiliter peccatum, cur pariter non potest etiam affirmari formaliter inferre futurum esse infallibiliter peccatum, quod est peccatum in ratione futuri formaliter constituere.

160 Hinc ergo relieti his specialibus modis dicendi, solutio communissima, & antiquissim. Thomist. concedit sequel. maj. & neg. min. Ad prob. dist. maj. peccatum est ab eterno futurum logicè, conc. phisice, neg. & dist. min. proportionabilitè constitui nequit per determinationem causæ primæ, ut phisice influentis, seu causantis, conc. & logice inferentis, neg. Et pariter ad ejus probat. dist. Deus non est causa peccati pro formal, causa phisica, & influens, conc. causa logica, & inferens, neg. Itaque fatemur, de omni futuro verificari, constitui in ratione talis per determinationem suæ causæ ad productionem illius. Dicimus tamen, hoc debere intelligi, servata qualitate futuri; qua ratione si futurum est infallibiliter tale, constitui debet per determinationem primæ causæ, si vero fallibiliter tale per determinationem secundæ causæ; ac pariter dicimus, proportionem debere servari in eo, quod si est futurum ab eterno, dumtaxat logicè, constitui debet per determinationem logicam, seu illativam primæ causæ; si vero ab eterno sit futurum phisice, constitui debet per determinationem phisicam, seu influxivam illius. Peccatum ergo Antechristi est quidem futurum phisice solum in tempore, & ut sic constituitur futurum per determinationem causæ secundæ defectibilis, quæ est ipsa potentia peccandi Antechristi; ab eterno autem non est phisice futurum, quia ut argumentum probat, causa prima non est, neque potest esse causa phisica peccati pro formal, quæ sola est ab eterno. Solùm ergo est ab eterno logice futurum, id est illative, quia ad hoc sufficit esse in Deo ab eterno decretum permisivum peccati, quod quia infallibiliter constituitur cum existentia peccati, pro formal in tempore, illud infallibiliter in tempore infert; unde in hoc de-

creto permissivo Deus ab æterno peccatum Antechristi, & quodlibet aliud cognoscit, ut infra dicemus.

161 Pro cuius majori intelligentia nota doctrinam communem Thom. quod nempè homo ad adimplendum præceptum indiget gratia, seu auxilio efficaci Dei, unde hoc secluso, homo non adimplebit præceptum, & peccabit; Deus autem ute potè supremus dominus potest absque injuria aliqua eam homini negare, namque de suis potest quilibet ad libitum disponere. Decretum ergo illud permisivum non est aliud, quam decretum, quo Deus decernit non conferre gratiam illam efficacem homini tempore, quo instat obligatio præcepti. Proindeque decretum illud infallibiliter connectitur cum peccato pro illo tempore, quod est illud infallibiliter inferre. Hoc ergo decretum dicitur à nobis determinatio logica, & illativa primæ causæ, à qua consequenter denominatur peccatum futurum ab æterno illativè, & logicè, phisice enim solum est futurum in tempore ex determinatione phisica voluntatis creatæ.

162 Sed contra hanc solutionem plura, & non levia se offerunt: & quidem primo falsum videtur, quod peccatum Antechristi pro formaliter non sit phisicè ab æterno futurum, namque in primis peccatum Antechristi pro formaliter phisicè suo tempore existet: ergò antecedenter phisicè ab æterno fuit futurum. Prob. cons. nam eo ipso, quod suo tempore phisicè existet, ab æterno est verum dicere, nunc malitia peccati phisicè non existit, & in tempore phisicè existet; sed hoc est esse phisicè ab æterno futurum: ergo. Prob. min. nam non alia ratione Antechristus ipse est phisicè ab æterno futurus, nisi quia ab æterno est verum dicere, nunc non est phisicè Ante-Christus, & in tempore phisicè existet.

163 Secundò: peccatum est phisicè pro materiali ab æterno futurum: ergò & pro formaliter. Prob. conf. namque non stat phisica futuritio materialis peccati sine phisica futuritione malitia formalis illius: si ergò ab æterno est phisice futurum pro materiali, etiam pro formaliter. Prob. ant. quia non stat phisica existentia materialis peccati, vel phisica illius possibilitas absque existentia phisica, & possibilitate phisica malitia formalis illius: ergo à simili neque phisica futuritio unius absque phisica futuritione alterius.

164 Tertio: sequitur ex nostra solutione peccatum Antechristi non esse futurum phisicè simpliciter; at hoc est falsum: ergo. Prob. sequel. namque futurum phisicè simpliciter est illud, quod provenit ex determinatione causæ inimicibilis; at secundum nostram solutionem

peccatum est phisice futurum solum ex determinatione voluntatis creatæ, quæ impedibilis est: ergò.

165 Quartò: & urgentius determinationis causa, & futuritio, vel tunc termini sionomi, vel se habent, ut definitum, & definitio: ergò nihil dici potest de futuritione, quod non censeatur dictum de determinatione causæ, & è converso: si ergo futuritio peccati Antechristi consistit formaliter in determinatione causæ illud logicè inferentis, scilicet in decreto Dei permissivo, Deus volens permissionem peccati Antechristi, & quod tale peccatum sit permisum, vult etiam futuritionem peccati Antechristi, & quod tale peccatum sit futurum. Tunc ultrà idem est formalissime, quod peccatum Antechristi sit futurum, & quod Antechristus peccatus sit: si ergo Deus vult, quod peccatum Antechristi sit futurum, vult etiam, quod Antechristus peccatus sit, consequens est absurdum: ergò & illud, ex quo sequitur.

166 Tandem videtur urgere authoritas supra relata D. Thom. infra quæst. 16. art. 7. ad 3. ubi habet: *Quod illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat, ut fieret, unde sublata causa, non esset futurum illud fieri.* Ex hac enim doctrina in fundamento nostræ resolutionis intulimus futuritionem rei in determinatione causæ consistere; at hac doctrina expressè procedit de determinatione causæ phisicè influentis, & nèdum logicè inferentis, utpote causa, in qua erat, ut res fieret: ergò vel absque determinatione phisica causæ non salvatur futuritio, vel hic locus D. Thom. nostram resolutionem non confirmat.

167 Sed ad primum respondetur concedendo, quod peccatum Antechristi phisice suo tempore existet, nego tamen ab æterno esse phisice futurum. Ad prob. conc. maj. & neg. min. Ad prob. neg. antec. Antechristus enim dicitur phisice futurus, non eo duntaxat, quia ab æterno est verum dicere, nunc non est phisice Antechristus, & suo tempore phisice existet, sed ultrà, quia ab æterno est verum dicere, esse phisicè determinatum ad existendum postea in tempore; quod verificari nequit de ipso peccato Antechristi. Dices, per idem est dicere peccatum Antechristi existet, ac peccatum Antechristi est futurum: si ergò ab æterno est verum dicere, quod peccatum Antechristi existet phisice, pariter & quod peccatum Antechristi est phisice futurum. Sed nego maj. ut patet ex dictis in prima resolut. namque in hac, *peccatum erit, vel existet*, prædicatur in recto existentia Antechristi postea habenda, futuritioque, seu determinatio ad illam solum in obliquo, & de conno-

connotato. E contra verò in hac, *peccatum est futurum*, prædicatur existentia solum de connotato, & in obliquo, futuritio verò in recto. Licet autem existentia habenda sit phisice talis, determinatio tamen ad illam est solum logica. Et sic licet hæc sit vera ab aeterno, *peccatum phisice existet*, hæc tamen est falsa, peccatum Antechristi est phisice futurum, nisi forte *ly phisice* determinet existentiam habendam in sensu prioris propositionis.

168 Ad secundum concedo antecedens, & nego consequentiam; namque peccatum pro materiali, utpote effectus primæ causæ, est ab aeterno futurum per determinationem phisicam illius; secùs verò peccatum pro formalí, quod effectus primæ causæ non est, neque potest esse. Ad probationem ea parte, qua parificat futuritionem peccati cum illius existentia, Oxomensis constituit discrimen in eo quod existentia entitatis peccati est eadem cum existentia malitia; ideoque non potest una phisicè existere, & non alia; causa autem malitia non est eadem cum causa materialis entitatis, & consequenter determinatio causæ entitatis non est eadem cum determinatione causæ malitia, consequenterque neque futuritio, quæ in determinatione cause consistit. Quia tamē causa malitia est etiam causa materialis entitatis, v.g. voluntas creata, & licet existentia entitatis peccati sit eadem cum existentia malitia, non tamen est à causa prima, quatenus reduplicativè est existentia malitia, ideo clarius respondet, propterea non stare phisicam existentiam materialis peccati sine phisica existentia malitiæ formalis illius, quia causa secunda, & defectibilis, hic, & uanc non potest causare entitatem peccati, quin causet etiam malitiam illius: immò hac ratione probatur non stare phisicam futuritionem materialis peccati sine phisica futuritione malitiæ illius, loquendo defuturitione secundum quid, & per ordinem ad causam defectibilem: attamen stat Deum ab aeterno determinare positive, & influxive entitatem peccati, quin ab aeterno positive, & influxive determinet malitiam illius, sed solum permissive, seu illative, & sic stare potest ab aeterno phisica futuritio unius absque phisica futuritione alterius, namque futuritio unius ab aeterno solum ex determinatione causæ primæ desummitur.

169 Ad probationem autem ea parte, qua parificat futuritionem peccati cum illius possibilitate, respondet Oxomensis, quod possibilitas summittur duplíciter: primo pro non repugnancia ad existendum: secundo, denominative à causa efficiente; primò modo sumpta est eadem possibilitas entitatis cum possibilitate

malitia, sicut utriusque existentia est eadem. Secundo modo, quamvis causæ sint diversæ, sunt tamen connexæ; nam omnipotentia, quæ est causa voluntatis creatæ defectibilis, à qua malitia denominatur possiblis, ideoque non stat possibilitas unius sine alterius possibilitate in utraque possibilitatis acceptione. Determinatio autem causæ unius non est identificata, neque connexa cum determinatione causæ alterius; & ideo potest una esse phisice futura, quin alia futura phisice sit.

170 Sed hæc solutio duplici via displicet, primò, eoquòd asserit, quod Omnipotentia est phisicè connexa cum possibilitate voluntatis creatæ defectibilis, à qua malitia phisicè denominatur possiblis; prouidèque possibilitas entitatis peccati est etiam phisicè connexa cum possibilitate malitia illius, quod reputo falsum. Tum quia Omnipotentia solum phisicè connectitur cum voluntate creata, quatenus continetur in Deo, ut in causa; Deus autem non est causa voluntatis creatæ, quatenus defectibilis, seu potentis peccare; namque potentia peccandi, quatenus talis non est à Deo, ut expræfle docet Div. Thom. in 3. distinct. 12. quæst. 2. art. 2. ad 6. ubi expræfle habet, quod sicut peccatum quantum ad substantiam, seu entitatem est à Deo, non autem quantum ad defectum moralem, ita potentia peccandi, quæ ab eo specificatur, in quantum potentia peccandi non est à Deo, sed solum quantum ad substantiam, & entitatem. Hinc tenent communiter Thomistæ, potentiam peccandi emanere à natura creata, non ea parte, qua est à Deo, sed qua est ex nihilo, ratione cuius est defectibilis in esse, & consequenter in operari. Fateor tamen Omnipotentiam esse logicè, & illative connexam cum voluntate creata, ut defectibilis, namque eo ipso quod connectitur phisicè cum voluntate creata, ut possibili ex nihilo, infert illius defectibilitatem in essendo, & consequenter in operando.

171 Deinde si possibilitas phisica entitatis peccati connectatur cum phisica possibilitate malitia, sicut ab aeterno est peccatum phisicè possibile quantum ad entitatem, etiam esset ab aeterno phisicè possibile quantum ad malitiam, at hoc est falsum, utpotè ab aeterno est phisicè possibile quantū ad entitatē, quia hæc est denominatio desumpta ab Omnipotentia, quæ phisicè est ab aeterno: voluntas verò creata, & à qua peccatum denominatur possibile quantum ad malitiam, non est phisicè ab aeterno: er.

172 Præterea displicet ea parte, qua assert, determinationem causæ unius non esse idéntificatam, & connexam cum determinatione causæ

causæ alterius; namque si sermo sit de determinatione causæ secundæ, determinatio illius phisica ad peccatum tam quoad entitatem, quam quoad malitiam identificatur. Si vero sermo procedat de determinatione causæ primæ, licet hujus determinatio ad peccatum quoad entitatem identificata non sit, neque phisicè connexa cum determinatione causæ secundæ ad malitiam illius, est tamen logice cum illa connexa, ut nuper diximus.

173 Aliter ergo est ad argumentum respondendum conformiter ad ea, quæ diximus de existentia peccati: distinguendo de possibiliitate phisica peccati quantum ad entitatem ab æterno, & per ordinem ad causam primam; & de hac loquendo, nego, quod possibilitas phisica peccati quantum ad entitatem stare non possit absque phisica possibilitate illius, quantum ad malitiam; ut potè primam damus ab æterno desumptam ex divina Omnipotentia; secundam vero negamus, quia ab Omnipotentia, quæ sola est ab æterno, malitia peccati non potest constitui phisice possibilis, sed solum logice, & illative mediate propter connexionem voluntatis creatæ cum propria ipsius defectibilitate, quatenus creatæ ex nihilo; loquendo vero de possibilitate phisica peccati quantum ad entitatem in tempore, & per ordinem ad causam secundam defectibilem, concedimus stare non posse sine possibilitate phisica illius, quantum ad malitiam: namque ex eadem causa una, atque altera possibilitas desumitur nempe ex voluntate creata existente in tempore secundum se. Et sic argumentum ex hoc extremo paritatis convincere non potest, non stare ab æterno futuritionem phisicam peccati quoad entitatem absque illius phisica futuritione quoad malitiam; sed solum non stare phisicam futuritionem peccati quoad entitatem ab æterno absque phisica futuritione illius quoad malitiam in tempore, licet semper sit rerum esse logice ab æterno futurum etiam quantum ad malitiam.

174 Ad tertium concedimus sequelam; namque futurum simpliciter est, quod infallibiliter erit, quod solum potest rei convenire ex ordine ad causam primam inimpedibilem, à qua phisice futurum constitui non potest peccatum pro formalí, sed solum logice, proindeque solum logice est simpliciter futurum, non vero phisice.

175 Ad quartum, quo convincitur Rev. Bayona respondeatur: & in primis si argumentum convincit contra nos, etiam contra ipsum, qui licet negat peccatum reddi formaliter futurum per divinum decretum permisivum,

sunt tamen reddi per illud futurum radicaliter, quatenus formaliter constituitur futurum per impossibilitatem non existendi postea ortam ex connexione logica decreti permisivi cum existentia peccati. Unde clare infertur, quod Deus volens permissionem peccati, velit saltem radicaliter futurum esse peccatum Antechristi, & consequenter, quod Antechristus peccatus sit, quod non minus absurdum est, quam Deum velle formaliter, quod Antechristus sit peccatus. Absurditas enim in hoc quod est Deum velle, quod Antechristus peccabit, seu peccatus sit, consistit in eo, quod tandem vellet ipsam existentiam peccati; & hoc ideo, quia hæc ex illa futuritione infallibiliter sequitur. Cum ergo etiam sequatur ex illa permissione, pariter Deus ea volita vellet saltem remote, & radicaliter existentiam peccati.

176 Deinde ipse admittit, futuritionem illam peccati esse logicam, non phisicam; futurito autem logica in connexione logica consistit: vel ergo sequitur Deum velle, quod Antechristus peccatus sit, ex velle connexum logice cum existentia postea peccati, vel non? Si hoc secundum: Ergo licet Deus vellit futuritionem logicam peccati, non inde sequitur, velle existentiam ipsam peccati postea, & consequenter, quod Antechristus peccatus sit, Si primum: Ergo cum in illius sententia decretum permisivum peccati connectatur logice cum existentia illius postea, pariter Deus volens permissionem peccati, vellet etiam illius existentiam, nimisrum quod Antechristus peccatus sit.

177 Unde respondeatur, concedendo, quod determinatio causa, & futurito se habent sicut definitio, & definitum; sed servata proportione, nempe determinatio logica, & pariter determinatio phisica, & futurito phisica. Unde sequitur, ut argumentum convincit quod nihil possit dici de futuritione logica causæ, quod non possit dici defuturitione logica effectus. Unde cum Deus vellit permissionem peccati in qua formaliter consistit futurito logica peccati Antechristi, concedimus libenter Deum velle futuritionem logicam peccati Antechristi. Nego tamen conseq. inde sequi Deum velle, quod Antechristus peccatus sit. Ad hoc enim oportet Deum velle nedum logicam, verum, & phisicam futuritionem peccati Antechristi, id est nedum velle peccatum Antechristi esse permisum, seu carere gratia efficaci ad vitandum peccatum suum tempore, verum, & velle positive ipsum peccatum Antechristi nunc non existere, & postea existere. Primum quidem potest Deus velle

ratione supræmi dominij; secundum verò non potest velle ratione supræmæ sanctitatis. Hinc æquivocatio in eo consistit, quod in hoc, quod est velle peccatum esse futurum, significatur velle peccatum, ut extiturum postea; quod licet ita sit loquendo de futuritione phisica, qualiter creatura vult futurum esse peccatum; falsum tamen est cum illo addito *logice* id est, velle peccatum futurum esse logice, nam hoc proprie non est velle extiturum peccatum, sed velle id unde infallibiliter inferatur extiturum, quod Deus potest velle, peccato non volito, eoque primum cadit sub objecto divina voluntatis, se-*cus* verò secundum. Et patet exemplum in materiali peccati à Deo volito, non volito formaliter cum quo infallibiliter connectitur. Et in sententia quod permissio peccati est effectus predestinationis ex praæ intenta pænitentia, quo in casu amat Deus pænitentiam, non autem peccatum cum quo connectitur, & quod infallibiliter insert. Ac tandem amat Deus suam Omnipotentiam connexam cum possibilibus, his non amatis, quia sub objecto divina voluntatis non cadunt, ut potè actu carentes bonitate.

178 Hinc pariter negamus per idem esse, Antichristi peccatum futurum esse logice, & Antichristum peccaturum esse, licet hoc inferatur ex illo. Primum enim non est aliud quam peccatum. Antichristi esse à Deo permisum; secundum verò involvit determinationem possitivam, & phisicam Antichristi ad peccandum in tempore, que valde diversa sunt, licet inter se connexa, suo modo ac diversa sunt, consensum petri esse futurum ex determinatione divina, ac Petrus se determinabit ad consensum in tempore, qua est futurito consensus per ordinem ad causam secundam; una enim est cum altera connexa, est tamen ab alia distincta. Unde cù peccaturum esse Antichristum, illius peccatum constitutus phisicè futurum per ordinem ad ipsum Antichristi voluntatem, tandem Antichristum peccaturum esse, ad peccatum illius logice futurum esse, comparatur, ut futurito illius phisica per ordinem ad causam secundam, ad illius futuritionem logicam per ordinem ad causam primam.

179 Tandem ad quintum respondet vel Div: Thom. ibi solum loqui de futuro phisicale, solum enim hoc per determinationem phisicam causæ constituitur: vel si loquitur de futuro in communi, ut abstractus à phisico, & logico intelligendus est proportionabiliter: *Quia in causa sua erat, ut fieret, sive logice, vel phisice*: Sicut enim dicimus peccatum constitui futurum per determinationem primæ causæ non ut influentis, sed ut inferentis, pariter dicimus

divina causa esse, ut fieret peccatum per modum inferentis non per modum influentis, id est ut fieret logice, & non phisice.

180 Sexto objicies: futurum conditionatum non constituitur per decretum: Ergo nullum futurum constituitur per decretum. Consequentia patet, quia eadem est ratio de omnibus futuris. Anteced. prob. futurum conditionatum est objectum scientiæ conditionatorum; sed objectum scientiæ conditionatorum non constituitur per decretum: Ergo neque futurum conditionatum constituitur per decretum. Probat. min. idem est objectum scientiæ conditionatorum, ac objectum decreti subjective absoluti, & objective conditionati, namque cum hæc scientia non sit practica, sed speculativa, non efficit suum objectum; sed objectum decreti non potest constitui per decretum cum debat supponi ab illud: ergo. Minor prob. nam objectum scientiæ conditionatorum est, v. g. consensus futurus sub conditione vocationis; at istudmet est objectum decreti subjective absoluti, & objective conditionati, quippe non aliud vult Deus per hoc decretum, nisi consensus postea extiturum sub conditione vocationis: ergo.

181 Dices cum Oxomensi, quod objectum terminativum scientiæ conditionatorum est idem cum objecto terminativo illius decreti, v. g. conditionatus consensus, secus verò obiectum motivum, namque hoc respectu divina scientiæ est ipsum decretum, cui, ut medio innititur, nam scientia divina omnia creata videt in divina essentia, quatenus connectitur cum creaturis; non autem connectitur cum illis nisi medio divino decreto. Objectum autem motivum divini decreti, sive absoluti subjective, & objective, sive tantum subjective non est ipsum decretum, sicut neque essentia divina, ut connecta cum creaturis, sed ipsa divina essentia secundum se.

182 Sed contra hanc solutionem est, quod argumentum non procedit de objecto motivo, namque hoc non est futurum, neque absolutum, neque conditionatum; sed procedit de objecto terminativo, quale est consensus sub conditione vocationis, ut diximus. Unde argumentum semper remanet in suo robore, ut potè hoc futurum est objectum terminativum scientiæ conditionatorum, & hoc idem est objectum terminativum decreti: cum ergo objectum terminativum decreti constitui non possit per ipsum decretum, consequenter neque futurum conditionatum.

183 Unde melius respondet juxta dicta ad tertium argumentum, distinguendo illam maj. idem

idem est objectum, &c. Pro materiali conc. pro formalis, sub distinguo, ac objectum decreti directe, & signate attractum, nego, reflexe, & exerceite attractum conc. & disting. min. objectum decreti non potest constitui per decretum intrinsece, & ut directe, vel signate attractum per ipsum, conc. extrinsece, & ut reflexe, vel exerceite attractum nego, & nego conseq.

184 Pro cuius intelligentia est notandum quod futurum conditionatum de formalis importat ipsam futuritionem de praesenti; de materiali vero ipsam existentiam consensus de futuro. Scientia ergo conditionata nendum attingit hoc futurum pro materiali existentiae consensus de futuro, verum & pro formalis futuritionis de praesenti, id est eum attingit, ut de praesenti futurum; proindeque supponit ipsum consensus in ratione futuri constitutum. Decretum vero directe, & signate illud idem futurum attingit pro materiali solum existentiae consensus de futuro, namque solum per illum vult Deus consensus nunc non existentem existere postea, non vero pro formalis futuritionis de praesenti, cum potius haec futuratio ex attingentia decreti resultet. Unde directe non vult consensus esse futurum; quia tamen ut loco citato diximus, exerceite per virtualem reflexionem Deus per illud decretum vult se velle, exerceite etiam, & reflexe vult consensus illum esse futurum. Unde patet quod scientia conditionata, & decretum habent idem objectum pro materiali, nempe existentiam consensus suo tempore; pro formalis vero distinctum est objectum scientia conditionatorum, quod est futurum esse consensus de praesenti, ab objecto directo decreti subjective absoluti, & objective conditionati, quod est extitulum esse consensus de futuro.

185 Hinc jam cum objectum directum seu directe attractum per decretum sit ipsa existentia intrinseca consensus de futuro, quam nimur habebit suo tempore, & haec constitui non possit, per decretum, ut potest in distincta ab ipsa existentia de praesenti suo tempore; consequenter objectum decreti intrinsece, & quatenus directe attractum constitui non potest per ipsum decretum; secundus vero extrinsece, & quatenus exerceite reflexe per illud attractum, ut patet in cognitione hominis, cuius objectum signate attractum est homo intrinsece, qui non constituitur per cognitionem, sed ad eam supponitur; quod non obstat, ut per eam constituantur extrinsece cognitus, quo modo est etiam exerceite, & reflexe objectum illius, ut potest intellectus cognoscit se cognoscere hominem.

186 Sed objicies: Ergo admittis de-

tum supponit objectum, quatenus directe attractum; unde cum objectum directe attractum sit consensus postea extiturus, iam ut sic supponitur ad decretum. Sed si hoc ita est, totum nostrum fundamentum pro resolutione praecedenti evanescit, namque jam praebindendo ab omni forma depraesenti est verum infallibiliter consensus extitulum postea, seu consensus erit ergo. Sed respondeo paritate cognitionis hominis non tenere quantum ad omnia, namque cognitionis non comparatur ad hominem, ut causa effectiva, secundus vero decretum comparatur, ut causa effectiva ad existentiam consensus tempore habendam, licet non executive, bene tamen determinative, quatenus determinat omnipotentiam ad causandam illam existentiam in tempore; unde ex hac parte non potest ad decretum supponi, sicut neque ens rationis ad cognitionem per quam configitur. Cum hoc tamen componitur non constitui formaliter per illud quatenus directe attractum, namque directe solum attingitur existentia habenda in tempore; existentia autem habenda in tempore non constituitur per decretum, ut patet.

187 Neque hinc infertur quod praefindendo ab omni forma de praesenti sit verum infallibiliter consensus extitulum postea; namque aliud est decretum non constituere existentiam habendam, quod est objectum directe attractum, & aliud existentiam non constitui habendam seu futuram per decretum, qualiter est objectum illius reflexe attractum; primum verum est, secundum falsum. Cum autem dicitur consensus erit, seu existitus est postea, nendum profertur existentia consensus habenda, sed prout sic affirmator de ipso consensu taliter, ut nunc, & de praesenti sit verum quod consensus erit, seu extititus sit. Et sic exerceite illa propositione involuit determinationem de praesenti, quam nempe consensus determinatus manet ad existendum postea, & consequenter verum non est consensus extitulum postea praefindendo ab omni forma de praesenti, qua in nostra sententia est determinatio causa, vel decretum.

188 Tandem objicies: si futurum constituantur per decretum, sequitur Antichristum, v. g. semper fore futurum; hoc est falsum: Ergo. Minor patet, namque Antichristus in sui propria differentia temporis, nempe cum verum sit existere de praesenti, non erit futurus, & multo minus, cum deficiat esse, quo in tempore erit preteritus. Major vero prob. illud futurum erit semper futurum, cuius fututio numquam deficit; at si futurum constituantur per decretum, futuritio Antichristi numquam deficit: Ergo semper erit futurus. Prob. min. nam-

namque decretum divinum de existentia Antichristi numquam deficiet, ut potè tale ab aeterno, & eternitate mensuram: Ergò si futurum constituantur per decretum, futuritio Antichristi etiam numquam deficiet.

189 Confirmatur primò: modo de Adamo non est verum dicere esse futurum: Ergò modo non est forma constitutiva Adami in ratione futuri; at si decretum constitueret futurum, modo esset forma constitutiva Adami in ratione futuri, quippe modo est decretum divinum de illius existentia, aliter non esset ab aeterno, neque eternitate mensuratū: ergo. Confirmatur secundo: eodem decreto, quo Deus voluit Adamum existere postea, quod fuit velle cum esse futurum, voluit etiam Adamum nunc non existere, sed extitisse, quod est velle cum esse nunc præteritum; sed per decretum quo Deus vult rem aliquam nunc non existere, sed extitisse, non potest futurum constitui: Ergò neque per decretum quo Deus vult rem nunc non existere, & existere postea, potest futurum constitui. Major supponitur, ut certa, & minor etiam constat, aliter Adamus nunc esset futurus. Consequentia vero est legitima, aliter de eodem decreto verificaretur constituere, & non constituere futurum.

190 Ad argumentum respond. negand. maj. ad ejus probationem conc. maj. & disting. min. si futurum constituantur per decretum comparative ad eternitatem nego: suppositum nempe quod comparative ad eternitatem sit futurum, vel præteritum; si futurum constituantur per decretum comparative ad durationes creatas sub distinguo: futuritio Antichristi numquam deficiet, comparative ad tempus antecedens ejus durationem conced. comparative ad omne tempus, nego. Itaque quamvis divinum decretum sit ab aeterno, eternitateque mensuratur, non tamen constituit futurum comparative ad eternitatem, namque futura in eternitate, quæ omni durationi creatæ adest, non sunt futura, sed præsentia; sed comparative solum ad durationes creatas, non tamen ad omnes, namque decretum quo Deus vult Antichristum modo non existere, & postea existere, eum constituit futurum solum comparative ad differentiam temporis antecedentem illius productio-ne; sicut pariter decretum quo vult Adamum nunc non existere, sed extitisse, constituit eum præteritum comparative solum ad differentiam temporis posteriorem existentia illius. Et sic quod argumentum convincit est, quod quia decretum est ab aeterno, eternitateque mensuratur, unde neque unquam deficiet, pariter

Antichristi. numquamque deficiet; sed comparative solum ad differentiam temporis antecedentem illius existentiam, non tamen comparative ad omnem differentiam temporis, quod est dicere semper, & ab aeterno esse verum Antichristum esse futurum pro differentia determinata temporis antecedenti illius existentiam, & sic à Deo cognosci in decreto. Itaque Deus simul, & semper cognoscit Antichristum ut præsentem comparative ad eternitatem, & ut futurum comparative ad differentiam antecedentem illius existentiam, & ut præsentem comparative ad differentiam temporis in qua existit quando existat, & ut præteritum comparative ad differentiam temporis posteriorem illius existentiae, quando deficiet esse, ita ut omnis variatio se teneat ex parte rei cognitæ, non vero ex parte Dei cognoscentis.

191 Hinc ad primam confirmationem dico quod licet modo sit decretum, quod est forma constitutiva Adami in ratione futuri, quia tamen non est forma constitutiva illius per ordinem ad differentiam posteriorem ad ejus existentiam, sed antecedentem ad eam, ideo modo quo est differentia posterior ad ejus existentiam non est verum quod est futurus, præcipue respective ad nostrum iudicium, quod non mensuratur eternitate, sed tempore. Ad secundam pariter dico quod per idem decretum constituit res futura, & præterita, sed comparative ad diversam differentiam temporis, & sic argumentum concludit, quod futurum constitui non possit per decretum quatenus per eum vult Deus rem non existere, sed extitisse; secus tamen quatenus per eum vult rem non existere, & existere postea; sicut enim eodem decreto utrumque vult, sic eodem decreto comparative ad diversam differentiam temporis utrumque constituit.



## DUBIUM II. ET APPENDICUM.

*Utrum scientia divina quam Deus habet de futuris conditionatis, que pertinent ad nostros actus liberos, sit media inter scientiam necessariam, & liberam, & inter scientiam simplicis intelligentie, & visionis.*

¶ **D**icitur appendix, quia tota resolutionis pendet ex dictis dubiis praecedentibus; & radicibus ex dictis secunda parte dubio 6. etenim Doctores Societatis intelligere non valentes Deum concurrere ad nostros actus liberos per decretum ab

ab intrinseco efficax, & determinatum, utpote tale decretum, dicunt, omnino opponi liberati creatæ: docent tale decretum non antecedere ex parte Dei nostros actus liberos futuros, præcipue conditionatos. Licet enim aliqui prædictum decretum non renuant admittere circa futura contingentia absoluta, sed præeunte scientia media de eisdem in statu conditionato: hoc enim modo dicunt libertatem creatam non legendere. Unde circa nostros actus liberos conditionatos, v. g. circa conversionem Tirorum sub conditione prædicationis, & miraculorum Christi, omnes concordant tale decretum non præcedere in Deo.

2 Hinc consequenter tenent prædictos actus liberos in sui futuritione non pendere ex divino aliquo decreto exercito ex parte Dei, sed ante ipsum eorum futuritionem salvari. Licet in modo adstruendi prædictam futuritionem discordent, ut videre est ex dictis dubio præcedenti. Hinc tandem cum scientia Dei sit infinita, & non possit etiam ab æterno non attingere omne scibile; asserunt Deum per suam scientiam attingere etiam nostros actus liberos futuros antecedenter ad prædictum decretum, eos cognoscendo immediate in se ipsis: id est non in decreto; quippe ipsis ex alio capite fundant veritatem objectivam, quæ Dei cognitionem certam, & infallibilem subterfugere non potest. Et hanc cognitionem, seu scientiam vocant medium inter necessariam, & liberam, quia nempè est necessaria ex parte Dei, id est, non fundata in aliquo sui libero decreto, & est libera ex parte objecti, utpote pabens pro objecto nostros actus liberos futuros. Hoc enim dicunt significari per scientiam medium inter necessariam, & liberam, quidquid sit denomine.

3 Per oppositum Thomistæ prædictum decretum ita necessario asseverant in Deo, ut aliter salvari futurito determinata in rebus sit prorsus inintelligibile. Namque in praesenti sermone procedit de futuritione certa, & infallibili, quæ nempè Dei certam, & infallibilem cognitionem possit terminare. Omnes enim supponunt Deum certo, & infallibiliter etiam ab æterno cognoscere conversionem conditionatam Tirorum sub conditione miraculorum Christi. Nullum est autem caput unde prædicta futuratio desumi queat, nisi ex divino decreto actualiter exercito ex parte Dei: utpote hoc solum infallibiliter connectitur cum prædicta futuritione.

4 Hinc consequenter Thomistæ dicunt Deum prædicta futura cognoscere in suo decreto. Cum hac differentia, quod futura absoluta

cognoscit in decreto absoluto tam ex parte actus, quam ex parte objecti; futura vero conditionata in decreto absoluto ex parte actus, & conditionata ex parte objecti. Et utrumque hoc decretum esse, vel positivum, vel permisivum: positivum, si actus sunt boni, & permisivum, si sint mali, & peccaminosi, unde tandem scientia qua Deus prædicta futura cognoscit, sive absolute sunt, sive conditionata, est scientia omnino, & simpliciter libera, quamvis conditionata sit ex parte objecti, quo in sensu etiam Thomistæ admissunt in Deo scientiam conditionatam; sed non in sensu Jesuitarum, qui nedum per scientiam conditionatam intelligunt scientiam de futuro sub conditione, sed ultra scientiam de futuro conditionato non fundatam in decreto libero Dei, quapropter eam appellant medium.

5 Unde patet nihil super esse addendum pro resolutione praesenti præterdicta in precedentibus dubio de constitutivo futuri, & dubio citato de efficacia intrinseca divini decreti, ubi omnes responsiones antiquorum, & novissimum societatis, quibus nostris fundamentis juxta subjectam materiam satisfacere connantur, radicis constitutivimus, omniaque illorum argumenta quibus in praesenti utuntur, dissipata sunt: quippe omnia contendunt, vel futurum esse aliquid saltē sub conditione antecedenter ad divinum liberum decretum, proindeque ut sic esse immediate in se ipso à Deo cognoscibile; vel prædictum decretum omnino evertere libertatem creatam contra fidem.

6 Ad id autem, quod duntaxat in praesenti adjicunt, scilicet divinam scientiam esse infinitam, sicut & divinus intellectus infinitus est virtutis, & activitatis, proindeque non posse non cognoscere, & scire, quidquid cognoscibile, & scibile est, ita esse fatemur; negamus tamen aliquid esse cognoscibile ut determinate futurum certo, & infallibiliter ante divinum decretum, quo eum esse futurum, potius quam non futurum decernat. Nec oportet nos in praesenti amplius immorari, quin eadem innutiliter repeta-

mus,

7 Dividitur etiam communiter scientia Dei in scientiam simplicis intelligentis, & visionis; pariterque à Theologis in dubium vertitur: an prædicta scientia de futuris conditionatis sit media inter utramque istam. Esse medium affirman plures Doctores Societatis, ex quibus refert RR. Tyrus, Herice, Fassolum, & Alarcon. Non esse medium tenent communiter Thomistæ, & ex Jesuitis RR. Tyrus disp. 14. sectione ultima, pro qua sententia refert Petrum Arrabal, Molinam, Suarez, Valentiam, Belarminum, & Vazquez, qui omnes scientiam hanc conditio-

natam docent contineri sub simplici intelligentia.

8 Et quidem meo videri tota quaestio est de nomine. Et in primis praedictam conditionatam scientiam non esse scientiam visionis, nec ea parte, qua visionis est, nec ea parte, qua approbationis, videtur certum. Namque ut docet Div. Thom. hic art. 9. in corp. scientia visionis, ut visionis: *Est eorum, quae a Deo sunt, erunt, vel fuerunt, ut potè existentia in eternitate, que sine successione existens, totum tempus comprehendit.* Et art. 15. dicit: *Quod scientia visionis dicitur, Deus scire ea, que sunt in actu secundum aliquid tempus.* Et 1. contra gent. cap. 66. ait. *Ea, que sunt præsentia, præterita, vel futura nobis, cognoscit Deus, secundum quod sunt in potentia sua, & in proprijs causis, & in se ipsis.* Et horum cognitio, dicitur notitia visionis. Cujus rationem à priori assignat quæst. unica de scientia Dei, art. 9. *Quia scientia visionis in Deo dicitur ad similitudinem vijs corporalis, qui res extra positas intuetur.* Unde per scientiam visionis Deus scire non dicitur, nisi que sunt extra ipsum, que sunt, vel præsentia, vel præterita, vel futura.

9 Constat autem, quod scientia conditionata est de futuris, quæ nec sunt, nec erant, nec fuerunt, ut potè futura, sub condicione nunquam ponenda, vel exitura in propria mensura temporis, nec consequenter in eternitate, quidquid sit, an in ea futura absoluta existant ab æterno, ut docent Thomistæ vel dumtaxat, dum existant in propria differentia temporis, ut tenent Jesuitæ, de quo dubio sequenti. In omnium enim sententia futura conditionata in eternitate non existunt, cum ad hoc necesse esset, quod aliquando in propria mensura absolute existerent: non ergo praedicta scientia conditionata contineri potest sub scientia Dei, ut visionis est.

10 Quod autem nec sub ea contineri possit scientia approbationis est, à fortiori fit manifestum: namque scientia visionis Dei dicitur approbationis, quatenus est causa rerum, qua ratione pro priori à quo dicitur scientiam Dei ut approbationis est, præcedere se ipsam ut visionis est, sicut causa effectus præcedit illius existentiam; dicitur enim visionis, quatenus terminatur ad rem ut jam existentem; approbationis verò quatenus causat existentiam illius, quod habet ex voluntate adjuncta, seu divino decreto, quo Deus vult, & approbat existentiam rei; ita Div. Thom. in hac quæst. art. 8. in corp. ubi sic habet: *Cum forma intelligibilis ad opposita se habeat, cum sit eadem scientia oppositorum, non produceret determinatum effectum, nisi deter-*

*minaretur ad unum per appetitum, ut dicitur in 9. metaphysice. Manifestum est autem, quod Deus per intellectum suum causat res, cum sit esse sit suum intelligere; unde necesse est, quod sua scientia sit causa rerum secundum quod habet voluntatem conjunctam; unde scientia Dei, secundum quod est causa rerum, consuevit nominari scientia approbationis. Et quæst. unica de idem art. 3. ad 8. habet: *Quod scientia Dei dicitur simplex notitia, non ad excludendum respectum ad scitum, qui inseparabiliter omnem scientiam comitatur, sed ad excludendum admixtionem ejus, quod est extra genus notitiae, scitum est existentia rerum, quam addit scientia visionis, vel ordo voluntatis ad res scitas producendas, quam addit scientia approbationis.* Cum ergo scientia praedicta conditionata non sit causa rerum, præcipue in sententia Jesuitarum, in qua neque voluntatem aliquam habet antecedenter adjunctam, nec libero alicui decreto etiam conditionato innicitur, consequenter handdubium, quod talis scientia conditionata non comprehendatur sub scientia visionis etiam ea ratione, qua approbationis est.*

11 Deinde videtur, neque comprehendendi sub scientia simplicis intelligentie, quippe Div. Thom. in hac quæst. art. 14. universaliter habet: *Quod unumquodque Deus intelligit per simplicem intelligentiam, intelligendo essentiam unitus cuiusque.* Et loco citato ex contra gent. num. 7. docet: *Quod ea, que non sunt, nec erunt, nec fuerunt, à Deo sciuntur, quasi ejus virtuti possibilia; unde non cognoscit ea, ut existentia aliqua in se ipsis, sed existentia solum in divina potentia, que quidem à quibusdam dicuntur à Deo cognosci secundum notitiam simplicis intelligentie.* Hinc ergo secundum Div. Thom. scientia simplicis intelligentie est scientia rerum secundum propriam earum essentiam, seu quantum possibles, seu suæ virtuti subiectæ, vel existentes in propria divina potentia; prouindeque talis scientia est simpliciter necessaria, ut potè necessaria ex parte Dei, & ex parte objecti. Cum ergo certissimum sit scientiam conditionatam esse liberam ex parte actus, & ex parte objecti in sententia Thomistarum, siquidem fundatur in divino libero Dei decreto; vel administris ex parte objecti in sententia Jesitarum, siquidem habet pro objecto actus nostros liberos sub conditione futuros, videtur dicendum talem scientiam non comprehendendi sub scientia simplicis intelligentie; & consequenter talem scientiam nec esse scientiam simplicis intelligentie, nec scientiam visionis, sed medium inter utramque, nempe ex utraque aliquid participantem.

12 Et quidem juxta AA. Societ. pro i. sentent. citatos, in scientia visionis Dei duo sunt predicata, nempe esse contingentem, & esse liberam Deo. Ex his autem participat Scientia conditionata contingentiam, licet libertate non participet: aliquid ergo commune habet cum scientia necessaria, nempe independentiam a decreto, & aliquid cum scientia libera, nempe contingentiam: meritò ergo nuncupatur media inter utramque. Juxta AA. verò Thom. poterit etiam nuncupari media, quia communicat cum scientia simplicis intelligentiae, qua parte respicit futura, ut non existentia, vel extitura; & cum scientia visionis, & ut visionis, & ut aprobationis est, ea parte, qua libera, & fundata in divino decreto.

13 Dixi totam conversionem esse de nomine, de significatione scilicet hujus complexi, *Simplex intelligentia*. Pro quo notanda est regula Dialeticorum, quod aliud est id, à quo nomen imponitur, & aliud est, quod nomen significat. Hoc ergo complexum *simplex intelligentia* secundum id, à quo imponitur, significat notitiam simplicem per exclusionem, scilicet, ejus, quod extra genus notitiae, qualiter est existentia, quam importat scientia visionis, cujas proinde objectum est sola scientia rerum, seu earum possibilias. Et in hoc sensu intelligentius est D. Th. loc. cit. de idem. Et pariter interpretandus est locis alijs citatis, dum ait, per scientiam simplicis intelligentiae solùm Deum attingere res secundum earum essentiam, vel ut existentes dūtaxat in divina potentia, hoc est, ut purè possibles. Loquendo ergo de scientia simplicis intelligentiae in hac stricta acceptione, haud dubium quod nostra scientia conditionata non continetur sub illa, ut potè addit futuritionem conditionatam, quae est extra genus notitiae; proindeque non est quidditativa, sed libera, sicut & fundata in libero decreto, tamen conditione non ponenda, vel unquam extitura. Et crediderim, in hoc sensu loqui aliquos Tho. inter quos Gonet hic disp. 3. art. 2. cum probant, scientiam simplicis intelligentiae non esse causam rerum in actu secundo, quia cum antecedat decretum voluntatis divinae, non est libera, sed naturalis, & necessaria.

14 Si verò consideretur scientia simplicis intelligentiae secundum id, ad quod significantum est imposita, dicimus significare idem, quod scientia abstractiva, nempe secundum quod significat id, quod nec est, nec erit, nec fuit, sive illud significet, quia ratione possibile est, sive qua ratione non existit, neque extiterit, nec extitum est ex divino beneplacito, quia sic Deus voluit; in cuius objecto includitur non futuratio positiva possibilium, supposito decreto libe-

ro Dei de non futuritione illorum, quae propterea dicitur non futuratio positiva, ad differentiam non futuritionis, quae necessario committatur rerum puram possibilitatem, & dicitur non futuratio negativa.

15 Et in hac acceptione loquitur Div. Thom. hic art. 9. in corp. dicendo. *Quod scientia simplicis intelligentiae est eorum, quae nec sunt, nec erunt, nec fuerunt.* Unde infert, quod non entium habet Deus scientiam simplicis intelligentiae. Quod idem docet quas. unica de scientia Dei art. 9. ubi distinguit scientiam visionis à scientia simplicis intelligentiae. *Quia per scientiam visionis Deus scire non dicitur, nisi quae sunt extra ipsum, quae sunt, vel presentia, vel præterita, vel futura.* Sed scientia simplicis intelligentiae, ut supra probatum est, etiam est eorum, quae nec sunt, nec erunt, nec fuerunt. Quod & alijs pluribus locis insinuat.

16 In hac ergo acceptione, velut communis, & attenta significatione illius secundum propriam impositionem, per idem est scientia simplicis intelligentiae, ac scientia abstractiva, quae proinde communis est omni scientie abstractivæ, sive quidditativa sit, & necessaria, sive accidentalis, & libera. Sub qua proinde necesse est, ut comprehendatur scientia nostra conditionata, qua licet necessaria, & quidditativa non sit, nec respiciens futura secundum illorum essentiam, vel possibilitem, sed ut stant sub futuritione, ea tamen respicit, ut non existentia, nec extitura, nec præterita, quia ea respicit, ut futura, sub conditione non extitura, quae proinde nunquam est ad statum existentiae reducenda. Et hinc post divisionem adæquatam scientie in scientiam simplicis intelligentiae, & scientiam visionis subdividitur scientia simplicis intelligentiae in scientiam quidditativam, seu necessariam, qualis est scientia attingens objecta secundum illorum scientiam, & possibilitem; & in scientiam accidentalem, seu liberam, qualis est scientia nostra conditionata. Unde dumtaxat infertur quod scientia conditionata in divino libero decreto fundata, non sit simplex intelligentia quidditativa, & necessaria, quae est membrum condividens scientiam simplicis intelligentiae in communis; non tamen quod sub simplici intelligentia communiter dicta non continetur, ut membrum dividens sub divisio.

17 Pro quo notetur doctrina Div. Thom. communiter à Theologis recepta, quæstione citata unica de scientia Dei articulo 9. *Quod scientia simplicis intelligentiae, & scientia visionis nullam differentiam importat ex parte scientie, sed solum ex parte rei scite.* Et rationem af-

signat, quia intellectus divinus per unam speciem cognoscit omnia, unde similiter uno intuitu est eius cognitio de omnibus. Sicut ergo juxta Div. Th. ibi dividitur scientia Dei in scientiam simplicis intelligentiae, & scientiam visionis penes differentiam pure materialis objecti: nempè penes scire, quae sunt erunt, vel fuerunt, vel scire, quae nec sunt, nec erunt, nec fuerunt; sic ex parte objecti materialis potest partiter dividiri scientia simplicis intelligentiae in scientiam eorum, quae sunt pure possibilia; & in scientiam eorum, quae praeter possibiliterem habent futuritatem aliquam coniunctam, quamvis conditionatam. Quae proinde utraque scientia dicitur scientia simplicis intelligentiae, sub scientia simplicis intelligentiae in communi contenta.

18 Inde consequenter scientia simplicis intelligentiae in communi debet definiri per hoc, quod sit scientia de rebus, ut abstracta ab existentia absoluta, sicut & scientia visionis definitur per hoc, quod sit de rebus, ut absolute existentibus, sicut in aeternitate; vel ut alij, scientia visionis est de rebus, quae sunt extra Deum: scientia simplicis intelligentiae est de rebus, quae extra Deum nullum esse habent. Quae diffinitio convenit scientiae conditionatae, ut dictum est. Cui doctrinæ consonant rationes Thomistæ, quibus probant predictam divisionem esse adæquatam; nempè, quod in contradictione opposita non datur medium; sed objecta simplicis intelligentiae, & visionis sunt contradictione opposita, quia objectum simplicis intelligentiae est objectum non existens phisice; objectum vero visionis est phisice existens: ergo. Quam rationem confirmant, ex quo notitia adæquate dividitur in intuitivam, & abstractivam; sed scientia simplicis intelligentiae est notitia abstractiva; visionis vero est intuitiva, ut patet ex locis relatis Divi Thomæ: ergo.

19 Nec ita recte fundat nostr. ref. RR. P. Thysius, dicens, quod sicut non est contra conceptum scientiae visionis, quod sit necessaria, ut patet in scientia, qua Deus se ipsum intuetur, Ita nec debet esse contra conceptum simplicis intelligentiae, quod sit contingens. Ubi paritas procedit de scientia visionis, qua Deus se ipsum videt, ad scientiam simplicis intelligentiae, quia Deus intelligit futura creatura. Probaret quidem si non esset contra conceptum scientiae visionis erga existentia creata, quod sit necessaria. Immò potest retorquari argumentum: namque contra conceptum scientiae visionis erga creaturam est, quod sit necessaria: ergo contra conceptum scientiae simplicis intelligentiae erga creaturam est, quod sit contingens. Disparitas tamen juxta nos colligitur ex dictis, ut potè omnis scientia visio-

nis erga creata est libera, nec enim Deus ex necessitate producit, vel prædeterminat creaturas aliquas ad esse etendum; è tamen converso aliquas intelligit simpliciter liberè, quia ea videantur, ut sunt creatura possibiles, non ea parte, qua possibiles, sed qua parte non exituras absolute, vel futuras sub conditione non ponenda, quae eo ipso est scientia simplicis intelligentiae.

20 Nec urget, quod addit iste Docet, deri nempè scientiam necessariam, quae feratur in existentiam objecti sub conditione; nempè illa per quam Deus affirmat voluntatem nostram operaturam, si ad operandum prædetermineatur. Non, inquam, urget; namque conditio hæc est infallibiliter, immò, & metaphysice conexa cum operatione voluntatis, ut etiam affimant, & fatentur Thom. Et sic prædicta connexio est sufficiens principium, ut Deus illam conditionalem certò, & infallibiliter cognoscatur, nec indiget decreto aliquo; proinde talis scientia, quamvis simplex intelligentia, est necessaria. Secùs tamen cum connexio non est infallibilis, ut est illa, quae intervenit inter conversionem Tirorum, & miracula Christi, quia Deus cognoscere certò, & infallibiliter non potest ante decretum liberum suæ voluntatis, quo decernat conversionem illam sub conditione, quod vidèrent miracula Christi, quæ consequenter, quamvis simplex intelligentia, est libera, & contingens. Et de hac conditionali procedit nostra doctrina: hæc enim conditio sola est, quæ constituit futurum contingens conditionatum.

21 Et hinc manent soluta omnia argumēta, quæ principaliter intendunt divisionē scientiae divinæ in scientiam simplicis intelligentiae, & scientiam visionis, non esse adæquatam ea parte, qua intendunt scientiam conditionatam seu futurorum sub conditione, esse medium inter utramque, cum præcipuum fundamentum sit in eo, quod scientia simplicis intelligentiae est necessaria, ut potè rerum juxta carū quidditatem, seu possibiliterem, ut patet ex locis relatis D. Tho. Præcipuum autem est, quod extiturum esse sub conditione medium est inter existens phisice, & phisice non existens. Quod negamus; namquæ cum conditio extitura non sit, extiturum sub conditione est absolute non existens, cum nec in aeternitate sit existens, quod in propria mensura unquam extiturum est. De alijs autem argumentis, quibus intenditur probare divisionem illam non esse adæquatam, non curamus in presenti.

22 Solum restat satisfacere fundamento Doct. Societ. quæ prædictam scientiam conditionatam intendunt constituere medium, quia

licet à scientia visionis libertatem non participet, participat tamen contingentiam, & à scientia simplicis intelligentiae participat, quod sit independens à decreto; & sic ex utraque aliquid participat, consequenter media est inter utramque. Et resp. quod contingentia in divina scientia non est præscindibilis ab ejus libertate; eatenus ex parte Dei est contingens, quatenus libera, quia eatenus est contingens, quatenus Deus potuit rem producere, & potuit rem non producere, quia liberè, & non ex necessitate eā produxit: per idem ergo est ex parte Dei scientiam conditionatam esse contingentem, ac esse liberam. Ex parte vero objecti scientia prædicta est contingens; quia erga nostros actus liberos, in quibus contingentia non est alia, quam contingentia libertatis. Si ergo prædicta scientia à scientia visionis libertatem non participat, nec participat contingentia. Nego pariter, quod à scientia simplicis intelligentiae participet, quod sit independens à decreto propter dicta dubio. 1. Quo per totum probamus, scientiam conditionatam esse à decreto Dei dependentem, nec aliter posse. Deum futura conditionata, ut talia determinante cognoscere. Præterquamquod vel scientia simplicis intelligentiae juxta hos AA. est contingens saltē permisive in aliquo sui membro, vel non. Si primum? Ergo non est necesse recurrere ad scientiam visionis, ut scientia conditionata sit contingens; illa namque abstrahit tunc scientia necessaria, & contingentia. Si secundum? Ergo eatenus scientia simplicis intelligentiae est independens à decreto, quatenus quidditativa, & necessaria. Hanc autem independentiam nullo modo participat scientia conditionata, nec enim est quidditativa, immo nec necessaria saltē ex parte objecti: ergo nec cum illa convenit in independentia à decreto; illa enim independentia est pure negativa ob incapacitatem subiecti, nec potest Deus pro sua libertate rerum essentias mutare; altera vero esset privativa, cum futura contingentia capacia sint, ut de eis discernat Deus, quod ei placuerit, nempe sint, vel non sint. Qua ratione D. Th. in 1. dist. 39. ar. 2. docet, solam scientiam divinam respectu futurorum subjici libertati voluntatis.



### DUBIUM III.

*Utrum futura contingentia absoluta coexistat divina cognitioni ab aeterno, ne dum objecti-  
tive, sed etiam phisice, & realiter?*

1. **F**utura contingentia coexistere di-  
vinæ cognitioni ab aeterno ob-

jectivè, est ab aeterno per divinam cognitionem attingi, ei verò coexistere phisice, & realiter, est ulterius per eam ab aeterno attingi, quatenus phisice, & realiter existunt in se. Dubium non est de prima coexistentia; namque fide certum est, Deum omnia ab aeterno cognoscere juxta illud Daniel. 13. *Domine, qui nos tibi omnia, antequam fiant.* Et Sapient. 8. *Signa, monstrua scit, antequam fiant, & even-  
tus temporum, & saeculorum.* Hinc futura con-  
tingentia cognoscere, est signum divinitatis  
juxta illud Isaiæ 42. *Anuntiate, que ventura  
sunt, & sciimus, quia Dii estis vos.* Et Div.  
Aug. lib. 5. de Civit. Dei. cap. 9. ait. *Qui non  
est prescitus futurorum, non est utique Deus.* Unde & Tert. lib. contra Marc. sic habet: *Pra-  
scientia Dei tot habet testes, quoniam fecit Prophe-  
tas.* Quod & probat D. Th. quia Deus non so-  
lum cognoscit, quæ actu sunt, sed etiam, quæ  
sunt in sua potentia, vel creaturæ; sed horum  
quædam sunt contingentia nobis futura: ergo-

2. Dubium ergo procedit: An futura contingentia absoluta coexistat divina cognitioni ab aeterno phisice, & realiter, id est, quod divinā cognitionem ab aeterno terminant, ut in se phisice, & realiter existentia. Et quidem non eam terminare ab aeterno, quatenus existentia in pro-  
pria mensura est etiā fide certum, sicut & crea-  
turæ omnes incipere in tempore. Nec Anti-  
christus nunc existit in propria sui mensura, né-  
pè in tempore, aliter non esset absolute futurū,  
sed præsens. Dubiu ergo relinquitur, an futura contingentia divina cognitioni coexistat ab aeterno phisice, & realiter, quatenus ab aeterno existentia in eternitate. Ubi nota, dubium esse  
non de existentia phisica futurorum in eternitate, sed de existentia phisica futurorum in aeternitate ab aeterno. Namque etiam apud Theol. est cōmuniter certum, futura contingentia phisice, & realiter existere in aeternitate, ut potè in-  
finita in ratione mensuræ ambiens, continens,  
& comprehendens omnes durationes creatas,  
qua ratione dicitur mensura inadæquata, & su-  
perexcedens creaturarum. Quod vero in aeternitate existant ab aeterno, addit, quod existant in aeternitate, etiam quando in propria mensura non existunt; sic enim verificatur, quod non  
incipiunt existere in aeternitate, sed quoniam in ea  
semper, & pro semper, & consequenter ab  
aeterno existunt.

3. Pro cuius tandem enodatione etiam supponendum est, aeternitatem, quamvis indi-  
viduabilem formaliter, esse virtualiter divisibilem  
nempe per correspondentiam ad diversas du-  
rationes creatas, ita ut in ea sit distinguere vir-  
tualitatem correspondentem temporis præ-  
rito,

rito, & virtualitatem correspondentem tempori praesenti, ac tandem virtualitatem correspondentem tempori futuro. Sic ergo res præterita existit in æternitate ea virtualitate, quæ correspondet tempori præterito, & pariter res præsens, vel futura, ea virtualitate, quæ correspondet tempori præsenti, vel futuro. Nullus ergo affirmat, vel affirmare potest, quod res futura existit in æternitate secundum omnes virtualitates correspondentes omnibus durationibus creatis; aliter res futura existeret in æternitate ea virtualitate, quæ correspondet rei præterita, vel præsenti. Non ergo rem futuram existere in æternitate ab æterno, consistit in eo quod res futura existat in æternitate, ut virtualiter complectente dumtaxat propriam illius durationem. Cum independentia tamen ab eo quod existat in propria mensura, ita ut licet Antichristus nunc in propria mensura non sit præsens, sed futurus, nihilominus sit nunc præsens phisice in æternitate ea ad minimus virtualitate, quæ correspondet tempori futuro, seu differentiæ temporis, in qua Antichristus extitus est. Unica ergo est in præsenti dubio difficultas, titulo correspondens. Unde sit.

### RESOLUTIO UNICA.

*Futura contingentia absoluta coexistunt divisione cognitioni ab æterno phisice, & realiter in æternitate.*

4 **I**ta communiter Thomistæ contra Jesuitas; & quia Pater Rivadeneyra Primarius Complutensis præsentem disputationem aggreditur Angelico Praeceptor duce, cuius doctrinam in præsenti vocat sane verissimam, & acutissimam, quam & profitetur amplectere quoad rem ipsam, & quoad modum loquendi, primò nostra resolutio fundatur ex doct. Div. Thom. hic in corp. ubi sic habet: *Deus autem cognoscit omnia contingentia, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquidque eorum est actus in se ipso.* Et licet contingentia fiant in actu successivo, non tamen Deus successivè cognoscit contingentia, prout sunt in suo esse, sicut nos, sed simul; quia sua cognitionis mensuratur cum æternitate, sicut etiam suum esse; æternitas autem tota simul existens ambit totum tempus; unde omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno presentia, non solum ea ratio-

ne, quæ habet rationes rerum apud se præsentes, ut quidam dicunt, sed quia ejus intuitus fertur ab eterno super omnia, quæ sunt in sua præsentialitate. Hæc Div. Thom. Ubi fermò procedit de cognitione ab æterno futurorum; & hanc, ait, terminari ad futura, non solum prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquidque eorum est actu in se ipso. Videlicet autem contingentia fieri in actu successivo in tempore, ut Deus ea ab æterno cognoscat, prout sunt actu in se ipsis, recurrat ad æternitatem, qua divina cognitionis mensuratur, quæ quia tota simul est existens, & ambit totum tempus omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia in æternitate; proptereaque, ut sic, præsentia Deo ab æterno in æternitate cognoscuntur ab ipso.

5 Et hinc desumimur primum fundamentum à ratione, stando doctrina Div. Thom. Deus ab æterno cognoscit futura contingentia, ut sunt actu in se ipsis, & nedum prout sunt actu objective in intellectu divino, seu ea ratione, quæ habet rationes rerum apud se præsentes: ergo ab æterno cognoscit futura contingentia, ut phisice existentia; sed non ut phisice existentia in propria mensura temporis, ut patet: ergo, ut phisice existentia in mensura aliena æternitatis; at non stat Deum ab æterno cognoscere futura contingentia, ut phisice existentia in mensura æternitatis, quin futura contingentia phisice coexistant divinæ cognitioni ab æterno in æternitate: ergo sic coexistere fatendum est, stando doctrinæ D. Thom. namque primum antecedens est expressum Div. Thom. consequentia prima est legitima, minor subsumpta est de fide; consequentia inde illata constat, cum non sit assignare aliam mensuram respectu nostri præter mensuram propriam, & adæquatam temporis, & mensuram alienam, & superexcedentem æternitatis; consequentia ultima est nota ex terminis: ergo duce D. Thom. fatendum est, futura contingentia ab æterno in æternitate coexistere divinæ cognitioni.

6 Sed Divo Thom. duce, respondet prædictus Complutensis, ibi solum asserere futura Deo esse ab æterno præsentia objective. Agit enim de præsentia, quam illis formaliter dat intuitus Dei, prout fertur ad illa, prout in suo tempore existunt. Hanc interpretationem esse profis extra mentem D. Thom. patet ex contextu, & ex dictis, nāquæ ad salvandam præsentiam objectivam futurorum ab æterno, non opus erat recurrere ad illorum phisicam existentiam in æternitate: immò si agit D. Thom. solum de præsentia, quam habent futura, prout in suo tempore existunt; ergo illo-

rum cognitio sub ista præsentialitate non est in Deo ab æterno, sicut neque ab æterno futura sunt præsentia, prout in suo tempore existunt; cum tamè Div. Thom. agat de cognitione futurorum ab æterno, quatenus ab æterno phisicè præsentia sunt.

7. Sed resp. quod Div. Thom. agit de cognitione futurorum ab æterno, ut phisicè præsentia sunt, non quia futura sint ab æterno phisicè præsentia Deo, sed quia cognitione divina æterna est per æternitatem, quæ cum tota simili existat, ambit totum tempus. Sed fateor, ut ipse dicit, mei ingenij caritatem. Si enim Div. Th. agit de cognitione futurorum ab æterno, ut phisicè præsentia sunt: ergo vel ut phisicè præsentia in propria mensura, vel in mensura æternitatis? Si in propria mensura non sunt phisicè præsentia ab æterno, quomodo ea ut phisicè præsentia ab æterno attingit? Si secundum? Ergo ideò, quia in æternitate phisicè sunt Deo ab æterno præsentia.

8. Aliud est ipse fatetur, quod D. Th. agit de cognitione futurorum, ut phisicè præsentia sunt, quia cognitione divina æterna est per æternitatem, quæ cum tota simili existat, ambit totum tempus, nunc inquirimus: Vel cognitione divina æterna est per æternitatem, quatenus reduplicativè tota simili existens ambit omne tempus, vel purè in sensu materiali, seu identico, nempe quatenus æterna est per æternitatem, quæ alias tota simili existens ambit omne tempus? Si hoc secundum? Est dicere, nihil conducere æternitatem esse totam simili, & ambire totum tempus, ut Deus ab æterno cognoscatur futura contingentia, ut phisicè præsentia, quod alienum est à mente D. Th. ut de se patet. Si primum? Aperte deducitur, quod scientia illa, seu cognitione futurorum est æterna per æternitatem, ut coextensam toti temporis, & consequenter ut actu, & simili continentem omnes differentias, seu durationes temporis: potius ergo est æterna, quia coexistunt phisicè in æternitate omnia futura contingentia ab æterno. Namque si solum ei coexistunt phisicè in æternitate, cum in propria mensura temporis existunt, jam cognitione illorum, ut phisicè præsentia incipit, cum illa in tempore incipiunt existere, & consequenter illorum cognitione non est æterna, nisi materialiter, vel in sensu identico, sicut quilibet divina actio æterna est, quamvis solum in tempore denominet, ut patet in actione creativa.

9. Sap. Mag. Thyrus Gonz. olím Primar. Salmant. nunc Rev. Soc. Jesu dign. Gen. via Media respondet: fatetur quidem tom. i. disp. 4. lœt. 4. & 5. Nihil esse futurum, vel præteri-

tum respectu Dei; quod & probat ratione, & authoritate Patrum, præcipue D. Thom. in hoc art. verbis relat. Unde omnia, que sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum caratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes, ut quidem dicunt; sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate. Ubì docet res præter præsentia obiectivam habere ab æterno aliâ nempe phisicam. Idque à posteriori colligit, ex eo quod Deus ab æterno cognoscit res prout sunt in sua præsentialitate, seu quia sunt phisicè præsentes. Ita ille, ubi videtur verbis D. Th. convinci ad assertendum futura contingentia præter præsentiam objectivam habere ab æterno præsentiam phisicam.

10. Sic tamen convincitur, idque postmodum ratione ostensum, lœt. 6. concludit, quod licet Antichristus possit à nobis dici ab æterno phisice præsens Deo, non tamen per præsentiam sui ad Deum; sed per præsentiam Dei ad ipsum, & ut purè denominativè extrinsecè ab illa. Unde tandem interpretatur D. Th. dicendo futura quidem ab æterno phisice esse præsentia Deo, eusquæ divinæ cognitioni, sed denominativè solum ab ipsa præsentia, quam Deus ab æterno habet ad ipsa, secùs tamè intrinsecè, seu per propriam præsentialitatem. Sed quidem stando doctrinæ D. Th. hanc interpretationem non esse genuinam, patet etiam ex contextu, quia ut ipse affirmit, D. Thomas à posteriori colligit futura habere ab æterno præter præsentiam objectivam, aliam phisicam, ex eo quod Deus ab æterno cognoscit res, prout sunt in sua præsentialitate; haec autem ultima verba exprimunt præsentialitatem propriam rerum, namque præsentialitas Dei ad ipsas non est earum propria præsentialitas, ut potè præsentialitas propria Dei.

11. Item D. Thom. verbis antecedentibus loquitur de cognitione divina rerum, prout sunt actu in se ipsis, id est, prout existunt in se ipsis; aliter futura erunt dumtaxat ab æterno præsentia divinæ cognitioni purè objectivè, secùs tamen phisicè; existentia autem futurorum prout in se ipsis est propria ipsorum, nec potest esse denominatio extrinseca, seu à forma extrinseca procedens. Ulterius D. Th. ut Deus ab æterno cognoscatur futura contingentia, prout sunt in se ipsis, recurrat ad æternitatem, quæ tota simul ambit totum tempus; unde omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia: nunc dico, cum dicitur æternitas, tota simili ambit totum tempus, utique affirmatur, ambire præsentiam, seu durationem propriam totius temporis, quam nempe futura habebunt

cum suo tempore existant; hec autem est præsentialitas propria ipsorum ad Deum, & nedium Dei ad ipsa; cum ex hac continentia Div. Thomas inserat, quod omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, loquitur de præsentialitate propria ipsorum ad Deum, & non de præsentialitate Dei ad ipsa; aliter æternitas se ipsam ambiret, seu contineret.

12 Tandem: Cum Pater Arrubal responderet Div. Thom. tantum intendere futura non solum dici præsentia Deo ab æterno secundum suas rationes quidditativas, seu quia cognoscuntur quoad quidditatem, sed secundum suas existentias, & præsentialitates, quas habent in tempore, seu quia Deus ab æterno cognoscit illas esse sibi præsentes pro sua differentia temporis: invenitur contra illum prædictus Author, qdiam Div. Thom. aliquam præsentiam concedit futuris in æternitate, quam non omnes Doctores Catholici admittunt, ut constat ex illis verbis, *ut quidam dicunt*; sed omnes admittunt non solum præsentiam objectivam æternam quoad rationes quidditativas, sed etiam quoad existentiam exercitam, siquidem omnes patentur Deum ex æternitate non solum cognoscere quidditates rerum, quæ in tempore contingunt, sed eorum existentiam: Ergo præter hanc præsentiam objectivam admittit aliam, nempe phisicam, & realem. Ita iste Author contra suum Arrubal. Nunc inquiero: quid addit præsentialitas illa phisica, quæ futuris convenit denominative solum à præsentialitate Dei, seu divina cognitionis supra præsentialitatem objectivam eorundem, nedū secundum proprias quidditates, verum & secundum existentias exercitas? Satis non percipio, hoc enim ipso quod futura attinguntur à Deo ab æterno secundum proprias existentias exercitas, ait ille, quod dominantur phisice præsentia à præsentialitate Dei, seu divini intellectus ei cognoscentis: & quidem si ipsa futura ab æterno cognoscuntur à Deo secundum existentias exercitas, & ex parte ipsorum nulla correspondet præsentialitas phisica: Ergo ex parte ipsorum solum correspondet præsentialitas objectiva, quamvis cognoscantur secundum proprias existentias exercitas, quas habebunt in tempore. Si ergo ipse stando menti Div. Thom. necessario facetur, quod præter præsentiam illam objectivam, est admittenda alia phisica, & realis, hæc non potest esse de nominatio extrinseca, proveniens solum ex præsentialitate Dei, verum, & intrinseca proveniens etiam ex intrinseca eorum existentia in divina æternitate, quæ eis prout sic convenient ab æterno. Hæc sufficient contra tantum Do-

ctorum quantum attinet ad literam D. Thom. Rationi vero stando, ejus doctrina latè impugnatur fundamento tertio.

13 Plura alia sunt loca Div. Thom. in quibus se explicat conformiter ad Doctrinam relata, namque 1. contra Gentes cap. 66. sic concludit: *Quidquid igitur in quaunque parte temporis est, coexistit ab æterno, quasi præsens eidem, & si respectu alterius partis temporis sit præteritum, vel futurum: Quod explicat exemplo centri simul correspondentis omnibus punctis circumferentiae. Ubi solum admittit præteritum, vel futurum respective ad propriam mensuram temporis, secùs vero ad æternitatem, ut potè in quaunque parte temporis existant, coexistunt ab æterno. Si coexistunt ab æterno: Ergo non mere objective. Et cum coexistencia, sicut existentia non sit, nec possit esse denominatio extrinseca, jam coexistunt ab æterno secundum propriam sui, & intrinsecam præsentialitatem.*

14 Sed resp. Comp. Ribadeleyra hoc testimonium corruptum esse ab Albeldā, qui legit: *Coexistit ab æterno;* ubi D. Thom. ait: *Coexistit ab æterno.* Fato ita esse, nec tamen ullam differentiam reputo inter coexistere ab æterno, vel æterno coexistere; namque cum coexistere sit idem, ac simul existere, si quidquid in quaunque parte temporis existit, coexistit ab æterno, eo ipso simul existit cum æterno; existere simul cum æterno, est ab æterno coexistere: ergo. Negabis min. quia ut verificetur coexistere ab æterno, seu simul cum æterno existere; sufficit, quod futurum cum existit in propria mensura, coexistat ab æterno, seu simul cum æterno existat; ut tamen ab æterno coexistat, ultrà esset necesse, quod semper, & pro semper coexisteret ab æterno; id est, independenter ab eo, quod in propria mensura existat. Sed contra est ex parte contextus Div. Thom. qui solum admittit præteritum, vel futurum respective ad propriam mensuram temporis; si autem futurum solum, dum existit in propria mensura, coexistit ab æterno: ergo dum non existit in propria mensura temporis, est futurum etiam respective ad æternitatem, ut potè tunc non præsens æternitati, nec præteritum: ergo futurum.

15 Hinc Rev. P. Thyrus legit, sicut Albelda, inferens inde, nihil esse phisice futurum, vel præteritum respectu Dei. Quod & confirmat ex D. Thom. quæst. 2. de verit. art. 12. ubi ait: *Hoc, quod à Deo visum est, futurum est rei alteri, cui succedit in tempore; sed ipsi divina visioni, que non in tempore, sed extra tempus est, non est futurum, sed præsens.* Vbi non loquitur de præsentia objectiva, hanç enim ha-

bent etiam nostra futura, seu puræ possibilia, quæ non scientia visionis, sed abstractive à Deo cognoscuntur: Ergò de phisice, & reali: phisice ergò, & realiter futurum ipsum est Deo præsens, quamvis respective ad rem cui succedit in tempore, futurum sit. Quod si respective ad Deum est phisice præsens, dum futurum est in tempore: Ergò antequam existat in propria mensura, est Deo phisice præsens, & consequenter ab ēterno.

16 Item Div. Thom. in secundo SS. dist. 7. q. 2. art. 2. incorp. agens de futuris sic habet: *Unde eorum præcognitio solius Dei est, cui ab ēterno præsentia sunt*. Sed respondet prædictus Complutensis Div. Thom. contendere ab ēterno creaturest esse præsentes in præcognitione divina, non quia futura sunt ab ēterno præsentia in se ipsis, sed quia Deus ab ēterno habet durationem ēternam, quæ præsens ipsis est etiam non existentibus ab ēterno. Sed præter dicta contra est manifeste, nanque aliud est futura ab ēterno esse Deo præsentia, & aliud durationem Dei ēternam esse ipsis futuris præsentem, nisi forte per futura ab ēterno Deo præsentia intelligat puram extrinsecam denominationem à præsentialitate ēternæ durationis desumptam, ut affirmat Rev. Tyrus. Quod cùl non potest in via Div. Thomi. qui præsentialitatem futurorum ab ēterno vocat propriam præsentialitatem, seu eorum, ut sunt actū in se ipsis, ut ex dictis patet.

17 Tandem notetur alter locus D. Thomæ quem etiam refert Rev. Tyrus, ut prober nihil esse futurum, vel præteritum respectu Dei ex i. p. q. citata art. 9. ubi sic habet in corpore: *Quia intelligere Dei, quod est ejus esse, ēternitate mensuratur, quæ sine successione existens totum tempus comprehendit, præsens intuitus Dei fertur in omnia, quæ sunt in quocumque tempore, sicut in subjecta sibi præsentialiter*. Et quidem ut patet ex dictis, Authores citati non negant, intuitum Dei ab ēterno ferri in omnia, quæ sunt in quocumque tempore, ut phisice præsentia; sed dicunt, hanc præsentialitatem esse ipsissimam Dei, seu divini intellectus præsentialitatem, quia ēternitate mensuratur, quæ comprendit omne tempus; non tamen esse præsentialitatem futurorum in se ipsis, seu propriam ipsorum; esse autem propriam ipsorum, & à præsentialitate Dei, seu divini intellectus condilictantem patet, ex quo Div. Thom. illam vocat præsentialitatem Deo, seu divinæ cognitioni subjectam: est ergò inferior præsentialitate Dei, seu divini intellectus; nec enim potest ullo in sensu affirmari præsentialitatem propriam Dei, seu divini intellectus esse sibi

subjectam; cum subiectio ex proprio formalī conceptu importet inferioritatem, sicut & dependentiam, & subordinationem. Plura sunt alia loca Div. Thom. quibus etiam comprob. nostra resolutio. Omnia tamen cum præallegatis coincidunt, quæ sola proposui, quia ea solum communiter sibi objiciunt Jesuite, quibus & conantur satisfacere juxta dicta.

18 Doctrinam relatam Div. Thom. esse consentaneam Sanctis Patribus constat primò ex D. August. lib. 5. de Trinit. in fine, ubi habet: *Apud Deum nec præterita transeunt, & futura jam facta sunt*. Secundo ex Anselm. cap. 19. proslogij, ubi Deum sic alloquitur: *De aeternitate tua nihil præterit, ut jam non sit, nec aliquid futurum est, quasi nondum sit*. Idem lib. de concordia cap. 1. post medium: *Quemadmodum præsens tempus continet omnem locum, & quæ in quolibet loco sunt, ita ēterno præsenti simul clauditur omne tempus, & quæ sunt in quolibet tempore*. Et paulò post: *Habet ēternitas suum simul, in quo sunt omnia, etiam quæ diversis locis, vel temporibus sunt*. Et in monologio cap. 22. quoniam summan essentiam inevitabilis necessitas exigit, nullo loco, aut tempori deesse, & nulla ratio loci, aut temporis prohibet, omni loco, aut tempori simul adesse, necessè est eam simul totam in omnibus locis, ac temporibus præsentem esse. Terzio ex Div. Greg. lib. 2. Moral. cap. 23. qui sic habet: *In illo nec præterita, nec futura reperiri queunt, sed cuncta mutabilia immutabiliter durant, & quæ in se ipsis simul existere non possunt, illi simul omnes existunt*. Quarto ex Div. Bonaven. cap. 5. de consolat. Psalm. 6. *Coram Deo præsentia non transeunt, fixa sunt, futura non expectantur, omnia sunt simul, etiam nobis successiva*. Eodem modo loquuntur alii Patres, qui etiam afferunt, quod scientia Dei respectu futurorum non est proprie præscientia, sed potius visio, aut scientia visionis, & solum dicitur præscientia, in quantum cognoscit id, quod futurum est nobis, non sibi.

19 Rationi autem stando, difficilima apparet hæc existentia futurorum ab ēterno in ēternitate fere omnibus utriusque scholæ adeò ut Princeps Thomistarum Capreolus, postquam latè ostendit hanc fuisse mentem Div. Thom. quia tamen difficultem existimavit prædictam existentiam, eam non ausus est affirmare, sed concludit: *De his autem nihil omnino assero, sed videtur mihi illa fuisse mens Sancti Thomi*. Sed quidem si Div. Thom. nedium affirmit, sed & fundat prædictam existentiam recurringo ad ēternitatem, hautdubium, quod hinc

hinc debeat de summi fundamentum principale, & à priori nostrę sententię.

20 Primo ergo fundatur nostra resolutio ex definitione aeternitatis, quam nedium S. Thom. verum, & ceteri Patres, adque Theologoi admittunt ex Sancto Boetio; nempe: *Aeternitas est interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio.* Unde insertur, quod si tota simul existit, eo ipso tota simul ambit omnes durationes temporis, quamvis istae invicem se succedant, nempe preteritum, praesens, & futurum. Quod si tota simul ambit, & continet omnes durationes temporis: Ergo quidquid extitum est in qualibet duratione temporis, simul in eternitate existit, id est, qualibet successione exclusa ex parte aeternitatis, tota se tenent ex parte temporis. Usquenunc convenientia theologi utriusque scholae. Nunc restat probare futura taliter simul in eternitate existere, quod in ea existant ab aeterno: id est, semper, & pro semper, ita ut nunc temporis, quo non existit Antichristus, existat adhuc in eternitate, nec expectet ad suum existentiam in aeternitate, suum existentiam in tempore. Quod & deducitur, ex quo si aeternitas tota simul continet omnem tempus: Ergo simul continet tempus, in quo Antichristus existet, & in quo ego nunc, & de praesenti existo. Sicut ergo de me verificatur, quod nunc, vel hodierna die existo in aeternitate, ita de Antichristo erit verum dicere, quod hodierna die, in qua ego existo, existit in aeternitate, quamvis mihi in nunc temporis non coexistat, aliter si nunc temporis solum ego existo in eternitate, quia in nunc temporis existo; Antichristus vero nunc temporis non existit in eternitate, sed exister, quando in suo tempore extiturus est, jam sicut tempora non simul existunt in se, nec simul ego, & Antichristus in aeternitate existimus, & sic aeternitas non simul ambit, & continet meum, & Antichristi tempus, seu propriam mei, & Antichristi durationem.

21 Dices, quod cum dicitur aeternitatem simul ambire omne tempus, ly simul intelligitur in sensu identico, seu entitativo, secus verò formalis, & mensurativo; cum enim omnis successio se teneat ex parte temporis contenti, non ex parte sui, entitative, & identice eadem est, ut continens me praesentem, & Antichristum futurum, non tamen formaliter, & mensurative; nam sic connotat existencias rerum in tempore, qua ratione, quod nunc non existit, nunc aeternitas non mensurat, sed mensurabit, sicut & existet.

22 Sed contra hanc evasionem, quæ communior est in recencioribus, sic argumentor:

Definitio aeternitatis tradita à Boetio, & à Sanctis Patribus, omnibusque theologis admissa, accipienda est in sensu formalis, & non identico, cum enim definitio sit oratio explicans naturam, seu essentiam rei, numquam potest interpretari de eo, quod rei convenit pure entitative, & identice, seu materialiter, sed essentialiter, vel formaliter; at in predicta definitione dicitur, quod aeternitas est tota simul, & juxta Santos Patres idem est, ac tota simul ambiens, & continens omnes durationes, seu differentias temporis: Ergo sic esse totam simul, seu totam simul ambire omne tempus, intelligi debet nendum in sensu identico, sed formalis, & mensurativo.

23 Confirmatur: aeternitas in predicta definitione ea ratione, qua distinguitur ab alijs attributis divinis, sicut & omnia attributa divina definiuntur ea ratione, qua distinguuntur inter se, consequenterque non in esse entis, namque sic omnia divina predicata convenient, & sunt una, & simplicissima divina entitas; qua ratione omnia se invicem includunt, & de quolibet predicato verificatur, quod est totus Deus. Tunc sic; sed aeternitas solum ab alijs attributis distinguitur in ratione mensuræ, hec enim est proprius, & formalis conceptus eternitatis, nempe quod sit mensura divinæ durationis, unde habet, quod sit mensura infinita, continens omnes durationes rerum creatarum: ergo sic, & nendum entitative, seu identice definitur, cum dicitur, quod est tota simul, seu simul ambiens, & continens omnes durationes temporum.

24 Deinde notetur alia particula addita in predicta definitione, taliter enim affirmatur, quod est tota simul, quod simul sit perfecta possessio rei, quam mensurat, perfecta autem possessio, seu mensura rei nequit esse, si successiva tantum, & non simul omnia mensurat; namque aliter erit sicut ulna, quæ tota simul, id est, eadem entitative fixa, & sine successione ex parte sui totum pasum mensurat, sed non sine successione ex parte rei mensuratur. Immo ex termininis perfecta possessio importat realē apprehensionem, & continentiam actualē rei sub dominio possidentis; cumigitur deest apprehensio, & continentia actualis, ex quo cumque defectu proveniat, deficit perfecta possessio, & consequenter aeternitas. Quod & explanatur ex quo impropriè, & imperfectè dicitur quis possidere rem ex solo jure ad habendum illam existeret, seu si existeret, & solum dicitur eam perfectè possidere, cum eam actu, & realiter habet: simili ergo:

25 Pater Alderete disp. 22. in p.p. sectio-

ne 2. responderet concedendo eternitatem divinam esse infinitam, & perfectissimam possessionem in genere durationis præ quacumque alia etiam angelica, quia sola illa essentialiter exigit coexistere cuicunque alteri durationi. Angelus enim quanquam ab aeterno crearetur, solum connaturaliter exigeret per suam entitatem coexistere durationi crafting, non vero essentialiter, cum adhuc posset anihilari a Deo, & proinde nulli de cetero coexistere durationi: igitur ut eternitas distinguatur sufficienter ab omni alia duratione, non est opus recurrendi ad simultaneam praesentiam futurorum, sed ad solam necessitatem coexistendi omnibus, cum primum extiterint in propria durationis mensura.

26 Sed contra hanc solutionem stat ex terminis relata definitio eternitatis; longe enim absit eternitatem esse totam simul, id est, totam simul ambire, & continere omnes durationes creatas, ac essentialiter solum exigere coexistere illis omnibus. Sancti enim Patres non per exigentiam, sed per exercitium ipsum ambienti omne tempus, seu omnes differentias temporis predictam definitionem exponunt, ut patet ex dictis. Deinde quid est exactius solum coexistere omnibus durationibus creatis, non vero quod exercitum, nisi ex jure dumtaxatas possidere, cum extiterint, non vero eas actualiter possidere ex defectu existentiae illatum? Quæ possessio ex terminis imperfecta est, & omnino releganda à possessione perfecta, qualis est eternitas.

27 Quibus adde ex Eminent. Aguirre in opere, 1. S. Anselmi tract. 3. sect. 5. n. 78. quod si ad hoc, ut eternitas dicatur, & sit tota simul, sufficit exigentia essentialis possidendi & valiter omnia, cum primum in propria duratione extiterint, non vero antea: etiam ut scientia visionis Dei aeterna dicatur, & si tota simul, sufficit exigentia essentialis possidendi intentionaliter omnia, non si postquam extiterint. Prob. conseq. tum à pari utriusque: tum similitudo rationis in solutione dat., nam illius exigentia essentialis distingueretur scientia Vtioris divina à creata Beatorum, & à quacumque alia, cum omnis scientia infra divinam possit non coexistere objecto futuro, quamquam aliqua ut beata, & angelica id connaturaliter exigat. Nec eit illa ratio unde dari possit perfecta possessio intellectualis vi solius exigentia ad intelligendum, si semel admittitur perfecta possessio realis ex sola exigentia ad habendum.

28 Secundo fundatur ratione nostra resolutio, & praecedens fundamentum roboretur ex

notatis in initio dubij: namque juxta adversarios futura contingentia phisice existunt in eternitate saltem secundum illam virtualitatem, quæ correspondet propriæ ipsorum durationi, licee non secundum omnes virtualitates correspondentes alijs durationibus, nempe præteritio, & prætentio, hinc dicunt futura contingentia existere phisice in eternitate solum, ut complectente propriam durationem, non aliqua, at futura contingentia phisice ab aeterno existunt in eternitate secundum illam virtualitatem, quæ correspondet propriæ illorum durationi: ergo phisice ab aeterno existunt in eternitate. Conseq. patet min. prob. illa virtualitas secundum quam futura contingentia existunt in eternitate, est ab aeterno: ergo secundum illam ab aeterno phisice existunt in eternitate. Conseq. patet: namque mensura non potest esse ab eterno, quin res mensurata ab aeterno sit, sicut & esset ab eterno in tempore, si tempus ab aeterno esset. Antec. prob. illa virtualitas est intrinseca eternitati; at eternitas secundum omnia sibi intrinseca ab aeterno est: ergo & illa virtualitas ab aeterno est. Min. patet; aliter eternitas intrinsece non contineret omnes durationes creatas; minor etiam est perspicua, utpote ex parte sui excludens omnem successionem, & principium sicut & finem; conseq. est legitima,

29 Dices: sicut & ad praecedens fundatum, illam virtualitatem esse ab eterno entitative, non mensurative. Sed contra: nam illa virtualitas etiam in ratione mensuræ, & prout distinguitur ab alijs virtualibus, est intrinseca eternitati: si ergo eternitas secundum omnia sibi intrinseca est ab eterno, pariter, & secundum illam virtualitatem est ab aeterno, nedium entitative, sed etiam mensurative. Dices: actionem creativam esse etiam intrinsecam Deo, nedium entitative, sed etiam denominative, nempe ut creatio est, & tamen ex quo Deus secundum omnia sibi intrinseca sit ab aeterno, non sequitur creationem Deo competere ab eterno denominative, utpote Deus solum in tempore dicitur creator: ergo. Sed contra est, nam licet hoc ita sit, non tamen inde licet inferre Deum incipere velle, vel scire aliquid in tempore, aliter voluntas ejus esset mutabilis: tenetur ergo omne reddere disparitatem, cur nempe Deus possit in tempore esse creator, & non possit in tempore incipere velle creature, sed vel eas non vult, vel ab eterno vult. Et quidem disparitas est quam tradidit Div. Thom. hic art. 15. ad 1. qui procedebat sic: scientia enim relative dicitur ad scibile; sed ea, quæ important relationem ad creaturem dicuntur de Deo ex tempore, & variantur secundum

cundum variationem creaturarum; ergò scientia Dei est variabilis secundum variationem creaturarum. Et respondet dupli solutione, quarum una est ad nostrum propositum sic: *Dicendum, quod dominus, creator & hujusmodi important relationes, quae consecuntur actus, qui intelliguntur terminari ad ipsas creatureas secundum quod sunt in se ipsis; & ideo hujusmodi relationes varie de Deo dicuntur secundum variationem creaturarum. Sed scientia, & amor, & hujusmodi important relationes, quae consensuntur actus, qui intelliguntur in Deo esse, & ideo invariabiliter praedicantur de Deo.* Hęc Div. Thom. ubi in Deo distinguit actus transeuntes, & actus immanentes: transeuntes quidem, qui terminatur ad creatureas secundum quod sunt in se ipsis, id est, eas producendo; immanentes verò, qui intelliguntur in Deo esse, quin per eos aliquid ad extra producatur, Relationes ergò, quae fundatur in actibus transseuntibus, variantur secundum variationem creaturarum, unde Deum competit in tempore, sicut & in tempore creature ab eo producuntur. Quae verò fundantur in actibus immanentibus, ut est divina scientia, vel amor, non sic variantur, nec ex tempore de Deo dicuntur; sed imbariabiliter, & ab aeterno. Nunc ergò dicimus, quod existentia futurorum in aeternitate; seu denominatio, qua aeternitas dicitur continua, & comprehendens omnes durationes creatas, non fundatur in actione aliqua transseanti, qua Deus res creatas ad extra producat, & in esse constituant, sed in actione immanentia, nempè divina scientia fundata in decreto, quo Deus vult aliqua potius fore, quam non fore, que proinde infallibiliter erunt, licet relate ad suas causas, contingentia, & variabilia sunt; eadem enim actione, quia aliquid constitutur futurum in tempore, constituitur existens in aeternitate. Sicut ergò Deus non potest incipere in tempore velle aliquid, quod ab aeterno non vellet, nec potest aeternitas, qua divinus ejus amor mensuratur, insipere aliquid continere, quod ab aeterno non contineat, licet è contra sit de actione creativa quomodo autem stet creature aliquam existere phisice in aeternitate ab aeterno, quin in ea sit ab aeterno producta, dicimus infra.

30 Tertio fundatur nostra resolutio, & præcedentia fundamenta roborantur: Deus phisice coexistit omni durationi creatæ perfectissimo, ac invariabili modo: Ergo, ita ut totus coexistat toti temporis, & totius parti temporis, nemus entitative, & quantum est ex se, sed etiam connotative, & in exercitio: aliter coexistet solum phisice, sicut cœlum, & aliæ naturæ crea-

tæ in corruptibiles; namque cœlum entitative, & quantum est de se etiam coexistit totum toti temporis, & singulis partibus temporis, sed non perfectissimo, & invariabili modo, quia non simul eis coexistit connotative, & in exercitio. Tunc sic: sed Deus sic coexistit ratione aeternitatis, quæ est propria illius mensura secundum esse: aeternitas ergò sic etiam coexistit temporis, nempè tota toti temporis, & tota cuiuslibet parti temporis, nedum entitative, & quantum est de se, sed & connotative, & quantum ad exercitium, & consequenter ab aeterno. Patet consiq. namque si aeternitas tota solum quantum est ex se, & entitative coexistet toti temporis, & cuiuslibet parti temporis, secus verò defacto, & in exercitio, propter defectum ipsius temporis, jam Deus coexistens dumtaxat temporis ratione aeternitatis, sic & non aliter ei coexistet. Tunc iterum sic: sed aeternitas tota non potest ab aeterno sic coexistere toti temporis, & cuiuslibet parti temporis, quin ab aeterno totum tempus, & quamlibet partem temporis comprehendat: ergo. Prob. min. quia aeternitas non coexistit temporis, ut mensurata ab illo, sed ut illius mensura, & non quamlibet, sed superexcedens, & infinita.

31 Quod & urgentissime confirmatur, ex quo Deus non solum aeternus, verum, & sempiternus ab ecclesia proclamatur; & quidem sempiternus, idem est ac semper aeternus, præmisso ergo sufficere, ut Deus dicatur aeternus, quod phisice coexistat omni tempori entitative, & quantum est ex se; ut tamen dicatur sempiternus, seu semper aeternus, ultra est necesse ei coexistere connotative, & exercite: id est, ita existere in quolibet momento, ut simul etiam, & exercite sit in omnibus momentis præteritis, ac futuris, itaque existere hodie, ut simul existat heri, & cras; nec magis præsens sit ei hodie dies odiernus, quia aeternus, & crastinus hoc etiam plane sonat esse sempiternum; id est, esse semper, & pro quolibet momento presentem omni durationi. Quod cum hoc habeat ratione aeternitatis, que est illius propria mensura, hoc ipsum aeternitatem significare necessum est: nepe mensuram semper aeternam, quae videlicet tota toti temporis, cuiuslibet parti temporis, simul exercite, & ab aeterno coexistat.

32 Sed mirum est, Rev. Pat. Tyrsum hoc eodem fundamento uti, ut probet nihil esse phisice futurum, vel prateritum respectu Dei, & nihilominus neget futurorum phisicam præsentiam in aeternitate ab aeterno. Et ut manifeste convincatur ejus inconsequentia, ipsum sic in terminis propono: Deus mihi coexistens in hoc instanti. A. non est distans ab instanti, C. in-

quo Antichristus producendus est, sed omnino indistans, ac per consequens phisice praesens: ergo nihil est futurum respectu Dei. Prob. conf. quia si Deus coexistens in instanti A, & dum in illo existit per suam durationem infinitam possidet actualiter instans, C, in quo producendus est Antichristus: ergo dum est in A, non respicit, C, ut futurum, ac proinde nec Antichristum. Anteced. prob. nam Deus in hoc instanti A, habet totam suam aeternitatem, & ab illa tota denominatur: ergo nunc est sempiternus, at esse sempiternum est semper existere: ergo nunc convenit Deo semper existere: ergo existere in B, & in C, & in reliquis, sive praeteritis, sive futuris respectu nostri: ergo jam nunc Deus est intime praesens Antichricto, & durative indistans ab illo, at hoc ipso Antichristus non est futurus respectu Dei, & similiter Adamus non est praeteritus: ergo, &c. Ita Rev. iste Doctor tom. I. disp. 4. sect. 5.

33. Cum autem ceteri Societatis respondent, Deum habere totam aeternitatem, ab illaque denominari sempiternum; ceterum esse sempiternum, non esse idem, ac semper existere, seu existere in omni differentia temporis; sed esse idem, ac esse determinatum ad existendum in omni tempore, quod extiterit: tunc nimis quando extiterit, & non antea; ac proinde ex eo quod Deus sit sempiternus, solum posse deduci extitum est in omni tempore futuro, & extitum in omni tempore praeterito, atque existere in praesenti: non autem quod actu existat in tempore praeterito, vel futuro. Contra sic procedit: quia Deus nunc est sempiternus in actu secundo, & habet durationem equivalentem omni durationi creaturae: ergo habet durationem praestantem ei ea munera positiva, quae praestant nobis durationes successivae: ergo sicut duratio A, habet reddere rem actu existentem in instanti A, & duratio C, existentem in C, & sic de reliquis; ita duratio Dei habet reddere illum actu existente in instanti A, & in C, & reliquis realibus, vel imaginarijs. Quare ex eo quod Deus identificet secum durationem infinitam, sequitur nihil posse comparari, ut praeteritum, vel futurum respectu ipsius.

34. Hoc fundamentum Rev. P. Thysii, in quo plane concedit, & fundat acutissime quidquid, quo ad rem intendunt Doct. Thom. contra ceteros Societatis. Ne tamen ab eis discedat in modo loquendi, sect. 6. seq. negat, futura contingentia esse nunc, & semper Deo phisice praesentia in eternitate: namque Deus dicitur modo phisice praesens rebus respectu nostri futuris, quia modo habet formam, quae illum

reddit presentissimum omnibus temporis diffarentijs, nempe suam aeternitatem; Antichristus autem modo non habet formam, quae ipsum reddat phisice presentem Deo, nam illum esse sic presentem non est denominatio extrinseca, sicut esse cognitum, & similes, sed denominatio intrinseca defumpta ab existentia, & duratione, tamquam a forma; quam tamen Antichristus modo non habet. Unde creatura non prius est phisice praesens Deo, quam in se sit, licet Deus prius sit illi praesens phisicè, quam ipsa existat. Similiter creatura ex parte sua successive coexistunt Deo, sicut successive existunt; Deus vero non successive, sed simul coexistit eis.

35. Sed ex doctrina præcedente oppositum manifeste deduci, prob. i. namque quod Deus nunc in instanti A, coexistat Antichristo extitro in instanti C, procedit, ex quo Deus nunc in instanti A, habet totam suam aeternitatem, & ab illa tota denominatur, etiam quatenus in actu secundo, & exercite aequivalet omni durationi creaturae, seu omnem illam ambit, & continet. Si hoc ita est: ergo nunc in instanti A, coexistet phisice praesens Antichristo extitro in instanti C, quia instans C, in quo extitutus est Antichristus, nunc in instanti A est Deo phisice praesens in sua aeternitate; namque si in instanti A non est Deo phisice praesens in sua aeternitate: ergo quia aeternitas in instanti A, non continet, vel aequivalet instanti C, administrus exercite, & in actu secundo. Secundo namque propterea Antichristus non est Deo phisicè ab eterno coexistingens, antequā sit, quia ut ipsi dicunt, coexistētia est idē ac simul existētia, seu immuta duorum existētia; undē Antichristo nō existēt phisicè in se ab eterno, non potest ab eterno Deo phisice coexistere: ergo nec Deus ab eterno phisice coexistit Antichristo. Pareret cons. Namque Antichristo non existente ab eterno, non est Deus simul cum eo ab eterno existingens; ad existentiam enim predictam requiritur utriusque existentias, sicut ergo Antichristus ob effectum proprię existentia ab eterno non coexistit propter eundem defectum, nec Deus ei ab eterno coexistit; undē ab oposito, si Deus ab eterno coexistit Antichristo, Antichristus non potest non Deo ab eterno coexistere. Tertiò: namque Antichristus nunc in instanti A, non est Deo phisice futurus, ut ipse concludit: ergo phisicè praesens. Prob. conf. tamen quia futuritio, sicut & praeteritio non nisi per praesentiam dissolvitur, solū enim defuit aliquid esse futurum, vel praeteritum, cum praesimaliter adest. Hinc cum Antichristus in sua duratione existat, non erit respectu Dei futurus, vel praeteritus, quia erit praesens: tum quia dicitur

differentiae durationis, quae in ordine ad tempus explicatur, sunt præteritum, præsens, & futurum, quod ergo in duratione sua nec est præteritum, nec futurum, non potest non esse præsens; quod si non in propria mensura: ergo in eternitate.

36 Sed resp. num. 41. Antichristum esse phisicè præsentem Deo ab eterno, non per præsentiam sui ad Deum, sed per præsentiam Dei ad ipsum, & purè denominative ab illa. Sed contra est primo: nam ipse facetur, ut patet ex numero dictis, quod Antichristum esse phisicè Deo præsentem, non est, nec potest esse denominatio extrinseca, sicut esse cognitum, & similes, sed denominatio intrinseca desumpta ab existentia, & duratione, tanquam à forma, quam, quia Antichristus modo non habet, modo non est Deo ab eterno phisicè præsens: si ergo semel supponatur esse Deo ab eterno phisicè præsentem, debet ei esse phisicè ab eterno præsens non denominative extrinsece à præsentialitate Dei, sed intrinsece à propria existentia, & duratione. Præterquamquid, ut supra arguabamus, præsentialitas phisica Antichristo competens ab eterno ex præsentialitate phisica Dei nihil addit supra illius præsentialitatem objectivam, utpote ex parte ipsius nulla correspontet phisica præsentialitas.

37 Quartò fundatur nostra resolutio ab exemplis, simulque exempla adversariorum refutantur: primum quidem, & principale exemplum est immensitas, quæ quia mensura infinita est in ratione locandi, simul & indivisibiliter actu omnes differentias loci, quantumvis inter se distantes, comprehendit: pariter ergo eternitas, quæ mensura est infinita in ratione durationis, debet simul, & indivisibiliter actu continere omnes durationes, quamquam inter se invicem succedentes. Dices exemplum esse contra nos, utpote immensitas non continet actu loca nisi dum in propria mensura existunt: sicut ergo salvatur ejus infinitas, ex quo quantum est ex se potest omnia loca continere, licet ea actu non contineat ex defectu existentia loci, pariter, & salvabitur infinitas eternitatis, ex quo, quantum est ex se, potest omnia tempora continere, licet ea actu non contineat ex defectu temporis nondum existentis. Sed contra est: namque propterea immensitas non continet actu omnia loca, nisi cum in propria temporis mensura existunt, quia immensitas non est infinita in ratione durationis, sed solum in ratione locandi. Non enim ad infinitatem illius pertinet continere omnes differentias, quæ sunt extra illius lineam, sed intra illam, ut sunt sursum, deorsum, propinquum, & remotum; præteritum vero, præsens, & futurum sunt differentiae ex-

tra lineam immensitatis; sunt tamen intra linneam durationis, in qua eternitas mensura infinita est, unde licet ad immensitatem non attineat continere locum nondum in propria mensura temporis existentem, bene tamen ad eternitatem spectat, omnia tempora actu præsentialiter continere, quamquam invicem se succedant. Hinc paritas immensitatis stat in eo, quod sicut immensitas, quia infinita, est in ratione locandi, omnia loca simul, & indivisibiliter actu continent, quantumvis inter se distantia, pariter, quia eternitas infinita est in ratione durationis, omnia tempora, seu durationes actu simul, & indivisibiliter continent, quantumvis non simul, sed successive existant.

38 Potest etiam dici juxta Doct. Eminent. Aguirre in Opusc. 1. Sanct. Anselmi tract. 3. cap. 23. disp. 44. sect. 8. Deum vi immensitatis actu præsentem esse quibuslibet locis, & rebus, tam præteritis, quam presentibus, & futuris sub ratione ubicationis, sicut vi eternitatis actu præsens est quibuslibet locis, & rebus præteritis, presentibus, & futuris sub ratione durationis. Ita enim colligitur palam ex Anselmo in præsenti cap. 22. serè per totum: ubi eodem prorsus modo loquitur de eternitate in ordine ad omnia tempora, ac de immensitate in ordine ad omnia loca. Et post plura alia concludit: *Quare quoniam summam essentiam totam, & inevitabilior, nec necessitas exigit nulli loco, vel tempori deesse, & nulla ratio loci, aut temporis prohibet omnī loco, vel tempori simul totum ad esse, neesse est, eam simul tota simul omnibus, & singulis locis, & temporibus præsentem esse.* Consequentē putandum est Deum per suam subsistentiam, sive essentiam, esse in rebus, & locis futuris, sicut per suam potentiam, sive operationem. Nec mirum assignemus Deo triplicem illum modum existendi in rebus futuris per essentiam, præsentiam, & potentiam, sive operationem, cum tam res future, quam & illarum duratio, & locus, & actio, sive operatio Dei circa illarum incepctionem, conservationemque, jam sint actu præsentes in mensura superiori eternitatis, & immensitatis, ut præoccupante mensuram illorū propriam.

39 Nec oppositum docet Div. Thom. 1. p. q. 8. per totam, que est de immensitate Dei: ubi nec verbum habet circa præsentiam, vel non præsentiam Dei ad loca futura, sed solum ad ea, quæ actu existunt. Nec etiam adversatur doctrina ab eo ibidem traditæ de præsencia, seu existentia Dei in rebus, & locis ratione operationis. Nam exinde ad sumum inferri posse, videbatur Deum non coexistere actu, & in exercitio spatijs pure possibilibus, seu imaginarijs, que nunquam extitura sunt, sicut nec ratione eternitatis.

nitatis coexistit actu, & exerceat durationibus purè possibilibus, & imaginarijs defectu existentiaz illarum, nunquam in rerum natura ponenda. Ceterum non ideo negatur actualis extensio immensitatis ad loca futura, sicut nec aeternitatis ad futuras durationes, etenim illa ipsa operatione ratione cuius Deus dicitur à Thomistis existere in loco, ponenda est exerceat aliquando in rerum natura; ac proinde jam præoccupatur, & cotinetur in aeternitate. Quid ergo mirum, quod ratione illius operationis, prout jam existentis realiter in aeternitate, immensitas etiam actualem presentiam, & extensionem habeat ad loca futura, ut potè jam sibi, & aeternitati præsentia.

40 Hinc apponitur secundum exempli in corpore, quod si esset infinitum in ratione extensionis, omnibus corporibus quantumvis in se distantibus simul actu adesset, eisque indistincter actu coextenderetur: pariter ergo si aeternitas est infinita in ratione durationis, omnibus simul durationibus necessario debet actu coexistere, nec alicui deesse. Tertium exemplum est in anima rationali, quæ licet finita in essendo, & informando, absque ulla divisibilitate ex parte sui, omnibus partibus corporis, quantumvis divisibilibus, & inter se distantibus actu, & tota simul coexistit: cur ergo non poterit aeternitas infinita in ratione durationis sic in divisibilitate, & tota simul actu omnibus durationibus inter se distantibus coexistere? Quartum exemplum est supra relatum ex D. Thom. i. contra Gent. cap. 66. de centro, quod simul actu correspondet omnibus punctis circumferentia, quantumvis indivisibile in se.

41 Potissimum autem exemplum ponitur à Div. Thom. hic art. 13. ad 3. in eo, qui vadit per viam, qui quidem non videt illos, qui post cum veniunt; sed ille, qui ab aliqua altitudine totam viam intuetur, simul videt omnes transfeentes per viam; unde deducit, quod ea, quæ temporaliter in actu reducuntur, à nobis successivè cognoscuntur in tempore; sed à Deo in aeternitate, quæ est supra tempus. Unde nobis, quia cognoscimus futura contingentia, in quantum talia sunt, certa esse non possunt, sed soli Deo, cuius intelligere est in aeternitate supra temporis. Ubi D. Tho. aeternitatem comparat altitudini, scilicet aeterna specula, ex qua quis simul, & actu intuitetur omnes transfeentes per viam, quantumvis isti non simul, sed unus post alium transeat. Transfunt quidem successivè, unus post alium; non tamè unum post alium Deus videt, sed simul omnes. Decurrunt igitur tempore, unus quidem in hac duratione existit, alter nec pervenit; qui existit, postea transit; qui nondum existit, jam existit. Unus ergo post alium transit, nec omnes simul existunt; Dens tamè simul omnes

intuetur, quia eos videt in alta specula aeternitas. Quod si eos videt, sicut & qui videt in alta specula, utiq non purè obiectivè præsentes, sed phisicè, & propria illorum præstantialitate videt.

42 Retorquent tamen adversarij contra nos alia exempla, quibus videtur posse salvare infinitatem aeternitatis in ratione durationis, per hoc, quod quantum est ex se, & veluti in actu primo, possit sine mutatione aliqua intrinseca coexistere omni durationi creatæ, quamvis ex hujus existentiaz defectu, & actu, & simul non coexistat. Primum exemplum est in subsistentia Divini Verbi, quæ infinita est in ratione terminandi; ad hoc autem non est necesse actu, & simul omnes naturas creatas terminare; immò nec natura aliquam creata terminare: sic enim fuit infinita in ratione terminandi ante Incarnationem Verbi, sicut & post illius Incarnationem; sed fuit infinita, quia ex se, & quantum est ex vi sua terminativa, potuit omnem naturam creata terminare, licet solum defacto terminaverit, quam Deus statuit defacto terminare, nempe naturam humanam Christi Domini.

43 Secundum exemplum est in meritis Christi, quæ absolutè, & simpliciter in veriori schola sunt infiniti valoris, per hoc purè, quod quantū est ex vi illius potuerunt se extendere ad merendū gratiam omnibus hominibus, tam qui sunt, fuerunt, & erunt, quæ omnibus possibilibus, pro omnibusque omnium peccatis satisfaceret; licet non ita fuerint defacto extesa expasto Dei, scilicet divina dispositione: cur ergo non salvabitur infinitas divinæ aeternitatis in ratione durationis per hoc, quod quantum est ex se, & veluti in actu primo, se potuerit extendere, & coexistere omnibus durationibus creatis, licet defacto non sic coexistat ex defectu existentiaz illarum.

44 Sed ex terminis hęc exempla esse innutilia, & extra propositum constat. Ipsi enim factentur, quod divina subsistentia, quia infinita in ratione terminandi, potuit ex se simul omnes naturas creatas terminare, licet eas non sic terminaverit, quia sic Deus decrevit: ergo si exemplum est ad propositum, aeternitas ex se, quia infinita in ratione durationis, potest simul omnes durationes creatas continere, licet eas defacto non contineat, quia Deus sic eas continere non decrevit. Ponamus ergo casum, quod Deus decreverit aeternitatem defacto simul omnes durationes creatas continere, sicut & potuit decernere subsistentiam defacto simul omnes naturas creatas terminare. In hoc quidem casu currunt omnes difficultates, quibus adversarij occurserunt nostrae resolutioni. Tunc enim non omnes durationes creatae simul existerent; & tamè ei simul coexisteret aeternitas, ita ut licet succes-

ffrè una post aliam decurreret, omnes tamen simili aeternitati aderent. Si ergo hoc ita esset in praefato casu, cur impossibile videtur hoc ipsum in nostro casu? Ratio autem cum stat, subsistens divini Verbi esse infinitam in ratione terminandi, quin actu, & in exercito non omnes naturas creatas terminet? Eminent. Cardinalis Aguirre ait: ex eo provenire, quod divina subsistens est dumtaxat infinita in ratione terminandi, quia terminat divinam naturam, non creatam, licet eam possit terminare ex decreto libero Dei. Ratio vero formalis aeternitatis ex terminis importat possessionem totam simili interminabilis vita, ac proinde, & actuali extensionem ad omnes durationes, aliquando exituras absque successione ulla.

45 Sed videtur, contra hanc solutionem stare: quod sicut subsistens divini Verbi est infinita, ex quo dumtaxat terminat divinam naturam, pariter & aeternitas est infinita, ex quo dumtaxat est mensura durationis divinæ: sicut ergo salvatur infinitas divinæ subsistentiæ in ratione terminandi ex hoc præcissè, quod terminet naturam divinam, quamvis naturam creatam non terminaret, pariter posset salvare infinitas aeternitatis in ratione durationis per hoc præcissè, quod mensuraret aeternum esse Dei, quamvis actualiter non mensuraret creaturam aliquam. Et quidem Deus potuit nihil futurum decernere; quo in casu quis ambiget, aeternitatem suam retinere infinitatem, sicut & modo ergo infinitas aeternitatis non pèdet ex eo, quod actu contineat, & ambiat durationes creatas absolute loquendo: secùs tamè puto ex suppositione, quod Deus decreverit existentiam creaturarum, quia tunc istæ extitunt sunt necessario, & infallibiliter in tempore, de quibus proinde aliquando verificabitur, quod existunt in tempore, ac tandem, quod extiterint. His autem differentijs temporis suppositis, non possunt non omnes illæ actu contineri in mensura superiori aeternitatis, licet absolute potuerint non contineri: casu nempè, quo Deus nullum futurum decerneret; & in hoc absolute pariformatur exemplum de subsistens divini Verbi. Sicut enim supposito decreto Dei determinatione nature creatæ, non salvaretur ejus infinitas, si ea actu non terminaret; pariter supposito divino decreto de duratione alicujus creaturæ, non salvabitur infinitas divinæ aeternitatis, si eam actu non contineret secundum omnes illius durationes. Est tamè differentia, quod terminatio illa consequitur actionem assumptivam ad extra, quæ proinde solum potest Deo, seu divino Verbo in tempore convenire, ut à simili diximus iuxta D. Thom. de denominatione Creatoris, &

Domini. Continentia autem aeternitatis consistit actionem immanentem divine scientiæ, divinique amoris, quæ propterea ei potest ab eterno convenire: ut patet ex Div. Thom. loco supra allegato in secundo fundamento.

46 Secundum exemplum ex valore satisfactionis, & meritorum Christi patet etiam non esse ad propositum; namque licet valor illorum sit simpliciter infinitus, in sui tamen extensione pendet ex libera acceptatione Dei, & applicatione Christi; immò ex cooperatione hominum adulorum. Aeternitas tamè extenditur ad omnem duratiōmem fine aliqua ex his conditionibus, & solum pendet ex libero Dei decreto, quo statuat aliqua extituta in tempore. Hoc enim ipso respectu illorum est mensura superior, excedens, & infinita; quæ proinde non potest non simul tota, & indivisibiliter ad omnes temporis differentias se extendere.

47 Aliud exemplum ponit ab adversarijs de Ponte, seu Arbore ad ripam fluvij plantata; dicunt enim aeternitatem se habere ad instar illius; namque sicut arbor fixa, & immobilis in se successivè coexistit undis præterlabentibus, non tamen simul omnibus: pariter & aeternitas in se fixa, & immobilis, seu sine successione aliqua ex parte sui coexistit omnibus rebus, sed non simul, sed dum successivè decurrent in tempore. Quod idem exemplum ponit in ulna, quæ fixa in se, & absque aliqua sui intrinseca variatione mensurat totum pannum, sed non simul: id est, unica mensuratione, sed replicata, & multiplicata. Ac tandem ponunt exemplum in Cœlo, qui idem entitativè, & quantum est de se coexistit totum toti temporis, & singularis partibus temporis, sed non simul, sed successivè, cum scilicet tempus adest, & de praesenti existit.

48 Omnia huiusmodi exempla apta non esse comparari aeternitati, est per se notum ex dis-  
tis: ut potest aeternitas nedum entitativè, verum & mensurativè est infinita, & perfecta possessio, arbor autem fixa ad ripam fluvij in tangendo unidas præterlabentes, & eis coexistendo finita est. Si autem daretur arbor infinita in tangendo unicō contactu, & non successivè omnes undas fluvij à principio usque ad finem tangeret. Pariter ulna fixa in se mensurat totum pannum non simul, sed replicata mensurazione, quia mensura imperfecta est, ex hoc enim habet; quod unica mensurazione non possit exhaustire totam quantitatem panni: ergo è contra, quia aeternitas mensura perfecta, & infinita est unica mensuratio; id est, simul, & indivisibiliter absque aliqua successione, omnes debet mensurare differentias temporis, & eis coexistere.

49 De Cœlo autem, quis dubiter, non esse infinitum in genere durationis? Quid ergo mirum, solum coexistere omnibus differentijs temporis, dum in se ipsis existunt. Immò exemplum retorquet Eminentissimus Aguirre contra adversarios sic: sequitur enim ex eorum doctrina, quod Cœlum maximè Empyreum sit infinitum in genere durationis; namque Cœlum fuit prima omnium creaturarum coexistens omnibus alijs durationibus, quotquot erunt per totam æternitatem, quamquam non simultanea, & exercita coexistentia ob defectum illarum, non sempè existentium, sed successione quadam se habenti ex parte ipsis: igitur si hoc præcissè sufficit, ut æternitas in genere durationis sit actu infinita, sufficiet, & ut Cœlum habeat in actu infinitam durationem.

50 Nèc valet recurrere ad tempus imaginariū antecedens creationem Cœli, quod non coexistet, etiam quantum est ex se, utpote nihil. Aliter verò æternitas, quæ sempè fuit, & nunquam incepit esse: non inquam valet, namque si Cœlum, quia nihil ante sui creationem non potuit, quantum est ex se, coexistere temporis imaginario; quia etiam tempus imaginariū nihil re vera est; nec ei potuit æternitas coexistere, quantum est ex se: cum enim coexistere sit mutuò existere, non minus requirit realitatem ex parte coexistentis, quam ex parte illius cui coexistit. Præterea supponamus, Deum creasse Cœlum ab æterno; porisque enim illum ab æterno creare, sicut & mundum, quantum ad res permanentes, sententia est probabilis, quam tenent etiam Suarez in metaphysica disp. 20. sect. 6. Vazquez 1. parte disp. 177. cap. 11. Arriaga in physica disp. 17. sect. 2. à num. 15. in hac suppositione nulla est disparitas assignata: namque tunc Cœlum semper fuit, nec incepit esse, quod sic ab æterno creatum coexisteret, quantum est ex se omnibus durationibus creatis, licet non simultaneè, sed successivè, & etiam ipsis temporis imaginario defactò antecedenti ipsam creationem Cœli. Cum ergo adhuc in prædicta suppositione Cœlum non esset infinitum in genere durationis, dicendum est, æternitatem non sufficienter constitui infinitam in genere durationis ex eo præcissè, quod quantum est ex se possit omnibus durationibus creatis coexistere, sed quia eis defactò simul, & indivisibiliter coexistit.

51 Quinto fundatur nostra resolutio ex invariabilitate divinæ scientiæ: namque Scientia Dei est summè invariabilis, sicut & ipse Deus summe invariabilis est; at hæc summa divinæ scientiæ invariabilitas subsistere nequit, quia futura, de quibus loquimur, Deo, seu divinæ cognitioni ab æterno coexistant phisice in eterni-

tate: ergo. Prob. min. quia si futura Deo, seu divinæ cognitioni ab æterno non coexistant phisice in æternitate, eo ipso aliquid temporale accidit scientiæ divinæ: ergo eo ipso non est summa, & invariabilis veritatis. Conseq. pat. anteced. autem probat. namque eo ipso futura ab æterno Deus cognoscit, ut futura, nempè secundum præscientiam; deinde ea in tempore cognosceret, ut præsentia: videlicet Scientia visionis: ergo aliquid temporale accideret divinæ scientiæ, nempè in tempore ei accideret, quod esset Scientia visionis, quod esse absurdissimum, atque falsissimum testatur Div. August. lib. 2. question. ad Simplicianum, his verbis discurrens: *Si autem sicut in ordine temporalium creaturarum, ita & apud Deum nondum sunt, que futura sunt; sed ea prævenit sciendo: bis ergo ea sentit: uno modo secundum futurorum præscientiam: alio verò modo secundum præscientium scientiam: aliquid ergo temporaliter accidit scientiæ Dei, quod absurdissimum, atque falsissimum est.*

52 Hinc impugnatur etiam solutio adversariorum, qui non reputant inconveniens, scientiam Dei variari de abstractiva in intuitivam, seu de præscientia in scientiam visionis, quia hæc variatio non est intrinseca, sed extrinseca, & pure ex parte creaturarum, admodum quo tota mutatione se tenete ex parte creaturarum, Deus transit de non creatore in creatore, sicut de non Domino increaturarum Dominum. Sed quid? Vel juxta Augustinum illa variatio est intrinseca, vel solum extrinseca? si intrinseca? Ergo contrà Augustinum est dicere, prædictam variationem esse purè extrinsecam. Si extrinseca? Ergo nèc hæc admittenda est in divina scientia juxta Augustinum. Nec exemplum est ad propositum, aliter etiam posset Deus eadem scientia aliquid incipere velle in tempore, sicut & incipere aliquid scire in tempore; quod dicendum non est, de quo supra fundamento secundo, ubi disparitatem assignamus.

53 Hoc idem fundat Eminentissimus Aguirre, ex quo si futura respectu æternitatis non essent realiter existentia, sed extitura tantu, posset Deus proferre propositionem aliquam, quæ transiret de vera in falsam, quod planè est absurdum; quia sicut Deus est summè verax, & æternus, sic ejus propositiones debent esse summe, & æternæ veritatis. Sequelam probat; nam si respectu æternitatis dies judicij: v.g. nondum existit realiter, sed extitus est, poterit proferre Deus hanc propositionem: *Dies judicij nondum existit, sed existet postea*, quæ sanè vera erit de præsenti; at eadem postea redderetur falsa, cum jam existat judicij dies, & similiter postquam exti-

terit; igitur Deus poterit proferre aliquam propositionem, quæ de cursu temporis transeat ex vera in falsam.

54 Sed sanè mihi videtur assumptum non probari: namque propositio à Deo prolata ab ēterno in sententia contraria est ista: *Dies iudicij non dum existit, sed existet postea;* hoc autem non falsificatur, immò & verificatur per suam de inesse, cum scilicet de cursu temporis est verum dicere, nūc existit dies iudicij: quod & apud nos hoc ipsum comprobatur, me enim dicente, *Petrus non currit, sed currat,* non falsificatur prædicta propositio, ex quo de cursu temporis Petrus currat; quinimmò necessarium est, ut verificetur, quod aliquando sit verum, *Petrus currit.* Verum quidem est, quod me dicente, *Petrus non currit,* falsificatur, si Petrus currat; attamen me dicente; *Petrus non currit,* non falsificatur, si postea currat. Deus ergò ab ēterno in sententia contraria affirmat, taliter diem iudicij tunc non existere, quod simul affirmat, postea exiturum esse: ergò ex quo de cursu temporis dies iudicij existat, tam longè abest primam propositionem transire de vera in falsam, quod potius expectet suam de inesse, ut absolutè verificetur. Hinc D. Thom. hic artic. 15. ad 2. Sic habet: *Ex hoc tamen, quod Deus scit, quod aliqua possunt esse, quæ non sunt, non sequitur, quod scientia sua sit variabilis, sed quod cognoscat rerum variabilitatem.* Pariter ergò, ex quo Deus sciat diem iudicij non existere, sed exiturum esse, non sequitur, quod scientia sua sit variabilis, sed quod cognoscat diei iudicij variabilitatem; nempe transiturum de non existente ad existentem.

55 Et quidem hoc esse verum de propositione, seu veritate, aliqua à Deo inspirata creaturæ, sive mediata, sive immediata, fatur iste Author: quando quidem Scriptura plena est ejusmodi propositionibus à Deo prolatis per ora Prophetarum, & à Christo Domino immediata circa plurima futura, & iudicij diem, tanquam aliquando venturam, & nondum existentem. Ille etiam voces *fuit*, & *erit*, non solum proferuntur passim à Christo, & Prophetis, sed etiam à Deo immediate, ut patet ex stylo Scripturæ, in qua sèpè habetur: *Hec dicit Dominus;* si hoc ita est: ergò pariter erit verum de propositionibus à Deo immediatae sibi, vel apud ipsum prolatis, quia Deus id ipsum, quod sibi loquitur, vel apud se profert, profert, & loquitur creaturis, nec aliter sentire apud se, quam profert ad extra, dicendum est. Ratioque desummitur ex verbis D. Thom. relatis: namque omnia, quæ loquitur creaturis, procedunt, ex quo ipse ab ēterno cognoscit

rerum variabilitatem; sed apud se, & sibi loquens cognoscit etiam rerum variabilitatem: ergò apud se, & sibi loquens potest proferre propositionem de futuro: quod nempe dies iudicij non existit, sed exiturum esse. Nec indè sequitur, aliquid esse futurum respectu Dei; namque licet respectu Dei nihil sit futurum, Deus tamè cognoscit illudmet, quod sibi ab ēterno præsens est phisicè in aeternitate, esse nobis futurum in tempore; quod ita esse, verissimum est, & consequenter à Deo revelabile. Immò sibimet ipsi potest Deus loqui, & affirmare id, quod sibi ab ēterno præsens est, esse nobis futurum in tempore: non ergò sequitur ex nostra impugnatione, aliquid esse futurum respectu Dei, sed sufficit esse futurum nobis, ut à Deo proferatur, tanquam futurum, tam secum loquens, quam nobiscum!

56 Tandem nostra resolutio fundatur, ex quo sine tali coexistentia futurorum in aeternitate non salvatur scientiam Dei erga futura esse ab ēterno intuitivam, seu scientiam visionis. Et quidem supponendum est, juxta decreta Patrum adscribendam esse Deo absolutè visionem eorum, quæ futura sunt, ut patet ex locis supra relativis; hoc quidem apparet ex stylo Sacrae Scripturæ, namque Ecclesiastici 39. habetur: *Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis ejus, à seculo, usque in seculum respicit, & nihil est mirabile in conceptu ejus.* Et secundum aliam traslationem dicitur: *Nihil est novum, aut futurum in oculis ejus.* Et ex illo Job 14. *Numerus mensium ejus apud te est.* Quæ verba explicans Div. Gregorius lib. 12. moralium cap. 1. ait: *Quia vero apud Omnipotentem Deum, etiam labentia stant, apud Deum esse numerum nostrorum mensium perhibet.* Et idem dicit Glossa Ordinaria.

57 Deinde supponenda est distinctio inter notitiam intuitivam, & abstractivam. Illa enim dicitur, quæ terminatur ad objectum existens, seu phisicè præsens; hæc vero, quæ abstractit ab existentia, & præsentia objecti. Unde illa consuevit definiri: quod est notitia rei præsentis; hæc vero, quod est notitia rei absentis, & planè constat, sermonem procedere de phisica præsentia, vel absentia: namque præsentia objectiva, seu inesse cogniti utriusque notitiae communis est. Et licet controversia aliqua sit: an sufficiat ad notitiam intuitivam existentia, seu præsentia phisica objecti in eadem duratione, vel ultra sit, necesse cognosci, ut sic existens, vel præsens, quarum prima dicitur coexistentia in esse entis, seu materialis, alia vero formalis, seu in esse cogniti per modum existentis, vel

præsentis. Et pariter aliqui dicant notitiam intuitivam esse solam extrinsecam denominacionem ab existentia, vel præsentia objecti deluptam: tamè apud omnes methaphysicos compertum est notitiam intuitivam ut tales petere existentiam, seu præsentiam phisicam sui objecti, id est, coexistentiam objecti cum ipsa notitia in eadem duratione. Hinc D. Thom. q. 3. de verit. art. 3. ad 8. ait: *Visio addit supra simplicem cognitionem aliquid extra genus notitiae, quod est existentia rei.* Undè licet colligatur divisionem notitiae in intuitivam, & abstractivam esse accidentalem, inferritur tamen, notitiam intuitivam non esse dum objectum illius non cum ea coexistit, seu simul existit. Proptereaque D. Thom. cap. 2. de veritate, art. 2. ad 9. comparat scientiam visionis divinæ visui corporali, qui res extra positas intuetur; undè per scientiam visionis Deus scire non dicitur, nisi quæ sunt extra ipsum, id est, quæ existunt extra ipsum, & nedum, quæ sunt in ipso, admodum, quo futura sunt in suis causis.

58 Ex quibus tandem fundatur nostra resolutio ratione sic: Deus ab æterno scientia intuitiva, seu visionis, cognoscit futura contingentia: ergo futura contingentia ei ab æterno phisice coexistunt, seu simul cum divina cognitione phisice existunt; sed non in propria mensura temporis, ut est fide certum: ergo in æternitate. Huic fundamento non videtur, quid posset responderi, nisi negando, scientiam Dei ab æterno erga futura esse scientiam intuitivam, sed solum dum futura phisice in propria mensura existunt: vel negando, de ratione scientiæ intuitivæ, seu visionis esse coexistentiam phisicam objecti cum illa in eadem duratione: vel dicendo, futura phisice ab æterno coexistere divinæ scientiæ, non propria præsentialitate, sed denominativè extrinsecè à præsentialitate Dei, suæque divinæ scientiæ. Hoc ictum præter dicta impugnatur, ex quo non distinguit scientiam intuitivam ab abstractivâ: namque non est major ratio, cur futura denominentur phisice præsentia à præsentialitate Dei ab æterno ea attingente, quam possibilia? hæc enim etiam ab æterno cognoscuntur à Deo præsente phisice in æternitate, & ubi est eadem forma, debet esse eadem denominatio: qua ratione supra diximus, illam præsentialitatem extrinsecam nihil addere ex parte fututorum præter præsentialitatem objectivam.

59 Primum autem, & secundum procedit contra principia supposita. Et quidem si antequam futura phisice in propria mensura existant, scientia Dei erga ipsa intuitiva non est: ergo erit abstractiva, sicut & cognitio possibilium. Immò est, scientiam Dei variari de abstra-

ctiva in intuitivam, seu de præsentia in scientiam visionis contra Sanctos PP. Ac tandem si de ratione notitiae intuitivæ non est coexistentia objecti cum ipsa in eadem duratione, jam non implicabit notitia intuitiva rei absens etiam de potentia ordinaria, quod nullus dixit, quidquid sit de potentia absoluta, quo in sensu convertitur in methaphysica, & dialectica. Dicere autem, ut ibi argumentatur, quod ad notitiam intuitivam sufficit, quod in actu primo, & quantum ex se est, petat terminari ad objectum existens, est rem in exercitio, seu in actu secundo essentialiter consistentem, constituere per exigentiam alicujus predicati: quo & posset probari, actionem posse salvare per exigentiam egressionis, sicut & existentiam sine exercitio terminandi ultimo naturam, cuius est existentia. Dicere, ut ibi etiam argumentatur, salvare notitiam intuitivam per hoc, quod sit clara, & distincta notitia objecti, est notitiam intuitivam ab abstractiva non distinguere, siquidem Deus etiam clarissime, & distinctissime possibilia cognoscit, & non per scientiam visionis, sed simplicis intelligentiæ. Si autem dicatur, quod notitia intuitiva est illa, quæ habetur per propriam, & non alterius speciem, contra stat, nostras notitias erga objecta naturaliter cognoscibilia elicere per proprias illorum species, & non semper esse intuitivas, sed sèpè abstractivas,

60 Solum posset theologicæ in oppositum ponи, quod cognitio prophætica secundum D. Thom. quæst. 12. de verit. art. 6. est quædam participatio divinæ cognitionis, qua Deus cognoscit futura: ergo si cognitio, qua Deus cognoscit futura, est intuitiva, etiam, qua prophæta cognoscunt futura, erit intuitiva; sicut quia charitas creata participatio est divinæ charitatis, est amicitia, sicut divina charitas amicitia est; at cognitio prophætica non terminatur ad futura, ut sibi phisice coexistentia, nec in æternitate, ut poterit creata, nec in tempore, in quo sunt futura nondum existentia: ergo.

61 Sed ad hoc patet ex doctrina communis: quod participare, est partem capere, & partem relinquere, id est, capere divinam perfectionem, quantum ad conceptum formalem, non tamen quoadmodum, quo est in Deo, sicut charitas creata participat conceptum formalem charitatis, relinquit tamen modum infinitum, quo est in Deo; pariterque visio beata participat conceptum formalem divinæ visionis: ut poterit terminatur ad Deum, prout est in se, secus verò modum, quo est in Deo; namque in Deo est comprehensiva, sicut & infinita. Ac tandem fides, quæ est participatio divinæ cognitionis, non participat illius claritatem, & eviden-

dentiam, sed tantummodo certitudinem, quæ ad ejus formalem conceptum pertinet. Sic ergo cognitio prophetica est participatio divinæ cognitionis, qua Deus cognoscit futura, utpote objectum est idem, relinquit tamen modum, quo est in Deo, nempè modum intuitionis. seu visionis; quia cognitio divina erga futura mensuratur eternitate, quæ ambit omne tempus; scilicet verò cognitio prophetica.

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

62

**O**biciunt adversarij 1. aliqua testimonia D. Thom. in quibus videtur solum futuris consignare ab æterno præsentiam objectivam: præcipuum tamen est ex 1.2.q.91.art.1.ad 1. ubi inquiritur: Utrum sit aliqua lex æterna? Et ponit primum argumentum sic: Omnis enim lex aliquibus imponitur; sed non fuit ab æterno, cui aliqua lex posset imponi, solum enim Deus fuit ab æterno: ergo nulla lex est æterna. Cui sic resp. Dicendum, quod ea, quæ se ipsis non sunt, apud Deum existunt, in quantum sunt ab ipso cognita, & per ordinata secundum illud ad Rom. 4. Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt. Sic igitur æternus divina legis conceptus habet rationem legis æternæ, secundum quod à Deo ordinatur ad gubernationem rerum ab ipso præcognitarum. Ubi solum tribuit futuris ab æterno præsentiam objectivam, nempè in quantum à Deo ab æterno cognita, & præordinata sunt.

63 Sed resp. hoc testimonium esse negati-vum, licet enim in eo D. Thom. solum adstruat præsentiam objectivam eorum, quæ in se ipsis non sunt, id est, in tempore; non tamen excludit præsentiam phisicam eorundem in æternitate; non enim ait, quod res, quæ in se ipsis non sunt, apud Deum existunt, dumtaxat in quantum ab ipso sunt cognita, & præordinata; sed ab hac præsentia phisica præscindit, quia ad propositum necessaria non erat, nempè ut salvetur in Deo lex æterna in actu primo, & ex parte Dei; licet non in actu secundo, & ex parte creature audientis. Quo in sensu procedebat articulus, ut patet ex solutione ad 2. quod erat hujusmodi: promulgatio est de ratione legis; sed promulgatio non potest esse ab æterno, quia non erat ab æterno, cui promulgaretur: ergo nulla lex potest esse æterna. Et responderet: *Quod promulgatio fit & verbo, & scripto, & utroque modo lex æterna habet promulgationem ex parte Dei promulgantis, quia & Verbum Divinum est æternum, & Scriptura libri vite est æterna. Sed ex parte creature audientis, aut insipientis non*

*non potest esse promulgatio æterna.* Distingue ergo legem, & exercitum legis, nimis secundum quod exercite obligat subditos: primo modo non requirit subditos in se ipsis existentes, sed sufficit, quod sint à Deo cogniti, & ordinati. Benè tamen secundo modo, quia exercita obligatio connotat existentiam eorum, quæ obedire tenentur: quod & videre est adhuc in legibus humanis, quæ licet quoad exercitum obligandi non se extendant ad futuros, acutu tamen nequid sunt impositæ nobis existentibus, sed & futuris non existentibus. Et per hunc modum respondendum est talis testimonijs Div. Thom. dum videtur, affirmare futura contingentia, non aliam præsentiam ab æterno habere præter objectivam. Non enim assignabile est testimonium, in quo positive excludat phisicam illorum præsentiam ab æterno in æternitate, sed ad summum ab illa præscindit, quia ad intentum necessaria non est. Ubi tamen necessaria est, ut in nostro casu; nempè, ut divina cognitio futurorum ab æterno intuitiva, & visionis sit, semper ad eternitatem recurrit, ut patet ex locis præallegatis.

64 Secundo objiciunt ex Sancto August. serm. 11. de verbis Apost. ubi ait: *Habet Deus electos apud se ipsum, non in natura sua, sed in præscientia sua:* ergo licet ab æterno sint Deo præsentes objectivæ, nempè quoad ipsorum claram prænitionem, secus tamē phisicæ, & quoad suam naturam. Resp. quod licet electi sint apud Deum phisicæ ab æterno, sed non in natura sua; id est, justa suam naturam; sed sic solum sunt in tempore, quod est propria, & naturalis ipsorum mensura; in eternitate vero existunt phisicæ, ut in mensura aliena, & superexcedente. Vocatur vero ab August. præscientia respectivæ ad nos, quatenus licet futura phisicæ in æternitate ab æterno coexistant, sunt tamen futura respectu nostri. Hoc eodem modo debet interpretari alter locus August. lib. 4. de Genesi ad litteram cap. 18. ubi sic habet: *Res, antequam fuerint, erant, & non erant; erant in Dei scientia, non erant in sua natura.* Respondet. tamen, quod hic licet affirmet præsentiam objectivam futurorum in Dei scientia, non tamen excludit phisicam; sed solum excludit hanc existentiam non esse secundum illorum naturam, quod verum est.

65 Tertiò objiciunt à ratione: nihil ab æterno coexistit alteri, nisi ab æterno existat; at nulla creatura existit ab æterno phisicæ; nam ut optimè D. Tho. infra quæst. 6. art. 2. *Solus Deus est ab æterno;* hoc enim fides catholica indubitanter tenet, & omne contrarium est, sicut hereticum refutandum: ergo nulla creatura coexistit phisicæ Deo ab æterno. Maj. confit. sicut enim coexistentia involvit existentiam, ita co-

xistentia phisica ab æterno involvit existentiam phisicam ab æterno. Sed resp. nolit. Goner, quod ut verificaretur futura ab æterno phisice existere, oportet ea existere in æternitate adequate sumpta; non tamen sufficere existere in ea inadæquatè sumpta; nempè secundum aliquam tantum ejus virtualitatem. Sed contra est; namquè nos non solum dicimus futura existere phisice in æternitate, sed in ea existere phisice ab æterno, quamvis non adæquatè sumpta, sed inadæquatè, ut potè virtualitas illa correspondens propriæ illorum durationi ætu est in æternitate ab æterno; ut potè ab æterno omnem ambit durationem.

66 Melius ergò dicitur, nos non asserere futura ab æterno phisice existere absolute, & simpliciter, cuius contrarium est de fide: namquè sic non existunt, nisi in propria, & naturali mensura, quam ex natura, vel essentia sua exigunt. Dicimus autem existere ab æterno in æternitate, tanquam in mensura aliena, & superexcedente, qua ambit omne tempus, omnesque creatas durationes, quod non est contra fidem, sed juxta Sanctos PP. Concedimus ergò, quod sicut coexistentia phisica involvit existentiam ita coexistentia phisica ab æterno involvit existentiam phisicam ab æterno, sed non talem absolute, & simpliciter, sed cum addito in æternitate.

67 Sed contrà replicant adversarij, quia vel creatura existens ab æterno, in æternitate, ut in mensura aliena habet conceptum verum, & proprium existentis ab æterno, vel destruitur iste conceptus per additum illud, ut in mensura aliena. Si primum? Habent intentum. Si secundum? Sicut de homine albo potest absolute, & sine addito dici esse hominem, quia hoc non tollitur per album; ita similiter poterit absolute, & sine addito dici creaturas existere ab æterno, quod per fidem non licet juxta Div. Thom. Sed resp. quod cum absolute, & simpliciter existere, si existere juxta naturam creature, quæ est existentia in propria mensura temporis, per additum illud, in æternitate, seu in mensura aliena destruitur non conceptus verus, & proprius existentis ab æterno, sed conceptus proprius, & verus existentis ab æterno absolute, & simpliciter. Nec est simile de homine albo, siquidem homo secundum suam naturam, & essentiam, nec petit esse album, vel non album; & sic, quod homo albus sit, non tollit esse absolute, & simpliciter hominem: immò supponit, sicut omne accidens supponit subjectum absolute existens, & simpliciter constitutum: apponoque exemplum, in quo prædictum dilema manifestè instatur: namque juxta communiorum Metha-

phisicorum doctrinam, species impressa hominis, sicut & illius quidditativus conceptus, est verè, & propriè homo, sicut & ejusdem quidditatis cum homine existente à parte rei, quod millies repetit Div. Thom. & tamen homo in specie, vel in conceptu non est absolute, & simpliciter homo, quia nempe solum à parte rei haber existentiam juxta propriam ipsius natum, scilicet non intentionalem, sed phisicam, & realem: non ergò ex quo in æternitate habeat creatura proprium, & formalem conceptum existentis ab æterno, liquet inferre habere proprium, & formalem conceptum existentis ab æterno absolute, & simpliciter, ut potè hic attenditur, non penè quamlibet existentiam veram, & propriam sed penè exactam à natura creature, quæ in nostro casu non est existentia in æternitate, ut potè mensura aliena inadæquata, & superexcedens, sed in tempore.

68 Quarto objiciunt: si ob aliquam rationem creature existerent ab æterno in æternitate Dei certè, quia coexistunt toti æternitati Dei, de cuius essentiali ratione est existere ab æterno; sed hæc ratio nulla est: ergò nulla ratione existunt ab æterno. Prob. min. de ratione æternitatis divine est nulli tempori de esse, ut fatentur Thomistæ; & tamen creature, quamvis coexistant toti æternitati intrinsecæ Dei, plurimis tamen temporibus desunt: ergò licet de ratione æternitatis divine sit existere ab æterno, creatureque coexistant toti æternitati Dei, non inde bene inferitur existere ab æterno.

69 Resp. disting. maj. quia coexistunt toti æternitati Dei adæquatè sumptæ, nego; inadæquatè, id est, secundum virtualitatem dum taxat correspondentem propriæ illarum durationi, conc. & nego min. Ad prob. disting. cifdem terminis: de ratione æternitatis divine est nulli tempori deesse secundum omnem ejus virtualitatem, conc. secundum aliquam determinatam, nego. Licet enim secundum omnem ejus virtualitatem nec debet tempori præterito, nec præsenti, nec futuro; secundum tamen virtualitatem correspondentem tempori præterito, deest tempori præsenti, & secundum virtualitatem correspondentem tempori præsenti, deest tempori futuro. Nec enim secundum quamlibet harum virtualitatem adest omni tempori. Concedimus ergò, quod quamvis creature coexistant toti æternitati intrinsecæ Dei, plurimis tamen temporibus desunt, quia non coexistunt toti æternitati, ut ambienti omnia tempora; nego tamen, inde non inferri existere ab æterno in æternitate, quia ad hoc sufficit, in ea ab æterno existere secundum virtualitatem propriæ illius du-

durationi coextensam; namque hæc etiam virtualitas ei ab æterno competit: utpote ab æterno tota simul, id est, secundum omnes virtualitates.

70 Quinto objiciunt: sicut æternitas divina est essentialiter ab æterno existens, & non incipiens, ita duratio hodierna est essentialiter incipiens; deinde sicut creatura coexistit æternitati Dei, tāquam durationi alienæ excedenti, ita Deus coexistit durationi hodiernæ, tanquam durationi diminutæ Dei, sed Deus coexistens huic durationi diminutæ non habet duplē rationem aliam incipientis in duratione diminuta aliena, aliam existentis ab æterno in duratione propria: ergo creatura coexistens æternitati Dei non habebit duplē rationem, aliam existentis ab æterno in duratione aliena, & aliā incipientis in duratione propria. Conseq. videatur certa, majorque conitat ex ipsa propositione termini. minor non negab. à Thomist. nam alioquin non magis propriæ creature coexistent Deo phisice ab æterno, quam Deus incipiat esse hodie.

71 Resp. conced. maj. pro 1. parte, neg. tamen pro 2. nempè, quod sicut creatura coexistit æternitati Dei, tanquam durationi alienæ excedenti, ita Deus coexistit durationi hodiernæ, tanquam durationi diminutæ Dei: namque creatura coexistit æternitati Dei, tanquam durationi alienæ excedenti per modum mensuræ ipsius creaturæ; Deus tamen non coexistit durationi hodiernæ, tanquam durationi diminutæ per modum mensuræ ipsius Dei. Repugnat nāque, Deo mensurari duratione diminuta, utpote infinitas in duratione propria; non tamen repugnat creaturæ mensurari duratione infinita, & superexcedenti, utpote hæc non potest non continere propriam, & diminutam illius durationem. Cum ergo incipere, ab æterno existere pensetur penes mensuram durationis uniuscujuslibet; propterea Deus non habet duplē rationem, aliam incipientis in duratione diminuta aliena, & aliam existentis ab æterno in duratione propria. Nego tamen, quod creatura coexistens æternitati Dei, non habeat duplē rationem: aliam existentis ab æterno in duratione aliena, & aliam incipientis in duratione propria: quippè Deo præcisè competit mensurari æternitate; creaturæ verò mensurari, & propria limitata duratione, & duratione infinita, & superexcedenti. Hinc cum dicitur, Deum coexistere durationi hodiernæ, intelligitur de duratione hodierna, quatenus contenta in mensura propria ipsius Dei; cùm verò dicitur, creaturam coexistere æternitati Dei, intelligitur quatenus mensura continens propriam illius durationem, & sic non est simile.

72 Sexto objiciens: quia juxta communem usum, existere ab æterno, si propriè summatur, vocibusque pro tuo libito non abutaris, excludit inceptionem; ideòque Thomistæ nollunt, creature existere ab æterno in propria sua duratione; quia prout existunt ab æterno, non incipiunt; & prout existentes in sua propria duratione, incipiunt: ergo existere ab æterno, est existere, non deficiendo pro anterioribus, & anterioribus durationibus in infinitum; at creature incipientes hodiè deficiunt anterioribus durationibus: ergo propriè loquendo, competere nequit ipsis existere ab æterno.

73 Hoc argumentum nihil addit difficultatis suprà relata: quod existere ab æterno, etiā proprie sumptum, excludit inceptionem, si existat ab æterno in propria, & connaturali mensura, namque eo ipso existit ab æterno absolute, & simpliciter; quare Deus sic existens ab æterno, nullam habet, nec potest habere inceptionem. Secūs tamen, si existat ab æterno in mensura aliena, & superexcedenti, sicut enim hoc non excludit existere in propria mensura, penes quā dumtaxat attendit existere absolute, & simpliciter; nec excludit absolute, & simpliciter incipere, & consequenter deficiendo anterioribus durationibus. Immò, licet in æternitate ab æterno existat, sed non secundum anteriores durationes, id est, secundum virtualitates eis correspondentes, sed secundum illam purè, quæ propriæ durationi correspondet, ut sèpius dicunt est.

74 Septimò objiciunt: creature, prout in propria duratione nullo modo existunt ab æterno: ergo creature secundum se nullo modo existunt ab æterno, anteced. conced. à Thomistis, quia creature prout existentes ab æterno non incipiunt, & prout impropria duratione incipiunt. Cons. prob. non minus æternitas infinita Dei simul ex parte sua complectitur omnes durationes futuras, quam omnes creature in suis durationibus existentes; nam alioquin jam aliquid esset futurum in tempore, & non phisice præsens apud Deum ab æterno, quod negant Thomistæ; at quia simul ex parte sua complectitur æternitas creature futuras; ideò dicunt Thomistæ existere illas ab æterno in æternitate: ergo etiā propriæ durationes futuræ creaturearum existent ab æterno in æternitate: cùm igitur res, prout in propria duratione, nihil aliud importet, quam se ipsam, & propriam suā durationem, plane sit, rem prout in propria duratione existere ab æterno in æternitate.

75 Ad hoc argumentum respondendum est distinguendo de duratione propria creaturearum. Potest enim considerari dupliciter; primo ut

contenta in aeternitate, quomodo non consideratur, ut mensura, sed potius ut mensurata: alio modo absolute, & simpliciter, nempe ut in se, & attenta propria illius natura, & hoc modo consideratur, ut mensura creaturarum. Argum. ergo prob. quod quia aeternitas infinita Dei simil ex parte sua complectitur, nedum omnes creature, sed & omnes illarum durationes, creature existunt ab aeterno in aeternitate, etiam secundum proprias illarum durationes, non absolute, & simpliciter consideratas, id est, quantum illarum mensuræ sunt, sed cum addit, quantum omnes illæ in aeternitate simul continentur, & ab illa mensurantur.

76 Sed replicatur: omne subjectum; quod in nunc aeternitatis mensuratur ab aeterno in aeternitate, existit ab aeterno in aeternitate; at ipsa duratio crastina Petri per vos est subjectum, quod in nunc aeternitatis mensuratur ab aeterno in aeternitate: ergo ipsa duratio crastina Petri existit ab aeterno in aeternitate. Tunc sic infero: ergo licet non aeternitas, sed dies crastinus sit spatium in ordine, ad quod duratio crastina exercet rationem mensuræ, durationisque constituentis Petrum durantem cras, tamen ipsa duratio crastina Petri non incipit simpliciter, prouideque Petrus non incipit simpliciter adhuc quoad propriam durationem. Subillatio pater, illationemque probo, quod ab aeterno existit in aliquo nunc, non incipit postea existere simpliciter, quamvis non aeterna duratio, sed duratio postea adveniens sit illa in ordine, ad quam praestat aliud effectum formalē; at per vos ipsa duratio crastina Petri existit ab aeterno in nunc aeternitatis: ergo postea in spatio crastino non incipit existere simpliciter duratio crastina, quamvis spatium crastinum sit illud in ordine, ad quod praestat effectum formalem constituendi Petrum durantem cras.

77 Explicatur: frequens est Thomistis defendere, creationem activam, per quam angelus creator hodie, v. g. consistere in aeterna voluntione efficaci Dei, que licet existat ab aeterno, non tamen constituit angelum creatum ab aeterno, sed creatum hodie; at praedicta volitio, quia existit ab aeterno in alio nunc distinto ab spatio hodierno, non incipit hodie existere simpliciter, quamvis spatium hodiernum sit primum, vel potius unicum in ordine, ad quod exhibet angelo formalem effectum creati: ergo quia propria duratio Petri existit ab aeterno in aeternitatis nunc distinto ab spatio crastino, non incipiet cras existere simpliciter, quamvis spatium crastinum sit primum, vel unicum in ordine, ad quod Petro praestat effectum formalem durantis cras.

78 Sed concedo, ut concessi, quod ipsa duratio crastina Petri est subjectum, quod in nunc aeternitatis mensuratur ab aeterno in aeternitate, & consequenter, quod ipsa duratio crastina Petri existit ab aeterno in aeternitate, & nego, quod ipsa duratio crastina Petri non incipiat simpliciter. Ad prob. disting. ut plures distinxeris: quod ab aeterno existit in aliquo, nunc non incipit postea existere simpliciter, si existat in illo nunc, ut in propria, & connaturali mensura, concedo, sicut in aliena, & superexcedenti mensura, nego. Duratio enim crastina existit ab aeterno in nunc aeternitatis, sed existit in eo non, ut in propria, & naturali illius mensura, sed ut in aliena, & superexcedenti propriam illius naturam. Duratio enim, sive sit modus superadditus existentiae rei, sive sit ipsa existentia, ut connotat tempus, sicut est mensura rei durantis, ita est mensura vi ipsius. Unde sicut res ipsa dicitur simpliciter incipere cum ea, ut in propria, & naturali mensura existit; pariter duratio ipsa dicitur simpliciter incipere, cum absolutè, & simpliciter incipit esse mensura rei durantis, quod non habet, ut existens in aeternitate, sed formaliter, ut in se. Et ex his patet ad explicationem: volitio enim efficax Dei, per quam angelus creator hodie, essentialiter, seu quoad actualitatem existit ab aeterno in aeternitate, sicut in propria mensura, & propterea, ut sic, non incipit simpliciter in tempore, cum hodiè angelus creator. Denominative verò, seu ut connotans mutationem angeli ad existere illius de praesenti ab aeterno non est, sicut nec ab aeterno angelus existit, ut sic, nempe denominative, & ut creatio est, incipit existere simpliciter, cum hodiè angelus creator.

79 Octavò objiciunt: Sicut aeternitas est existere aeternum Dei, ita immensitas est existere immensum Dei; sed creatura existens Compluti, & penetrata localiter cum immensitate Dei, non existit immensè, sed determinato loco conclusa: ergo creatura existens hodiè, & penetrata durativè cum aeternitate Dei, non existit aeternè, sed in duratione, respectu ipsius non aeterna. Resp. communiter Thomistæ, neg. maj. Namque aeternitas est existere aeternum Dei, tanquam mensura continens omnes creature, licet non propria, & adæquata, sed inadæquata, & excedens; proptereaque in omnium sententia creature dicuntur existere in aeternitate Dei, sive connotando illarum existentiam in propria mensura, ut adversarij dicunt, sive antecedenter ad illam, ut nos. Proptereaque sicut in aeternitate ab aeterno, seu sempè existunt, dicuntur existere aeternè, immensitas tamen non est sic existere immensum Dei, nempe tanquam mensura con-

tinens omnes creatureas , etiam inadæquata , & excedens , propterea in nullius sententia creaturea dicuntur existere in immensitate Dei. Hinc ergo immensitas Dei est solum extreum phisicè coexistens creatureis , non verò in quo creaturea phisicè coexistant Deo , è contra vero aeternitas , non solum est extreum phisicè coexistens creatureis , sed in quo creaturea phisicè coexistunt Deo. Ac tandem propterea creature existens Compluti , & penetrata localiter cum immensitate Dei , non existit immensè , sed determinato loco conclusa.

80 Ita communiter Thomistæ. Sed dicunt adversarij hanc solutionem puras voces continere: nam aeternitatem continere durative creatureas , præcisè est aeternitatem correspondere durationibus ipsarum ; at immensitas correspondet ipsarum ubicationibus: ergo sicut illa continet ipsas temporaliter , ita etiam illas continet localiter. Deinde quidquid sit de vocibus , vel creaturea coexistentia cum immensitate penetrata localiter cum creaturea , infert creatuream esse in loco immense , vel non ? Primum concedimus esse falsum , si secundum : ergo sicut stat creatuream coexistere immensitatì penetratè localiter cum creaturea , & non existere immense , ita etiam stabit creatuream coexistere aeternitatì penetratè durative cum creaturea , & hanc non existere ab aeterno. Quibus addo immensitatem esse unum ex exemplis , quibus nos probamus aeternitatem simul & indivisibiliter actu continere omnes durationes finitas , utpote immensitas , quia mensura infinita est in ratione locandi , simul & indivisibiliter actu continet omnes differentias loci.

81 Melius ergo respondetur ex dictis quarto fundamento , ubi admissimus , tanquam verum immensitatem non continere actu loca , nisi dum in propria mensura temporis existunt , quia non est infinita in ratione durationis sicut aeternitas , sed solum in ratione locandi. Ex his ergo redditur discrimen inter esse aeternitatis , & esse immensitatis quantum ad coexistentiam creaturearum. Creature enim coexistunt aeternitati Dei , antequam in propria mensura existant , quia infinita in ratione durationis ; & sic est necesse ab aeterno , seu aeternæ ei coexistere. Non verò coexistunt localiter immensitati Dei , antequam in proprio loco existant , quia cum non sit infinita in ratione durationis , non continet loca , nisi ut in propria mensura existentia. Coexistere autem localiter immensitati Dei non semper , & pro semper , sed dumtaxat dum in proprio loco existunt , non est localiter immense existere ; sicut in eorum doctrina creatureas coexistere aeternitati , dum præcisè in propria

mensura existunt , non est existere aeternè ; namque existere aeternæ , non est purè coexistere aeternitati , sed coexistere ei semper , & pro semper absque inceptione aliqua. Sic pariter de immensitate , fatemur enim esse mensuram infinitam , continens universas creaturearum ubications ; unde & Deus per eam coexistit omnii locato , omneque locatum ei ratione immensitatis coexistit. Non tamen propterea creature localiter immensè existunt , quia non semper immensitati Dei coexistunt , sed solum cum in proprio loco conclusa continentur , quod potius est circumscriptive existere , quam immense.

82 Quod si stemus doctrinæ Emin. Aguirre supra etiam fundam. 4. allegata , nempe Deum per immensitatem se extendere ad omnia loca , nedum existentia , verum & futura , & præterita , sicut & aeternitas ad omnia tempora nullum reputo inconveniens creaturearum coexistentem localiter immensitati Dei , etiam immense coexistere , utpote ei localiter coexistit semper , & pro semper ; namque hoc non est coexistere immense absolute , & simpliciter , sed quatenus ejus ubicatio continet in immensitate , quæ infinita est in ratione locandi , & omnes ubications simili actu continet , non minus , ac aeternitas omnes durationes.

83 Hæc ad unguem argumenta , quibus utitur P. Rivadeneyra contra Thomist. Rever. Tyrus unicum contra nos obijt argumentum , intendens probare , quod quamvis Deus jam sit phisicè præsens futuris , non tamen propterea ista sunt jam phisicè præsentia ipsi Deo , & est hujusmodi : ideo enim Deus dicitur modo phisice præsens rebus respectu nostri futuris , quia modo habet formam , quæ illum reddit præsentissimum omnibus temporis differentijs , nempe suam aeternitatem ; at Antichristus , v. g. modo non habet formam , quæ ipsum reddat phisicè præsentem Deo , nam illum esse sic præsentem non est denominatio extrinseca , sicut esse cognitum , & similes ; sed denominatio intrinseca desumpta ab existentia , & duratione , tanquam à forma , quas tamen Antichristus modo non habet. Unde creature non potius est præsens Deo , quam in se sit , licet Deus prius sit illis phisicè præsens , quam in se existant. Similiter creature ex parte sua successivè coexistunt Deo , sicut successivè existunt ; Deus verò non successivè , sed simul coexistit ipsis. Quare sicut ex eo , quod Deus hic sit Roma , quatenus hic habet formam illum actu penetrantem cum Roma , non sequitur Romanam esse hic ; ita ex eo , quod Deus jam sit phisicè præsens Antichristo , non sequitur istum esse jam phisicè præsentem Deo. Hoc eodem argumento utitur Pater Antonius de Quirós .  
Sed

84 Sed respond. neg. assumpt. Ad probatiōnem, conc. maj. & neg. min. namque eadem forma, nēm pētātis, quē reddit Deum præsentissimum omnibus temporis differentijs, reddit consequentē ipsa futura præsentissima Deo: ut potē reddit præsentissimam Deo ipsam differentiam temporis, in qua Antichristus existeret, & nequit differentia temporis, in qua Antichristus existeret, esse præsentissimam Deo, quin & Antichristus ipse Deo præsentissimus sit, ut ex terminis patet. Hinc concedimus Antichristum esse modo præsentem Deo, non esse denominatiōnem extrinsecam, sed desumptam, tanquam à forma, à propria existentia, & duratione; sed non nisi ut contenta in æternitate, quā actu simul ambit omnes durationes, omnesque temporis differentias, ut ipse affirmat. Nec exemplum ad propositum est: namque immensitas, ut diximus, non ambit Romanam, nisi ut existentem in proprio loco; namque non est infinita in ratione durationis, sed solum in ratione locandi; unde sicut non ambit Romanam, nisi prout existentem in propria mensura, sic nec eam continet; nisi prout existentem in proprio loco. Cam ergo hic non sit, ut in proprio loco, propterea non verificatur, quod Roma est hic, quamvis verificetur hic Deum habere immensitatem penetratam cum Roma. Immò in hoc solum sensu verificatur, quod Deus hic est Roma, non quia hic sit locus proprius Roma, sed quia hic habet immensitatem, quā illi est ratio existendi Roma. Sicut & in omnibus rebus. Unde & in nostro proposito juxta illos dicitur, quod Deus in hoc instanti est præsens Antichristo, non quia hoc instantis sit instantis Antichristi, sed quia in hoc instanti habet æternitatem, per quam est præsens Antichristo; pariter & in exemplo: secūs verò in æternitate secundum nos, quā res continet, antequam in propria mensura existant. Vē tandem dicatur juxta sententiam suprà relatam, omnino equiparando immensitatem cum æternitate. Sicut enim dicimus, quod Antichristus in hoc instanti existit, non absolute, & simpliciter, nēm pētātis in propria mensura, sed cum addito, quatenus continetur in æternitate: quippē æternitas est in hoc instanti, pariter dicimus, quod Roma est hic, non absolute loquendo, videlicet ut in proprio loco; sed cum addito, quatenus hic est immensitas, in qua continetur ubicatio Roma.

Cetera argumēta Doctorum Societatis objiciuntur, & solvuntur.

85 **E**t primo ex Arist. lib. 2. Pp̄fisicæ cap. 2. textu 14. ubi ait: res inferiores esse sub Cœlo, quia sunt in proprio loco,

qui sub Cœlo est. Unde colligitur universē rē, ut existat sub aliena, & superiori mensura, debere prius existere sub propria mensura: igitur pariter de duratione afferendum est, nullam rem esse posse in duratione superiori, & aliena, quin prius existat in sua conaturali, & propria. Cumque fide certum sit, futura contingentia, quandiu futura sunt, non existere in mensura durationis propriæ, certum etiam debet putari, illa non existere in æternitate, quā est duratio superior, & aliena. Confirm. 1. ideo possibilia non coexistunt æternitati, quia non existunt in mensura durationis propriæ, prius est enim rem durare, sicut & esse in ordine ad se, quam in ordine ad aliud; at neque futura libera existunt in mensura durationis propriæ, igitur neque æternitati coexistunt. Confirm. 2. perinde nihil est modo de Antichristo futuro, ac de alio mundo merè possibili, cum nihil utriusque existat, vel productum fuerit per actionem divinam, à qua totum esse creaturū procedit: ergo sicut ob hanc rationem alius mundus possibilis non coexistit æternitati phisicè, & realiter, sic nec Antichristus futurus.

86 Ad argumentum jam patet ex dictis fundamento quarto nostra resolutionis. Namque Cœlum non est infinitum in genere durationis, sicut æternitas. Quid ergo mirum solum coexistere omnibus differentijs temporis, dum in se ipsis existunt. Ita ibi, res ergo inferiores sunt sub Cœlo, quia sunt in proprio loco qui sub Cœlo est, unde solum potest colligi rē, ut existat sub aliena, & superiori mensura, quā finita est, debere prius existere sub propria mensura; secūs tamen si aliena, & superior mensura infinita sit, qualis est æternitas. Ad primam confirmationem respond. nostram resolut. unice fundari in eo, quod quia æternitas infinita est in genere durationis, omnes differentias temporis actu, & simul comprehendit: cum ergo possibilia in nulla temporis differentia existentiam importent, nēm pētātis de præterito nec de præsenti, nec de futuro, quidmirum, quod in æternitate ab ēterno non existant. Distinguuntur ergo 1. antec. possibilia non coexistunt æternitati, quia non existunt in mensura durationis propriæ ullo modo, videlicet nec de præterito, nec de præsenti, nec de futuro, concedo; quia in ea aliquo modo existunt, nego. Et exemplum extra propositum esse liquet, nāque in eorum sententia futura existunt phisicè in æternitate, licet non ab ēterno; at possibilia nec ab ēterno, nec in æternitate existunt: ergo. Et ex his patet ad secundam confirmationem: namque nunc nihil est modo de Antichristo futuro, ac de alio mundo merè possibili, quantum

tum ad hoc, quod nèc Antichristus, nèc mundus purè possibilis nùnc existit in propria mensura; est tamèn disparitas, quod mundus possibilis ita non existit in propria mensura, quod nèc existet; attamèn è contra Antichristus. Undè cum æternitas illam differentiam temporis, in qua Antichristus existet, nùnc ambiat, & contineat, propterea Antichristus, non verò mundus possibilis dicitur nùnc in æternitate existere.

87 Secundo objiciunt: namque ex nostra sententia sequitur duo contradicitoria: v.g. quod angelus maneret, & non maneret realiter secundum suum esse phisicum: supponamus namque angelum fuisse anhilatum à Deo decernente, efficaciter nunquam illum reproducere: in eo eventu adhuc maneret realiter in æternitate, secundum suum esse phisicum, quia adhuc continetur in æternitate, secundum illud esse reale, quod habebat anteà; & non maneret, quia supponitur anhilatus, & jam de cætero minimè futurus.

88 Resp. neg. assumpt. namque contradicitoria debent esse ejusdem de eodem. Casu autem, quod angelus anhilaretur à Deo, decernente efficacité, illum nunquam reproducere, maneret adhuc in æternitate, secundum illud esse phisicum, quod anteà habebat; proindèque maneret in æternitate, secundum eam virtuallitatem, quæ correspondet durationi præcedenti illius; & non maneret, secundum eam virtualitatem; quæ correspondet durationi illius future. Et sic maneret, & non maneret in æternitate, secundum diversam illius virtualitatem, vel finum, in quo nulla involvitur contradicatio.

89 Tertio objiciunt: quod non est major ratio, ut futura coexistant phisicè æternitati, quæ præterita; at præterita non coexistunt phisicè æternitati: ergò Probat. min. primo: namque sequitur peccatum negationis Div. Petri hodie realiter existere in æternitate, si supponamus malitiam illius peccati esse positivam, utpotè commissionis, quæ proindè indistans realiter est ab esse phisico actus, qui juxta Thomistas hodie realiter in æternitate existit; unde & sequitur, quod hodie Div. Petrus est realiter peccator, actu terminans divinum odium, quod impium, & blasphemum est. Secundo, namque sequitur justificationem non esse veram peccatorum remissionem apud Deum, sed apparentem solum, & apud nos, utpotè peccatum, quod semel fuit in anima, sempè manet in suo esse reali, & mortali apud Deum in æternitate; unde coram Deo, nunquam re vera expelletur, sed tantum apud homines.

90 Resp. conced. maj. & neg. min. Ad primam probationem respondeatur; quod ut sa-

M. Carrasco.

piùs dictum est, res non continetur in æternitate, nisi sub ea virtualitate, & sive correlative illius propriæ durationi. Undè res præterita continetur in æternitate, ut ambiente durationem præteritam, non hodiernam. Et sic nùnc est verùm contineri in æternitate, sed non pronunc, sed protunc, id est, in æternitate, ut se extendente ad durationem præteritam, non hodiernam. Undè, quod sequitur ex argumen-to, admissa illa sententia, est, quod quia negatio Petri fuit in nocte Cenæ, nùnc existat in æternitate, ut se extendente ad illam noctem, non verò ut se extendente ad tempus præsens, & pariter quod Petrus in ea nùnc contentus, nùnc actu terminet divinum odium, non verò prou-nunc, sed protunc, id est, relate ad noctem Cenæ, in qua peccatum commisit. Et quidem hoc argumentum tenet, sive præterita phisicè, sive objectivè, solum coexistant Deo ab æterno, utpotè quolibet modo peccatum adversatur Deo, & peccator pro eo tempore, quod fuit peccator, est odio dignus. Pariter resp. ad 2. probat, quippè peccatum solum manet in æternitate, ut ambiente tempus præteritum, non verò præsens, ac proindè relatè ad tempus præsens, peccatum est verè remissum, & expulsum, nedum apud homines, sed etiam apud Deum, id est, nunc pronunc non manet peccatum, etiam in æternitate; sed nunc in ea manet peccatum pro tempore, quo existit. Et valde nota doctrinam Concilij Trident. sess. 6. decreto de justificatione. Procedere contra Novatores Hæreticos, qui asserebant peccata post justificationem solum non inquit, cæterum re ipsa manere in anima, etiam ut existente in mensura temporis; ut asserunt Interpretes Div. Thom. 1. 2. q. 113. art. 1. & est videre in Belarmino tomo 3. lib. 2. de justificatione.

91 Quarto objiciunt: æternitas non con-tinet durationes inferiores, seu res, quæ eisdem mensurantur, ut sibi coexistentes per propriam illarum existentiam, nec per existentiam ipsius æternitatis: ergò nullo modo. Probat. anteced. quoad primam partem: namquè tām durationes inferiores, quām res per ipsas mensuratæ, dum futuræ sunt, non habent existentiam propriam. Quoad secundam etiam namque, vel coexistunt per existentiam æternitatis, sicut hu-manitas Christi in sententia Thomistarum exi-stit per existentiam Verbi, vel denominativè ex-trinsecè ab ipsa existētia æternitatis? Si primum? Innumera absurdā inde secuntur, quæ estatim apparent. Si secundum? non sufficit ut futura dicantur existere in æternitate secundū suum esse phisicum, quippè hoc exigit existentiā propriā, vel alienam sibi intrinsecè communicatā; aliter

eriam durationes possibles, seu possibilia ipsa dicerentur existere, secundum suum esse phisicum, & reale per existentiam Omnipotentiae, à qua extrinseca denominatur. Resp. Aternitatem continere durationes inferiores, & res, quæ eisdem mensurantur, ut sibi coexistentes per propriam illarum existentiam; sed non nisi ut contentam in mensura eternitatis, quæ infinita est in genere durationis. Unde predicta denominatione est intrinseca ab existentia propria, licet non ut in propria mensura, sed ut aliena eternitatis.

92 Quinto objiciunt: tempus in eternitate nequit habere prædicatum propriæ ipsius existentie oppositum; sed coexistentia partis præteritæ, & futuræ est prædicatum existentie temporis oppositum: ideo tempus essentialiter est ens successivum, cuius una pars alteri succedit, ita ut nulla pars illius sit, vel possit esse præsens: ergo. Resp. concessa maj. negando min. namque oppositum prædicatum existentie temporis esset præteritum, & futurum, simul actu coexistere in eternitate, secundum ipsissimam virtualitatem; dum tamen coexistunt simul in ea, secundum diversam virtualitatem, qua res inter se successivè existunt: nempe secundum unam correspondentem rei præteritæ, & secundum aliam correspondentem rei futuræ, jam potius in ea existunt, secundum propriam temporis differentiam, id est, secundum duas virtualitates, quarum una successivè se habet ad aliam ex parte rei contentæ, licet ex parte eternitatis sit omnimoda simultas, absque aliqua successione.

93 Sexto objiciunt: Antichristus modo non durat eternitate increata, nec eternitate participata, nec duratione propria, sibi correspondente in propria temporis mensura: ergo nullo modo. Prima pars patet, quia duratio non distinguitur ab existentia, vel necessario illam comittatur; ac proinde per increatam Dei durationem non existit, quod per ejus existentiam non existit. Secunda pars etiam constat, namque eternitate participata non durat, nisi quod invariabiliter permanet, ut patet in visione beata; permanentia autem Antichristi, & cuiuslibet alterius futuri contingentis variabilis est. Tertia verò pars non minus liquet, siquidem supponimus Antichristum esse futurum, proindeque nec existere in propria mensura temporis, quæ nec dum advenit. Resp. Antichristum modo non durare eternitate increata, nec eternitate participata, nec duratione propria, ut sibi correspondente in propria mensura temporis, ut argumentum probat: sed dumtaxat duratione propria, ut contenta in eternitate, seu ea ratione, qua eternitas comprehendit durationem il-

li in tempore correspondentem, tanquam mensura in genere durationis infinita. Unde datur medium inter partes argumenti, & argumentum nihil de opposito convincit.

94 Septimo objiciunt: quæcumque simul coexistunt unitertio, sibi etiam invicem simul coexistunt; at fatura non sibi invicem simul coexistunt, ut patet in heri, & cras, Adamo, & Antichristo: ergo. Sed responsio patet ex dictis distingu. maj. & concedendo de eis, quæ simul coexistunt unitertio adéquatè, & totaliter; & negando de his, quæ solum inadéquate unitertio coexistunt, qualiter futura coexistunt eternitatē nempe non secundum omnes sintis, & durationes, quas continet, sed purè, secundum virtutem correspondenter unicuiuslibet durationi, ut explicatum est. Alia argumenta poscent objici contra nostram resolutionem; sed penitus solis vocibus differunt à præcedentibus.



## DE VOLVNTATE DEI Dubia VI.

### DUBIUM I.

*An ratio Div. Thom. demonstrativè, & à priori probat dari in Deo voluntatem, ex quo in ipso est intellectus.*

1 Q UO in dubio est triplex difficultas, prima correspondet titulo dubij. Secunda; an per rationem D. Tho. demonstretur immediate voluntas ipsa, vel solum actus voluntas. Tertia: An ita voluntas sequatur intellectum, ut neque per potentiam Dei absolutam possibilis sit natura intellectiva, non volitiva.

**RESOLUTIO I.**  
*Ratio Div. Thom. demonstrativè & à priori probat dari in Deo voluntatem, ex quo in ipso est intellectus.*

2 E ST contra plures recentiores Societatis: Eam tamè tñent uniformiter Thomistæ, & fundatur: Voluntas sequitur intellectum: ergo demonstrativè, & à priori probat Div. Thom. in Deo esse voluntatem, ex quo in ipso est intellectus. Consequentia patet, & antecedens probatur reducendo ad formans syllogisticam rationem Div. Tho. quæ varijs terminis proponitur ab auctoribus; cum tamè difficultas in presenti fistae

in salvate rationem Div. Tho. ut jacet, & ab eo proponitur. Et sic ne vim argumentorum fugere videamur, eam proprijs terminis D. Tho. ad formam syllogisticam sic reduco: sicut res naturalis actu constituitur per suam formam naturalem, ita intellectus in actu constituitur per formam intelligibilem; sed formam naturalem sequitur habitudo ipsius rei naturalis ad ipsam, ita ut quādo ipsam non habet, tendat in illam; & quando habet ipsam, quiescat in illa, & idem est de qualibet perfectione naturali, quod est bonum naturae, quae habitudo in rebus carentibus cognitione vocatur appetitus naturalis: ergo & formam intelligibilem sequitur habitudo naturae intellectualis ad bonum per eam apprehensum, ita ut quando ipsum non habet, tendat in illud, & quādo habet, quiescat in illo, quod utrumque pertinet ad voluntatem; & sic intellectum sequitur voluntas: oportet ergo in Deo esse voluntatem cum in eo sit intellectus. Hæc ratio Div. Thom.

3 Pro cuius penetratione notanda est duplex alia ratio ipsius: prima traditur ab eo infra q. 80. art. 1. ad probandum appetitum esse specialem anima potentiam ab alijs omnibus conditum etam. Et reducitur ad formam sic: quamlibet formam sequitur aliqua inclinatio: ergo ad formam altioris ordinis sequitur inclinatio altioris ordinis; tunc sic sed incognoscentibus forma est altioris ordinis, quam in non cognoscentibus, nam in his forma est omnino materialis, & propterea est tantum ipsa, & non alia, & ad unum esse proprium, & naturale determinat unū quodque, ita ut sit tantum ipsum, quod est juxta propriam formam naturalem, & non aliud, ut patet in inanimatis, & vegetabilibus; in cognoscentibus verò forma est immaterialis, plus vel minus juxta illorum perfectionem, & actualitatem, & propterea est susceptiva specierum aliarum rerum, sicut iensus recipit species omnium sensibilium, & intellectus omnium intelligibiliū; & sic forma in cognoscentibus non tantum est ipsa, sed alia, & taliter determinat unū quodque ad proprium esse, & naturale illius, ut non solum sit ipsum quod est juxta formam naturalem, verum, & omnia apprehensa per prædictas species: debent ergo ad hujusmodi formas sequi proportionales inclinationes, ita ut ad formam non cognoscantium sequatur inclinatio inferioris ordinis, quæ nempè determinata sit, & secundum quam solum possint appetere propria, & naturalia illorum, quæ propterea vocatur inclinatio naturalis; ad formam verò cognoscantium sequatur inclinatio superioris ordinis, quæ nimis in determinata sit, & secundum quam nemus possint appetere propria, & naturalia illorum; verum, & indifferenter omnia, quæ appre-

hendunt ut bona, & si mala sint, & nociva. Quæ inclinatio in animalibus vocatur appetitus animalis, scilicet sensitivus: in intelligentibus verò vocatur appetitus intellectualis, scilicet rationalis, qui est voluntas. Ex hac ergo ratione clarè innotefit ratio D. Tho. in praesenti articulo; sicut enim anima hominis, quia immaterialis est, & radicaliter susceptiva specierum aliarum rerum, sequitur radicaliter voluntas, sic intellectus hominis, quia forma immaterialis est, & proximè susceptivus specierum, sequitur proximè voluntas: & eodem modo formam intelligibilem representantem bonum, & conveniens, per quam intellectus in actu constituitur, sequitur actus illius, nempè quod tendat in bonum apprehensum per formam intelligibilem, si illud non habet, vel quiescat, si illud habet.

4 Secunda ratio traditur à Div. Tho. in 1. sentent. dist. 45. art. 1. Quam sibi appropriat P. Herice, & ait, ea demonstrari voluntatem esse, ubi intellectus est, & est hujusmodi: Quicumque habet intellectum potest judicare conveniens, & repugnans, nam convenientia, & repugnantia objecti etiam est intelligibilis, utpote contenta sub ente, & verò quod est objectum intellectus; at quicumque potens judicare conveniens, potest illud ut sic cognitum appetere, & similiiter quicumque potens est judicare repugnans, potest ab illo ut sic cognito fugere: Immò non propter aliud est naturis indita hæc facultas discretiva inter convenientias, & repugnandas, nisi ut appetant convenientias, & fugiant repugnantias; pertinet enim hujusmodi judicium, & discrecio ad intellectum practicum, qui inditus est creaturis propter directionem suppositi, nimis ut sciat quid debeat prosequi, quid vè fugere: ergo intellectus sic potens judicare convenientias, & repugnandas, à priori infert voluntatem. Ex quo ulterius sequitur, quod intellectus actu judicans convenientias, quod habet in quantum actu constituitur per formam intelligibilem representantem bonum, à priori infert appetitum illius, quæ est ratio Div. Tho. in praesenti articulo. Probat ergo D. Tho. demonstrativè, & à priori in Deo esse voluntatem, ex quo in ipso est intellectus.

*Objiciuntur, & solvantur argumenta.*

5 **S**ed contra nostram resolutionem objicies 1. Ratio D. Tho. est argumentum à paritate: ergo non est demonstratio. Consequentia patet, nam demonstratio à priori debet procedere per causam, vel rationem formalem. Antecedens autem probatur, Div. Thom. probat, quod formam intelligibilem sequitur habitudo naturae intellectualis ad bo-

num per eam apprehensum, ita ut quando ipsum non habet, tendat in illud, & quando habet, quiescat in illo, quia sicut res naturalis constituitur in actu per suam formam naturalem, sic intellectus per formam intelligibilem, & formam naturalem sequitur inclinatio, vel habitudo rei naturalis ad suam formam, ita ut si eam non habet, tendat in eam, & si habet, quiescat in ea; sed hæc ratio procedit à paritate, nempe forma naturalis: ergo.

6 Ad hoc argum. cui præcipue nititur fundatum P. Bazquez, resp. dist. hanc maj. hæc ratio procedit à paritate fundata in eodem principio, concedo, fundata solum in proportione, nego. Et argum. à paritate modo evidens, & demonstrativus est. Ut si fieret argum. Sicut homo constituitur per suam formam, sic equus per suam; sed formam hominis sequitur aliqua proprietas: ergo & formam equi sequitur aliqua proprietas. Fundatur enim hæc paritas in eodem principio, & nedium in proportione, v.g. In eo quod formam constitutivam rei sequitur aliqua proprietas, quod est principium per se notum. Unde per idem est subsumere in minori, sed formam hominis sequitur aliqua proprietas, ac subsumere: Sed formam hominis ex hoc ipso, quod est essentialiter illius constitutiva, sequitur aliqua proprietas, ex quo evidenter probatur formam equi, quia est essentialiter illius constitutiva, sequi pariter proprietatem aliquam. Cum ergo ait D. Tho. Sicut res naturalis, &c. Ly *sicut* parificat formam intelligibilem cum forma naturali non in eo quod est utriusque proprium, ita ut sensus sit, quod sicut se habet forma naturalis ad rem naturalem, sic forma intelligibilis ad intellectum; sic enim esset paritas fundata in proportione. Sed ly *sicut* parificat formam intelligibilem cum forma naturali in eo quod est utrique formæ commune, scilicet, quod utraque est verè rei constitutiva. Et sic cum D. Tho. subsumit formam naturalem sequi habitudinem illam, est idem, & si subsumeret talem habitudinem, sequi ad formam illam, non quia forma naturalis, sed quia forma rei constitutiva. Et sic est paritas fundata in eodem principio, & est idem ac si Div. Tho. subsumeret in sui probatione principium illum commune: *Formam constitutivam rei sequitur aliqua habitudo;* unde evidenter inferitur, quod cum forma intelligibilis verè sit constitutiva intellectus, illam etiam sequatur habitudo intellectualis ad bonum per eam apprehensum.

7 Et quod iste sit legitimus sensus D. Tho. præbo ex eo quod D. Tho. ait: *Formam naturalem, ex quo est constitutiva rei naturalis, sequi habitudinem rei naturalis ad ipsam,* ut quando

non habet, tendat in eam, & quando habet quietat in ea, non determinando de habitudine naturali, vel elicita; sed hoc post modum determinat dicendo: *talem habitudinem in carentibus cognitione vocari appetitum naturale;* ac si simul subsumeret in cognoscentibus esse appetitum elicitem: ergo signum evidens est, quod hic assumit extreum paritatis non secundum id quod habet proprium, nempe in quantum res naturalis, & per formam naturalem constituta, nam ut sic sequitur habitudo determinatè naturalis, sed secundū id, quod habet communem cum alijs formis, scilicet in quantum rei constitutiva est. Deinde hoc innotescit, ex quo D. Tho. in 2. ratione allegata nititur illo principio universali, ut perse noto, nempe *omnem formam sequitur aliqua inclinatio;* hoc ipsum exemplificando in igne, qui ex sua natura inclinatur in locum superiore, & ad hoc, quod genere sibi simile. Cur autem Div. Tho. in præsenti non assumpsit hoc principium in communi, sed veluti exemplificatum in forma naturali, fuit, quia hoc principium maximè innotescit in forma naturali, cum experiantrum ignem ratione sue formæ naturalis inclinari in locum superiore. Unde & in 2. ratione taliter illud commune principium assunxit, quod statim addit exemplum ignis: Sicut ergo ibi, & principium commune, & exemplum seorsim assumit, sic in præsenti principium, & exemplum per modum unius sumit, quod est sumere principium illud exemplificatum.

8 Sed statim dices: unde habetur principiū illud esse per se notum? Ad hoc respōdeo, quod illius, quod est per se notum, non potest dari ratio, sed explicatio, quæ datur à D. Tho. i. contra Gent. cap. 72. quia omni enti in quantum tali competit appetere suam perfectionē, si non habet, vel quietat in ea, si habet, hoc enim est per se notum. Cum autem hoc competit omni enti in quantum ens, non potest non competere ratione formæ constitutivæ entis in quantū ens, & sic non potest non competere ratione formæ ex hoc ipso, quod constitutiva est. Præterea forma, ex hoc ipso quod constituit rem in suo esse, petit sui complementum: ergo & petit media ad illud consequendum; hoc medium non potest non dicere ordinem, & habitudinem ad illud, que habitudo non potest non esse per modum tendentia, si non habet, vel per modum quietis, si habet. Tandem cum principium illud ex una parte sit notum in formis naturalibus, & aliounde iuxta tertiam rationem D. Tho. relatam constans sit prædictam habitudinem sequi formam intelligibilem, non est, cur principium illud non habetur, ut per se notum.

9 Sed dices: & si illud principium sit per se notum,

notum, ex illo tamē non potest probari formam intelligibilem constitutivam intellectus in actū sequi habitudinem, quę sit actus voluntatis, ergo. Prob. antec. nām ex illo principio q̄ue probatur ad formam naturalem sequi illam habitudinem, ac illam sequi ad formam intelligibilem, cum principium illud sit commune utriusque formæ; at ex illo principio non potest probari ad formam naturalem sequi habitudinem, quę sit actus voluntatis: ergo. Explicatur hoc: Ex forma communi non potest probari proprietas particularis; sicut ex forma sensitiva non potest probari visibilitas: ergo ex illo principio communi omni formæ non potest probari voluntas, quę est proprietas formæ intelligibilis.

10 Sed respondeatur ita esse, quod ex illo principio non probat D. Tho. immediate volūtatem, sed solum habitudinem aliquam naturæ intellectualis ad bonum sibi conveniens. Atamen sicut postmodū D. Tho. subsumit habitudinem in carentibus cognitione esse appetitum naturale, sic postquam concludit habitudinem aliquam sequi ad formam intelligibilem, subjungit esse actum volūtatis, sc̄n ad voluntatem pertinere; quod utrumque probat attendendo ad id quod utriusque formę proprium est: Nam, ut ait 4. contra Gent. cap. 19. quia forma naturalis est ratio, & principium affinitatis, & convenientiz cum eo, ad quod movetur, v.g. gravis cum loco inferiori, habitudo sequuta ad illam vocatur appetitus naturalis, quę est quedam propensio naturæ ab ipso authore naturæ congenita media forma naturali ad perfectionem sibi propriam, & debitam. Atamen forma intelligibilis non est ratio, & principium illius habitudinis, in quantum est ratio, & principium, ut intellectus apprehendat, & judicet bonum, & conveniens; & sic habitudo illa non potest esse appetitus naturalis, sed elicitus, secundum quem natura intellectualis fertur in bonum cognitum à se, & ut à se mota, proindeque fertur appetitus intellectualis, id est, non propensione, sed volitione, quod si feratur per tendentiam, erit desiderium, si verò per quietem, erit gaudium. Deinde, ut ait D. Tho. in secunda ratione, quia forma naturalis est fixa, invariabilis, & determinata, habitudo sequuta ad illam est etiam fixa, invariabilis, & determinata, secundum quam res naturalis solum potest appetere propria, & natura ipsius, & sic solum est appetitus naturalis; & quia forma intelligibilis variabilis est, & indeter-

minata, cum indifferentè intellectus sit suscep-tivus specierum omnium rerum, idēc habitudo sequuta ad illam, est etiam variabilis, & indeter-minata, secundum quam natura intellectualis nedum potest appetere propria, & naturalia ipsius: id est, ea, ad quę inclinatur ex forma naturali, verū & indifferentè omnia, quę appre-hendit, ut bona, & si mala sint, & nociva; qui appeti-tus non potest nō esse elicitus, & actus volūtatis.

11 Dices tandem: idem est, formam constitutivam, ex hoc ipso, quod constitutiva est, sequi habitudinem aliquam ad propriam perfectionē, ac habitudinem illam sequi ad hanc formam, ad illam, & ad illam, & sic usque ad omnes: ergo si illud principiū est per se notum, etiam erit per se notum ad formam intelligibilem sequi habitudinem aliquam; sicut si est per se notum omnem hominem esse animal rationale, etiam est per se notum Petrum esse animal rationale: Non ergo habitudo illa demonstrari potest.

12 Ad hoc respond. ita esse, quod ad formā intelligibilem sequi habitudinē aliquam, est per se notum, sicut & omnem formam constitutivā rei sequi aliquam habitudinem. Ex quo solum infertur, quod D. Tho. in hujus probatione non procedat demonstrativē, licet procedat arguti-vē evidenter, sicut cum probatur, quod Petrus est rationalis, quia homo est rationalis. Ratio autem D. Thom. ut diximus, non sicut in hujus probatione, quin potius statim hoc sum mit, ut principium, ex quo infert talem habitudinē esse actum voluntatis, quod tacite demonstrat, vel demonstratum supponit, eo ipso, quod est habi-tudo sequuta ad formam intelligibilem, quia nem-pē secundum eam intellectus apprehendit, & ju-dicat bonum, & conveniens, proindeque habitu-do ad illam sequuta est, non quilibet, sed ad bo-num cognitum, & sic est appetitus elicitus, qui vocatur actus voluntatis.

13 Secundo objicies. Ratio D. Tho. proce-dit ex principijs solum probabilibus: Non ergo est demonstrativa. Prob. antec. procedit ex hoc principio: *Intellectus in actū constituitur per formam intelligibilem.* Sed hoc principium solum est probabile, cum Durandus, & alij cum eo ne-gent intellectum agentem, & species intelligibili-les, tam impressas, quam expressas: ergo, &c.

14 Respond. dari species intelligibiles, & intellectum agentem supponi à D. Tho. ut de-monstratum in tertio de anima, & sententia Durandi ferè ab omnibus Philosophis, & Theolo-gis relinquitur, tanquam improbabilis, ut ipsi doctores Societatis fatentur, & tenentur fateri.

15 Sed nihilominus objicies, & si denunt species intelligibiles, per eas tamen intellectus non constituitur in actū, sed solum per intelle-

ctionem. Respond. quod per formam intelligibilem non constituitur in actu ultimo, & completo, bene tamen in actu primo, & specifico; quia intellectio est ultima actualitas in genere intelligibili, proindeque se habet, sicut existentia in esse naturali; unde sicut hæc supponit formam dantem speciem in esse naturali, sic etiam intellectio supponit formam dantem speciem in esse intelligibili. Et de hac solum forma loquitur Div. Thom. quia juxta diversitatem formæ specificæ, diversa, & ad diversum finem sequitur inclinatio in rebus, & non juxta diversitatē existentia, vel alterius ultimæ actualitatis.

16 Sed objicies contra: Div. Thom. loquitur de intellectu constituto in actu ultimo, & completo; ergo si prout sic non constituitur per formam intelligibilem, principium D. Tho. est falsum. Prob. antec. Tum quia Div. Thom. ex intellectu in actu constituto infert inclinationem ad bonum apprehensum, & cognitionem, & nedum cognoscibile. Tum quia illæ duæ habitudines sequuntæ, scilicet quiescere, & tendere sunt actus voluntatis; sed actus voluntatis non sequitur intellectum in actu primo, sed in actu secundo. Ergo.

17 Rep. dinst. primum anteced. Div. Thom. loquitur de intellectu constituto in actu ultimo, & completo, ut requisito ad sequelam inclinationis, concedo, ut principio, & ratione formaliter illius, nego. De intellectu igitur constituto in utroque actu, & specifico, & ultimo loquitur Div. Thom. de intellectu constituto in actu primo, & specifico, ut de forma, & ratione formaliter ad quam sequitur inclinationis elicita ad bonum; de intellectione vero ut de conditione requisita ad sequelam inclinationis. Si enim intellectus media forma intelligibili non cognoscatur, & judicetur. Quod per eam representatur, scilicet bonum, & conveniens, illudque prout sic cognitionem voluntati proponat, non sequitur actus voluntatis. Quod a simili patet in re naturali, cuius sola forma constitutiva est ratio formalis inclinationis naturalis ad propriam perfectionem; attamen, ut hic, & nunc sequatur hæc inclinationis requiritur existentia per modum conditionis; similiter sola forma rei constitutiva est ratio formalis operandi, attamen operatio hic, & nunc non sequitur nisi ad formam completam existentia.

18 Sed adhuc objicies: intellectus antecedenter ad species, & independenter ab illis est potentia specificè, & essentialiter distincta à voluntate, & alijs potentij, quod habet per habitudinem, & ordinem ad proprium objectum, secundum quod scilicet est potens attingere ens ut verum, & prout sic etiam est potentia pro-

xima intelligendi, qua mediante anima, quæ radicale principium est, intelligit. Neque hoc potest habere per speciem, aliter hæc est tota ratio proxima intelligendi, cum tamen intellectus partialiter proxime cum specie influat in intellectu, quia ab objecto, & potentia patitur notitia. Immò probabile est, quod species activè non concurrit; immò in tali casu intellectus est pura potentia passiva, sicut materia prima, quæ solum in actu proxime potens operari constituitur per formam: non ergo intellectus in actu primo, & specifico constituitur per formam intelligibilem.

19 Sed quidquid sit, an species activè ad intellectu, concurrat, quæ est opinio communior inter Thomistas, an etiam sit tota ratio agendi proxima, quam tenet Cajetaus infra q. 79. art. 2. §. quo ad secundum, dum assicit, intellectum ex te nullam habere intelligendi rationem, sed per speciem factum actu ipsum intelligibile habere vim activam intelligendi, ex se tamen illam habere solum inchoative, id est, radicaliter, ut à multis Theologis interpretatur. Quidquid, inquam, sit de his opinionibus, hoc est apud omnes certum, quod intellectus potest considerari, & phisicè, & metaphysicè, & intelligibiliter, seu intentionaliter. Phisicè consideratur, in quantum forma est, & actus ipsius animæ, à qua dimanat, & quam perficit, & ut sic non potest constitui in actu per formam intelligibilem; immò ipse prout sic est forma, & actus constituens animam potentem proxime intelligere. Metaphysicè consideratur secundum ordinem ad proprium objectum, prout scilicet est potens etiam proxime attingere ens sub ratione veri; ab objecto enim specificatur, sicut qualibet alia potentia; & sic etiam patet, quod non potest constitui in actu primo, & specifico per formam intelligibilem, intelligibiliter vero, seu intentionaliter consideratur secundum, quod intellectus alias forma, & actus, & potens proxime intelligere, natus est per suam immaterialitatem fieri omnia, quæ intelligit, & secundum hanc aptitudinem, & capacitatem est intelligibiliter in potentia; secundum vero, quod actu est, & fit ipsum objectum, est intelligibiliter in actu. Et propterea hoc esse vocatur intelligibile, quia est intellectum esse objectum non secundum esse naturale, sed intelligibile, & intentionale, & prout sic intellectus in actu constituitur per speciem, quæ propterea vocatur forma intelligibilis, quia secundum eam objectum intelligibiliter, & intentionaliter unitur intellectui, illumque constituit in esse intentionaliter, & intelligibiliter ipsum objectum. Unde quia intellectus divinus ex se actu continet omnia intelligibilia,

ideò dicitur actus purus, adhuc in esse intelligibili. Quia verò intellectus creatus ex se, & ex natura sua non est actu aliquod intelligibile, sed media specie super addita, propterea ex se, & ex natura sua dicitur pura potentia in esse intelligibili. Et intellectus humanus, quia à principio nulla fuit actuatus, sicut secundatus specie, sicut intellectus angelicus, communiter dicitur, quod à principio, est tanquam tabula rasa, in qua nihil est scriptum. De intellectu igitur sic intelligibiliter considerato loquitur Div. Thom. dum ait intellectum in actu constitui per formam intelligibilem, nam per eam intellectus, alias pura potentia in esse intelligibili, indifferensque omnino, & indeterminatus, in actu intelligibiliter constituitur, & sic potentia intelligibiliter determinata, potensque proxime determinatam intellectuē elicere, quod est constitui intelligibiliter in actu primo, & specifico.

20 Tertio objicies, ratio D. Tho. vel procedit in quatuor terminis, vel innititur principio solum probabili. Non ergò est demonstrativa. Prob. antec. ex quo intellectus constituitur in actu per formam intelligibilem, sicut res naturalis per suam formam naturalem, & formam naturalem sequitur inclinatio rei naturalis ad ipsam, infert Div. Thom. quod formam intelligibilem sequitur inclinatio ad bonum apprehensum; at hæc ratio, vel procedit in quatuor terminis, vel innititur principio solum probabili, quia vel innititur illi principio, quod objectum est idem, cum forma intelligibili, quod est solum probabile, cum oppositum sit probabile, etiam inter Thomistas, vel in conclusione ponitur aliquis terminus, qui non ponitur in premisis, nemipè bonum apprehensum: ergo. Explicatur hoc ipsum, ex quo res naturalis inclinetur ad formam illius constitutivam; & intellectus in actu constituatur per formam intelligibilem, quod infertur, est, quod natura intellectualis inclinetur ad formam intelligibilem. Si ergò Div. Thom. non infert inclinationem naturæ intellectualis ad formam intelligibilem, sed ad bonum apprehensum, non recte infert, vel idem intelligit per bonum apprehensum, ac per formam intelligibilem, quod tamen incertum est, & solum probabile, ut omnes tenentur fateri.

21 Respondetur negando assumptum quoad utramque partem, nám licet species non sit idem formaliter cum objecto, hoc tamen est apud omnes certum, & indubitatum, quod esse formam intelligibilem constituentem intellectum in actu convertit per se primo, & principaliter objecto, & non speciei; unde cum objectum per se ipsum valet intellectui uniri, per se

ipsum etiam est forma intelligibilis, & non media specie, ut divina essentia respectu intellectus beatæ, & substantia angelici respectu propriæ sui intellectuonis. Quando verò per se ipsum veniri non potest, ei unitur media specie, ut sui vicaria, & ministra. Proindeque species est forma intelligibilis ministerialiter tantum, & per accidens, hoc est loco objecti, & ut ejus vicem gerens, pro eoque substituens, ut nimirum objectum cognoscatur, non ut ipsa cognoscatur; unde adhuc tunc forma intelligibilis per se, & principaliter talis est objectum ipsum intelligibile. Neque valet dicere, quod objectum est intelligibile, ut quod, forma verò est intelligibilis, ut quo; non inquam valet; nam sicut cum objectum per se ipsum immediate unitur intellectui, & est intelligibile, ut quod, & ut quo, ut quo, in quantum secundat intellectum ad sui cognitionem, ut quod, in quantum illam terminat; sic cum unitur media specie est intelligibile, ut quod, & ut quo, cum hac tamen differentia, quod non est intelligibile, ut quo, immediate, & per se ipsum, sed media specie, ut sui vicaria, & ministra. Sicut ergò species est forma intelligibilis, ut vicaria objecti, illiusque ministra, sic adhuc tunc objectum est forma intelligibilis per se, & principaliter.

22 Ex his ergò respond. ad argum. vel quod in præmissis Div. Thom. per formam intelligibilem intelligit formam intelligibilem per se, & principaliter tales, non quæ est talis per accidens, & ministerialiter, unde cum forma intelligibilis per se, & principaliter talis sit objectum ipsum per speciem representatum, per idem est inferre inclinationem ad formam intelligibilem, atque ad bonum apprehensum. Vel dicendum, quod licet per formam intelligibilem intelligat Div. Thom. speciem ab objecto realiter distinctam, intelligit tamen eam, ut formam intelligibilem per accidens, & loco objecti, & sic sicut ex hoc ipso non est principium cognitionis sui, sed objecti, sic non est principium inclinationis ad ipsam, sed ad objectum. Et pariformiter, licet in præmissis non ponatur objectum in se, & formaliter, ponitur tamen in sui vicaria, & ministra, quod est ponere equivalenter.

23 Sed objicies contra. Quomodo libet objectum sit forma intelligibilis, adhuc ratio Div. Thom. procedit in quatuor terminis: Non ergò est demonstrativa. Prob. antec. quomodo libet objectum sit forma intelligibilis, non est forma intelligibilis, secundum esse phisicum, & entitativum, sed solum secundum esse intelligibile, & intentionale; at D. Thom. infert inclinationem

non ad bonum, secundum esse intentionale, & intelligibile; sed secundum esse phisicum, & entitativum: ergò. Confirm. Formam naturalem secundum Div. Thom. sequitur inclinatio rei naturalis ad ipsam: Ergò formam intelligibilem sequitur inclinatio naturae intellectualis etiam ad ipsam; at objectum secundum esse phisicum, & entitativum non est forma intelligibilis, sed solum secundum esse intentionale, & intelligibile: ergò cum Div. Thom. infert inclinationem naturae intellectualis ad bonum prout in re possesum, vel possidendum, procedit in quatuor terminis.

24. Sed respond. disting. illam maj. Div. Thom. infert inclinationem non ad bonum secundum esse intentionale, & intelligibile absolute, & simpliciter; hoc est puræ, & solum quatenus est forma constitutiva illius, concedo; ad bonum secundum esse intentionale, & intelligibile cum addito, hoc est, ut conjungendum cum verò, reali & phisico esse illius, nego. Conseq. ergò Div. Thom. est, quod hoc ipso, quod intellectus constituitur in actu per formam intelligibilem, quæ est ipsum bonum intentionaliter, natura intellectualis appetit, quod hoc ipsum bonum intentionaliter possesum, possideatur phisice, & realiter; nam bonum possesum solum intentionaliter est bonum possesum solum imperfecte, & solum perfecte possidetur, cum possidetur prout in re; propterea que natura intellectualis in actu constituta per formam intelligibilem est quidem bona, sed imperfecte, utpote solum intelligibiliter; undè ex hoc ipso inclinatur, & appetit, ut bonum illud imperfecte possesum, perfecte possideat, quod non est aliud, quam appetere ipsum bonum intentionale, non absolute, & simpliciter, sed ut conjungendo cum phisico, & entitativo esse illius.

25. Ad confirmationem pariter dico ad formam naturalem sequi inclinationem rei naturalis ad ipsam, non absolute, & simpliciter consideratam, nempe quatenus pure constitutivam rei naturalis, sed ad ipsam cum addito, hoc est, ut complendam, & conjungendam cum debita, & proportionata perfectione. Et sic debere intelligi Div. Thom. patet: Tum quia principium, & terminus inclinationis debent distingui, cum principium supponatur ad inclinationem, & terminus subsequatur eam; sed forma naturalis, ut constitutiva est principium inclinationis: Ergò ut sic non potest esse terminus inclinationis. Deinde Div. Thom. subsummit inclinationem rei naturalis ad suam formam naturalem, ita ut quando non habet ipsam, tendat in eam. Patet autem, quod non habita for-

ma constitutiva rei naturalis non potest res naturalis tendere in illam, cum appetere necessario supponat esse rei simpliciter, & absolute; habita autem forma constitutiva rei sine sui complemento, & debita, seu convenienti, in eam tendere potest quantum ad sui complementum, seu conjunctionem cum debita perfectione, quomodo lapis in actu constitutus per propriam formam lapideam appetit eam quantum ab sui conjunctionem cum centro, quo adepto, in eo quiescit, & eodem modo homo jam justificatus per gratiam; appetit eam non absolute, & simpliciter, sed quantum ad sui consumationem, & complementum usque ad sui conjunctionem cum habitudine.

26. Sed statim contradicta insurges multipliciter. Primo, quod Div. Thom. postquam dixit quilibet rem naturalem habere habitudinem ad suam formam, immediate subjungit. *Et idem est de qualibet perfectione naturali, quod est bonum naturæ, id est, de qualibet alia perfectione supervenienti:* Ergò in primis verbis loquitur de forma constitutiva independenter à sui complemento, seu pure ut constitutiva est, aliter erit inutilis repetitio. Secundo, ex verbis Div. Thom. quod scilicet res naturalis habet inclinationem ad suam formam, ut quando non habet ipsam, tendat in eam, & quando eam habet, quiescat in ea, solum sequitur rem naturalem non posse habere habitudinem ad suam formam simpliciter, & absolute per modum tendentiaz, & appetitus, quia eam jam prout sic habet; non tamen sequitur non posse ad illam habere habitudinem per modum quietis, cum quies sit de re jam habita: Ergò de hac habitudine loquendo nullum est fundamentum in Div. Thom. ut interpretetur de habitudine ad formam constitutivam quantum ad sui complementum. Tertio, ex nostra solutione sequitur rem naturalem non solum non habere habitudinem tendentiaz ad formam constitutivam, verum neque ad complementum sui intrinsecum, nempè quantum ad proprietates ab ea dimanantes, namque hujusmodi proprietates non posunt non esse in eodem instanti, in quo est ipsa forma constitutiva, cum producantur ad productionem illius, & eadem actione. Quarto, licet hoc ita sit de appetitu ad formam naturalem, non tamen de appetitu ad formam intelligibilem: Ergò. Prob. antec. bonum in re possesum non est complementum formæ intelligibilis, nam forma intelligibilis non perficitur per bonum in re: Ergò appetitus ad bonum in re non est appetitus ad formam intelligibilem quantum ad sui complementum, sicut est appetitus ad proprietates rei naturalis,

ut potè istæ vere compleant, & perficiunt essentiam. Tandem licet ita sit, quod syllogismus Div. Thom. non procedat in quatuor terminis, ex quo in conclusione infert habitudinem ad bonum apprehensum; procedit tamen in quatuor terminis, ex quo infert habitudinem natura intellectualis ad bonum apprehensum, nam in præmissis non ponitur natura intellectualis constituta in actu, sed solum intellectus; patet autem, quod natura intellectualis non est idem, quod intellectus: ergo.

27 Ad 1. resp. aliqui Thomistæ dicendo, quod per illa subsequentia verba non intelligit Div. Thom. rem naturalem habere inclinationem ad perfectionem illam supervenientem, quia de hac jam dixerat antecedenter in primis verbis, sed quod illa forma perficiens etiam inclinatur, & habet appetitum ad rem ipsam naturalem, quæ est subiectum illius, ita ut quandiu non communicatur illi, appetat se illi comunicari, semel vero communicata quiescat in illo. Sed nec leviter mihi satisfacit hæc interpretatio, namque perfectior superveniens non communicata subiecto non potest appetere se illi communicari, nam dura non existit, non potest appetere, seu habere appetitum, & semel communicata uni subiecto non potest appetere suimet existentiam in altero subiecto, quia non potest appetere, quod naturaliter repugnat, qualiter repugnat unum accidens transmigrare de subiecto in subiectum. Alter ingenuissimus Thomista in suis manuscriptis respondet, quod perfectio superveniens alia est extrinseca, & quæ dimanat ab ipsa forma constitutiva, tanquam proprietas illius, ut est calor respectu ignis, & descensus in centrum respectu lapidis; & de perfectione hujus generis loquitur D. Thom. in primis verbis, quando ait, quamlibet rem naturalem habere habitudinem ad suam formam, vocatur enim predicta perfectio forma sua, id est, constitutiva, quia est complementum intrinsecum illius ab ipsa dimanans, & ei debita in instanti generationis, juxta illud Div. Thom. Qui dat formam, dat consequentia ad formam. Alia est perfectio superveniens extrinseca, & non profluens à forma constitutiva, est tamen ei bona, & proportionata, ut centrum ipsum, ad quod inclinatur lapis, & similiter actio generativa, omnis enim natura appetit generare sibi simile, cum appetat sui conservationem; cum tamen generatio non sit forma intrinseca permanens in generante, sed subiective in passo juxta probabilem Thomistarum sententiam. Et de hac perfectione loquitur Div. Thom. in verbis sequentibus, cum ait: *Et idem est de quacumque perfectione, quod est bonum naturæ,*

ac si diceret, res naturalis constituta in actu persuam formam naturalem, non solum ad suam formam, id est, ad intrinsecum sui complementum, verum & ad quamcumque aliam perfectionem, dummodo sit bonum naturæ ei conveniens, & proportionatum, habet inclinationem. Verum hæc solutio, & interpretatio, licet sit sufficiens, videretur tamen voluntaria, cum illa verba de quacumque perfectione sensum universalem contineant, unde sine fundamento limitatur ad perfectionem extrinsecam.

28 Verius ergo mihi videtur dicendum, quod in primis verbis loquitur Div. Thom. de inclinatione rei naturalis ad suam formam quantum ad sui complementum, & perfectionem, in verbis vero sequentibus intendit, quod non solum res naturalis inclinationem habet ad suam formam prout sic, verum & ipsa eadem forma, quæ est illius perfectio, & complementum, appetit etiam bonum sibi conveniens, debitum, & proportionatum. Non enim solum homo appetit perfectionem sibi debitam, & convenientem, verum & potentia visiva, quæ est illius complementum, appetit etiam bonum sibi conveniens, & debitum, v. g. species visibiles, & ipsum videre, & hoc modo proprium, & conveniens sibi bonum appetit quilibet potentia. Potest enim potentia considerari in esse formæ, & qualitatis; & ut sic est perfectio, & complementum naturæ, à qua dimanat, proindeque ut sic, est terminus inclinationis rei naturalis ad ipsam. Deinde potest considerari in esse potentie formaliter, videlicet secundum ordinem, quem dicit ad objectum, & hoc modo consideratur, ut subiectum actuabile, & perfectibile, quomodo potentia cognoscitiva perficitur per species, & omnis potentia per suam operationem. Propterea que hoc modo etiam qualibet potentia inclinatur in sui perfectionem, & complementum, quod est expressum Div. Thom. infra quest. 80, art. 1. ubi sic habet: *Unaquæque potentia animæ est quedam forma, seu natura, & habet naturalem inclinationem in aliquid, unde unaquæque appetit sibi bonum conveniens naturali appetitu.*

29 Ad 2. resp. quod quies non est de re habita imperfekte, sed perfecte; quandiu enim forma habetur imperfekte, subiectum tendit in illius perfectionem, & si non quiescit in ea,

30 Ad 3. resp. quod proprietates aliae sunt, quæ dimanant à forma absolute, & independenter ab aliquo extrinseco; aliae vero ab aliquo extrinseco dependent, ut descensus lapidis impeditibilis est ab extrinseco. Proprietates ergo hujus secundi generis non sunt necessario in eodem instanti, in quo producitur forma, sed naturæ

tur aliter forma ab extrinseco impedita potest esse sine eis; & sic in has proprietates res naturalis naturaliter tendere potest per appetitum. Proprietates vero primi generis, & si inseparabiles sint naturaliter à forma; de potentia tamen Dei possunt sperari, & in hoc casu possunt terminare appetitum rei naturalis. Forma vero constitutiva rei naturalis; neque naturaliter, nec de potentia Dei separabilis est à re per ipsam constituta, ipsa re permanente in suo esse naturali; nam hoc implicat contradictionem, & sic non currit eadem ratio.

31 Ad 4. resp. disting. antec. Forma intelligibilis non perficitur per bonum in re, tamquam bonum distinctum à bono in re, ita ut hoc se habeat ex additione ad illud, conc. non perficitur à bono in re ut idem bonum cum bono in re, cum modo tamen perfectiori essendi, nego. Forma enim intelligibilis est ipsum bonum in re, sola distinctione penes modum essendi intentionaliter, vel realiter, seu phisicè; & sic forma intelligibilis non dicitur compleri per bonum in re, ut unum bonum per aliud bonum, sed ut idem bonum per perfectorem modum essendi, quia forma intelligibilis est ipsum bonum, sed intentionaliter, & hoc ipsum bonum est in re, sed phisicè, & realiter. Et sic ex hoc ipso, quod bonum illud intentionaliter existens, existat etiam phisicè, & realiter, dicitur perfici; & compleri. Aliter tamen forma naturalis constitutiva dicitur compleri per suas proprietates: quia illa à proprietatibus est distincta, nedum quoadmodum essendi, verum & quoad substantiam, & sic ad illam comparantur proprietates, ut bonum distinctum superadditum.

32 Ad ultimum respond. quod intellectus non constituitur in actu per formam intelligibilem, ut suppositum, vel natura, sed ut potentia suppositi, vel natura; proindeque per idem est dicere, intellectum in actu constitui per formam intelligibilem, ac dicere suppositum, vel naturam constitui in actu per eam. Et sic in p̄missis ponitur natura intellectualis, & si non exp̄sse, implicitè tamen. In conclusione vero debuit exp̄sse ponit, quia in ea infertur inclinatio, non quilibet, sed elicita, quæ naturæ intellectuali, non medio intellectu, ut elicienti competit, sed media voluntate, quæ licet suppositaliter cum intellectu convenienter, realiter ramen, & specificè ab ea distinguitur, ut in soluzione ad sequēs argumentum dicimus.

33 Quarto objicess: ex ratione Div. Thom. non prob. potentia ab intellectu realiter distingueatur ergo non probatur voluntas. Antec. prob. Ex ratione Div. Thom. solum probatur inclinatio

ad formam intelligibilem; at hæc inclinatio non est ab intellectu distincta; nam intellectus ipse etiam inclinatur in propria sui perfectione, ut diximus, & forma intelligibilis est propria intellectus perfectio: ergo.

34 Pro hujus argumenti solutione, reliquit alijs, notanda est doctrina Div. Thom. supra cit. quæst. 30. art. 1. ad 3. Cum enim proposuisset argumentum, ad probandum non oportere posse potentiam appetitivam ab alijs distinctam, quia quilibet potentia appetit bonum sibi conveniens: resp. Div. Thom. *Quod unaquæque potentia animæ est quedam forma, seu natura, & habet naturalem inclinationem ad aliquid, unde unaquæque appetit bonum sibi conveniens naturali appetitu, supra quem est appetitus animalis consequens apprehensionem, quo appetitur aliquid non ea ratione, qua conveniens ad actum hujus, vel illius potentie, ut potè visio ad videndum, & auditio ad audiendum; sed quia est conveniens simpliciter animali.* Ex quibus constat solutio, disting. illam m̄j. Ex ratione D. Thom. solum prob. inclinatio ad formam intelligibilem orta ex ipsa forma intelligibili, ac proinde elicita, & indifferens, terminataque ad formam intelligibilem, ut convenientem simpliciter ipsi supposito intelligenti, conc. orta ex ipso intellectu, ut quedam forma, & natura est, proindeque naturalis, & determinata, terminataque ad formam intelligibilem, quatenus pure sibi convenientem, nego. Inclinatio enim, quam probat Div. Thom. est inclinatio orta ex ipsa forma intelligibili, & ad eam sequuta, sicut & inclinatio rei naturalis ortum habet ex forma naturali, & ad illam sequitur. Hæc autem inclinatio non est naturalis, sed elicita, cum sit inclinatio in bonum cognitum. Unde sicut per formam intelligibilem nedum representatur bonū convenientis intellectui, sed etiam visui, & cuilibet alteri potentie, & in universum quidquid est convenientis suppositio; totum hoc appetit homo per prædictam inclinationem, proindeque appetitur per eam ipsa forma intelligibilis, non ea ratione, qua convenientis pure ad actum intellectus, sed quia convenientis simpliciter supposito, & consequenter sub ratione communi boni, & propteræ est inclinatio omnino indifferens, & indeterminata, quæ in animalibus dicitur appetitus animalis, & in intelligentibus appetitus rationalis, quæ est voluntas. Inclinatio autem quæ intellectus inclinatur in eandem formam intelligibilem, non est orta ex ipsa forma intelligibili, cum eam antecedat, sed ex ipso intellectu, ut quedam forma, & natura est; unde par modo intellectus appetit formam intelligibilem, quæ visus appetit formam visibilem, & quilibet

bet potentia bonum sibi conveniens, & sic est inclinatio naturalis, & determinata, qua appetit formam intelligibilem purè ut sibi convenientem, & non ut convenientem supposito; ita ut illa inclinatione homo non appetat bonum vi-sus; aut alterius potentia, sed solum bonum proprium intellectus.

35 Propterea quod notat Cajet. in commen-tario super locum citatum, quod in cognos-centibus, quemadmodum est utriusque ratio, naturę scilicet, & cognoscitivę; ita est uterque appetitus, naturalis scilicet, qui nihil est aliud, quam ipsa naturalis potentia ad suam perfectio-nem, & animalis, seu intellectualis, qui non fer-tur nisi ad bonum cognitionis, & propterea vide-re, audire, & alia hujusmodi, & etiam ipsum appetere, duplíciter appetimus, naturaliter se-cundum partem, id est, secundum illam poten-tiam, cuius est perfectio, & animaliter, vel in-tellec-tualiter cum apprehensum visionis, aut volitionis bonum concupiscimus, & conserva-re connatur.

36 Quarto objec-tis. Voluntas est prior in-tellec-tu constituto in actu per formam intelli-gibilem. Non ergo voluntas potest per in-tellec-tum prout sic constitutum à priori demon-strari. Anteced. pater, quia intellectus noster est à principio tanquam tabula rasa, ut supra diximus cum tamen à principio sit cum illo voluntas. De hoc dicimus resolutione sequenti; pronunc fit satis, asserendo argumentum probare D. Tho. non demonstrare immediate voluntatem ipsam quia hæc prior est intellectu constituto in actu per formam intelligibilem, ut argumentum cō-vincit; non tamen probare non demonstrari immediate actum voluntatis, nam iste posterior est actu intellectus, cum nihil volitum, quin præcognitum; & hoc sufficit, ait Cajet. ut ratio Div. Thom. demonstrativa sit voluntatis, cum ubi est actus voluntatis, necesse sit, quod sit vo-luntas, à qua procedit.

37 Sexto objec-tis. Ut ratio Div. Thom. sit demonstrativa, oportet probare repugnati-onem naturę intellectivę, non volitivę, etiam de potentia Dei absoluta: quia demonstratione conclusio demonstrata habet infallibilem con-nectionem cum præmissis; ita ut adhuc de po-tentia Dei absoluta nequeat dari antec. verū, & consequens falsum: ac proinde posito intel-lectu, non posset de potentia Dei absoluta non ponи voluntas, si semel per intellectum voluntas demon-stratur; at non repugnat de potentia Dei absolu-ta natura intellectiva non volitiva, cum in hoc nulla involvatur contradic-tio, & ratio suadet: quia prius non dependet à poste-riori; intellectus autem prior est voluntas: ergo,

38 Sed in primis compertum debet esse apud omnes, quod in demonstratione non de-monstratur proprietas absolute quoad exis-tentiam, sed solum quoad exigentiam, & debitum, & quoad existentiam præcisè sub conditione, nempe si natura producatur conformiter ad proprium debitum, & naturalem exigentiam; in demonstratione enim propositiones sunt eterne veritatis; patet autem, quod existentia est prædicatum contingens; quod est videre in demon-stratione, qua prob. quod homo est ri-sibilis, quia est rationalis; tunc enim non demon-stratur, quod homo est risibilis actu, & quoad existentiam, sed quod risibilitas est proprietas ei debita, & juxta propriam naturam exacta; ita quod si ponatur homo existens juxta proprium debitum, & connaturalem exigentiam suę natu-rę, non possit non ponи risibilis actu, & quoad existentiam, licet per miraculum posse sine ri-sibilitate subsistere. Aliter nulla esset proprietas demonstrabilis, cum de potentia Dei posse es-sentia sine proprietatibus produci, quia est illis prior, ut argumentum probat. Ut ergo ratio Div. Thom. demonstrativa sit, non opus est voluntatem taliter cum intellectu connecti, ut nec de potentia Dei absoluta possit dari intellectus sine voluntate actu, & quoad existentiam; sed sufficit taliter connecti, ut non possit dari intellectus, qui non exigat radicare voluntatem, ita ut hoc ipso, quod natura sit intellectiva, non possit non esse radicaliter, & exactivę volitivę.

39 Si ergo argumentum solum intendit, non repugnare naturam intellectivam non vo-litivam actu, & quoad existentiam, concedimus libenter antec. & neg. conseq. Si vero intendit non repugnare naturam intellectivam non vo-litivam, etiam exactivę, & radicaliter: aliqui omittunt antecedens, & negant rationem Div. Thom. demonstrativam non esse, quia dicunt naturam illam fore intellectivam incomplete, & in perfecte, ut potè speculative tantum, & non practice. Attamen natura intellectiva com-plete, & perfecte, scilicet, practicę, & specu-lativę, non potest non esse volitiva, & hoc, in-quiunt, sufficit, ut ratio Div. Thom. demon-strativa sit, cum ex hoc evidenter inferatur, quod cum Deus sit perfectissimè intelligens, sit etiam perfectissimè volens. Unde in primo cōtra Gentes cap. 72. non qualitercumque pro-bat Div. Thom. quod Deus est volens, quia est intelligens, sed quia est perfecte intelligens, ait enim in prima ratione: *Deus, cum sit perfecte intelligens, intelligit ens simul cum ratione boni. Est igitur volens.* Attamen, licet ita sit: quod D. Thom. in prædicta ratione procedit solum de perfecte intelligenti; locis tamen p̄ allegatis,

procedit de quolibet intelligenti, cum intellectus quilibet in actu constituantur per formam intelligibilem. Unde principium Div. Thom. est universale, & nendum probat voluntatem divinam per divinum intellectum, verum & probat demonstrative per intellectum creatum creatum voluntatem. Melius ergo negatur possiblitas talis naturae, de quo in tertia resolutione.

40 Septimo objicies. Si forma intelligibilis esset ratio formalis actus voluntatis, non esset possibilis actus voluntatis non procedens à forma intelligibili, sicut à simili patet de inclinatione naturali, quæ non est possibilis, quia procedat à forma naturali; at possibilis est actus voluntatis non procedens à forma intelligibili: ergo. Prob. min. Actus primus voluntatis non procedit à forma intelligibili: ergo possibilis est talis actus. Prob. anteced. namque aliter daretur processus in infinitum, quia cum voluntas sit primum movens quoad exercitium, illam cognitionem præcederet alter actus voluntatis, & illic actum voluntatis altera cognitio, & sic usque in infinitum.

41 Hoc argumentum procedit contra illud philosophicum principium: *Nihil volitum, quin precognitum*, de quo authores 1. 2. quest. 9. art. 10. ubi Thomistæ ita indispesabiliter docent præxi cognitionem ad volitionem, ut neque de potentia Dei absoluta possit dari volitio, quam non præcedat cognitio: quia oppositum est contra naturam ipsam, & essentiam voluntatis, quæ ideo dicitur appetitus intellectualis, seu rationalis, quia sequitur formam apprehensam per intellectum, seu rationem, ad differentiam appetitus sensitivi, qui sic dicitur, quia sequitur formam apprehensam per sensum, & appetitus naturalis, qui sic etiam dicitur, quia sequitur formam naturalem. Unde ad argumentum resp. quod etiam ad primam volitionem præcedit cognitio, non quidem per modum imperij, sed solum per modum simplicis propositionis boni, quod explicatur his verbis: hoc est amandum: hanc autem primam cognitionem non præcedit volitio, neque in ea movetur intellectus à voluntate, sed naturaliter movetur ex motione agentis naturalis, seu authoris nature, quod est Deus. Unde naturaliter, seu ex inclinatione naturali primam elicit cognitionem, ut docet Div. Thom. 1. 2. quest. 10. art. 1. & quest. 9. art. 4.

42 Sed dices: ergo primus actus voluntatis est naturalis: non ergo sequitur cognitionem, vel formam apprehensam: quia secundum nos in eo distinguitur appetitus naturalis ab elicito, quod naturalis sequitur formam naturalem; eli-

citus vero formam apprehensam. Sed respond. ex Cajetano ibi, quod talis actus, vel appetitus dicitur naturalis, non quia sit innatus, & non elicitus; sed quia licet sit elicitus, non tamè à voluntate, ut applicante se ad volendum, sed ut applicata ab authore naturæ utpote voluntas in volitione finis non se movet, sed movetur ab authore naturæ, propterea que solù applicative se mover, in quantum per volitionem finis se reducit, & applicat ad volendum ea, quæ sunt ad finem; undè solum dicitur se mouere in electionem mediorum. Et uno verbo, appetitus ille dicitur naturalis. Prout opponitur appetitui libero; non tamen prout opponitur appetitui elicito.

43 Tandem objicies. Objectum intellectus non infert objectum voluntatis: ergo neque intellectus infert voluntatem. Conseq. pater. Namque tanta debet esse connexio inter intellectum & voluntatem, quanta est inter eorum objecta. Antec. vero prob. Objectum intellectus est verum, & objectum voluntatis est bonum; sed verum non infert bonum, alias esset bonum, verum omne: ergo. Resp. quod objectum intellectus est verum universaliter sumptum, nempe omne verum; cum ergo bonum sit quodam verum, consequenter objectum intellectus infert objectum voluntatis, licet non omne verum sit bonum. Vel dicatur, quod verum, quod est objectum intellectus speculativi, non infert objectum voluntatis; bene tamen objectum intellectus practici: quia hoc est, non qualemcumque, sed verum, quod est bonum.

## RESOLUTIO II.

*Ratio Div. Thom. ut jacet, solum demonstrat immediate actum voluntatis; ex hac tamen demonstratione facile deducitur demonstratio ipsius voluntatis immediate,*  
*& a priori.*

44 **E**st contra Lisbonensem, & alios in manuscriptis. Eam tamen tenet Cajet. PP. Salmant. & alij.

Et prima pars fundatur primo ex conclusione immediate illata à D. Thom. quæ est hujusmodi: *Ergo natura intellectualis ad bonum apprehensum per formam intelligibilem, habitudinem habet, ut cum habeat ipsum, quiescat, in illo; cum vero non habeat, querat ipsum; patet autem, quod quiescere in bono apprehenso, & querere ipsum sunt actus voluntatis, qui appellantur gaudium, & desiderium: ergo. Neque valet, quod quiescere in bono apprehenso, & querere ipsum, stat dupliciter, & actualiter, & habitualiter, & in hoc secundo sensu accipiunt à Div. Tho.*

non inquam valet. Namque immediatè subsummit, quod utrumque hoc pertinet ad voluntatem; non autem possunt pertinere ad voluntatem si summantur habitudinaliter, quia prout sic sunt ipsamet voluntas: ergò.

45 Fundatur secundo ex principio assumptionis à Div. Tho. nemp̄, *intellectus in actu constituitur per formam intelligibilem*, & argumentator sic. Inclinatio à Div. Thom. immediate demonstrata est inclinatio sequuta ad intellectum in actu constitutum per formam intelligibilem; at hęc non est potentialis, sed actualis: ergò Min. prob. 1. Namque inclinatio potentialis intelligitur antecedenter ad intellectum in actu constitutum per formam intelligibilem, & est prior illo, ut sic: ergò hęc sequi nequit ad intellectum constitutum in actu per formam intelligibilem. Patet antecedens. Namque inclinatio potentialis habet esse per dimanationem ab anima in eodem instanti generationis, sicut & intellectus, & ceterae potentiae; at tunc non intelligitur intellectus constitutus in actu per formam intelligibilem, cum ei species decursu temporis adveniant, casque successivę acquirat: ergo. Ex quo ulterius sequitur, quod potentia ipsa voluntatis solum potest sequi ad intellectum, quantum intellectus est ratio dimanationis illius ab ipsa anima in eodem instanti generationis: patet autem, quod intellectus neque est, neque potest esse ratio dimanationis voluntatis ab anima in eodem instanti generationis secundum quod constitutus est in actu per formam intelligibilem, sed purę ut intellectus est in ordine naturae consideratus, in quo ordine intelligitur purę in potentia, & tanquam tabula rasa: ergò.

46 Secundo probat. eadem min. Inclinatio voluntatis per modum potentie est ex se indifferens ad actus, & objecta specie diversa, propterea quia ejus objectum ut sic est bonum in communi, & totius suppositi: ergò nequit sequi ad intellectum in actu constitutum per formam intelligibilem. Prob. conseq. Inclinatio de se indifferens ad objecta specie diversa, dumtaxat potest sequi ad intellectum in ratione potentie de se pariter indifferens ad objecta specie diversa, at intellectus, ut ex se indifferens ad objecta specie diversa, est intellectus per modū purę potentiae, nemp̄ actuabilis per omnium rerum species; non verò ut in actu constitutus per formam intelligibilem, quia ut sic jam determinatur ad actuū circa objectum per illam apprehensum, seu representatum: ergò. Explicatur, & confirmatur hoc ipsum. Juxta omnes doctores, intellectus solum in actu constituitur per formam intelligibilem in ratione potentie determinata, & propterā non constituitur per eam in esse.

M. Carrasco.

naturae: quia in esse naturae est potentia de se, & essentialiter indifferens ad omnia objecta, sicut & prout sic est indifferenter susceptivus specierum omnium rerum; sed in esse intelligibili in quo intellectus determinate fit objectum ipsum cuius specie actuatur, proptereaque ut sic determinatur ad actum solum erga tale objectum; & hęc est necessitas ponendi species intelligibiles: ergò ad intellectum ut sic in actu constitutum per formam intelligibilem dumtaxat sequitur inclinatio actualis. Probat. conseq. Ad intellectum in ratione potentiae determinata solum sequitur inclinatio determinata; at inclinatio determinata non est voluntas ipsa, sed actus voluntatis, ut probatum est: ergò.

47 Dices cum quodam Magist. Dominiano in suis manuscriptis, rationem Div. Tho. esse intelligendam, & proponendam sub his terminis: *Ad intellectum, ut actuabilem per speciem representativam boni sequitur inclinatio ad bonum; sed talis inclinatio est aliqua potentia, quia praenteilitur ad actuū intellectus: ergò non est actus voluntatis, sed voluntas ipsa.* Sed in primis hoc est asserere, quod sub terminis, quibus jacet ratio Div. Thom. non demonstrat immediate voluntatem ipsam, sed actuū illius, & hoc est, quod nos intendimus. Neque valet hos terminos aequivalenter se habere ad illos; hoc enim falsum est, longe enim diversum sensum continent: *intellectus constitutus in actu per formam intelligibilem, ac intellectus actuabilis.* Sicut, & corpus dealbare, & corpus dealbatum. Deinde probatur, quod ratio D. Thom. non debet intelligi sub illis terminis, namque sub eis non infertur conclusio D. Tho. quod natura intellectualis quiescat in bono appreheſo, si illud habet, vel querat, si non habet; sed dumtaxat sub illis terminis infertur, quod possit quiescere, vel querere; D. Tho. non infert quietem, vel tendentiam aptitudinalē, sed actualē: hęc enim est, quę significatur per quiescere, vel querere: ergò. Similiter ex illo principio infert D. Tho. inclinationem ad bonum appreheſum; ex intellectu autem, ut actuabili non infertur inclinatio ad bonum appreheſum, sed ad bonum appreheſibile. Praterea hoc ipsum constat ex quo Div. Tho. proportionabiliter loquitur de intellectu constituto in actu per formam intelligibilem, ac de re naturali constituta in actu per formam naturalem, sed inclinatio naturalis, de qua ibi Div. Tho. sequitur ad rem naturalē, non ut constitibilem; sed ut actu constitutam per formam naturalē: aliaś materia prima ex quo actuabilis est per formam, habéret inclinationem propriam illius formę: ergò. Tandem inquirō, si ratio Div. Thom. sub illis terminis

nis debet intelligi, ad quid AA. nostri in praesenti satisfacere intendunt argumento factio in praecedenti resolutione, quod nempe intellectus non constituitur in actu per formam intelligibilem, sed per virtutem intellectivam? Si enim per ly in actu intelligitur idem, quod actuabile, patet, quod intellectus, ut actuabilis non per formam intelligibilem, sed per virtutem ipsam intellectivam constituitur; haec enim in ipsa immaterialitate, secundum quam intellectus est actuabilis per omnium rerum species, consistit; ac proinde hoc modo interpretando rationem D. Thom. evidenter convincit predictum argumentum, neque erit contra nos.

48 Dices cum eodem Magistro, in demonstratione propositiones esse aeterna veritatis, consequenterque veritates objectivae non dicunt actualitatem existentiae; quia hoc est praedicatum contingens, sed actualitatem essentiae; quia in propositione aeternae veritatis tantum attenditur connexio praedicati cum subiecto; & in demonstratione solum probatur, quod praedicatum est debitum huic subiecto; non vero, quod defacto existat in illo, quae est doctrina a nobis supra in praecedenti resolutione relata. Qua supposita ait iste sapient. Mag. quod illa propositio D. Thom. ad rem constitutam in actu per suam formam sequitur inclinatio. Ly in actu non denotat actualitatem existentiae, sed actualitatem essentiae, & quando per hanc demonstrationem demonstratur inclinatio ad bonum apprehensum, demonstratur per modum proprietatis debite naturae intellectuali, non vero ut existens in ipsa.

49 Sed quid ex hoc? Fato, quod ly in actu, in propositione assumpta a D. Tho. denotat actualitatem essentiae; sed inquirio: denotat ne actualitatem essentiae intellectus in esse naturae, seu per modum potentiae indifferentis, vel in esse intelligibili, & per modum potentiae determinatae? Si primum. Propositio D. Thom. est falsa, quia ut sic non constituitur in actu per formam intelligibilem, sed per suam intrinsecam immaterialitatem. Si secundum: ergo ad intellectum ut sic solum potest sequi inclinatio determinata. Nec nos intendimus, quod ex intellectu ut sic in actu determinato per formam intelligibilem demonstretur inclinatio actualis, ut existens absolute, sed ut debita, & connexa: ipsa enim inclinatio actualis, & non solum potentia ipsa potest etiam concipi ab aeterno, ut debita, & connexa cum intellectione, seu apprehensione boni; ab aeterno enim est verum dicere, quod apprehendens bonum aliquid, ubi sibi conveniens appetit illud, si non habet, vel gaudet de illo, si habet, quia in hoc non denotatur, quod defacto apprehendat, neque defacto appetat, sed

solum quod cum ea apprehensione connectitur appetere; quomodo cui ab aeterno verum dicere, quod currens movetur, quod actio egreditur, quod accidentis inheret, quod existentia facit existere. Omnia enim haec concipit intellectus, quin concipiatur hic & nunc, aliquem currere, aliquam actionem egredi, aliquod accidentis inherere, aliquam existentiam facere existere; sed solum pure attendendo ad connexionem praedicati cum subiecto, et si extrema essentialiter in exercitio constat. Eodem ergo modo, & si inclinatio actualis in exercitio constat, concipit intellectus connexionem illius cum apprehensione boni, seu cum intellectu constituto in actu per formam intelligibilem, sine eo, quod concipiatur intellectum aliquem hic, & nunc constitutum, & sine eo, quod concipiatur inclinationem aliquam, hic, & nunc exercitam, & existentem.

50 Addo propleniori intelligentia ex dictis resolutione praecedenti, quod in demonstracione demonstratur extremum connexum, ut existens conditionaliter, est dicere: quod cum connexio unus cum aliо, non in alio consistat, quam in conditionali existentia, quod si unum ponitur existens, debet, & aliud ponit, cum demonstratur per essentiam proprietas, vel per unum actum alter actus quo ad connexionem, demonstratur etiam quo ad existentiam, non absolute, sed conditionaliter talem, & sic argument. convincit, quod per hanc demonstrationem D. Th. non demonstratur inclinatio actualis absolute existens; demonstratur tamen sub existentia conditionali, nempe, quod si est verum ad intellectum in actu constitutum per formam intelligibilem representantem bonum sequi inclinacionem ad illud, si intellectus hic, & nunc constituitur per illam, ad illum hic, & nunc sequitur predicta inclinatio. Patet autem, quod ad intellectum hic, & nunc constitutum per formam intelligibilem, non potest sequi potentia ipsa voluntatis, sed solum actus illius. Tandem ergo in predicta demonstratione solum demonstratur connexion actus voluntatis, & non ipsius voluntatis.

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

51 **S**ed contra nostram resolutionem objicies i. ex Liboniensi. Intellectus non constituitur in actu per hanc vel illam formam intelligibilem determinatam, sed per omnes universalissime, quia non intelligit solum hoc, vel illud ens determinate, sed quodlibet ens: ergo ad illum, ut sic constitutum in actu, veluti indeterminate, & in communi, debet

sequi, non appetitus determinatus, sed universalissimus juxta universalitatem formarum intelligibilium, quibus intellectus in actu constitui potest; sed appetitus universalissimus est potentia ipsa voluntatis: ergo hec est, quae sequitur immediate, & non actus illius.

52 Confirm. ex Illmo. Araujo, qui etiam oppositum nostrae resolutionis videtur defendere: et si verum sit quod intellectus hic, & nunc non possit constitui in actu, nisi per formam intelligibilem determinatam, media qua determinatum objectum apprehendat; attamen ex hoc ipso deducitur haec doctrinalis propositio in communi: *Quod intellectus, ut intelligat, constituitur in actu per formam intelligibilem, in qua non denotatur, quod intellectus intelligat hoc determinatè objectum, vel illud, neque quod forma intelligibilis hoc, vel illud determinatè objectum representet; sed indifferenter summittur intellectus, prout est potens in actu intelligere omnia objecta, & similitè prout est potens in actu objectorum omnium speciebus informari: ergo ex hac doctrinali propositione non infertur inclinatio determinata, sed indifferens, & universalis.*

53 Sed hoc argumentum laborat in equivoco, utpote non distinguit inter indifferentiam intellectus per modum puræ potentiae, quæ est indifferentia essentialis, & indifferentiam illius per modum potentiae determinatae, veluti vagè consideratae, quæ est indifferentia accidentalis. Habet enim se intellectus in genere intelligibili, sicut materia prima in genere entis; sicut enim haec in genere entis est pura potentia, & primus ejus actus est forma substantialis; sic intellectus in genere intelligibili est pura potentia, & primus ejus actus est forma intelligibilis, seu species, non ne quando intellectus veluti vagè concipit materiam primam, ut constitutam in actu per formam substantialiem, licet non per hanc, vel illam determinatè, concipit eam, cum indifferentia essentiali; quam habet ex se per modum puræ potentiae? Neutquam. Sed concipit eam ut essentialiter physicè determinatam, & ut indifferentem solum accidentaliter, seu vagè intra propriam lineam, & rationem potentiae determinatae, quatenus ei prout sic accidit, quod hac, vel illa forma substantiali informetur. A simili ergo, cum intellectus concipitur veluti vagè in actu constitutus per formam intelligibilem, jam non concipitur ut indifferens essentialiter, & per modum puræ potentiae; sed ut essentialiter in esse intelligibili determinatus, & accidentaliter, seu vagè indifferens intra propriam lineam, & rationem potentiae intelligibiliter determinatus, quia ei prout sic accidit,

quod actuatur hac, vel illa forma, hoc vel illud objectum representante, consequenterque ad eum prout sic intelligitur consequi appetitus, & inclinatio indifferentis non essentialiter, sed accidentaliter, & vagè intra propriam rationem inclinationis determinatae, quæ non est voluntas ipsa: nam haec essentialiter est indifferens; sed inclinatio actualis; non tamen haec, vel illa determinata, sed indeterminate, & vagè. Et per haec patet ad confirmationem.

54 Secundo objicies ex nostra sententia sequitur, quod ratio D. Tho. supponat dari voluntate in Deo: ergo, & quod supponat id quod inquirit. Prob. sequela D. Tho. hac ratione, secundum nos, probat dari in Deo actum voluntatis; sed implicat, quod detur actus voluntatis, quin supponatur voluntas ipsa: ergo. Sed necio, vel non capio quo pacto inferatur hoc consequens: aliud enim est, quod non possit dari actus voluntatis, quin supponatur voluntas elicitoria illius, & aliud, quod qui demonstrat actum aliquis potentiae, supponat dari ipsam potentiam. Primum semper est verum; secundum vero solum potest verificari, quando actus demonstratur per ipsam potentiam; tunc enim, cù antecedens supponatur ad consequens, supponitur pariter potentia ad actum illius, quo modo supponitur causa ad effectum, quando effectus demonstratur per causam. Attamen quādo actus, vel effectus non per causam, seu potentiam elicitoriam illius, sed per actum alterius causæ, vel potentiae, cum quo concordatur, demonstratur, tā longè abest, quod supponatur potentia, vel causa, quod potius demonstratur consequēter mediatae, ex quo actus, vel effectus nequit esse sine potentia, & illius causa. Unde instatur argumentum in omni demonstratione à posteriori, in qua per effectum demonstratur immediate causa, tunc enim in antecedenti supponitur effectus ad causam; sed effectus nequit dari sine causa: ergo in antecedenti supponitur causa, quæ probari intenditur; consequentia non valet.

55 Sed dices, juxta consequentiam D. Tho. Ille duplex actus pertinet ad voluntatem; sed pertinet ad voluntatem sciri nequit, quin sciat voluntate esse, & quid sit voluntas: qui enim ignorat voluntatem esse, vel quid sit quomodo scire valet, quod ad voluntatem pertinet quietere in bono apprehenso, vel illud querere? Supponit ergo D. Tho. dari voluntatem. Neque valet D. Tho. supponere dari voluntatem, sed non in Deo, & hoc est, quod inquirit; & intendit demonstrare. Contra enim est: quod ratio Div. Tho. aque probat dari in Deo voluntatem, ac eā dari in qualibet natura intellectuali, cū probet dari in Deo voluntate, ex quo in ipso intellectus.

Iesus. Melius ergo dicitur, quod in demonstratione proprietatis non demonstratur proprietas abstractive, & metaphysicè sumpta, hoc est, quantum ad rationem ipsius per medem quidditatis: hoc enim modo est lumine naturali nota, & solum indiget explicacione terminorum: sed demonstratur solum concretive, quantum ad rationem convenienti huic, vel illi subiecto. Cum enim demonstratur, quod homo est risibilis, non demonstratur ratio ipsa, seu quidditas risibilitatis; sed quod risibilitas convenit homini, ex quo ei convenit rationalitas: Ad hanc enim demonstrationem presupponitur cogitatio ratio ipsa, & quidditas risibilitatis. Dicimus ergo rationem D. Tho. supponere dari voluntatem abstractive, & metaphysicè, & consequenter supponere præ cognitionem illius ut sic, nempè, quod sit potentia appetitiva rationalis, scilicet consequens formam rationis, & sic præ cognita demonstratur eam esse in Deo, & in qualibet creatura intellectuali per actum illius.

56 Secunda pars resolutionis, quod scilicet, ex hac demonstratione facile posse deduci demonstratio à priori, & immediata ipsius voluntatis liquido constat. Namque si ad intellectum in actu constitutum per formam intelligibilem sequitur inclinatio elicita, & actualis ad bonum per eam apprehensum, ad intellectum actuabilem per illam non potest non sequi potentia elicativa, & inclinativa in illud; sicut enim se habet actus ab actu, ita potentia ad potentiam. Sed objicies, ad formam naturalem non sequitur inclinatio naturalis, nisi secundum quod actu constituit rem naturalem, aliter materia prima, ex quo actibilis est per aliam formam, haberet inclinationem propriam illius formæ: ergo ad formam intelligibilem non sequitur inclinatio intellectualis, nisi secundum quod actu constituit intellectum. Conseq. videtur bona, quia D. Tho. proportionabiliter loquitur de una, ac de altera inclinatione. Resp. etiam inclinationem naturalem, aliam esse determinatam, & per modum actus; & aliam indifferentem; & per modum potentie, primo modo sequitur ad formam naturalem; sicut enim forma naturalis habet esse determinatum, & per modum actus; ita inclinatio ex ea orta est etiam determinata, & per modum actus. Secundo modo sequitur ad subiectum formæ naturalis, quatenus actuabile per eam in propria linea naturali, quale est materia prima; hæc enim etiam habet inclinationem indifferentem, & universalissimam in omnes formas, per quas actuabilis est, & consequenter talis solum per modum potentie, sicut & ipsa pura potentia est.

## RESOLUTIO III.

*De potentia Dei absoluta non est possibilis natura intellectiva, non volitiva.*

57 **E**st etiam omnium Thomistarum contra Recentiores, & fundatur. Si talis natura esset possibilis, sequerentur duæ contradictiones: ergo possibilis non est. Probatur sequela; sequeretur, quod talis natura posset appetere objectum cognitionis ut conveniens, fugereque objectum cognitionis ut repugnans, illudque non posse appetere, neque fugere; sed ista sunt contradictiones: ergo. Prima pars patet ex dictis resolutione 1. & praecipue ex tertia ratione Div. Thom. Secunda vero pars non minus constat, quia illi sunt actus voluntatis, qui repugnant ubi voluntas non est.

58 Confirmatur, & explicatur: si possibilis esset natura intellectiva, non volitiva, talis natura esset intellectiva pure speculative, non verò practicè; at repugnat natura intellectiva, talis pure speculative, & non practicè: ergo. Major supponitur; namque intellectus practicus cognoscit ordinando ad opus extra intellectum, non autem sic ordinat, nisi dirigendo, & movendo, ut suppositum querat cognitionem, ut conveniens, & fugiat cognitionem, ut nocivum; & sic intellectus practicus essentialiter connotat, & exigit voluntatem, quam moveat, & dirigat. Prob. ergo min. Implicitus intellectus pure speculativus, & non practicus: ergo implicitus natura intellectiva pure speculative, & non practicè. Prob. ant. Implicitus intellectus non discernens inter conveniens, & nocivum; at intellectus sic discernens, est intellectus practicus, ut potè eo ipso potest suppositum dirigere, & movere, ut prosequatur cognitionem, ut conveniens, & fugiat cognitionem, ut nocivum: immò, ut diximus resolut. 1. talis facultas discretiva non est propter alium finem creaturis indita, nisi propter directionem suppositi: ergo Major probat. Implicitus intellectus cuius objectum non sit convenientia, vel disconvenientia objecti: ergo implicitus intellectus non discernens inter conveniens, & nocivum. Conseq. pat. & anteced. prob. Objectum intellectus sic est ens sub universalissima ratione veri: ergo hoc ipsum esset objectum cuiuslibet intellectus possibilis, nisi chimericè, & voluntarie concipiatur alter intellectus, non contenitus sub intellectu, ut sic; sed sub praedicto objecto continetur convenientia, & disconvenientia objecti, cum hæc etiam sit ens, & quodammodo

verum

verūm: ergò. Hinc Div. Thom. 1. 2. quæst. 9. art. 1. probat voluntatem móvēri ab intellec̄tu, quia intellectus apprehendit ipsum bonum sub universali ratione veri. Et infra quæst. 79. art. 2. probat, quod intellectus speculativus, & practicus sunt una, & eadem potentia specie, & solum differunt accidentaliter, quia objectum intellectus est verūm, cui accidit, quod sit ordinatum ad opus, vel non.

59 Iterum hoc ipsum confirmatur, & explicatur: secundum D. Tho. 1. 2. q. 1. art. 2. proprium est agentis liberi, & volitivi agere propter finem, ut se moventis in finem, & non ab extrinseco, ut cetera, quæ ratione carent: nām illo modo se móvēre est habēre dominium suorum actuum; at implicat natura intellectualis, quæ non agat propter finem ut se movens in finem: ergò. Prob. min. Agere propter finem, ut se movens in finem, est agere propter finem cognoscendo rationem finis, id est, convenientiam finis, & mediorum ad finem, ita ut media ordinet in finem; at implicat natura intellectualis, quæ non cognoscat rationem finis, & convenientiam mediorum ad finem, cum hæc convenientia necessario cadat sub objecto intellectus: ergò.

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

60 **S**ed contra nostram resolutionem objicies 1. licet verūm sit, quod quilibet intellectus possit discernere inter conveniens, & nocivum; talis tamen discretio non est propter actum voluntatis: ergò ex hoc principio non licet inferre implicatiā naturæ intellective, non volitivæ. Conseq. videtur bona juxta nostram doctrinam. Antec. prob. Actus intellectus perfectior est actū voluntatis; at actus perfectior nequit esse propter imperfectiōrem, sed potius vice versa; cum natura imperfectiora ordinet ad perfectiora: ergò.

61 Resp. vel dicendo non implicare actū perfectiōrem esse propter imperfectiōrem tanquam propter effectū, cum potius hic ordo petat, quod actus sit causa, & consequenter perfectior; quo in sensu communiter dicitur, quod causa est propter effectū, & agens propter suam operationem. Qui ordo non est rigurose talis, quippe hic fundatur independentia; sed latè, prout est idem, quod connexio. Et in hoc sensu dicimus, quod actus intellectus est propter actū voluntatis: quia nemp̄ est illius causa directiva, & regulativa. Vel dicendo, quod actus perfectior non potest esse propter imperfectiōrem, tanquam propter finem ultimum, bene ramen tanquam propter finem inter medium. Actus enim, non à fine intermedio, sed à fine ultimo specificatur: finis autem ultimus actus intel-

lectus, non est actus voluntatis, sed bonum totius suppositi. Et pro utraque solutione nota exemplum Incarnationis Divini Verbi, quæ infinitè nobilior est hominum salute, & tamen dicitur fuisse propter illam, ut patet ex simbolo; sed non nisi tanquam propter finem effectū, & intermediū: finis enim ultimus fuit gloria Dei.

62 Secundò objicies: secundum nos, & D. Tho. non minus ad potentiam intellectivam sequitur appetitus rationalis, quam ad potentiam cognoscitivam sensus sequitur appetitus animalis, seu sensitivus; utraque enim potentia constituitur in actu per formam apprehensam; at nō implicat produci à Deo animal cognoscitivum, non appetitivum: ergò. Prob. min. Non implicat Deum producere animal cum sensibus externis sine internis; sed hoc animal esset cognoscitivum, non appetitivum: quia appetitus animalis non sequitur sensus externos, sed internos: ergò.

63 Pro solutione hujus argumenti notanda est doctrina D. Tho. infra q. 78. art. 4. quod ad vitam animalium requiritur, ut quarant convenientia, & fugiant nociva, quorum alia sunt talia quo ad sensum: quia scilicet sensum delectant, vel pungunt, & hujusmodi representantur per species sensatas, quæ nimirum recipiuntur in sensibus externis, & sensu communi. Alia vero dicuntur talia non quoad sensum, sed quoad alias utilitates, & documenta naturæ: qualiter palear dicitur avi conveniens, unde eam colligit, non quia delectet sensum, sed quia utilis ad nidificandum; & similitè lupus dicitur ovi odibilis, unde eum fugit, non propter indecentiam coloris, sed quia est inimicus naturæ, & hujusmodi representantur per species insensatas, quæ nimirum formantur per estimativam ex species sensatis, & in sensibus exterioribus, & sensu communi receptis, conservatisque, & retentis in phantasia: Sicut ovis ex specie representante colorem, & figuram lupi format speciem representantem lupum, ut inimicum naturæ, & avis ex specie representante colorem, & figuram paleam, ut utilem ad nidificandum. Discernere ergò inter conveniens, & nocivum quoad sensum, attinet ad sensum communem, in quo omnes species sentatae recipiuntur; discernere vero inter conveniens, & nocivum quoad utilitates, & documenta naturæ pertinet ad estimativam. Ad nullum autem sensum externum pertinet discernere inter conveniens, & nocivum ullo modo. Et si Div. Tho. artic. citato videtur docere sensum externum discernere inter ea, quæ cadunt sub proprio objecto, loquitur de discretione in latæ acceptione, prout idem est, ac cognoscere,

vel apprehendere, ut ibi dicunt Authores.

64 Ex quibus patet duplex solutio ad argumentum. Prima est, quod licet Deus possit producere animal cum sensibus externis sine internis quoad existentiam, non tamen quoad exigentiam; nam natura animalis etiam imperfeci requirit, ut querat convenientia, & fugiat nociva, ac proinde petit facultatem discretivam inter conveniens, & nocivum, & consequenter eis mediantibus petit appetitum, immo ipsi sensus externi sunt propter internos, ut scilicet medijs speciebus in eis receptis discernant de convenientibus, & nocivis. Et sic adhuc ipsi sensus externi petunt internos; in quo sensu potest etiam dici ad sensus externos sequi appetitum sensitivum mediante, quatenus ministrant species representantes convenientia, & nociya. Secunda solutio est, quod sola cognitio discretiva inter conveniens, & notium est, quae infert appetitum, ut dictum est; & sic dato quod Deus possit producere animal cum sensibus externis sine internis, tale animal non esset appetitivum; quia sensus externi non discernunt inter conveniens, & nocivum, sed solum interni; nego tamen consequentiam. Namque in natura intellectiva non est distinguere intellectus, quorum alter sit discretivas, & alter non, ut explicatum est. Unde potius inferatur, quod sicut implicat animal cum sensibus internis non appetitivum; ita implicat natura intellectiva, non volitiva.

65 Tertio objicies, licet ex negatione intellectui inferatur negatio volitivi, non tamen est contra: ergo. Prob. anteced. Volitivum supponit intellectivum perfecte constitutum: ergo ex negatione volitivi non infertur negatio intellectivi, sicut ex negatione posterioris non infertur negatio prioris, v. g. Ex negatione passionis negatio naturae.

66 Ad hoc argumentum patet ex dictis resolut. 1. ad 5. quod licet ex negatione volitivi quoad existentiam non inferatur negatio intellectivi; ex negatione tamen quoad exigentiam, & quantum ad radicem volitivi, infertur negatio illius; nam licet volitivum supponat intellectivum perfecte constitutum; supponit tamen illud ut exactive, & radicaliter volitivum; quomodo proprietas supponit essentiam vel naturam, ut radicem illius, unde sicut ex negatione intellectivi quoad exigentiam, & radicem, infertur negatio constituti, nempe hominis, & in universum ex negatione posterioris, quoad exigentiam, & radicem infertur negatio prioris; sic negatio volitivi quoad radicem, & exigentiam infert negationem intellectivi.

67 Quarto objicies; quamvis principium

intelligendi conjugatur in homine cum intellectivo per discursum, & cognoscitivo per sensum; quia tamen principium intelligendi ex se praescindit a discursu, & cognitione sensitiva, tale principium est in angelo sine intellectivo per discursum, & cognoscitivo per sensum: ergo ex eadem ratione licet principium intellectivum in creaturis, que defacto dantur, sit coniunctum cum volitivo, attamen quia principium intellectivum ex se praescindit a volitivo, poterit de potentia absoluta Dei sejungi a volitivo, ita ut neque radicaliter illud exigit.

68 Resp. neng. conf. quia non ita praescindit principium intelligendi ab intellectivo cum discursu, sicut a principio volitivo, namque ab illo praescindit, ut genus a differentia, vel species & de ratione generis est, quod sit contrahibile per plures differentias, & sic non implicat, immo petit inveniri, & contrahi in aliqua specie sine intellectivo cum discursu. Attamen a principio volitivo praescindit, ut essentia a proprietate, vel ut prima proprietas a secunda; & sic ad summum potest ab eo sejungi quoad existentiam, non vero radicaliter, & quoad exigentiam.

69 Quinto objicies; sic comparantur inter se intellectus, & voluntas, sicut actus intellectus, & actus voluntatis; at defacto datur actus intellectus, ad quem non sequitur actus voluntatis, v. g. actus speculativus: ergo. Respond. quod sic comparantur intellectus, & voluntas, sicut actus intellectus practici, & actus voluntatis, non vero sicut actus speculativus. Solum enim actus practicus intellectus est, qui movet, & regulat voluntatem, ut potè solum iste est, qui cognoscit objectum hic, & nunc conveniens, vel nocivum, hic, & nunc amandum, vel fugiendum, proindeque iste solum est, qui exigit, & infert actum voluntatis. Unde Div. Thom. 1. 2. q. 9. a. 1. ad 2. ait: *Quod sicut imaginatio forma sine affirmatione convenientis, O nocivi non movet appetitum sensitivum, ita neque apprehensio vera sine ratione boni, O appetibilis; unde intellectus speculativus non movet voluntatem, sed intellectus practicus, ut dicitur in 3. de anima.* Et in hac q. art. 4. ad 3. ait: *Quod intellectus speculativus nihil dicit de operando.* Nec nos probavimus repugnare naturam intellectivam non volitivam per intellectum ea parte, qua speculativus est, sed ea parte, qua practicus, quippe eo ipso potest discernere inter conveniens, & nocivum. Si autem intendat quis probare possiblē esse intellectum pure speculativum, ex quo possibilis est actus pure speculativus, patet evidenter disparitas. Namque actus cum sic determinatio potentiae, respicit determinatam rationem veri, objectum vero intellectus est ens,

& verum in omnia sua latitudine, sub quo prouidè contineri necesse est bonum ut quiodam particulae verum. Sed dices: non illum est possibilis actus speculativus intellectus, ad quem non sequatur actus voluntatis, verum & actus practicus: erit ergo possibilis intellectus, ad quē non sequatur voluntas. Conseq. patet ex solutione traditta, & antec. prob. stante actu practico intellectus potest Deus denegare concursum ad actu voluntatis; sed sine concurso Dei non est possibilis actus voluntatis: ergo. Resp. disting. cons. quoad existentiam, & peraccidens, nempē ex defectu auxiliij requisiti, conc. conseq. per se, & quoad exigentiam, nego conseq. Quia cum sit practicus, eo ipso cognoscit bonum hic, & nunc amandum; vel malum hic, & nunc fugiendum; propterea quod eo ipso exigit actu voluntatis, quod bonum atnet, vel malū fugiat.

70 Sed dices contra: non solum est possibilis actus practicus intellectus, ad quem non sequatur actus voluntatis, quoad existentiam, & peraccidens, verum & per se, & quoad exigentiam: solutio ergo est nulla. Prob. antec. potest Deus illud decretum denegandi concursum ad actu voluntatis, ipsi cognoscenti revelare; at cum hac revelatione non potest actus ille practicus movere voluntatem ad actu, quia revelatio illa infallibiliter connectitur cum negatione actus voluntatis, & intellectus nequit movere voluntatem ad actu cognitum ut impossibilem: ergo. Sed resp. quod in eo casu talis actus intellectus non erit practicus, sed purè speculativus, quia licet per illum judicet intellectus objectum esse bonum, & ex natura sua amabile, vel malum, & odibile; non tamen judicat, neque potest judicare esse hic, & nunc amandum, vel odiendum cum per revelationem sibi factam, hoc judicet impossibile. Cujus est exemplum in materia de spe, ubi affirmant Theologi magis frequentè, quod facta revelatione alicui de sua damnatione non potest, neque tenetur sperare, quia licet adhuc in eo maneat fides, proindeque judicium per eam regulatum, nempē, quod si perseveraverit usque in finem, salvis erit: attamen ante revelationem iudicium hoc erat practicum, utpotè ex illo movebatur homo ad efficacitatem sperandum beatitudinem; post revelationem vero, quia ei innotescit impossibilitas talis beatitudinis, iudicium illud transit de practico in speculativum, undè neque movet voluntatem ad sperandum. Pariter in nostro casu.

71 Sed dices contra. Detur casus, quod decretum de non concurrendo ad actu amoris Dei, revelet Deus ipsi cognoscenti per visionem beatam, cui cognoscens media visione beata prebeat assensum; in hoc enim casu talis visio

neque potest inferre, neque exigere actu amoris Dei, quippe infallibiliter connectitur cum decreto illo; & consequenter potius ab intrinseco exigit negationem illius actus; & tamen talis visio, utpotè beata, nedum speculativa, sed practica est: ergo. Sed resp. neg. hanc min. Namque licet visio beata, quæ defacto datur, sit simul speculativa, & practica, ut communiter docent Thomistæ 1.2.q.3. art. 5. quia non solum contemplatur Deum in se, verum & movet, immo necessitat voluntatem ad illius amorem; attamen in casu illius revelationis solum esset speculativa, utpotè solum beatus per eam judicaret Deum esse summè amabilem; non vero hic, & nunc esse ab eo amandum, cum cognosceret hoc esse impossibile. Et sic visio illa non moveret voluntatem ad Dei amorem, & consequenter esset purè speculativa, & non practica.

72 Sed adhuc dices contra: visio illa in eo casu esset ejusdem speciei cum visione, quæ defacto datur, nam juxta Thomistarum doctrinam repugnant visiones beatæ specie distinctæ, ut videre est supra quæst. 12. art. 6. ergo si visio beata, quæ defacto datur, est simul speculativa, & practica etiam erit speculativa, & practica in casu illius revelationis. Prob. conseq. quia visio simul speculativa, & practica non potest non specie distinguiri à visione pure speculativa. Sed resp. dist. conseq. visio simul speculativa, & practica primario, & essentialiter, conc. conseq. speculativa primario, & essentialiter, & practica solum secundario, & ex consequenti, nego conseq. Visio autem beata, quæ defacto datur primario, & essentialiter, solum est speculativa, & solum secundario, & ex consequenti est practica, ut patet ex D. Tho. 1.2.q.3. art. 5. ubi docet, & probat, quod beatitudo maxime, & principaliter rota consistit in contemplatione divinorum; & quia haec est optima operatio intellectus, & quia contemplatio queritur propter se ipsam; actus autem intellectus practici non queritur propter se ipsum, sed propter opus extra intellectum. In operatione vero intellectus practici consistit secundario, & ex consequenti. Unde dicunt Thomistæ ibi ut video est in Magist. Martinez, & Ildephonso Bap., quod motio voluntatis in visione beata se habet per modum proprietatis secundum nostrum modum concipiendi consequitur ad ipsam secundum primarium conceptum contemplationis. Et quod secundum istum primarium conceptum habet, veluti radicare directionem, & motionem voluntatis; & sic secundum primarium conceptum est practica solum radicaliter. Cum ergo visio beata in casu illius revelationis conveniret cum visione, quæ defacto datur in

conceptu contemplationis, consequenter est ejusdem speciei cum illa, quamvis ab illa distingueretur in conceptu secundario, & accidentali, non minus, ac anima rationalis, quæ defacto datur, est ejusdem speciei cum illa, quam Deus de sua potentia absoluta produceret sine aliqua proprietate: immò sicut est ejusdem speciei visio beata, qua beatus videt aliqua Dei libera decreta, aliquasque creaturas, cum ea qua beatus videt solum ipsum Deum: ejusque necessaria prædicta, quia nempe utraque convenit in conceptu primario, & essentiali contemplationis, & visionis Dei in se.

73 Sed statim se offert urgens argumentum: Visio beata secundum nos essentialiter est practica saltem radicaliter, ita ut secundum primarum ejus conceptum petat radicare motionem, & directionem voluntatis; at visio illa in casu præfata revelationis hoc non petet, immò oppositum, propter infallibilem connexionem cum decreto: ergò hæc non potest esse ejusdem speciei cum ea, quæ defacto datur. Explicatur: licet carere proprietate debita, & actualiter illam radicare non variet essentialiter formas; tamen exigere ab intrinseco aliquam proprietatem, & illam ab intrinseco non exigere, arguit distinctionem specificam formarum; cujas statim se offert exemplum in habitu, & dispositione, quæ specificè distinguuntur per id præcisè, quod habitus ab intrinseco exigit esse difficile mobilem à subiecto; secus vero dispositio: ergò à simili in nostro casu.

74 Resp. quod sicut est distinguere duplex objectum visionis beatæ, alterum primarium, & specificativum, quod proinde pertinet ad primarium, & specificum illius conceptum, quod objectum est Deus secundum omnia predicata necessaria, & alterum secundarium, & accidentale, quod propterea pertinet ad conceptum illius secundarium, accidentalem, vel individualem, ut sunt omnia Dei libera decreta; pariter in visione beata est distinguere duplēm exigentiam: alteram ipsius secundum conceptum primariū, & specificum, nempe attento ordine ad primarium, & specificum illius objectum, & alteram ipsius secundum conceptum secundarium, accidentalem, vel individualēm penes ordinem ad objectum illius secundarium; & accidentale. Visio ergò beata secundum conceptum primarium, & specificum petit juxta nostram doctrinam radicare motionem voluntatis ad amorem Dei, & hanc exigentiam necessario haberet etiam visio in casu præfata revelationis propter eandem rationē, ac visio quæ defacto datur, quia nempe haberet pro objecto summum bonum, finem pri-

cipium, regulam, & mensuram nostram operationum. Attamen secundum conceptum ejus accidentalem, & individualem; videlicet attento ordine ad decretum illud revelatum, exigeret parentiam illius motionis. Et sic distinguitur minor argumenti, & conceditur attento conceptu accidentalī, & individualī, & negatur attento conceptu primario, & specifico. Et per hoc patet ad exemplum, namque habitus exigit difficultem mobilitatem, & facilem dispositio, nedium secundum conceptum accidentalem, secundarium, & individualem, verum & secundum conceptum primarium, & specificum, nempe secundum ordinem, quem dicunt ad proprias causas.

75 Pro hujus completa intelligentia ponitur ab AA. duplex exemplum: primum est, quod ethiops exigit carere albedine, non vero hispanus, cum tamen sint ejusdem speciei; quia hæc exigentia diversitas non provenit ex conceptu specifico, & essentiali hominis, sed ex conceptu accidentalī, seu individualī. Secundum exemplum est, quod supposito, quod Deus decerneret beatum aliquem nullas videre creaturas, hocque decretum ipsi beato revelaret per visionem beatam, talis visio èquè concreteretur cum non visione creaturarum, sicut in nostro casu cum negatione motionis voluntatis ad Dei amorem; & sicut hæc ab intrinseco exigeret carere conceptu secundario cognitionis practicæ, ita illa ab intrinseco exigeret carere conceptu secundario visionis creaturarum; & tamen utraque esset ejusdem speciei, quia illa exigentia diversitas proveniret visioni ex conceptu illius secundario, & accidentalī: ergò à simili.

76 Sed neque unum; neque alterum exemplum satisfacit ad propositum: quia licet ab intrinseco ethiops exigit carere albedine, hispanus tamen secundum conceptum specificum non habet positive eam radicare: sed tantum se habet ad illam permissive. Similiter licet visio illa beata ab intrinseco exigeret carere conceptu secundario visionis creaturarum, cetera tamen visionis secundum conceptum specificum non petum positive visionem illarum, sed solum eam permittunt. Non ergò mirum, quod convenienter in specie stante illa exigentia diversitate. In nostro tamen casu visio illa beata ab intrinseco exigeret non motionem voluntatis; cum tamen visio beata, quæ defacto datur ab intrinseco secundum conceptum specificum exigat oppositum.

77 Aptius ergò exemplum est in ipsa visione beata: quæ ab intrinseco ex conceptu specifico, & attento ordine ad objectum illius primarium exigit incorruptionem, & perma-

nentiam, ut tenet Thomistæ 1.2. quæst. 5. art. 4. & est etiam communis sententia, quod hoc non obstante visio Pauli in raptu fuit ejusdem speciei cum visione beata, quia etiam ab intrinseco ex conceptu specifico, & attento ordine ad objectum primarium exigebat in corruptibilitatem, licet per accidens ex parte subjecti, seu ratione status esset amissibilis, & transiens. Supponamus ergo, quod decretum de simili transitu, & amissibilitate fuerit ipsi Apostolo revelatum per eandem visionem, nulla enim est in hoc implicatio, sicut neque in casu argumenti; qua revelatione supposita, visio illa ex conceptu individuali, & accidentalí, nempè attento ordine ad objectum secundarium, quale est decretum liberum de illius amissibilitate, exigereb ab intrinseco amissibilitatem, sicut & in nostro casu propter eandem rationem ab intrinseco exigeret non motionem voluntatis.

78 Sed pro ultimo se offert non levís difficultas ex doctrina hucusque data, quod si ad actum practicum intellectus sequitur actus voluntatis, non vero ad actum speculativum: ergo ad formam intelligibilem constituentem intellectum in actu speculativo, nulla sequitur inclinatio, seu habitudo voluntatis; at hoc contra dicit principio assumpto à Div. Thom. nempè, quod omnem formam sequitur inclinatio: ergo. Dupliciter respondent Authores, primò quod Div. Thom. debet intelligi de omni forma; ly *omni* non distribuente complete, & pro singulis generum, sed incomplete, & pro generibus singulorum, ad cuius verificationem sufficit, quod aliqua forma intelligibilis, quæ nempè deservit cognitioni practicæ, inferat predictam inclinationem, seu habitudinem. Ita Magist. Serna in suis manuscriptis. Secundo, quod consulto Div. Thom. in antecedenti assumpto non loquitur de inclinatione rei ad quamcumque formam, sed determinate ad formam naturalem, quæ proporcionate perficit subjectum, nam ad formam violentam, præter naturalem, aut supernaturalem; nulla est in re naturalis inclinatio, unde in consequenti non infert inclinationem ad quodlibet objectum cognitum, sed determinate ad bonum apprehensum, ut sic debito modo constitueret proportionem inter anteced. & conseq. Cum autem per cognitionem speculativam, & per illius speciem non representetur objectum, ut bonum, & conveniens intelligenti, consequenter ad tam formam intelligibilem nulla sequitur elicta inclinatio. Ita etiam prædictus Magister, & alij.

79 Sed utraque hæc solutio meo videri non satisfacit, namque ut omnes tenentur fa-


teri contra Bazquez, & Recentiores, ratio Div. Thom. non est argumentum fundatum in proportione formæ intelligibilis ad formam naturalem, nam ut sic neque esset evidens, nec demonstrativa. Sed fundatur in principio communi formæ naturali, & intelligibili: nempè, quod utraque est forma vere constitutiva. Unde in quæst. 80. art. 1. assummit principium illud ut per se notum: scilicet *omnem formam sequitur aliqua inclinatio*; quod explicat ut prediximus resolutione 1. ad 1. argumentum; quia omni enti in quantum ens competit appetere suam perfectionem. Unde ibi etiam diximus, quod ly *sicut* in arguento Div. Thom. parificat formam intelligibilem, cum forma naturali, in eo quod est utriusque formæ communé, nimirum, quod utraque est vere rei constitutiva. Competit ergo formæ naturali, quod sit principium inclinationis, ex quo constitutiva est rei naturalis, & qua forma intelligibilis constitutiva est intellectus, pariter ei competit, quod sit principium inclinationis: debet ergo hoc ipsum competere omni formæ constitutivæ, sive rei, sive intellectus, & aliter, vel falsificatur principium Div. Thom. vel argumentum Div. Thom. est à paritate fundata in proportione.

80 Melius ergo resp. dicendo, quod omnem formam sequitur inclinatio, sed non sub omni actu; sed formam naturalem sequitur inclinatio naturalis sub phisica existentia, non sub existentia intentionalis; formam verò intelligibilem sequitur inclinatio elicita sub actu practico intellectus, non sub actu speculativo. Ut enim diximus resol. 1. ad 2. forma naturalis est principium inclinationis naturalis, ut completa phisica existentia, ita ut hæc sit conditio necessaria exacta ad sequelam inclinationis, unde existens solum intentionaliter non est principium illius. Pariter ergo forma intelligibilis est principium inclinationis elicitorum, ut completa intellectio practica. Est ergo intellectio practica conditio indispensabiliter exacta, ut formam intelligibilem sequatur inclinatio. Et sic dicimus, quod licet formam intelligibilem sub actu speculativo non sequatur inclinatio; sequitur tamen inclinatio sub actu practico; & sic semper est verum, quod omnem formam intelligibilem sequitur inclinatio.

81 Sed dices: Hoc est, asserere posse intellectum uti practicè qualibet forma intelligibili, & sub qualibet posse mouere voluntatem. Resp. ita esse, & in primis si forma intelligibilis defervens actu speculativo representet objectum alias bonum, & conveniens intelligenti, pater, quod intellectus ea potest uti practicè, nam si

cum eadem species representans naturam objecti, per hoc quod intellectus convertat se ad phantasmatata, ut phantasmatibus modificata representat singularia, sic eadem forma intelligibilis representans naturam objecti pure, ut veram quod est eam representare cum præcisione ab existentia, & speculative, per hoc quod intellectus convertat se ad phantasmatata, ut modificata phantasmatibus; eam etiam representat ut bonam, quod est eam practice, & ut existentem representare; quo in casu potest intellectus ea uti practice movendo voluntatem ad prosequitionem illius, ut de se patet.

82 Deinde licet species, vel forma intelligibilis representet objectum alias neque conveniens, nec disconveniens, adhuc potest intellectus ea uti practice movendo voluntatem, non ut tendat in illius objectum, vel ab eo fugiat, sed ut intelligens gaudeat, & fruatur illius veritate, & cognitione: voluntas enim, ut supra diximus, est appetitus totius suppositi secundum quem intelligens appetit: & id quod sibi est conveniens secundum intellectum, & secundum qualibet aliam potentiam, ut docet Div. Thom. 1. 2. quest. 10. art. 1. in corpore. Unde sicut voluntas appetit, quod intellectus intelligat verum, sic & cum intelligit verum, gaudet de vera cognitione illius, quatenus bona est, & ipsi intelligenti, sicut & ejus intellectui. In quo sensu sappius repetit Div. Thom. quod ipsum verum est quodam bonum. Potest ergo intellectus adhuc sub illa forma intelligibili, sub qua speculatur objectum, alio actu movere voluntatem, quod est eam practice movere.



### DUBIUM II.

*An alia à Deo sint objectum formale Divine voluntatis?*

83 **E**st concors omnium Theologorum sententia, divinam bonitatem esse objectum formale divinae voluntatis. Est tamen dubium, an sit objectum adæquatum, vel solum inadæquatum, ita ut bonitas creaturarum neque parcialiter ingrediatur objectum formale illius. Duplex autem assignatur objectum formale, aliud motivum, & aliud terminativum. Sed licet hæc distinctio locum habeat respectu aliarum potentiarum: ut notavimus loquendo de divino intellectu, non tamen respectu voluntatis, namque cum objectum voluntatis sit finis, & finis moveat motu attractivo, consequenter ipse finis primario, & formaliter movens, primario etiam, & forma-

liter terminat. Ecce respectu voluntatis idem est objectum formale motivum, & terminativum. Unde in presenti dubio unica est solum difficultas: an scilicet bonitas creatorum ingrediatur partialiter, & inadæquate objectum formale motivum divinae voluntatis. Unde sic,

### RESOLUTIO UNICA.

*Bonitas creaturarum neque inadæquate ingreditur objectum formale motivum divinae voluntatis.*

84 **E**st contra Aureolum, Durandum, Suarez, Ludovicum de Torres,

Puente, Hurtado, Albiz, Herize, Arrubal, & alios recentiores. Est tamen omnium Thom. Et fundatur 1. ratione desumpta ex Div. Thom. hic ad 2. in his, quæ volumus propter finem, tota ratio movendi est finis; sed Deus alia à se non vult, nisi propter finem, quæ est sua bonitas: ergo Divina bonitas est tota ratio movendi ad amorem creaturarum, consequenterque bonitas creaturarum non iugreditur etiam partialiter objectum formale motivum Divinae voluntatis. Conf. patet: major autem prob. à Divo Tho. namquæ qui vult summere potionem amaram, nihil in ea vult, nisi sanitatem; & hæc est solum, quæ moveat ejus voluntatem. Secùs autem est in eo, qui summit potionem dulcem, quam non solum propter sanitatem, sed etiam propter se aliquis velle potest: ergo in his, quæ volumus propter finem, tota ratio movendi est finis. Min. autem supponit Div. Thom. ex dict. in corp. art. namque Deus non vult alia à se, nisi ut bonum suum alijs per similitudinem communicet, secundum quod possibile est, in quantum condebet Divinam bonitatem etiam alia participare: non ergo vult alia à se, nisi propter finem, qui est sua bonitas; ut in creaturas diffundenda, & eis communicanda.

85 Dices ita esse loquendo de fine ultimo, nouò verò de fine intermedio, & ulterius ordinabili ad ultimum finem, qui est divina bonitas. Sufficit autem, quod creaturae amentur à Deo propter ipsarum bonitatem, tanquam propter finem intermedium, ut sint objectum formale motivum divinae voluntatis; sicut homo justus amat castitatem propter se ipsam, tanquam propter objectum formale motivum intrinsecum, licet non tanquam propter finem ultimum, sed hoc habet solum ex imperio charitatis.

86 Sed in primis si hæc solutio est veta, D. Tho. prædicta ratione non satisfacit argumento, quod erat hujusmodi: *Volitum moveat voluntatem, sicut appetibile appetitum, ut dicitur in*

*quinto*

quinto de anima, si igitur Deus velit aliquid aliud à se, movebitur ejus voluntas ab aliquo alio, quod est impossibile. Deinde prædicta solutio rejicitur primo à priori ex dictis; namque finis præceptus à Deo, ut velit alia à se, est solum bonum suum alijs per similitudinem communicare, quia hoc concedet divinam bonitatem: ergo solum divina voluntas vult alia à se propter divinam bonitatem, ut diffundendam, & communicandam, & non propter aliquem finem intermedium. Anteced. prob. finis præceptus à Deo non est ut velit alia à se pure affective, sed effective, ea producendo; at finis perceptus à Deo alia à se effective producendo, non potest esse alter quam, ut velit eis propriū bonum per si milititudinem communicare, suamque bonitatem participari à creaturis secundum quod possibile est, quia hoc maxime condescens est divinæ bonitati: ergo. Maj. probat. nam Deo repugnat amor pure affectivus, ut probat Div. Thom. quest. 20. sequenti art. 2: in corp. Quia amare non est aliud quam velle bonum alicui, huc autem est differentia inter voluntatem nostram, & voluntatem Dei, quod quia voluntas nostra non est causa bonitatis rerum, sed ab ea movetur, sicut ab objecto, amor noster, quo bonum alicui volumus, non est causa bonitatis ipsius; sed è converso, bonitas ejus, vel vera, vel estimata provocat amorem, quo ei volumus, & bonum conservari, quod habet, & addi, quod non habet, & ad hoc operamur. Sed amor Dei est infundens, & creans bonitatem in rebus. Non ergo datur in Deo amor pure affectivus.

87 Secundo rejicitur prædicta solutio, namque de ratione finis etiam intermedij est, quod sit causa volendi, unde definitur, quod est illud, quod gratia sui amatur, & cætera ratione sui fiunt, & amantur. Ut enim ait Div. Thom. i. contr. Gent. cap. 74. Cum dicimus volo ambulare, ut saner, causam nos redere arbitramur. Et si queratur quidam vis sanari proceditur in assignatione causarum, quousque perveniat ad finem ultimum, quod est principale volatum. At implicat, quod bonitas creaturarum sit Deo causa volendi: ergo & quod habeat rationem finis intermedij respectu voluntatis ipsius.

88 Neque valet, quod divina Bonitas est finis respectu divinæ voluntatis, & tamen non est Deo causa volendi: non inquam valet, nam it ait D. Thom. q. 23. de verit. art. 1. ad 3. licet de ratione finis realiter identificati cum potentia, qualis est Divina bonitas, non sit ratio causa, bene tamen de ratione finis realiter à potentia distincti, qualiter à voluntate creata distin-

guitur ejus finis; aliter nec in creatis finis esset causa, nec rectè assignarentur quatuor genera causarum. Ratio autem à priori est: namque Divina bonitas propter identitatem realem cum Divina voluntate, non est finis movens ipsam realiter, sed solum virtualiter, propterea que movet pure per modum rationalis finalis, & purificatur à causalitate: sicut propter cædem identitatem natura Divina non est causa, sed pure ratio formalis attributorum, & pariter voluntas Divina est pure principium, & non causa volitionis, sicut & intellectus intellectio- nis; immò in creatis non est ratio formalis suarum proprietatum, non tamen causa illarum propter identitatem. Inter causam enim, & effectum debet esse distinctio realis. In creatis vero, quia finis realiter à voluntate distinguitur, eam movere realiter, & ad illam comparatur, nedum ut ratio formalis, sed ut causa. Cùm ergo bonitas creaturarum realiter distinguitur à Divina voluntate, non potest non habere respectu illius rationem causæ finalis, si semel respectu illius est finis:

89 Tandem rejicitur prædicta solutio: namque divina voluntas est simpliciter prima voluntas, & talis per essentiam: ergo non potest velle propter finem, qui non est bonum simpliciter primum, & tale per essentiam. Conseq. probat. tum quia inter voluntatem, & ejus objectum, qui est finis debet esse proportio, qua ratione quo perfectior est potentia, perfectius habet objectum: tum quia eo ipso, quod divina voluntas est simpliciter prima voluntas, & talis per essentiam non potest non esse realiter ipsum ultimus finis, qui est ipsa divina bonitas: ergo eo ipso implicat, quod velit propter aliud inferiorem finem, proindeque, quod velit propter finem intermedium.

90 Secundo fundatur nostra resolutio: ratio ne D. Tho. desumpta ex argumento tertio hujus articuli, & ejus solutione, & formatur sic: appetitus satiatus aliquo volito nequit aliud appetere, nisi propter bonitatem voliti satiativi; at divina voluntas satiatur ex divina bonitate: ergo non potest aliud appetere, nisi propter ipsam. Min. & conseq. patent & maj. prob. volatum propter sui intrinsecam bonitatem nedum est bonum in se, & absolute, sed etiā respectivo ad appetentem juxta illud: Amabile quidem bonum, unicuique autem proprium. At appetitus satiatus aliquo volito nequit appetere aliud, quod sit bonum respectivo ad appetentem: ergo neque potest appetere aliud volatum propter sui intrinsecam bonitatem, sed solum propter bonitatem voliti satiativi. Min. prob. nam illud dicitur bonum respectivo ad appetentem,

quod

quod est illius perfectivum , proindeque sine quo appetens non est totaliter perfectum , & consequenter sine quo ejus appetitus non satiatur.

91 Mirum est, quod hæc ratio non urgeat adversarios, cum & illa Div. Thom. convincatur ad nostrum assertum. Objicit enim sibi in hoc articulo argumentum tertium sic: *Cuicunque voluntati sufficit aliquid volitum, nihil querit extra illud; sed Deo sufficit sua bonitas, & voluntas ejus extra satiatur; ergo Deus non vult aliquid aliud à se.* Et respondet: *Quod ex hoc, quod voluntati divina sufficiat sua bonitas, non sequitur, quod nihil aliud velit, sed quod nihil aliud velit, nisi ratione sua bonitatis.* Convincitur ergo Div. Thom. ut asserat divinam dumtaxat bonitatem esse objectum formale divinitatis, ex quo hæc ex illa penitus satiatur.

92 Sed respondent adversarij conformiter ad solutionem præcedentem , quod appetitus satiatus aliquo volito nequit aliud appetere propter intrinsecam illius bonitatem , tanquam propter motivum , vel finem ultimum , bene tamen tanquam propter motivum , vel finem intermedium. Et statim se offert exemplum in beato , cuius appetitus satiatur divina bonitate clare visa, cum tamen simul amet creaturem propter illarum intrinsecam bonitatem. Sed contra est, quod licet appetitus beati satietur bonitate divina clare visa intensivè, in quantum eminenter continet omne bonum appetibile à beato, & radicaliter, vel causaliter, in quantum causat in beato omnia bona requisita ad statum beatificum , qui dicitur : *Omnium bonorum aggregatione perfectus.* Non tamen satiatur illa extensivè, & formaliter, namque appetitus beati nedum terminatur ad divinam bonitatem , & ad omnia requisita ad illius visionem , ut in illa eminenter contenta , sed etiam , ut formaliter possela ab ipso beato , quia hoc modo , & non aliter ipsa constitutum in statu beatifico, & sic per omnia ea ut sic perficitur , & consequenter satiatur. Nostra autem ratio procedit de appetitu satiato aliquo volito , nedum intensivè , & radicaliter , verum & formaliter , & extensivè, qualiter divina voluntas satiatur divina bonitate, cum Deus nullo bono creato indiget.

93 Tandem fundatur nostra resolutio ex quo volitio divina specificaretur à bono creato, & consequenter ab illo dependeret. Cui fundamento varie ocurrunt adversarij , de quo late, & per otium supra de scientia Dei, loquendo de objecto divinitatis intellectionis ; videatur ibi, ne eadem repetamus.

*Objiciuntur, & solvantur argumenta:*

94 **S**ed contra nostram resolutionem objicies i. quod Div. August. 11. de Civit. Dei, cap. 24. querendo, quare Deus fecerit lucem, responderet: *Quia bona est; sed ly quia denotat causam ex parte lucis respectu divinitatis, & non aliam, nisi moventem, & allicientem eam ratione propter bonitatis: ergo bonitas creata juxta mentem August. ingreditur objectum formale motivum divinitatis.* Dices cum Oxomensi , & Gonet, quod ly quia in sensu August. nullum genus causalitatis importat, sed conditionem tantum requisitam, ut lux à Deo fieri posset; cum enim Deus non sit author mali, ut aliquid ab eo fiat, bonitas necessario requiritur. Sed contra hanc interpretationem sunt verba D. Tho. ex 1. contra Gent. cap. 4. nempe , quod adverbium illud *quare* querit de causa; unde si ly quia in sensu August. nullum genus causalitatis importat, August. non respondet ad quæsumum.

95 Melius ergo dicitur , vel cum ipsis in sequenti solutione , quod ly quia dicit causam respective ad bonum universi ; ita ut faciat sensum, quod Deus fecit lucem, quia utiliter ad compositionem universi. Vel dicatur cum alijs, quod ly quia dicit rationem formalem non respective ad divinam voluntatem , sed respective ad alias rationes particulares. Licet enim ratio communis boni sit ratio materialis respectu divinitatis; comparative tamen ad alias rationes creatas particulares dicitur ratio formalis , eo quod creature adhuc materialiter non terminat divinam volitionem , nisi sub ratione communis boni; utpote causæ universalissimæ debet correspondere effectus universalissimus. Quo in sensu communiter dicitur , quod ratio communis entis est terminus formalis Divinitatis Omnipotentiae, non quia formalis respective ad Omnipotentiam, sed quia formalis respective ad rationes particulares; unde sicut dicitur aliquid productum à Deo, quia ens, non verò, quia tale ens, sic dicitur aliquid volitum à Deo, quia bonum, non verò, quia tale bonum. Et sic sensus Augustini est quod Deus fecit lucem , non quia lux, sed quia bona.

96 Vel dicendum tandem, quod ly quia est intelligendum secundum causam consequientia, non secundum causam essendi ; sequitur enim, quod si aliquid est bonum, sit factum à Deo; non tamen, quod aliquid sit bonum, est causa, quod à Deo fiat, sed potius, quod à Deo fiat , est causa, quod sit bonum. Quo modo Div. Tho. supra q. 14. art. 8. ad 1. explicat originem dicentem:

*Quod*

*Quod aliquid scitur à Deo, quia futurum, nempè dicendo, intelligendum est secundum causam consequentiam, non secundum causam essendi; sequitur enim si aliqua sunt futura, quod Deus eas præscierit, non tamen res futuræ sunt causa, quod Deus eas sciat.*

97 Secundo objicies: in Deo dantur virtutes morales, quæ versantur circa operationes, & resident in voluntate, v.g. iustitia, & misericordia; at secundum Div. Thom. 1.2. quest. 62. art. 2. in hoc differunt virtutes Theologicas à virtutibus moralibus, quod illarum objectum est ipse Deus, qui est ultimus rerum finis, prout nostra rationis cognitionem excedit; objectum autem virtutum moralium est aliquid, quod humana ratione comprehendendi potest, & procedit sermo de objecto formalis motivo, cum ex hoc inferat virtutes Theologicas specie distingui à moralibus: ergò aliqui actus divinæ voluntatis habent pro objecto formalis motivo bonum creatum.

98 Resp. Div. Thom. ibi solum distingue re virtutes Theologicas à virtutibus moralibus creatis, quia de illis solum agebat; non verò à virtutibus moralibus ex genere suo, & in sui abstractione, nempè prout abstrahunt à creatis, & in creatis. Unde virtutes morales creatæ habent pro objecto formalis motivo bonum creatum, virtutes verò morales divinæ habent pro objecto formalis motivo jus alterius, ut servandum: ergò & bonum creatum.

99 Sed objicies: non solum misericordia creata, verum & in creata habet pro objecto formalis motivo miseriam alienam, ut sublevandam; & similiter iustitia in creata habet pro objecto formalis motivo jus alterius, ut servandum: ergò & bonum creatum.

100 Resp. dist. anteced. habet pro objecto formalis motivo miseriam alienam, ut sublevandam, ly ut dicente in recto, & de formalis sublevationem, & in obliquo, & de materiali miseriam alienam, concedo: vice versa, nego: & eodem modo distinguitur alia pars, & negatur conseq. Pro cuius intelligentia est notandum ex Div. Thom. 1.2. quest. 60. art. 2. quod virtutes morales, de quibus procedit sermo, sunt tanquam circa propriam materiam, circa operationes secundum rationem commensurationis ad alterum; sicut & virtutes morales, quæ versantur circa interiores affectiones, vel passiones animæ, ut temperantia, & fortitudo, sunt tanquam circa propriam materiam, circa operationes secundum rationem commensurationis ad operantem, tñenipè secundum quod per eas beatitatem, vel male afficitur. Et secundum hanc diversam commensurationem, quam operationes dicunt respectivè ad operantem, vel ad alterum,

distinguit D. Th. prædictas virtutes morales inter se. Ergò objectum formale motivum misericordia est ipsa operatio, qua sublevatur miseria aliena, & pariter objectum formale motivum iustitiae est ipsa operatio, qua redditur unicuique, quod suum est. Et sic cum dicitur objectum formale motivum misericordia esse miseriam alienam; ut sublevandam; sublevatio importatur de formalis, & in recto; miseria vero aliena solum de materiali, & in obliquo. Et pariter cum dicitur objectum formale motivum iustitiae esse jus alienum, ut servandum, jus alienum importatur de materiali, & in obliquo, & ipsa redditio debiti importatur de formalis, & in recto. Et sic ex hoc, quod jus alienum sit creatum, & similiiter miseria aliena, non recte infertur iustitiam, vel misericordiam habere pro objecto formalis motivo bonum aliquid creatum, sed hoc deberet inferri ex operatione ipsa, qua sublevatur miseria aliena, vel redditur unicuique, quod suum est. Patet autem prædictas operationes in Deo non esse creatas, sed increatas, utpote identificatas cum ipsa substantia Dei; sunt enim solum virtualiter transentes, & formaliter immanentes: objectum ergò formale motivum prædictarum virtutum in Deo est solum bonum increatum.

101 Sed dices, sublevatio miseria alienæ est actus misericordia, sicut & reddere unicuique, quod suum est, est actus iustitiae: non ergò prædictæ operationes possunt esse objecta formalia motiva illarum virtutum. Respond. quod sunt actus misericordia, & iustitiae directivæ, non elicivæ; iustitia enim, & misericordia dirigunt hujusmodi operationes, ut docet Div. Thom. loco citato, & sic sunt illarum objecta formalia motiva. Elicivæ autem solum sunt actus potentie exequitativa, sunt enim operationes ad extra. Actus autem elicivæ procedentes à misericordia, & iustitia, sunt actus voluntatis, quibus homo, vel Deus vult sublevare miseria alienam, vel reddere unicuique, quod suum est; resident enim hujusmodi virtutes in voluntate, ut jam diximus.

102 Dices tandem: ergò in Deo omnes virtutes sunt Theologicas, nam fides, spes, & charitas propter etiam dicuntur Theologicas, quia habent pro objecto Deum. Resp. dist. conseq. ex genere suo, nego: specificè, & prout sunt virtutes Dei, concedo. Licet enim omnes virtutes Dei reduplicative, prout in Deo habeant pro objecto formalis motivo aliquid divinum, proindeque prout sic possint dici Theologicas secundum tamen rationem communem, & prout abstrahunt à virtutibus creatis, & in creatis solum fides, spes, & charitas dicuntur virtutes Theologicas, quia ista sive in-

creaturis, sive in Deo, in quo etiam est formaliter charitas, habent pro objecto formalis motivo ipsum Deum; non tamen ceteræ virtutes, quæ prout in creaturis habent pro objecto formalis motivo aliquid creatum. Et sic ex genere suo iustitia, misericordia, liberalitas, & ceteræ dicuntur virtutes morales, quia versantur circa operationes secundum rationem commensuratiois ad alterum, praesertim ab eo, quod tales operationes creatæ sint, vel increatae.

103 Aliter argumento à principio respondent Oxomens. & Gonet neg. objectum formale motivū misericordiæ, & iustitiae diuinæ esse miseriām alienam, ut sublevandam, vel jus alienū, ut servandum, licet hoc sit objectum formale motivum misericordiæ, & iustitiae creatæ, quia huic non repugnat moveri, & specificari à bonitate creatæ, bene tamē illi: unde ajunt, quod misericordia divina movetur à divina bonitate prout est ratio misericordiæ, & iustitiae ab eadem, prout est ratio præmendi, quod præstat divina bonitas, prout continet eminenter honestates objectivas misericordiæ, & iustitiae creatæ.

140 Sed hæc solutio, ut verum contineat, nomine bonitatis divinæ, ut est ratio misericordiæ, vel præmendi, debet intelligi bonitas divina, ut est operatio, qua sublevatur miseria aliena, vel redditur unicuique, quod suum est: scilicet ut est prima, & per se bonitas in operando hac determinata operatione, quæ est sublevatio miseriae, vel redditio præmij, in quo distinguitur à se ipsa, ut est bonitas in essendo, & secundario in bene faciendo, veluti indeterminatè, & communiter quando, quomodo est objectum charitatis. Quod si in hoc sensu non procedit solutione, aperte contra dicit D. Tho. in doctrina supra relata. Si autem in eo sensu procedit: ergo non debet negari absolute, quod objectum motivū formale misericordiæ, sive divinæ, sive creatæ, est aliena miseria, ut sublevanda, cum objectum formale motivum illius sit sublevatio miseriae alienæ, sed distinguendum est, & concedendum si ly ut dicat in recto, & de formalis sublevatione, quæ in Deo est increata, & in creaturis creata, & de materiali solum, scilicet in obliquo miseriām alienam, & negandum vice versa.

105 Tertio objicies: & est replica contra dicta: Omnipotens in Deo habet pro objecto formalis motivo ens factibile; sed ens factibile est ens creatum: ergo habet pro objecto formalis motivo ens creatum; at eadem ratio currit de divina voluntate; immò in sententia Thomistarum omnipotens non distinguitur à divino intellectu, & voluntate: ergo Probat. maj. Omnipotens Dei est virtus factiva; sed objectum formale motivum virtutis factivæ est ens facti-

bile: ergo. Dices, quod licet Omnipotens sit virtus factiva, ejus tamen objectum formale motivum non est ens factibile, sed divina bonitas, ut communicanda creaturis, quia ut diximus fundamento primo, Deus non vult alia à se effectivè, & exequitivè; nisi ut bonum suum alijs per similitudinem communicet, quantum possibile est. Sed contra est, nam quantitas, & diffinitio virtutis attenditur secundum objectum formale motivum illius; at quantitas, & diffinitio Omnipotens attenditur secundum omnia, in quæ potest: ergo omnia, in quæ potest sunt objectum formale motivum illius. Major, & minor probantur: namque Div. Tho. 3. contra Gent. cap. 56. & quest. 20. de verit. art. 5. in corp. probat, quod ex cognitione opium, in quæ potest Omnipotens, sequitur comprehensio illius, quia quantitas, & definitio virtutis attenditur secundum ea, in quæ potest; ac proinde idem est cognoscere omnia, in quæ potest virtus ac comprehendere ipsam virtutem: at hæc consequentia non valeret, nisi etiam quantitas, & definitio omnipotentiæ attendatur secundum omnia, in quæ potest, cum tunc ex cognitione omnium possibilium in ipsa, non sequeretur illius comprehensio: ergo, &c.

106 Resp. quod etiam quantitas, & definitio omnipotentiæ attenditur secundum omnia, in quæ potest, sed non considerata in se ipsis, sed prout eminenter contenta in ipsa divina bonitate; in hoc enim distinguitur virtus effectiva increata, à creatæ, & hoc sufficit ad intentum Div. Thom. Immò Thomistæ non inferunt comprehensionem divinæ Omnipotentiæ ex cognitione omnium possibilium in se ipsis, sed prout contentis in divina essentia, nisi ad summum argutivè, & à posteriori.

107 Sed statim se offert objectio ex doctrina Thomistarum ibi, qui concedunt Omnipotentiam adhuc quidditative cognosci non posse, quin cognoscantur omnia possibilia in communione, & sub ratione entis creabilis: ergo prout sic non possunt non esse objectum formale, & primarium Omnipotentiæ. Probat. conseq. namque si solum essent objectum secundarium, posset sine illis etiam in communione cognosci, cum objectum primarium possit cognosci sine secundario. Sed in primis potest argumentum instari, namque secundum communem sententiam essentia divina non potest videri à beato sine attributis, & relationibus. Et tamen in communiori sententia, sola essentia divina est objectum primarium visionis beatificæ. Deinde responderetur, concedendo, quando objectum primarium non connectitur cum secundario, qualiter ens reale non connectitur cum ente ra-

tionis, nego verò è converso, sicut sensibile cōmune, v. g. quantitas, & figura est objectum omnino materiale respectu visus, cuius objectum formale, & primarium est color; & tamen repugnat oculum videre colorem sine quantitate, & figura, propter cōexionem, quam habent inter se. Unde inferunt Theologi, quod quia Corpus Christi in Eucharistia caret figura, & extensione locali, non potest vidèri oculis corporis. Patet autem, quod omnipotētia, & ejus objectum formale connectitur cum creaturis, ita ut si ista non essent possibiles, neque esset omnipotētia, ut magis frequenter docent Theologi; & sic licet creature sint objectum omnino materiale, & secundarium omnipotētiae, adhuc non potest hęc quidditativę cognosci, quin in communi, & in confuso omnes creature cognoscatur.

108 Quartò objicies: merita nostra movent, & inclinant divinam voluntatem ad illorum retributionem; sed non nisi ratione proprię bonitatis, quae creata est: ergò bonitas creata est objectum formale motivū divinę voluntatis. Conf. pat. min. etiam videtur certa, ut pote ratione illius bonitatis materia nostra movent divinam voluntatem ad illorum retributionem, ratione cuius sunt merita, & causant moraliter glorię exequitionem; at sunt merita, causantque moraliter glorię exequitionem ratione proprię bonitatis, non verò ratione bonitatis divinę; aliter valor meritorius in operibus nostris esset infinitus; ergò. Præterea, sic merita movent voluntatem divinam, ut conferat præmiū, sicut & demerita illam movent ut conferat pēnam; sed demerita movent divinam voluntatem ut conferat pēnam ratione proprię malitię: ergò & merita illam movent, ut conferat præmium ratione proprię bonitatis. Major autem principalis, in qua posita est difficultas probat. 1. quia merita absolute movent voluntatem premiantis ad illorum retributionem: ergò pariter merita nostra movent voluntatem Dei ad illorum retributionem. Secundo, quia merita nostra, cah̄i sint media respectivę ad gloriam ut finem, sunt causa efficiens moralis illius; sed non nisi movendo voluntatem divinam, ut velet conferre gloriam: ergò. Immò ex hoc inferunt Thomistæ, quod quia divina voluntas temporaliter moveri non potest, neque motivum aliquod de novo in tempore habere, præter decretum intentivum glorię merita prævisa antecedens, datur in Deo ab aeterno decretum aliud exequitivum glorię merita prævisa supponens, & ab illis, tanquam à causa motiva dependens. Tertio, nataque alias frustra fuerint orationes sanctorum, quae purę diriguntur ad movendum divinam voluntatem, ut conferat, quod postulamus.

109 Ad hoc argumentum, relictis alijs solutionibus, resp. sine ulla distinctione neg. maj. quod expressè docet Div. Tho. 3. cont. Gent. cap. 95. num. 1. dum ait: *Pijs enim desiderijs rationalis creaturae conveniens est, quod Deus assentiatur; non tanquam desideria nostra moveat immobilem Deum; sed ex sua bonitate procedit, ut convenienter desiderata perficiat.* Ergò secundum Div. Thom. ex ipsis desiderijs ianctorum, quae meritoria sunt, non movetur divina voluntas ad illorum retributionem, sed dumtaxat movetur à sua bonitate. Ad primam probationem concedimus de voluntate mobili præmiantis, quae nempe capax est, ut moveatur à bonitate creata meritorum, qualis est creata voluntas: negamus verò de voluntate immobili, ut est divina. Ad secundam probationem, concedo maj. & nego min. sed sunt causa efficiens moralis, in quantum fundant jus ad gloriam ex divina praordinatione; Deus enim sicut propter suam bonitatem voluit dare gloriam, ita propter suam bonitatem voluit dare merita, quę essent media, ad consequendam illam per modum præmij, & corona. Unde Concilium Tridentinum fesl. 6. cap. 16. ait: *Tanta est erga homines bonitas Dei, ut eorum velit esse merita, quae sunt dona sua.* Et sic tota meritorum causalitas exercetur circa gloriam, non verò erga divinam voluntatem. Unde Div. Thom. art. 5. sequenti docet, quod licet Deus omnia velit in sua bonitate, neque sit assignare aliquam causam divinę voluntatis, *nihilominus vult ea, quae sunt ad finem, ordinari in finem; vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc.* Vult ergò Deus conferre gloriam propter merita, sed non propter merita vult conferre gloriam. Et infra quæst. 23. artic. 8. ait: quod in prædestinatione duo sunt consideranda, scilicet ipsa præordinatio divina, & effectus ejus; quantum ad primum, nullo modo prædestinatione juvatur precibus sanctorum; quantum verò ad secundum, dicitur prædestinatione juvari precibus sanctorū; & alijs bonis operibus, quia providentia non subtrahit causas secundas, sed sic prævidet effectus, ut etiam ordinatur secundarum subjaceat providentia.

110 Neque oppositum possunt sentire Thomistæ in tractatu de prædestinatione, aliter sibi expressè contradicerent. Unde Oxomensis, & Gonter, quorum sunt verba relata in argumento, probant electionem efficiacem prædestinacionis ad gloriam non esse propter merita ex verbis Div. Thom. infra quæst. 20. art. 4. dando dispartatem inter nostram voluntatem, & divinam, quia voluntas nostra non est causa bonitatis rerum, sed eam supponit, & ab ea movetur, sicut alijs

objecto. Amor autem Dei est infundens, & creas bonitatem in rebus, & sic ab ea moveri non potest. Unde vel hic, vel ibi sibi contra dicunt, vel loquuntur de decreto exequitivo ex parte effectus juxta verba Div. Thom. nuper relata; vel loquuntur in alio modo dicendi, quem, & hic sequuntur, nempe quod materia movent divinam voluntatem, non prout in se ipsis, sed ut contenta in ipsa divina bonitate, contra quem modum procedit probatio minoris argumenti.

111 Ad tertiam probationem, nego antecedentia ejus probationem, nego orationes dirigi ad movendum Deum, ut conferat, quod postulamus; nam ut ait D. Tho. 2. 2. q. 8. 3. art. 2. in corp. Non enim propter hoc oramus, ut divinam dispositionem immutemus; sed ut impetremus, quod Deus dispositus per orationes sanctorum esse adimplenduni, ut scilicet homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante secula dispositus donare.

112 Quinto objicies, sequitur ex nostra sententia, quod in Deo non detur amor amicitiae, sed solum concupiscentiae erga creature rationales; sed hoc est contra D. Tho. 2. 2. q. 23. art. 1. in corp. ergo. Probar. sequela, namque amor amicitiae in hoc diliguitur ab amore concupiscentiae, quod ille terminatur ad bonum amici propter ipsum; amor autem concupiscentiae terminatur ad bonum alterius propter bonum ipius amantis: si ergo Deus omnia amat & vult propter suam bonitatem, & non propter bonitatem creature, nequit eas amare amore amicitiae, sed solum amore concupiscentiae.

113 Resp. quod amor amicitiae terminatur ad bonum amici propter ipsum, ly propter non excludendo ordinem ad ultimum finem, sed solum ad alias particulares fines, alias nullus esset amor amicitiae honestus, sed omnis esset peccaminosus, utpote constituens ultimum finem in creatura. Et sic quamvis Deus amet creature in ordine ad se ipsum, tanquam ultimum finem, non ex hoc arguitur eas non amare amore amicitiae.

114 Sed dices contra: licet amor amicitiae non petat terminari ad bonum amici propter ipsum, tanquam propter ultimum finem, petit tamen terminari ad bonum amici propter ipsum, ad minus tanquam propter finem intermedium; namque si nullo modo ametur bonum amici propter ipsum, sed solum propter bonum amantis, eo ipso amat solum amore concupiscentiae: immo non esset in Deo distinguere amorem amicitiae, & amorem concupiscentiae, quippe etiam cum Deus amat creature amore concupiscentiae, eas amat in ordine ad se ipsum, ut ultimum finem: si ergo hoc non tollit, quin amet illas amore amicitiae, omnis amor in Deo erit a-

mor amicitiae, & nullus erit amor concupiscentiae.

115 Resp. quod amor amicitiae ex genere suo neque petit terminari ad bonum amici propter ipsum tanquam propter ultimum finem, neque tanquam propter finem intermedium qui; sed solum tanquam propter finem cui, ita ut ly propter faciat finem, quod amans velit amico bonum, non propter commodum, & utilitatem amantis, sed propter utilitatem, & commodum amati. Cum ergo Deus quamvis amet creature propter se ipsum, non eas amet propter se ipsum, ut perficiendum ex creaturis, sed potius ut eis communicandum, consequenter amat eas propter ipsas tanquam propter finem cui, id est, propter illarum commodum, & utilitatem, & non propter commodum, & utilitatem propriam, & sic amat eas amore amicitiae. Neque ex hoc sequitur, quod in Deo non sit distinguere amorem amicitiae, & amore concupiscentiae, utpote Deus duplum potest amare creature propter se ipsum, seu in ordine ad se ipsum, ut ultimum finem, uno modo, ut honorandum, & glorificandum à creaturis: alio modo, ut ab eis participandum, seu ut eis communicandum: primo modo intendit Deus sui honorem, & gloriam, & sic tunc amat creature amore concupiscentiae: secundo vero modo solum intendit creaturis suam bonitatem communicare, & sic eas amat amore amicitiae.

116 Sed objicies contra: ergo amor amicitiae terminatur ad bonum creature propter ipsas saltem tanquam propter finem cui; sed finis cui etiam importat aliquam causalitatem: immo ergo ex quo finis qui importet causalitatem, inconvenit Deum amare creature propter ipsas etiam tanquam propter finem qui. Resp. quod finis cui importat causalitatem finalis objecti amati respectivè ad bonum volitum, in quantum amans solum vult bonum amato, non tamen respectivè ad amantem; cum amans non velit bonum illud sibi: immo ex hoc ipso poterat argumento à principio responderi, quod licet de ratione amoris amicitiae sit velle bonum amico propter ipsum, tanquam propter finem qui, non tamen ly propter dicente causalitatem finalis respectivè ad amantem, sed solum respectivè ad bonum amatum. Quomodo etiam potest Deus velle bonum creaturis tanquam propter finem qui; ut enim supra diximus ex Div. Thom. Deus vult hoc esse propter hoc, non tamen propter hoc vult hoc; quia primo modo significatur causalitas finis ad media, secundo modo significatur causalitas finis ad voluntatem. Consequenter licet propter creature non possit Deus eis velle bonum, aliter creature essent finis qui respectu Dei, potest tamen Deus velle

creatūris bonum propter ipsas, quia per hoc solum significatur causalitas creaturarum ut finis erga bonum volitum ut medium.

117 Sexto objicies: Deus non potest amare creature ut media in ordine ad divinam bonitatem: ergo si eas amat, amat eas ut finem. Prob. anteced. creature non possunt esse media in ordine ad divinam bonitatem: ergo neque prout sic possunt amari à Deo. Prob. antec. de ratione medij est conducere ad assecurationem finis; sed creature conducere non possunt ad assecurationem bonitatis divinæ, ut de se patet: ergo.

188 Resp. dicit. hanc māj. de ratione medij, quod est tale ex indigentia finis, concedo: quod est tale ex infinita perfectionis, nego, & concedo min. & nego cons. Divina enim bonitas est finis creaturarum, in quantum propter suam infinitam perfectionem condebet eam alia participare. Unde potius est finis quatenus participanda à creaturis, & creature sunt media, quatenus illam participant. Et sic D. Thom. q. 23. de verit. art. 4. in fine ait: *Non enim divina bonitas est talis finis, quod efficiatur ex his, que sunt ad finem, sed magis quo efficiuntur, & perficiantur, que ad ipsum ordinantur.*

119 Tandem objicies: objectum formale motivum voluntatis creatæ est bonum prout abstrahit à creato, & in creato: ergo & objectum formale motivum voluntatis divinæ. Prob. conseq. voluntas divina perfectior est voluntate creatæ; at non esset perfectior, si illius objectum formale motivum sit tantum bonum increatum & objectum voluntatis creatæ sit bonum prout abstrahit à creato, & in creato: ergo. Prob. min. potentia, quo universalior, est perfectior, quia ratione intellectus est perfectior voluntate, & inter scientias naturales methaphysica est perfectior, quæ agit de omni ente: ergo si objectum voluntatis divinæ sit tantum bonum increatum, & objectum voluntatis creatæ sit bonum, ut abstrahit à creato, & in creato, nequit esse perfectior voluntate creatæ.

120 Sed hoc argumentum nec leviter convincit, siquidem dato, quod objectum formale motivum divinæ voluntatis est bonum, ut abstrahit à creato, & in creato, adhuc esset perfectior voluntate creatæ, & tamen non esset universalior: non ergo attenditur perfectio potentiarum penes majorem illius universalitatem: immo voluntas angeli perfectior est quam voluntas hominis, & pariter illius intellectus, & tamen non est universalior. Idem apparet in methaphysica, quæ imperfectior est Theologia, cum tamen hæc agat solum de Deo, & illa de omni ente. Ratio autem à priori est, nam virtus, cuius objectum

est increatum, ab illo solo specificatur, & dependet; virtus vero, cuius objectum abstrahit à creato, & in creato, etiam specificatur, & dependet à creato: ergo majorem dependentiam, & imperfectionem importat virtus, cuius objectum abstrahit à creato, & in creato, quam virtus cuius objectum est solum increatum: non ergo intellectus perfectior est ceteris potentias, quia universalior, neque similiter methaphysica, quia universalior est perfectior phisica, sed quia sub perfectiori immaterialitate attingunt sua objecta, unde etiam logica, quia sub abstractione ab omni materia negativè attingit sua objecta, imperfectior est methaphysica, quæ sua objecta attinet sub abstractione ab omni materialia positivè, licet utraque sit æque universalis, & agat de omni ente; & ex eadem ratione intellectus, & voluntas angelii perfectiores sunt, quam intellectus & voluntas hominis; & pariter theologia perfectior est methaphysica.

## DUBIUM III.

*An Deus amet creature possibiles.*

1 P rocedit sermo non de creaturis possibilibus, quatenus virtualiter contexit in divina essentia, vel omnipotencia; sed quatenus objectivè ab ea distinctis, nempe consideratis secundum sua prædicata quidditativa. Supponimusque eas non habere aliquod esse à parte rei, sed solum habere esse objectum in divino intellectu, eas cognoscente per scientiam simplicis intelligentia. Hinc etiam supponimus Deum eas non amare amore effaci, qui dicitur effectivus, namque eo ipso eis communicaret existentiam, & non permanerent intra statum possibilitatis. Solum ergo procedit dubium de amore ineffaci, & simplicis complacentie. Deinde est notandum, quod bonitas in creaturis possibilibus potest attendi, vel secundum ordinem, quem dicunt ad existentiam, in quantum sunt possibiliter existentes, in quo distinguuntur ab entibus purè imaginabilibus, vel secundum perfectionem, & integratatem prædicatorum essentialium, in quantum essentialiter sunt complete, & perfectæ. Quadruplex ergo difficultas examinanda se offert in præsenti: prima, an in creaturis possibilibus detur bonitas aliqua actualis: secunda, an illa admissa Deus amet creature possibiles: tertia, an per solam bonitatem possibilem possint creature possibiles terminare divinum amorem: quarta, an ex hypothesi, quod Deus amet creature possibiles, eas amet libere, vel necessario.

## RESOLUTIO I.

*In creaturis possibilibus nulla datur bonitas actualis.*

**E**s contra Oxomens. & Gonet, qui libet teneant Deum non amare creature possibles, defendant tamen eas habere bonitatem in actu, nempe essentiam, quam vocant secundum quid. Est etiam contra docentes Deum amare creature possibles præter Mag. Serra, Nazarium, & Zumel, qui tenent Deum eas amare, etiam si nullam in actu habeant bonitatem, dumtaxat ratione bonitatis possibilis. nostram tamen resolutionem tenent ceteri Thomistæ, quorum una ex precipuis rationibus, quibus probant Deum non amare creature possibles, est defectus, seu carentia hujus bonitatis actualis, dicuntque esse expressam mentem D. Thom.

**3.** Et fundatur 1. sic: prima actualitas, secundum quam attenditur prima rei bonitas, est existentia: ergo hac præcissa nulla potest intelligi bonitas in actu. Conseq. pat. & antec. prob. prima actualitas, secundum quam attenditur prima rei bonitas, est secundum quam attenditur prima rei perfectio; at prima actualitas, secundum quam attenditur prima rei perfectio, est existentia: ergo. Conseq. pat. & maj. & min. sunt D. Thom. supra quest. 6. art. 3. in corp. ubi sic habet: *Unumquodque dicitur bonum secundum quod est perfectum; perfectio autem aliorum rei triplex est: prima quidem secundum quod in suo esse constituitur; secunda vero prout ei aliqua accidentia super adduntur ad suam perfectam operationem necessaria; tertia vero perfectio est per hoc, quod aliquid aliud attingit sicut finem.* In quibus expressè habet primam rei actualitatem, secundum quam attenditur prima ejus perfectio, esse secundum quam in suo esse constituitur, quæ est existentia.

**4.** Resp. Oxom. D. Thom. per esse intelligere esse existentia, non verò existentia. Quod probat ab exemplo subjuncto à D. Thom. illis verbis: *Utpote prima perfectio ignis consistit in esse, quod habet per suam formam substantialiem.* Forma autem substantialis est esse existentia, non verò existentia. Sed contra est evidenter, ni fallor, ex ipso exemplo subjuncto in 2. & 3. perfectione ignis, quarum secundam, ait Div. Thom. consistere in calitate, levitate, siccitate, & hujusmodi; tertiam verò igni competere, secundum quod in suo loco quiescit: ergo secundum Div. Thom. neque 2. nec 3. perfectio ignis consistit in esse existentia, sed illud supponit: cum ergo certum sit existentiam esse perfectionem ignis, con-

sequenter vel Div. Thom. per esse, secundum quod attenditur prima rei perfectio, intelligit esse existentia, vel non annumeravit perfectionem existentia. Ex quo subinde inferatur, non solum in unaquaque re triplicem perfectionem inveniri, verum & quadruplicem. Dicendum ergo est quod cum D. Thom. inquit primam perfectionem ignis consistere in esse, quod habet per formam substantialiem, vel loquitur de forma substantiali prout substantia existentia, quia sic, & non aliter perficit; vel per esse intelligit esse existentia, quatenus existentia est, & dicitur actus ipsius formæ substantialis, ut expressè ad idem intentum docet Div. Tho. 3. contra Gent. cap. 2. num. 3.

**5.** Deinde prædicta interpretatio impugnat: namque D. Thom. statim subsummit illam triplicem perfectionem nulli creato competere secundum suam essentiam, sed soli Deo: cum ergo esse existentia cuilibet creato competit secundum suam essentiam, consequenter D. Tho. non potest legitime interpretari, quod loquatur de esse existentia, & non de esse existentia. Respond. Oxom. quod D. Thom. loquitur de illa triplici perfectione, non divisivè, id est, quod omnes illæ perfectiones simul nulli creato secundum essentiam convenient, quod patet ex modo, quo concludit corpus articuli his verbis: *Unde manifestum est, quod solus Deus habet omnem perfectionem secundum suam essentiam.* Sed contra est: nam Div. Thom. divisivè, & distinctis rationibus probat unamquamque ex illis perfectionibus soli Deo competere secundum suam essentiam, non verò alicui creato, ut patet ex contextu, namque primam competere soli Deo secundum suam essentiam probat, ex quo solius Dei essentia est suum esse; secundam verò ex quo Deo non adveniunt aliqua accidentia, sed quæ de alijs dicuntur accidentaliter, sibi convenienter essentialiter; & tertiam denique, ex quo Deus ad nihil aliud ordinatur sicut ad finem: sentit ergo D. Thom. quamlibet ex illis perfectionibus divisivè, & secundum se consideratis competere soli Deo secundum suam essentiam, non verò alicui creato. Ex quo rectè concludit, quod solus Deus secundum suam essentiam haberet omnitudinem perfectionem.

**6.** Quod etiam fit manifestum ex solutione Div. Thom. ad 1. quod intendebat esse bonum per essentiam non esse proprium Dei, sicut neque esse unum; cum tamen non minus unum convertatur cum ente, quam bonum, & concludit Div. Thom. solutionem dicendo: *Et ideo oportet, quod qualibet res sit una per essentiam, non autem bona, ut ostensum est.* Ergo sentit D. Thom. primam bonitatem, quæ nempe con-

yer-

vertitur cum ente, quia de hac procedebat argumentum, nulli creato competere per essentiam; proindeque, quod essentia, quatenus prevenit existentiam, nullam habeat actualem bonitatem. Sed Oxomensis hac autoritate probat creature, quatenus preueniunt existentiam, non habere bonitatem simpliciter, alias essent simpliciter bona, sicut & una, & sic non subsisteret discrimen assignatum à Div. Thom. Sed ex hac doctrina manifestè appetet hujus authoris contradicatio, namque hæc bonitas, de qua procedit argumentum, est prima bonitas, ut dixi, si ergo hæc est simpliciter talis, manifestè simili opponitur, dum ex una parte afferit primam perfectionem, seu bonitatem convenire creaturæ per essentiam, & ex alia creaturæ per essentiam non convenire bonitatem simpliciter.

7 Deinde etiam patet ex solutione ad secundum, quod procedebat, ex quo ipsum esse cuiuslibet rei est ejus bonum, & quælibet res est ens per essentiam, & respondet: *Quod licet unumquodque sit bonum, in quantum habet esse, tamen essentia rei creatæ non est ipsum esse,* & ideo non sequitur, quod res creatæ sit bona per suam essentiam. Non autem recte concluderet Div. Thom. rem creatam non esse bonam per suam essentiam; ex quo essentia rei creatæ non est suum esse, si essentia creatæ, ut prævenit existentiam, esset bona; sed solum posset concludere, non esse per essentiam bonam bonitate existentiae.

8 Ac tandem dicere essentiam creatam, ut prævenit existentiam esse bonam secundum quid, ut verò subjecet existentiæ, esse bonam simpliciter, exprestè procedit contra Div. Thom. quæst. 21. de veritate art. 5. in corpore, & ad secundum, & 3. contr. gent. cap. 20. num. 3. ubi potius docet creature, esse bonas secundum quid per existentiam substantialem, & bonas simpliciter per accidentia, qua ratione hominem iustum non dicimus bonum simpliciter, sed secundum quid, in quantum est ens, & homo: hominem vero iustum dicimus bonum simpliciter.

9 Alter Div. Thom. interpretatur Dideus Silva Benedictinæ familie: nempe quod cum Div. Thom. negat creaturis bonitatem per essentiam, bonitas per essentiam non summittur prout opponitur bonitati tali accidentaliter, sed prout opponitur bonitati tali per participationem; unde sicut homo dicitur per essentiam rationalis, licet rationalitas ei competit per participationem à Deo, sic non repugnat, quod in eodem sensu dicatur bonus per essentiam, licet bonitas ei competit per participationem. Sed in primis, quod Div. Thom. negat crea-

turis bonitatem per essentiam, ex quo tis nulla potest convenire bonitas, nisi per esse, vel accidentia super addita, vel per ordinem ad finem, patet ex ipso contextu, & consequenter negat eis bonitatem per essentiam, nedum prout opponitur bonitati tali per participationem, sed etiam prout opponitur bonitati tali accidentaliter. Deinde etiam hoc clarissime constat ex solutione relata ad primum: namque in praedicto sensu non subsistere discrimen inter unum, & bonum, utpote res creata non est una per essentiam, prout unitas per essentiam opponitur unitati per participationem; cum etiam ipsa unitas rei creatæ sit participata à Deo: at in sensu in quo D. Tho. affirmat rem creatam esse unam per essentiam negat esse per essentiam bonam: ergo. Ac tandem loco cit. de veritate in corp. & ad 1. pro eodem intelligit bonitatem esse talem per participationem, ac esse bonitatem secundum esse participatum. Et ratio suadet, quia præcisa existentia, essentia non intelligitur participata; sed participativa, seu potens participare, sicut neque intelligitur bonitas divina ei communicata, sed solum communicabilis.

10 Secundò fundatur nostra resolutio ratione D. Thom. sup. q. 5. ar. 1. & hujusmodi: *Unumquodque est actu bonum, in quantum est appetibile;* unde Philosophus in 1. Ethicorum dicit, quod bonum est, quod omnia appetunt; *unumquodque autem est appetibile, in quantum est perfectum.* Nam omnia appetunt suam perfectionem; in tantum autem est perfectum unumquodque, in quantum est in actu ens, esse enim est actualitas omnis rei, ut ex superioribus patet. Cum ergo creature possibiles non sint entia in actu, consequenter, &c. Resp. Oxomensis. Unumquodque esse bonum, & perfectum, in quantum est in actu, sive actu essentiæ, sive actu existentiae. Sed contra est: namque Div. Thom. cum ait, unumquodque esse perfectum, in quantum est in actu, plane loquitur de actualitate existentiae, ut patet ex illis verbis: *Essere enim est actualitas omnis rei, ut ex superioribus patet.* Ubique remittit se ad dicta in quæst. 3. art. 4. & quæst. 4. art. 1. ad 3. ut constat ex nota posita in margine, quibus in locis exprimere loquitur de esse existentiae, probat enim in 1. loco, quod in Deo non est aliud essentia, quam suum esse: *Quia esse est actualitas omnis forma, vel natura;* unde humanitas non significatur in actu, nisi prout significans eam esse; & sic oportet, quod esse comparetur ad essentiam, quæ est aliud ab ipso, sicut ad actus ad potentiam. In Deo autem nihil est potentiale. Et in 2. loco ait: *Quod ipsum esse comparatur ad omnianum actus nihil enim habet actualitatem, nisi in quantum est.*

*est. Unde ipsum est actualitas omnium rerum, & etiam ipsarum formarum.* Nequè vallet, quod Div. Thom. plurib. in loc. afferit, aliiquid esse verum, in quantum est in actu, quo non obstante, creaturis possibilibus convenient veritas objectiva in actu: non inquam valet, & simili tertio. & principaliter fundatur nostra resolutio: namquè Div. Thom. perpetuus est in eo, quod verum est in intellectu, bonum vero in rebus, & quod objectum intellectus terminat cognitionem, prout est intra ipsum; objectum vero voluntatis terminat actum illius prout in re, & extra ipsum appetentem; qua ratione verificatur, quod cognitio sit, secundum quod cognitum est in cognoscente, appetitus vero secundum quod appetens inclinatur in rem appetitam, & pariter, quod intellectus cognoscendo trahit res ad se, voluntas vero appetendo fertur ad res prout sunt in se. Ex differentia ergo, quæ est inter voluntatem, & intellectum penes illorum abjecta, principaliter fundatur sententia nostra, siquidem, ut ajunt Salmanticenses, non esset cur voluntas tendens in bonum, tenderet in res prout existens; nisi bonum esset aliquid, quatenus est in actu actualitate existentie, & non cum preceptione ab illa.

11 Quarto fundatur nostra resolutio, & impugnatur solutio praecedens, similique infringitur fundamentum sententiae oppositæ; essentia praecissa existentia nullo modo est ens in actu: ergo nullo modo est actu bona. Consequentia patet, & anteced. est Div. Thom. tum locis allegatis in secundo fundamento: tum quæst. 7. de potentia art. 3. ad 9. ubi sic habet: *Quelibet autem forma signata non intelligitur in actu, nisi per hoc, quod esse ponitur.* Et secundo contra Gentes cap. 52. art. 6. ait: *Omnis forma, & actus est in potentia, ante quam esse adquirat.* Et primo contra Gentes cap. 22. etiam ait: *Eesse autem nominat, dicitur enim aliquid esse, ex eo quod est in actu.* Et in opusculo 15. cap. 8. expresse etiam habet, quod essentia, vel forma praecissa existentia est nihil. Prout nihil removet esse in actu, non vero prout removet esse in potentia. Deinde prob. ratione, nam sola existentia est actualitas in genere entis, sicut sola subsistentia est actualitas in genere substantiarum, & sola operatio est actualitas in genere operativo; unde sicut praecissa operatione non est aliquid actu in genere operativo, nec praecissa subsistentia est aliquid actu in genere substantiarum, sic nec praecissa existentia est aliquid actu in genere entis. Unde distingue inter esse actu, & esse in actu; essentia quidem, vel forma substantialis per se ipsam est actus primus, & essentialis, realiter condistinctus ab actu existentiæ: est tamen

actus actuabilis, & perfectibilis. Unde existentia non dicitur ultima actualitas, quia supponit primam in actu, sed potius, quia eam in actu constituit. Quo in sensu ait Div. Thom. quæst. 7. de potentia art. 2. ad 10. quod actu est tempore posterior potentia in uno, & eodem, quod de potentia ad actum procedit; est tamen prior potentia in perfectione, quia eam in actu constituit. Hinc Thomistæ afferentes essentiam in statu possibilis esse nedū aliquid negativum; nempe non repugnantiam predicatorum, seu extrinsecam denominationem ab omnipotentia potente eam producere, sed etiā aliquid positivum, & intrinsecum ab omni potentia condistinctum, dicunt illud esse tale non in actu, sed in potentia; proindeque esse nihil, prout nihil removet esse in actu, ut diximus ex Div. Thom.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta.

12 **S**ed contra nostram resolutionem objiciunt 1. Oxomensis, & Goneti verba Div. Thom. 3. contra Gentes cap. 20. non longe à fine, ubi ait: *In quo apparet, quod bonum quodammodo amplioris est ambitus, quam ens, propter quod Dionisius cap. 4. de divinis nominibus dicit, quod bonum se extendit ad existentia, & non existentia.* Ergo ex mente Angel. Doct. & D. Dion. in non existentibus bonitas invenitur. Deinde art. 6. hujus questionis cum posuisset argumentū, quod Deus scit omne verum: ergo vult omne bonum; sed non omne bonum fit: ergo non semper voluntas Dei impletur: respondet: *Quod cognitio est ad cognitum.* Secundum quod est incognoscente, attamen volitio est ad res. Secundū quod sunt in se ipsis; quidquid autem potest habere rationem entis, totum virtualiter est in Deo, sed non totum existit in rebus creatis, & ideo cognoscit omne ens, & verum, non tamen vult omne bonum, nisi in quantum vult se, in quo virtualiter omne bonum existit: ergo secundum D. Tho. aliquod bonum est, quod non est volitum à Deo; at omnia futura, & existentia sunt volita à Deo: ergo illud bonum est creature possibilis.

13 Sed ad primum respond. ex verbis praecedentibus D. Thom. quæ sunt hujusmodi: *Licet unumquodque sit bonum, in quantum est ens, non tamen oportet, quod materia, quæ est ens, solum in potentia sit bona, solum in potentia ens enim absolute dicitur; bonum autem in ordine consistit, non enim aliquid solum bonum dicitur, quia est finis, vel quia est obtainiens finem, sed etiam si non dicit ad finem perveniret, dummodo sit ordinatum in finem, ex hoc ipso dicitur bonum.* Ma-

teria ergo non potest simpliciter dici ens hoc quod est in potentia ens, in quo importatur ordo ad esse, potest tamen ex hoc simpliciter dici bona propter ordinem ipsum. Et deinde subjungit verba relata in argumento, ex quibus constat, quod Div. Thom. supponit unumquodque dici bonum, in quantum est ens, & intelligitur de ente participaliter sumpto; cum intendat statuere ordinem bonitatis inter partes substantiae, & ipsam substantiam existentem, ut ex primis verbis contextus apparet. Ponit tamen discrimen inter ens, & bonum, quod ens dicitur absolute, non vero respectivo, è contra tamen bonum, ut patet in medijs, quæ dicuntur bona ex ordine ad finem, & consequenter materia prima, quæ secundum se solam dicit ordinem ad esse, quatenus secundum se est in potentia ad existentiam formæ; ex hoc ordine non potest dici secundum se ens simpliciter, potest tamen ex illo ordine secundum se dici simpliciter bona. Et sic cum Div. Thom. subjungit, quod bonum quoddammodo amplioris est ambitus, quam ens, intelligitur de ente simpliciter, nempe existenti propria existentia, & non existentia aliena, ut est forma ipsa substancialis, & pariter substantia ex ea composita. Et similiter, cum Dionysius dicit, quod bonum se extendit ad existentia, & non existentia, intelligitur de non existentibus propria existentia; ut est materia prima. Et est idem, ac si diceret, quod bonum simpliciter se extendit ad omnia, quæ quomodolibet existunt; ens vero simpliciter solum exteditur ad ea, quæ existunt propria existentia.

14 Deinde ipse Div. Thom. verba Dionysij sibi objicit supra quest. 5. art. 2. & respondeat: *Quod bonum extenditur ad existentia, & non existentia, non secundum prædicationem, sed secundum causalitatem, ut per non existentia intelligamus non ea simpliciter, quæ penitus non sunt, sed ea, quæ sunt in potentia, & non in actu, quia bonum habet rationem finis, in quo non solum quiescunt, quæ sunt in actu sed ad ipsum etiam moventur, quæ in actu non sunt, sed in potentia tantum. Ens autem non importat habitudinem cause nisi formalis tantum, vel inherentis, vel exemplaris, cuius causalitas non se extendit nisi ad ea, quæ sunt in actu.* Hæc ibi Div. Thom. ubi clare explicat per non existentia non intelligi pure possibilia, quæ simpliciter, & penitus non sunt, sed futura, quæ prout in causis moventur ad finem, quatenus causa determinata fine moventur ad ipsorum productionem. Ad secundum locum respondeat ex ipso contextu, namque loquitur de eo, quod potest habere rationem entis, non tamen est in actu ens: ergo cum concludit quod Deus no-

vult omne bonum, non loquitur de bono in actu, sed de bono solum in potentia.

15 Secundo objiciunt prædicti Authores, unumquodque dicitur bonum, secundum quod est perfectum; at creatura possibiles sunt perfectæ perfectione essentiali: ergo sunt bona bonitate essentiali. Major est expressa Div. Thom, ut patet ex dictis, minor vero probatur: creaturis possibilibus nihil deest ex prædicatis essentialibus: ergo sunt perfectæ perfectione essentiali: antecedens est certum, & consequenter ex diffinitione perfecti, quod est illud, cujus nihil deest in proprio generi.

16 Respond. quod perfectum est illud, cui jam existenti nihil deest in proprio genere, & sic licet creaturis possibilibus nihil deest ex prædicatis essentialibus, non tamen propterea dicuntur perfectæ illa perfectione. Quæ solutio patet ex Div. Thom. 1. contra Gentes cap. 28. num. 1. ubi ait: *Quod sicut omnis nobilitas, & perfectio inest rei, secundum quod est, ita omnis defectus inest ei, secundum quod aliqualiter non est.* Unde infert Div. Thom. quod Deus sicut habet esse totaliter, ita ab eo absit totaliter non esse, quia per modum, per quem habet aliquid esse, deficit à non esse, & consequenter est universaliter perfectus. Et si attendatur nominis significatio quantum ad sui originem, hoc sit perspicuum, namque perfectum ex præpositione *per*, participatio *factum* componitur: ergo quod factum non est, nec perfectum dici potest. Unde Div. Thom. loco citato num. 5. ait, quod idem significat perfectum, ac totaliter factum, quando, scilicet, potentia totaliter est ad actum reducta, ita ut nihil de non esse retineat, sed habeat esse completum. Qua ratione docet perfectionem secundum significationis originem, convenienter Deo attribui non posse, sed solum per quandam nominis extensionem, quatenus significat id, quod est in actu completo absque omni factione.

17 Tertio objiciunt: bonitas entitatem sequitur; at possibilibus convenit entitas, cum prædicatione ista: *Homo est ens, sit æternæ veritatis, & consequenter pro omni statu vera:* ergo etiam convenit illius bonitas consequuta. Resp. ex dictis, quod bonitas in actu sequitur entitatem in actu, seu existentem, quæ dicitur entitas participaliter sumpta; bonitas vero in potentia sequitur entitatem in potentia, quæ dicitur entitas nominaliter sumpta. Possibilibus vero solum convenit entitas essentialiter, seu nominaliter sumpta, & sic solum eis convenit bonitas in potentia, non vero in actu.

18 Sed contra hanc solutionem objiciunt primo, quod hæc prædicatione *Homo est ens*, non

minus est æterne veritatis, quam ista: *Homo est animal*; at homo ab æterno non solum in potentia, sed etiam actu est animal: ergo. Secundo: objectum metaphysicæ est ens nominaliter sumptum, prout est concretum essentia; at de illo inter alias passiones bonitatem demonstrat: ergo bonitas non ad ens sumptum participaliter, sed ad ens sumptum nominaliter, seu essentialiter sequitur. Tertio: enti nominaliter sumpro convenit sua integritas, & perfectio essentialis: ergo & essentialis bonitas in perfectione, & integritate coherens. Quarto: quia nulla est ratio, cur sicut ens illa dupli gaudet acceptione, secundum quarum unam summittur nominaliter, ut concretum essentia, & secundum aliam participantem existentiam importat, pariter etiam bonum eadem dupli acceptione summi non posse? Ergo sicut est bonitas sequuta ad ens sumptum participantem, ita etiam constituenda erit bonitas consequuta ad ens sumptum nominaliter. Quinto: contra eandem solutionem dicunt stare Div. Thom. supra quæst. 6. art. 3. in corp. ubi triplicem perfectionem, & consequenter triplicem bonitatem distinguunt, & primam, ait provenire à forma, secundum quam in suo esse constituitur.

19 Sed respond. & ad primam impugnationem aliqui Thomistæ non renunt concedere, quod in propositionibus æternæ veritatis prædicatum enuntiatur de subjecto, secundum actualē convenientiam absolute loquendo, qui consequenter docent essentiam ab æterno esse in actu completam actualitatem essentia, non tamen esse bonam in actu, quia bonitas in actu non sequitur entitatem nominaliter, sed participantem sumptum. Hinc ad secundam impugnationem respond. vel quod objectum metaphysicæ est ens participantem sumptum, abstractum, tamen ab omni materia, namque metaphysica agit de ente in communi, & similiter de existentia, vel quod objectum metaphysicæ est ens in communi, sive nominaliter, sive participantem sumptum, quia non solum agit de essentia, sed etiam de existentia. Hinc etiam ad tertiam dicunt, quod ens nominaliter sumptum, quamvis actu habeat integratatem suorum prædicatorum essentialium, hec tamen integras non est per se, nisi sit facta, & à parte rei. Ad quartam vero respondent, quod bonum non est participantem alicuius verbi, sicut ens, quod est participantem verbi substantivi, & propterea ens potest summi nominaliter, & participantem, focus tamen bonum.

20 Sed fateor, quod semel dato ens nominaliter sumptum præcisa existentia, & ab æterno esse ens actu actualitate essentia, sententia

asserens eo ipso esse bonum in actu bonitate essentiali, non leviter fundari stando rationi. Ecclæsia Div. Thom. non minus adversatur huic bonitati essentiali, quam actualitati: siquidem sita est in eo, quod aliquid non est actu bonum, nisi sit ens in actu, & quod essentia non est in actu sine existentia. Immò quod objectum metaphysicæ non sit tantum ens nominaliter sumptum, prorsus judico falsum; namque licet metaphysica agat de existentia, agit tamen de illa signata, & per modum cuiusdam quidditatis.

21 Melius ergo neg. prædicta actualitas essentia juxta dicta in quarto fundamento: Unde per ens nominaliter sumptum solum dicimus significari ens possibile, & in potentia. Et ad 1. impugnationem respond. juxta dicta supra dubio 1. resolut. 1. ad 6. & resolut. 2. fundam. 2. quod propositio æternæ veritatis non facit sensum, quod prædicatum convenit subiecto actu absolute loquendo, sed solum conditionaliter; nempe si subiectum ponatur existens, & à parte rei, utpote propositio æternæ veritatis solum enuntiat prædicatum quantum ad connectionem essentialiem, vel connaturalem, quam habet cum subiecto; connexionio autem consistit in conditionali existentia, quod si nempe unum ponatur, ponatur & aliud, v. g. hæc propositio *Currens movetur*, quæ non minus est æternæ veritatis, quam ista, *Homo est animal*, non denotat currentem actu absolute moveri, aliter non esset vera ab æterno; sed solum denotat, quod cursus connectitur, ita ut si supponatur animal actu currens, non possunt non ponere actu motum. Et similiter cum definitur propositio: *Quod est oratio, verum, vel falsum significans*, non denotatur, quod propositio in communis, quæ definitur, exerceat prædictam significacionem; hæc enim solum exercetur in propositionibus, quæ particulariter proferuntur; sed sensus definitionis est, quod propositio connectitur cum significare verum, vel falsum; ita quod quando inventa fuerit actu aliqua propositio, illa non potest non actu significare verum, vel falsum. Unde quia nulla est connexionio inter hominem, & album; sed potest ponere homo à parte rei, quin sit albus: hæc propositio *Homo est albus*, non est æternæ veritatis, sed contingens. Hæc ergo propositio *Homo est animal*, non denotat hominem actu absolute constitutum per animal, seu animal actu absolute convenire homini, sed solum, quod homo essentialiter connectitur cum animali, ita, ut si ponatur homo actu, & à parte rei, non possit non ponere actu, & à parte rei animal.

22 Ad secundam impugnationem resp. ex doctrina citata, quod quia in demonstratione

pro-

propositiones sunt eternæ veritatis, solum demonstratur passio, vel proprietas quantum ad debitum, & connexionem, quam habet cum essentia; non vero quantum ad actualem convenientiam, nisi conditionaliter, nemp̄ si ponatur essentia existens, & à parte rei, sicut cum demonstratur, quod homo est risibilis per hoc, quod est rationalis, non demonstratur, quod homo actu habet risibilitatem, sicut neque, quod risibilitas actu dimanet à rationalitate hominis, sed solum, quod risibilitas est debita homini, quia rationalis est, taliter quod si homo ponatur à parte rei conformiter ad debitum sue naturæ, non possit non poni actu risibilis. Concordemus, quod objectum metaphysicæ est ens essentialiter, seu nominaliter sumptum, & quod de illo metaphysicæ bonitatem demonstrat; & disting. conseq. ergo bonitas sequitur ad ens nominaliter, & essentialiter sumptum, quantum ad debitum, & connexionem conced. quantum ad actualem convenientiam subdivisus, conditionaliter, nemp̄ si ponatur existens, conced. absolute neg. Nec valet, quod eo ipso, quod essentia ponatur existens, jam non est ens nominaliter sumptum, sed participialiter, & sic nunquam verificabitur etiam conditionaliter, quod bonitas sequitur ad entitatem nominaliter sumptuari, quantum ad actualem convenientiam. Non, inquam, valet, licet enim essentia hoc ipso, quod ponatur existens definit esse ens nominaliter sumptum quantum ad statum abstractionis, quem habet in intellectu, non tamen quantum ad rem significatam, quæ est essentia secundum se; hæc enim eadem est in omni statu; passiones autem non demonstrantur de essentia, ut stat reduplicative sub statu communis, vel abstractionis, quem solum habet in intellectu, namque prout sic numquam ei possunt convenire, sicut neque ab ea dimanare; sed demonstratur de essentia secundum se abstractione, & communitate se tenente pure exercitè ex parte intellectus; sicut de homine in communi posset demonstrari risibilitas in actu conditionaliter, siquidem etiam cum homo ponatur existens, eo ipso definit esse homo in communi.

23 Dices, quod metaphysica solum dicit in actu demonstrat bonitatem; ut patet ex Div. Thom. locis citatis. Sed resp. quod ratio Div. Thom. procedit de bonitate in actu absolute loquendo, quæ demonstratio supponit demonstrationem bonitatis, quantum ad debitum, & connexionem, & est, ac si fieret argumentum à conditionali cum positione antecedentis ad positionem consequentis; si enim bonitas connectitur cum entitate, ita quod si hæc

ponatur in actu, non possit non actu esse bona, bene infertur, quod absolute loquendo, in tantum est aliquid bonum, in quantum est in actu;

24 Adhuc dices, quod non minus demonstratur de entitate bonitas, quam veritas: sed de entitate demonstratur veritas quantum ad actualem convenientiam absolutè: ergo & bonitas. Sed resp. conseq. ad dicta negand. min. Unde dicimus, quod creaturæ possibiles sicut non sunt entia in actu, sic neque ex se fundant rationem veri actualis, sicut neque ex se possunt movere intellectum per aliquam speciem ad ipsarum cognitionem. Et ita intellectus noster, qui sumit scientiam à rebus, ad illarum cognitionem movetur per species entium actuum, eo modo, quo ad cognitionem entis rationis movetur per speciem entis realis, & similiter ad cognitionem privationum movetur per species formarum, quarum sunt privations. Intellectus autem divinus, qui non sumit cognitionem à rebus, movetur ad illarum cognitionem per divinam essentiam, in qua virtualiter existunt. Unde Div. Thom. art. 6. hujus quest. probat, Deum cognoscere creaturas possibiles ex eo, quod cognitio est ad cognitum, secundum quod est in cognoscente, & quidquid potest habere rationem entis veri, totum est in Deo virtualiter: ergo sentit Div. Tho. quod creaturæ possibiles secundum esse objectum, quod habent distinctum à Deo; non fundant rationem veri actualis, sed solum quatenus in Deo virtualiter continentur.

25 Ad tertiam impugnationem patet ex dictis, quod enti nominaliter sumpto, & cum praecissione ab existentia non convenit actu absolute sua integritas, & perfectio essentialis. Ad quartam denique respond. quod nos non negamus bonitatem consequitam ad ens nominaliter sumptum, & participialiter sumptum; atamen sicut ens nominaliter, & participialiter non distinguitur, nisi penes esse in potentia, vel in actu, ita dicimus bonitatem consequitam ad ens nominaliter sumptum, solum distingui à bonitate sequita ad ens participialiter sumptum penes hoc, quod hæc est bonitas in actu, illa vero solum in potentia. Ad ultimam patet ex dictis.

26 Sed pro complemento nostræ resolutionis inquires: An, licet essentia praecisa existentia non habeat bonitatem aliquam in actu, dum tamè est sub existentia, sit bona bonitate realiter distincta à bonitate existentia? Ad hoc resp. aliqui, quod sicut essentia realiter distinguitur ab existentia, sic habet bonitatem realiter distinctam à bonitate existentia, & secum identificatam: quia ut ait Div. Th. supra quest.

5.art. 1. bonitas identificatur cum ente, & solum ratione ab eo differt. Sicut essentia, quamvis sit entitas realiter distincta ab existentia, non tamen est actu ens, nisi quatenus connotat existentiam, cui subjicitur, sic bonitas actualis, cum forma identificata connotat unionem illius cum existentia exercita, & consequenter praecisa existentia, caret illa bonitate, non propter defectum alicujus intrinseci, sed solum propter defectum extrinseci connotati, ut à simili dicitur de unione materiae cum forma in sententia assertente non dari modum unionis, quæ propterea identificatur cum materia prima; attamen quia identificatur cum illa, quatenus connotat actionem agentis, cui subjicitur, ex hujus defectu, sine defectu alicujus intrinseci caret unione cum forma separata.

27 Sed opposita sententia videtur conformior doctrina Div. Thom. supra quest. 6. art. 3. in corp. & ad 3. siquidem in corpore habet, quod prima rei perfectio consistit in existentia, secunda in accidentibus superadditis, & tertia in ordine ad finem. Et ad tertium habet: *Dicendum, quod bonitas rei creatæ non est ipsa ejus essentia, sed aliquid superadditum, vel ipsum esse ejus, vel aliqua perfectio superaddita, vel ordo ad finem. Ipsa tamen bonitas sic superaddita, dicitur bona: hac autem ratione dicitur ens, quia ea est aliquid, non quia ipsa aliquo alio sit. Unde hac ratione dicitur bona, quia ea est aliquid bonum, non quia ipsa habeat aliquam aliam bonitatem, qua sit bona.* Sentit ergo, quod essentia non habet aliam bonitatem præter bonitatem existentiæ, vel accidentium, vel ordinis ad finem. Et quod sicut existentia solum est ens, ut quo, in quantum ea est in actu essentia, & essentia est ens, ut quod; sic essentia est bona, ut quod, existentia verò solum ut quo, in quantum ea est bona essentia. Neque ex hoc sequitur, quod bonitas non identificetur cum ente; nam loquitur Div. Thom. de ente in actu, quod jam includit existentiam, cum qua bonitas identificatur.

### RESOLUTIO II.

*Admissa prædicta bonitate, Deus amat creature possibiles.*

28 **E**st contra Oxomensem, Gonet, & alios communiter, qui licet nobis cum teneant creature possibiles nullam actu habere bonitatem, nihilominus dicunt, illa admissa, Deum eas non amare ullo amore. nostram sententiam tenent Scotus, Fonseca, Vazquez, Arrubal, Herize, Ruyz, & ex Thomistis omnes, qui præcipue probant Deum

non amare creature possibiles ex defectu predictæ bonitatis.

29 Et fundatur 1. & à priori ratione sumpta ex D. Thom. supra quest. 5.art. 1. quod nempe ens, & bonum sunt idem secundum rem & differunt secundum rationem, quia bonum dicit rationem appetibilis, quam non dicit ens; nam bonum est, quod omnia appetunt, ut dicit Philos. 1. Ethicor. Quod & docet art. 2. seq. ad 1. ad 2. ad 3. & ad 4. & art. 3. in corp. &c ad 1. & art. 4 & 5. in corpore. & quest. 6. seq. art. 3. ad 3. & quest. 16. art. 3. in corp. & 3. contra Gent. cap. 20. & quest. 21. de verit. art. 1. in corp. & ad 1. & art. 2. in corp. & ad 5. & 6. & art. 3. in corp. & ad 2. & quest. 22. sequenti art. 1. in corp. & pluribus alijs locis. Si ergo creature possibiles actu sunt bona, non possunt non actu esse appetibles, & consequenter in eo statu possunt amari à Deo, & defacto amantur.

30 Resp. Oxom. quod bonum est duplex, aliud trancendentaliter, prout est idem, quod integrum in suo proprio genere; & aliud formaliter, seu bonitate formali, prout idem est, ac conveniens alteri, & illius perfectivum; creature autem possibiles solum primo modo sunt bona, quia sunt integræ sua integritate essentiali; focus vero in secunda acceptione, quia prout in illo statu non sunt perfectivæ alicujus, quod necessarium erat, ut essent appetibles.

31 Sed contra est, & 1. notanda sunt verba hujus Autho. in 2. conclus. dum 2. probat Deum non amare creature possibiles amore necessario, quia inquit: *Ubi cumque Div. Thom. de amore creature sermonem instituit, illum liberum esse fatetur, neque alicubi amore necessario agnoscit præter illum, quo se ipsum diligat. Et quidem mirum esset, quod amor iste necessarius, respectu creature, Angelici Doctoris mente transiret, si vere in divina voluntate daretur. Hac ille. Que verba retorqueo ad hominem contra ipsum: Quia ubi cumque Div. Thom. de bono sermonem instituit, illud constitui per rationem appetibilis fatetur, ejusque definitionem tradit ex Philos. dicente, quod bonum est, quod omnia appetunt. Unde inferit, quod bonum habet rationem causæ finalis, & perfectivi, seu converientis. Neque alicubi bonum non appetibile, neque perfectivum agnoscit præter materiam primam, quæ, quia solum est bona propter ordinem, & aptitudinem ad bonum, non sibi convenient, quod sit appetibilis, sed quod appetat, ut docet quest. 5. citata art. 3. ad 3. immo omnibus locis præallegatis agit de bono, quod convertitur cum ente, & sola ratione differt ab illo, quia addit rationem appetibilis*

bilis, vel perfectivi, vel cause finalis, ut per cuncta loca videnti constabit. Et quidem mirum est, quod bonum hoc non appetibile, neque perfectivum, Angelici Doctoris mentem transiret, si vere in creaturis possibilibus daretur. Chimerica ergo est illa bonitas, vel debet ei convenire ratio appetibilis, & perfectivus.

32 Deinde, creature possibiles in tantum sunt actu bona bonitate essentiali; in quantum sunt actu essentialiter perfecta; sed non nisi per proprias formas substantiales: ergo iste sunt actu essentialiter illarum perfectivae: eis ergo convenient ratio perfectivi, si eis convenit semel ratio perfecti. Neque valet, quod ratio appetibilis sequitur rationem perfecti, vel perfectivi accidentaliter, non vero essentialiter; namque D. Tho. docet, unumquodque esse appetibile, in quantum est perfectum; esse autem perfectum, in quantum est in actu; sed cum Div. Thom. docet unumquodque esse perfectum, in quantum est in actu, interpretatur ab eis de esse in actu, sive existentiae, sive essentiae: ergo, & cum sit unumquodque esse appetibile, in quantum est perfectum, deberet etiam interpretari de perfecto, sive existentialiter, sive essentialiter. In modo Div. Thom. ex eo, quod bonum est aliquid in quantum perfectum, probat bonum esse appetibile, quia unumquodque appetit suam perfectionem: si ergo bonum est aliquid in quantum perfectum, sive essentialiter, sive accidentaliter, pariter & erit appetibile in quantum perfectum, sive accidentaliter, sive essentialiter.

33 Deinde dices cum nostro Magist. Lezana, quod & si creature possibiles haberent bonitatem transcendentalis, illa tamen bonitas solum esset ipsis, non alteri, quia neque utilis, neque delectabilis, & sic neque esset appetibilis, sicut neque attractiva, vel alicitiva appetitus. Sed contra est præter dicta: namque Div. Thom. quæst. 5. citata art. 6. probando convenienter dividi bonum in honestum, utile, & delectabile, incipit sic in corpore: *Respondendum, quod hæc divisio propriè videtur esse boni humani, si tamen altius, & communius rationem boni consideremus, invenitur hæc divisio propriè competere bono, secundum quod bonum est.* Ergo secundum Div. Thom. bonum, quod dividitur in honestum, utile, & delectabile, est bonum, ut bonum, seu secundum rationem communem boni: Chimericum ergo est bonum quod neque est honestum, neque utile, vel delectabile: vel ergo bonitas illa possibilium est honesta, utilis, vel delectabilis, vel omnino est chimerica.

34 Secundò fundatur nostra resolut. etiam principaliter: namque secundum Autho-

res oppositæ sententia non minus creature possibiles sunt actu bona, quam sunt actu veræ; at taliter sunt actu veræ, quod in illo statu terminare possint divinam cognitionem: ergo taliter sunt actu bona, quod in illo statu terminare possint divinum amorem. Maj. est certa, siquidem ex quo non minus bonum est passio entis, quam verum, inferunt, quod sicut verum sequitur ens, etiam nominaliter sumptum, ita & bonum. Conseq. vero probat. namque non minus verum, quod est passio entis, est objectum intellectus, quam bonum, quod est passio entis est objectum voluntatis, ut patet ex Div. Thom. pluribus in locis, & præcipue quæst. 21. de verit. art. 1. ubi agit de vero, & bono, quæ convertuntur cum ente, & solu ratione ab eo differunt; & inquit: quid bonum, & verum addant supra ens? Et concludit in corpore: *Quod verum, & bonum super intellectum entis addunt rationem perfectivi; sed cum hac differentia, quod verum addit rationem perfectivi intellectus, bonum autem addit rationem perfectivi voluntatis.* Et supra quæst. 16. art. 3. in corp. habet: *Quod sicut bonum habet rationem appetibilis, ita verum habet ordinem ad cognitionem.* Et concludit: *Et ideo sicut bonum convertitur cum ente, ita & verum: Sed tamen sicut bonum addit rationem appetibilis supra ens, ita & verum comparationem ad intellectum.* Bonum ergo, quod est passio entis, est objectum voluntatis, non minus ac verum, quod est passio entis, est objectum intellectus. Si ergo creature possibiles quia actu vere veritate, quæ est passio entis nominaliter sumptu, actu posunt terminare divinam cognitionem, pariter, quia actu bonæ bonitatem, quæ est passio entis nominaliter sumptu, poterunt actu terminare divinum amorem.

35 Neque valet, quod Div. Thom. artic. 6. hujus quæst. ad 2. docet, quod Deus scit omne verum, non tamen vult omne bonum, & consequenter licet creature possibiles non minus sint actu bonæ, quam actu veræ, non infertur, quod sicut terminare posunt divinam cognitionem, ita terminare possint divinum amorem. Non inquam valet: namque ut diximus resolut. præcedenti, Div. Thom. non loquitur de vero, & bono in actu, sed de vero, & bono in potentia. Unde neque docet, quod creature possibiles secundum esse possibile quod habent conditum à Deo, fundant rationem veri actualis, sed solum secundum, quod virtualiter existunt in Deo. Disparitas ergo D. Tho. stat in eo, quod ut aliquid cognoscatur à Deo, non oportet, quod actu sit verum prout in se, sed quod actu sit verum prout in cognoscente, quia actus cognoscitivæ virtutis est secundum, quod cognitum

est in cognoscente. Ut autem aliquid sic volitum à Deo, oportet, quod sit actu bonum in se ipso, quia actus virtutis appetitivæ est inclinatio ad res, secundum quod sunt in se ipsis; quidquid autem potest habere rationem entis, & veri totum, est virtualiter in Deo, sed non totum exsistit in rebus creatis, & ideo Deus cognoscit omne verum, non tamen vult omne bonum. In sententia autem, quam impugnamus, creature possibilis, prout in se ipsis sunt actu bona, sicut prout in se ipsis sunt actu veræ: si ergo ratione veritatis actualis fundata in propria entitate terminat divinam cognitionem, cur pariter ratione bonitatis actualis fundata in propria entitate terminare non poterunt divinum amorem? Cum bonum supra entitatem, cuius est passio, addat, quod sit perfectivum voluntatis, sicut & verum, quod sit perfectivum intellectus.

36 Hinc etiam appareat solutionem Zamorensis esse frivolum: ait enim, quod licet in creaturis possibilibus detur bonitas in actu, illa tamen bonitas est inchoata; non tamen consummata, & perfecta, id est, disposita, & expedita, ut terminet actu amorem Dei. Patet inquam, namque, ut aliquid sit expedite attingibile ab aliqua potentia, non aliud præquiritur, quam quod actu participet rationem formalem objecti illius potentiae, ut docet D. Thom. 1. 2. q. 8. art. 1. in corp. at creature possibilis hoc ipso, quod sint actu bona, actu participant rationem formalem objecti voluntatis, sicut hoc ipso, quod sint actu veræ, actu participant rationem formalem objecti intellectus: ergo sunt expeditæ, & dispositæ, ut actu terminent actum voluntatis, sicut & actum intellectus.

37 Neque exempla hujus Auth. sunt ad propositum, nempe, quod licet objectum sit actu bonum, non tamen est expeditè amabile, nisi proponatur ab intellectu. Et similiter, licet color independenter à luce sit actu visibilis, non tamen est expeditè visibilis sine luce. Ac tandem homo in statu possibilitatis est actu potens intelligere, sed non expeditè. Sed præterquam quod ista exempla, si aliquid convincent, probant etiam, quod creature possibilis non terminent divinum amorem, & si sint bona bonitate consummata, & perfecta, talia exempla non esse ad propositum patet, namque oportet probare existentiam esse conditionem necessariam, ut objectum terminet volitionem, sicut probatur, quod bonum non cognitum non est expeditè appetibile à voluntate, quia hæc est appetitus rationalis; & similiter, quod color, non est expeditè visibilis sine luce, quia non potest videri nisi per speciem, quam non potest immittere ad potentiam, nisi medium sit lucidum; & pariter, quod homo non

potest exercitè intelligere sine existentia, quia intellectio est accidens, proindeque supponens hominem substantialiter compleatum, & perfectum. Atamen, quod existentia objecti sit conditio requisita ad terminandum actum voluntatis, non potest probari, nisi vel quia est requisita, ut aliquid sit actu bonum, vel quia est requisita ut bonum sit perfectivum, vel quia voluntas fertur ad res prout existens, sed in sententia opposita existentia non requiritur, ut aliquid sit actu bonum, & consequenter neque ut bonum sit perfectivum, ut pater ex dictis. Deinde, quod voluntas feratur ad res prout existentes, non potest probari, nisi quia fertur ad bonum, & bonum non est aliquid sine existentia: supposito ergo, quod bonum sit aliquid actu sine existentia, probari non potest, quod existentia sit conditio necessaria exacta, ut bonum terminet actum voluntatis, de quo latè in solutione primi argumenti.

38 Tandem fundatur nost. resolut. namque præcipuum fundamentum Thomist. ad probandum Deum non amare creature possibiles a amore simplicis complacentia, est, quia in Deo, non datur amor pure affectivus respectu creaturarum, ut docet D. Tho. infra q. 20. art. 2. at hoc fundamentum totaliter evanescit, si semel ponatur in creaturis possibilibus bonitas aliqua actualis: ergo. Prob. min. nam propterea secundum D. Tho. loco cit. non datur in Deo amor pure affectivus respectu creaturarum, quia amare est velle bonum alicui; voluntas autem divina, cum sit causa rerum, non supponit in rebus bonitatem, sed potius causat; at si semel ponatur in creaturis possibilibus aliqua bonitas actualis, illam voluntas Dei supponit, & nullo modo cansat: illud ergo Thomisticum fundamentum totaliter evanescit.

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

39 **S**ed contra nostram resolut. objicies  
1. ex Oxomensi, & Gonet: objectum voluntatis est quidditas rei ut exercitè existens, vel saltem, ut dicens ordinem ad existentiam: ergo creature possibiles, & si actu habeant aliquam bonitatem, nullum possunt terminare actum voluntatis. Conseq. est evidens, & anteced. probat. tum ex Div. Tho. infra quæst. 82. art. 3. in corpore his verbis: *Objectum intellectus est simplicius, & magis absolutum, quam objectum voluntatis.* Id est, ut interpretatur Cajet. objectum intellectus est quidditas rei sub conceptu quidditatis; voluntatis vero objectum est res prout existens. Secundo: quo aliqua potentia nobilior, & immaterialior est, eo respicit objectum abstractius: ergo cum intellectus nobilior sit, & immaterialior

Voluntate, abstractius, & nobilior objectum debet respicere; at hæc major abstractio intellectus subsistere nequit, nisi abstrahat ab existentia, illamque concernat objectum voluntatis: ergo. Tertio probat. ex diverso modo tendendi intellectus, & voluntatis; voluntas enim fertur ad res, prout sunt in se ipsis, intellectus verò in se ipso res contemplatur: ergo & si intellectus res purè possibiles cognoscere possit, quia illas intra se meditatur, voluntas tamen eas amare non potest, quia debet ferri ad objectum ut in se ipso, creature autem possibiles in se ipsis non sunt. Denique idem anteced. suadetur: quia ut inquit Cajetan. manifestè experimur, nihil nos impedi- re, quod non existat sanitas, ut illa intelligatur; in voluntate tamen non ita fit, nullus enim sanitatem desiderat, ut illa præcisè possibilis est, sed ut in re sit, neque in sanitate, ut possibili quispiam deleatur, sed in illa, ut existenti, vel in se, vel in proxima spè: ergo signum manifestū est objectum intellectus esse quidditatē per modū quidditatis, voluntatis verò esse rem, ut xi- stenter, vel dicentem ordinem ad existentiam.

40 Sed hoc argumentum convincere nequit. Deum non amare creature possibiles, si semel non convincit creature possibiles nullam habere bonitatem actualē, sicut neque existentiam, namque, quod objectum voluntatis sit quidditas rei, ut exercitè existens, vel saltē dicens ordinem ad existentiam, non potest probari, ut dicimus, nisi quia objectum illius est bonum, & bonum non est sine exercita existentia, vel ordine ad illam; sicut è contra probatur objectum intellectus. Esse tantum quidditatem per modū quidditatis, quia objectum intellectus est verum quod præscindit ab existentia. Unde Div. Tho. quest. 21. de veritat. art. 1. in corp. & infra q. 82. art. 3. utrumque probat: quia verum est in intellectu, bonum verò in rebus. Supposito ergo, quod bonum actu est aliiquid sine exercita existentia, vel ordine ad illam, argumentum prædictum convincere non potest, & sic neg. anteced. in hypothesi data, sed dicimus, quod sicut est aliiquid actu bonum, & sub exercita existentia, & cum præcisione ab illa, sic objectum voluntatis, quod est bonum, est quidditas rei, vel exercite existens, vel ab existentia præscindens.

41 Ad primam probationem in contra re- spond. quod Div. Tho. in corpore illius articuli hæc verba subjungit: Ut enim supra dictum est actio intellectus consistit in hoc, quod ratio rei intellecta est in intelligentia; actus verò voluntatis persistit ex eo, quod voluntas inclinatur ad ipsam rem, prout est in se. Oideo dicit Philosophus in 6. metaph. quod bonam, O molum, quæ sunt objecta voluntatis, sunt in rebus; verum autem,

O falsum, quæ sunt objecta intellectus, sunt in mente. Ergo secundum D. Tho. quod objectum voluntatis non sit ita simplex, & absolutum, sicut objectum intellectus procedit ex eo, quod bonum non est nisi in rebus, & consequenter sine exer- cito existentia. Supposito ergo, quod bonum de- tur sine exercita existentia, ratio D. Thom. non probat. Vel dicendum, quod ut salvetur objec- tum intellectus esse simplicius, & magis abstra- ctum, quam objectum voluntatis, sufficit, quod objectum intellectus sit quidditas rei per modū quidditatis, taliter ut nullo actu possit attingere existentiam prout exercitam, immò potius hanc attingentiam positivè excludat, ut tener Caje- t. Hoc enim ipso objectum intellectus est simpli- cius objecto voluntatis, quæ est quidditas, sive existens, sive præscindens ab existentia, sicut & bonum in hypothesi admisa. Et ex his patet ad secundam probationem.

42 Ad tertiam resp. quod sicut bonum est aliiquid secundum quod est actu, sicut actualitate existentia, sive actualitate essentia, sic voluntas fertur ad res prout in se ipsis, sive essentia, sive existentialiter. Quod autem feratur ad res prout in se ipsis purè existentialiter, probari non potest, nisi bonum, quod est illius objectum, esse non possit sine exercita existentia rei, ut dictum est. Ad quartam resp. experientiam illam mani- feste indicare non dari bonum in actu sine exer- cito existentia, vel ordine ad illam. Si tamen op- positum admittatur, licet non possit voluntas il- lud desiderare, vel in illo deleatur ob defectum existentia, potest tamen in illud ferri simplici af- fectu, seu complacentia; namque bonitas eo mo- do, quo est, respicit potentiam appetitum, & pe- tit amorem sui. Unde si objectum possibile non eset bonum, neque posset terminare affectum amoris; at secundum se, & præcissivè ab existen- tia suam habeat bonitatem, non potest non pe- tere suum affectum, qui silit in ea bonitate ut sic, neque se protendat ad rei existentiam. Qua ra- tione prædictus affectus ab aliquibus dicitur spe- culativus, & ab alijs præcissivus, non quia volun- tas speculetur, vel præscindat, sed quia cum vo- luntas feratur in objectum, ut jam cognitum, cum cognoscitur objectum secundum bonita- tem, quam habet secundum se, præcissivè ab existentia, voluntas pariter fertur in objectum secundum illam bonitatem, quin feratur ad illud sub existentia, vel ordine ad existentiam.

43 Secundò objicies ex Mag. Lezana: Deus non diligit creature propter earum bonitatem, sed solum propter divinam bonitatem, ut ultimi- um finem, ut exprimè docet Div. Tho. hic artic. 2. sed Deus non potest amare purè possi- bilita propter bonitatem divinam, quamvis

habeant bonitatem: ergò Min. probat, namque causalitas ultimi finis est amari propter se, & quod omnia amentur propter ipsum; at divina bonitas non potest exercere hujusmodi causalitatem respectu possibilium, quamvis habeant bonitatem actualem, siquidem causalitas respicit causatum, & non causabile: ergò Secundò Deus habet decretum efficax non communicandi suam bonitatem purè possibilibus: ergò non diligit ea propter se, etiam si actu habeant bonitatem. Anteced. est certum, cum habeat decretum non producendi illas, & conseq. probat. Deus non diligit creature propter suam bonitatem, ut perficiendam per illas, sed ut communicandam illis, ut per se videtur manifestum, & docet Div. Tho. in præsenti artic. sed Deus non diligit possibilia propter suam bonitatem, ut eis communicandam: etiam si actu habeant bonitatem: ergò.

44 Sed in primis, quod divina voluntas moveri non possit à bonitate creata, ex eo potissimum suadetur à Thomis, quia divina voluntas eam non supponit, sed potius causat, ut patet ex dictis: ergò si scmē divina voluntas eam non causat, sed supponit, ut supponi videatur in creaturis purè possibilibus, non est cur ab ea moveri non possit, sicut & propter eandem rationem voluntas creata ab ea movetur. Et sic data hypothesi, licet divina voluntas non amet creature existentes propter earum bonitatem, sicut tamen creature possibles: Deinde bonitas illa actualis possibilium, vel est participata à divina bonitate, vel est bonitas per essentiam, vel est chimerica? Si est participata? Quid obest, ut ametur propter bonitatem divinam, hæc que exerceat erga illam causalitatem ultimi finis? Si autem participata non est? Ergò est bonitas per essentiam, vel chimerica; si est bonitas per essentiam, cur repugnabit esse motivum divinæ voluntatis? Si autem est chimerica? Hoc est, quod intendimus in præsenti resolutione ad confirmandam præcedentem.

45 Deinde resp. quod sicut Deus eatus est ultimus finis, quatenus est illarum principiū, sicut creature possibles, quamvis actu habeant bonitatem, non respiciunt Deum, ut actuale illarum principiū, sed solum quatenus possunt illius causalitatem terminare, sic Deus illas amat propter bonitatem divinam, ut ultimum finem, non in actu 2. sed solum in actu 1. Unde cum dicatur, quod Deus amat creature propter bonitatem divinam, ut ultimum finem, ly propter dicit causalitatem finalē exercitam respectu creature existentium; respectu verò possibilium dicit solum causalitatem finalē in actu 1. Et est sensus, quod Deus illas amat, quia p.

test eis suam divinam bonitatem communicare, & propterea ille amor dicitur simplicis complacentiæ, non verò electivus, quamvis terminetur ad creature, quia non procedit in Deo ex intentione communicandi eis suam bonitatem, sed e complacentia, quam habet in illa, ut communīcabilis. Ex hoc enim, quod complacet in sua bonitate, ut communicabili, propter connexionem complacet secundario in omnibus, quibus potest communicari. Et ex his patet ad secundam probationem, Deus enim creature existentes, vel futuras diligit propter suam bonitatem, ut communicādār, quia talis amor procedit ex intentione illam communicandi, & sic talis amor est electivus, & liber. Attamē creature possibles in eo casu diligit propter suam bonitatē, non ut perficiendam per illas, neque ut eis communicandam, sed purè ut eis communicabili, quia talis amor non procedit ex intentione communicandi illam, sed ex complacentia, quam habet in illa, ut communicabili, & sic talis amor non est electivus, & liber, sed complacentia, & necesfarius, ut dicemus in quarta resolutione.

46 Tertio objicies ex quodam Sap. Mag. in suis manuscriptis, estque replica contra præcedentem solutionem: quod ut docet Div. Tho. 1. 2. q. 8. art. 2. simplex complacentia, que etiam dicitur voluntas, vel simplex volitio, non est de medijs, sed solum de fine; sed creature amatæ propter divinam bonitatem non amantur ut finis, sed ut media, ut docet Div. Thom. in præsenti artic. ad 2. & 3. ergò Deinde amor mediorum procedens ex intentione finis non est simplex complacentia, sed electio, nam intentio movet ad electionem mediorum; sed amor possibilium propter divinam bonitatem procedit ex amore intentivo divinæ bonitatis: ergò erit electio, non verò simplex volitio, & complacentia. Min. Probat. quia talis amor procedit ex amore, quo Deus amat suam essentiam, non absolute, sed ut finis, & ratio amandi creature; sed amor divinæ bonitatis, ut est ratio amandi creature, non est simplex volitio: ergò est intentio; nam ut ait Div. Thom. quæst. 22. de verit. art. 3. Intendere in hoc, differt à velle, quod velle tendit in finem absolutè, sed intendere dicit ordinem in finem, quatenus finis est, in quem ordinantur omnia, quæ sunt ad finem. Unde amor, quo Deus vult suam bonitatem non absolute, sed comparativè ad media, non est simplex volitio, sed intentio: amor verò possibilium propter divinam bonitatem procedit ex amore intentivo Dei, & non præcisè ex simpli ci complacentia de sua bonitate, ac proinde erit electio creature, non verò simplex complacentia de ipsis.

47 Sed in primis Div. Thom. loco cit. ex 1.2. probat ex professio voluntatem non tantum esse finis, sed eorum, quae sunt ad finem, *Quia ad ea se extendit unaqueque potentia, in quibus inveniri potest quocumque modo ratio sui objecti, sicut visus se extendit ad omnia, que quomodo cumque participant colorem; ratio autem boni, quod est objectum voluntatis, invenitur non solum in fine, sed in his, quae sunt ad finem.* Ergo cum ratio boni inveniatur in creaturis possibilibus, semel admissa in eis tali bonitate essentiali, seu transcendentali, stando doctrinæ Div. Thom. voluntas divina non solum erit finis, nempè bonitatis divina, sed etiam medium etiam possibilium. Unde cum non possit esse illorum, nisi per simplicem complacentiam, dicendum est Div. Thom. debere intelligi, quod simplex complacentia non est de medijs, ut consequendis, quomodo de illis solum est electio; potest tamen esse de medijs ut equilibribus, quia simplex complacentia etiam potest esse de fine ut consequibili, licet non ut consequendo, utpote ut sic solum attingitur per intentionem. Quod præcipue liquet in Deo, qui necessario complacet de divina bonitate non solum in se, & ad se, sed etiam ut communicabili creaturis, quia amor comprehensivus est ex comprehensiva divini bonitatis cognitione procedens: qui autem complacet de fine, quatenus consequibilis est, consequenter, & secundario complacet de medijs, sine quibus consequibilis non est. Unde divina voluntas hoc ipso, quod complacentiam habet de divina bonitate, ut communicabili, non potest non complacere de medijs, quibus potest communicari; vel quatenus virtualiter continentur in ipsa divina bonitate, si in se nullam habeant bonitatem actualem, ut nos asserimus, vel quatenus ab Omnipotentia, seu divina bonitate objectivè distinguuntur, si illam habeant.

48 Ex his patet ad secundam probationem, quod cum Div. Thom. asserit, quod intendere differt à velle per hoc, quod velle tendit in finem absolute, debet interpretari in hypothesi data, id est, non ut consequendum, vel secundum quod in ipsum actu ordinantur media, quomodo solum intentio tendit in finem. Potest tamen velle tendere in finem ut consequibilem, & secundum quod in ipsum possunt ordinari media. Quo in casu attingitur ut ratio volendi media, quin attingatur ut exercens causalitatem finis. Unde divinum velle est etiam erga divinam bonitatem, non solum iuse, & ad se, ut diximus, verum & ut communicabilem creaturis, & comparativè ad eas, quatenus possunt illam participare; proindeque attingi-

gitur ut ratio volendi creaturas, quin attingatur, ut finis in actu secundo illarum.

## RESOLUTIO III.

*Per solam bonitatem possibilem non possunt creature possibiles terminare actu divinum amorem.*

49 **E**s contra Nazarium, Zumel, & Serra, eam tamen tenent ceteri Thomistæ, quæ fundatur 1. ratione desumpta ex doctrina Div. Thom. nuper relata in præcedenti resolutione ex 1. 2. quest. 8. art. 2. sic: quod actu non participat rationem formalem objecti voluntatis, non potest actu terminare illius amorem; sed ratio formalis objecti voluntatis est ratio boni: ergo dum creature possibiles actu non participant rationem boni, non possunt actu terminare amorem voluntatis. Quod explicatur exemplo potentia visive, nam quod actu non participat color, non potest actu videri. Confirmatur: quod actu non participat rationem mali, non potest actu terminare odium, vel displicantiam voluntatis, alias justus existens in gratia posset esse objectum congruum odij, & displicantia divinæ: ergo & quod actu non participat rationem boni, non potest actu terminare amorem, & complacentiam voluntatis. Tandem fundatur nostra resolutio ex argumentis factis contrarios in præcedenti resolutione, nulla admissa in possibilibus bonitate actuali.

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

50 **S**ed contra nostram resolutionem objicies primo ex Magistro Serra; quod Div. Thom. 1. contra Gent. cap. 84. de Deo ait: *Quod vult ea, quae sunt, vel possunt esse bona.* Subditque S. Doct. solum impossibilium secundum se non esse voluntatem Dei, quia neque sunt bona, neque possunt esse bona. Sed ad hoc respond. vel Div. Thom. non ibi loqui de possibilibus propriæ, & strictè, nempè secundum quod continentur in potentia cause omnino indifferenti, & indeterminata, quomodo excludunt futuritionem, & ordinem ad existentiam; sed in quadam lata acceptance, nempè prout opponuntur repugnantibus, & impossibilibus, quomodo etiā futura dicuntur possibilia. Quod videtur deduci ex dictis ab ipso cap. 79. ejusdem libri. Vel dicendum, quod Div. Thom. loquitur de velle proportionabiliter ad objecta, ita ut ea, quæ sunt, velit in actu secundo, ea vero, quæ sunt, velit in actu primo. Quod patet ex ipso titulo capituli; nempè voluntatem Dei non esse impossibilium

secundum se, id est, neque velle, neque posse velle impossibilia secundum se, ea tamen, quæ sunt, aetu vult, quæ verò possunt esse, potest velle.

51 Secundo objicies ex eodem: bonitas possibilis sufficit nobis, ut amemus possibilia; cur ergò non sufficit Deo? Confirmatur, quando nos absque peccato voluntus possibilia, Deus vult nos illa velle: ergò etiam ipse illa vult, nam non vult nos velle, nisi quod placet ipsi. Resp. negand. anteced. quod patet ex experientia, nullus enim sanitatem desiderat, quamvis possibiliter bonam, neque in ea ut possibiliter bona quispam deleatur, vel complacet, sed in illa ut existenti de praesenti, vel de futuro ad maius in sui existimatione. Unde cum aliquid pure possibile appetitur, est quia apprehenditur, ut futurum, quomodo praescitus appetit beatitudinem. Si autem ei esset facta revelatio de sua damnatione, quo in casu judicium formaret de non futuritione sua beatitudinis, non posset illam appetere, & sperare, quamvis judicaret illam absolute possibilem, ut tenet sententia communior Theologorum. Et per hoc patet ad confirmationem.

52 Tertio objicies ex eodem: sicut mundus possibilis nullam habet actu bonitatem, ita neque salutis omnium hominum, nam sicut ille non erit, ita neque haec, sed Deus vult omnium hominum salutem, juxta illud prima ad Corinthios secundo: *Qui vult omnes homines salvos fieri*: Ergò etiam vult mundum possibilem.

53 Sed de illa veritate Apostoli late dicitur art. 6. nunc resp. illam Dei voluntatem non terminari ad salutem omnium hominum, ut pure possibilem. Quia Apostolus non dicit Deum velle posse omnes homines salvos fieri, sed velle omnes homines salvos fieri, & sic amor ille est effectivus, licet non efficaciter, & simpliciter, sed inefficaciter, & secundum quid. Unde ex illo oriuntur auxilia sufficientia, quibus etiam reprobi moveruntur, & afficiuntur quodammodo ad salutem procurandam. Terminatur ergò illa Dei voluntas ad salutem omnium hominum, ut futuram, vel futuritione absoluta, in choata tamen, & incompleta, quia futurito esset ex determinatione causæ desummittit: unde sicut illa determinatio divina voluntatis est antecedens, & inefficax, sic ex ea desummittit imperfetta, & incompleta salutis omnium hominum futurito; vel ut conditionate futura, v. g: si per ipsos homines non susterit, vel ut alij dicunt, si omniam salvatiō non opponatur ordini Divinae Iustitiae. Quæ conditions quia in reprobis verificari non possunt, propterea non omnes homines salvi sunt, quamvis Deus velit omnes

homines salvos fieri. Patet ergò disparitas inter alterum mundum, qui neque conditionate futurus est, & salutem omnium hominum, quæ conditionate futura est. Et sic neg. anteced. & dicimus salutem omnium hominum sicut, & esse futuram, sic & habere aliquam bonitatem in determinatione suæ causæ, ratione cuius potest terminare divinam volitionem, alterum vero mundum, sicut & esse pure possibilem, ita nullam habere bonitatem in aetu, sed solum in potentia.

54 Quarto objicies ex eodem: Deus necessario vult suam creativam potentiam, & suam bonitatem; ut communicabilem creaturis: ergò etiam vult necessario creature possibles; nam si non essent creature possibles, non esset in Deo potentia creandi, neque esset ejus bonitas alijs communicabilis; & qui necessario vult finem, ex necessitate vult etiam ea, quæ sunt ad finem, sine quibus finis non potest esse, ut docet Div. Thom. hic ad 3.

55 Resp. disting. hanc propositionem: quia necessario vult finem, ex necessitate vult ea, quæ sunt ad finem, sine quibus finis non potest, si actu participant rationem formalem objecti voluntatis, conc. si non eam participant, neg. Sicut peccata possibilia necessario etiam connectuntur cum divina omnipotencia; immo peccatum futurum infallibiliter connectitur cum permissione peccati: immo cum omnipotencia etiam connectuntur impossibilia, nam sicut omnipotencia non esset, si aliquid possibile redderetur impossibile, ita non esset, si aliquid impossibile redderetur possibile. Cū tamen Deus volens, seu amans omnipotentiam, penitentiam, & permissionem peccati, non tamen propterea vult neque velle potest peccata, sive possibilia, sive futura, quia sunt extra sphera objecti divinae voluntatis. Neque similiter velle potest impossibilia, ut pat. ex Div. Thom. loc. citat. in argum. A simili ergo dicimus de creaturis possibilibus, quamvis necessario connexis cum divina omnipotencia. quæ sicut non sunt aetu bonæ, sic neque actu participant rationem formalem objecti voluntatis.

56 Tandem objicies ex eodem: quod ut docet Cajetan. infra q. 54. art. 3. sicut Verbum Divinum procedit ex cognitione creaturarum possibilium, ita Spiritus Sanctus procedit ex creaturarum possibilium amore; sed hic amor est necessarius: necessario ergo amat Deus creaturas possibles. Sed hoc argumentum supponit Deum amare creature possibles, sicut & Spiritum Sanctum ex illarum amore procedere, quo amore supposito, intendit Deum eas amare necessario, de quo in resolut. 4. nunc vero ne-

gamus Spiritum Sanctum procedere ex amore possibilium, licet Verbum ex cognitione possibilium procedat, sicut negamus Deum creaturas possibles amare, quamvis creaturas possibles cognoscat, cuius dispositio patet ex dictis resolutione antecedenti fundam.<sup>2.</sup>

57 Hucusque Magist. Seira. Sed præterea objicies ex Div. Thom. infra q. 37. art. 2. ad 2. ubi ait: *Quod sicut Pater dicit se, & omnem creaturam Verbo, quod genuit, ita diligit se, & omnem creaturam Spiritu Sancto.* Sed Pater dicit Verbo omnes creaturas possibles: ergo etiam omnes creaturas possibles diligit Spiritu Sancto. Sed resp. facile Div. Thom. ibi solum intendere, quod quidquid Pater diligit, diligit Spiritu Sancto, sicut & quidquid Pater dicit, dicit Verbo. Quod vero Deus diligit Spiritu Sancto possibilia, sicut dicit possibilia Verbo, neque leviter inveniat: quinimò respondendo incipi: *Quod Pater non solum Filium, sed etiam se, & nos diligit Spiritu Sancto;* ubi per nos intelliguntur possunt existentia, & futura. Cum igitur verbis sequentibus subjungit, quod sicut Pater dicit se, & omnem creaturam Verbo, ita diligit se, & omnem creaturam Spiritu Sancto, ly sicut parificat solum quantum ad creaturas dictas, & amatas, ita ut sensus sit, quod sicut omnem creaturam, quam dicit Pater, dicit Verbo, ita omnem creaturam, quam diligit Pater, diligit Spiritu Sancto.

58 Sed dices: ideo Pater diligit se, & omnem creaturam Spiritu Sancto, quia Spiritus Sanctus procedit ex amore Patris, & omnium creaturarum; at non procedit ex amore creaturarum futurarum, & existentium, ut docent communiter Thomistæ: ergo solum procedit ex amore creaturarum possibilium, & consequenter eas diligit Pater. Min. prob. quia ideo Pater dicit se, & omnem creaturam Verbo, quia Verbum procedit ex cognitione Patris, & omnium creaturarum: ergo à simili.

59 Resp. quod si Pater diligit se, & omnem creaturam Spiritu Sancto, quia Spiritus Sanctus procedit ex amore Patris, & omnium creaturarum, sicut & dicit se, & omnem creaturam Verbo, quia Verbum procedit ex cognitione Patris, & omnium creaturarum, sequitur, quod neque Pater Spiritu Sancto diligit existentia, & futura, neque similiter existentia, & futura dicat Verbo: siquidem neque Spiritus Sanctus procedit ex amore futurarum, & existentium, neque Verbum ex illorum cognitione, ut argumentum supponit, alias neque Spiritus Sanctus procederet ex amore necessario, neque Verbum ex necessaria cognitione, & sic neque utraque processio esset necessaria, sed

contingens. Quod autem Pater non diligit creature futuras, & existentes Spiritu Sancto, neque similiter Pater dicat illas Verbo, est aperte contra litteram Div. Thom. Negamus ergo illam causalem, & dicimus, quod sicut ut Pater dicat futura Verbo, sufficit, quod Verbo communicetur representatio futurorum identice, & materialiter, licet non ex vi processionis, sic ut Pater diligit futura, & existentia Spiritu Sancto, sufficit, quod Spiritui Sancto communicetur materialiter, & identice libera terminatio ad futura, licet non ex vi processionis.

60 Septimò objicies ex quo creature possibles nullam habent actu bonitatem, solum sequitur, quod non possint terminare divinam volitionem ratione propriæ bonitatis, non tamen quod illam terminare non possint propter extrinsecam bonitatem divinæ Omnipotencie, quatenus hæc sine illis esse non potest. Probat. art. ex quo esse alterius mundi, nullam habeat actu voluntatem, solum sequitur, quod non sit volitum à Deo propter propriam bonitatem, non tamen, quod non terminet illius volitionem ratione bonitatis extrinsecæ divinæ libertatis, & supremi Domini: ergo à simili. Probat. conseq. namque non minus creature possibles participant extrinsecam bonitatem à Divina Omnipotencia, ex quo hæc sine illis subsistere non potest, quam non esse alterius mundi participat extrinsecam bonitatem à divina libertate, ex quo hæc in non productione alterius mundi manifestatur: Si ergo hæc extrinseca bonitas sufficit, ut Deus velit non esse alterius mundi, sufficit, & illa extrinseca bonitas, ut Deus velit creature possibles.

61 Sed in primis instatur argumentum, si quidem etiam convincit, quod propter bonitatem extrinsecam Omnipotencie, punitio, & permissionis peccati, quatenus non possunt subfistere sine peccato possibili, vel futuro, Deus possit velle peccatum, quamvis peccatum nullam habeat bonitatem, immo sit intrinsecè moraliter malum. Deinde respondetur argumentum probare, quod Deus velit aliquid per actum fugæ, qui potius dicitur nolito, quam volitio: nam adhuc actum non requiritur, quod objectum volitum habeat bonitatem, quinimò potius parentiam bonitatis exposcit, & hoc modo Deus vult non esse alterius mundi, sicut hominem esse cæcum, & alias privationes. Unde recte argumentum probat, quod, ut Deus aliquid sic velit, sufficit extrinseca bonitas divinæ libertatis. In praesenti autem loquimur de amore creaturarum, qui consequenter est actus processus, & dicitur volitio; hic ergo terminari non potest ad objectum, quod in se bonum non sit,

sit, sicut neque potest terminari ad objectum, quod non participat rationem formalem objecti voluntatis. Et licet non possit creatura amari à Deo propter propriam bonitatem, ly propter dicente motivum formale, ut diximus dubio praecedenti; attamen necesse est: quod si amatur, ametur propter propriam bonitatem, ly propter dicente requisitum, ut à Deo ametur propter divinam bonitatem, aliter neque secundario posset Deus in creatura complacere; nemo enim complacet, neque primario, neque secundario, neque propter se, neque propter aliud in eo, in quo nullam invenit bonitatem.

62 Octavo objicies: si Deus amando suam bonitatem, non amaret possibilia, sequitur amorem Christi Domini æquari divino amori; at hoc est impossibile, cum hic creatus sit: ergo. Prob. sequela. Nam eo ipso Christus Dominus amaret Deum, & omnia, quæ Deus amat: ergo Christi amor æquaretur divino amori. Antec. patet, utpote Christus Dominus cognoscit omnia, quæ Deus videt scientia visionis, ut docet Div. Thom. 3. p. quest. 10. art. 2. & consequenter omnia futura, & existentia, & cum aliunde ejusvoluntas non possit non conformari divina voluntati, sicut Deus omnia futura, & existentia amat, ita omnia futura, & existentia amat Christus: Si ergo Deus non amat, nisi suam bonitatem, futura, & existentia, amor Christi Domini æquatur divino amori.

63 Resp. ex Div. Thom. loco citato, ubi idem argum. proponit ad probandum Christum non videre in Verbo omnia, quæ Deus videt scientia visionis, quia nempè jam scientia animæ Chrissi æquaretur scientiæ divinæ, utpote quantitas scientiæ attenditur secundum numerum scibilium, & resp. Div. Thom. Quod quantum scientie non solum attenditur secundum numerum scibilium, sed etiam secundum claritatem cognitionis: quamvis ergo scientia animæ Christi, quam habet in Verbo parificetur scientia visionis, quam habet in se ipso Deus quantum ad numerum scibilium; scientia tamen Dei excedit in infinitum, quantum ad claritatem cognitionis, scientiam animæ Christi, quia lumen increatum divini intellectus in infinitum, excedit lumen creatum receptum in anima Christi. Hæc Div. Thom. Quæ doctrina pariter currit de amore, cum voluntas divina in infinitum excedat voluntatem creatam. Et sic licet amor Christi æquatur divino amori extensive, & quantum ad numerum amatorum, non tamen intensivè, & quantum ad modum amandi; Deus enim se, & alia amat infinito modo, Christus vero modo finito.

64 Sed dices, nū Christus Dominus, amando

Deum, amaret omnia, quæ Deus amat, amare Deum, quantum amabilis est: ergo amaret Deum infinito modo. Conseq. patet, & anteced. prob. Si Christus Dominus, cognoscendo Deum, cognosceret omnia, quæ Deus cognoscit, cognosceret Deum, quantum cognoscibilis est, ita ut ipsum comprehendenderet, ut tenet universi Thomistæ: ergo à simili.

65 Resp. redendo disparitatem, quæ stat in hoc, quod amor plurium futurorum, vel existentium in Deo non infertur necessario ex amore Dei perfectiori; cum posset Deus se perfectissimè, & infinitè amare, quin vellet aliquod futurum esse, vel existere, namque ut ait Div. Thom. art. 3. sequenti: volens finem, non ex necessitate vult ea, quæ sunt ad finem, quando finis eis non indiget. Et consequenter neque ex amore omnium futurorum, & existentium, quæ sunt omnia, quæ Deus defacto amat, inferri potest, quod Deus ametur quantum amabilis est. Cognitio tamen plurium creaturarum in Deo infertur ex cognitione perfectiori ipsius Dei, quia causa quanto perfectius cognoscitur necessario dicit in cognitione plurium effectuum in ipsa contentorum, & perfectissimè cognita, dicit in cognitionem omnium; & sic à posteriori ex cognitione omnium effectuum in causa, infertur comprehensio illius, seu quod cognoscatur, quantum cognoscibilis est.

66 Nono objicies: Deus diligens suam omnipotentiam, odio habet negationem possibilium; sed non potest odio habere negationem possibilium, quin amet possibilia: ergo. Min. patet: nam odium negativi ortum habet ex amore affirmativi, sicut non esse Petri odio habetur, quia Petrus diligitur. Maj. autem probat. Deus diligens suam omnipotentiam, odio habet negationem illius; sed non potest odio habere negationem omnipotentia, quin odio habeat negationem possibilium: sicut non potest quis odio habere negationem Petri, quin odio habeat negationem eorum, sine quibus Petrus esse non potest: ergo.

67 Resp. quod sicut negamus creaturas possibles in se actu amari à Deo, ita consequent. negatione earum in se actu odio haberi à Deo, quia ut argumentum recte probat, odium negativi ortu habet ex amore affirmativi. Attamen sicut concedimus eas amari à Deo, quatenus in divina omnipotencia virtualiter continetur, ita etiam concedimus odio haberi à Deo illarum negationem, quatenus hæc negatio veluti in negatione divina omnipotentia continetur. Neque est simile de eo, qui odio habet negationem Petri, nam eo ipso odio habet negationem eorum, sine quibus Petrus esse non potest,

est, quia in se habent bonitatem, ratione cuius possunt actu terminare amorem, alias idem diceremus.

68 Decimo objicies: in Deo datur amor proprie dictus; sed amor proprie dictus, nempè prout distinguitur à gaudio, & desiderio, prescindit ab existentia objecti, quia respicit bonum secundum se, non verò ut presens, vel absens, ut docet Div. Thom. infra quest. 20. art. 1. in corp. Ergò licet creature possibles nullam habeant actu existentiam, possunt terminare divinum amorem; licet non gaudium, vel desiderium, quia gaudium est de bono praesenti, & desiderium de bono futuro.

69 Resp. quod aliud est amorem prescindere à praesentia, vel absentia objecti, aliud verò prescindere ab existentia illius: primum est verum, namque amor, neque petit praesentiam objecti, neque illius absentiam; sed pariter consistit, & stat cum praesentia, & illius absentia, & proterea vocatur à Div. Thom. loco citato primus voluntatis motus, seu affectus, à quo ceteri oriuntur; desiderat enim aliquis, quod amat, & gaudet etiam de illo, quod amat. Secundum tamen est falsum, namque sicut respicit bonum secundum se, etiam respicit bonum existens, ut pote existentia est ipsa bonitas rei. Unde respicere bonum secundum se, est respicere objectum prout existens, prescindendo ab eo, quod existat de praesenti, vel de futuro; aliter non dateatur amor respectu propriæ bonitatis, cum haec amari non possit, nisi ut existens.

70 Sed dices contra: bonum secundum quod prescindit à praesentia, vel absentia objecti, est boni in communi, quod est objectum voluntatis; immò quia voluntas prius habet ordinem ad suum objectum, quod est bonum commune, quam ad particularia bona, probat Div. Thom. loco citato, quod prior voluntatis actus est amor respiciens bonum in communi, quam delectatio, & desiderium, qua respiciunt bonum sub aliqua speciali conditione. Tunc sic; sed bonum existens non est bonum in communi, sed bonum particulare, quippe existentia est propria rei singularis: ergò amor non respicit bonum existens, sed prescindens ab existentia.

71 Resp. ex Div. Thom. infra quest. 80. art. 2. ad 2. quod procedebat, quod cum appetitus sit motus ab anima ad res, que sunt singulares, omnes appetitus videntur esse rei singularis. Et respondet: *Quod appetitus intellectivus, si feratur ad res, que sunt extra animalia singulares, fertur tamen in eas secundum quendam rationem universalem, sicut cum appetitus aliquid, quia est bonum.* Unde Philosophus dicit in sua retorica, quod odium potest esse de-

aliquo universali, puta cum odio habetur omnium latronum genus. Ex quibus patet solutio ad replicam disting. min. bonum existens inspectum sub particulari ratione, nempè habiti, vel non habiti, non est bonum in communi, conced. bonum existens prescindens à praesentia, vel absentia objecti, nempè à ratione habiti, neg. Itaque bonum in communi in supponendo, & quantum ad id, quod de materiali, & ut quod importat, est bonum particulare, sicut & existens; attamen in significando, & quantum ad id, quod dicit de formalis, & ut quo, est bonum commune, seu in communi, quia non significat bonum existens sub particulari, sed sub universalis ratione.

72 Sed adhuc dices: ex hac solutione sequitur, quod non minus bonum in communi sit objectum appetitus sensitivi, quam appetitus intellectivi, siquidem etiam appetitus sensitivus fertur ad res sub ratione communi, videlicet prescindendo à praesentia, & absentia objecti; at secundum Div. Thom. loco proxime citato appetitus sensitivus in eo differt ab intellectivo, quia ille est singularium, iste verò universalium: ergò appetitus intellectivus non solum est universalium quantum ad rationem formalem sub qua, sed etiam quantum ad rationem formalem, que.

73 Sed ad hoc patet ex doctrina Cajetani loco citato, quod ratio aliqua duplice summitur in communi, scilicet adverbialiter, & nominaliter: adverbialiter, ut cum dicitur, quod color in communi est objectum visus; non enim color communis, & universalis sed color communiter, & universaliter est objectum visus, quoniam visus non terminatur ad colorem universalem, sed ad colorē universaliter, id est in quocumque, & ubicunque invenitur. Nominaliter autem cum dicitur, quod color in communi intelligitur, scitūt, & definitur, quoniam color universalis abstractus ab individuatis conditionibus, hęc terminat. Appetitus ergò sensitivus fertur in res singulares sub ratione communi adverbialiter accepta, id est, non universalis, sed universaliter sumpta, quia nulla potentia sensitiva ad universale terminatur. Attamen appetitus intellectivus fertur in res singulares, & existens sub ratione communitatis, etiam nominaliter, id est, universalis, & tenui universaliter tali.

75 Undecimo objicies: non minus timor est de malo, quam amor est de bono; sed timor est de malo possibili: ergò & amor est de bono possibili. Prob. min. in Christo Domino fuit donum timoris secundum Div. Thom. 3. part. quest. 7. art. 6. sed malum culpa, & peccatum pro-

pter culpam, quod est objectum doni timoris, fuit solum possibile Christo Domino secundum naturam humanam, non vero futurum: ergo.

74 Respond. me tenere cum Div. Thom. quæst. 4. de virtutibus art. 4. objectum doni timoris primarium esse solum malum defectus naturalis, ut reverentialiter subjectum Deo propter divinam ejus eminentiam; malum vero culpa, vel pœna propter culpam solum respici a dono timoris ex consequenti, & secundario in subjecto capaci, ut est homo purus, & viator; secus vero in Christo, & in beatis, de quo late agendo de dono timoris in Christo. Si tamen concedatur objectum doni timoris esse malum culpæ possibile, dicendum est, ut Authores hujus sententie dicunt, non esse illud malum in se, namque ut sic solum potest terminare actum fugæ, qua sola est de malo cum tamen actus primus doni timoris non possit non esse prosequutivus, ut expressæ tenet Div. Thom. loco citato ex 3. p. sed est illud malum, ut contentum in divina eminentia, ita ut bonum timoris primario respiciat divinam eminentiam, & in obliquo, & de connotato malum culpæ, vel pœna: quod est respicere divinam eminentiam, ut inflictivam mali culpæ permissivæ, & mali pœnae positivæ. Hoc autem modo Deum amare creaturas possibles, nempè ut contentas in divina omnipotencia, libenter fatemur, & sic nihil contra nos.

75 Tandem objicies; appetitus innatus non minus est ad bonum, quam elicitus, quia etiam tendit in propriam, & debitam perfectionem; at hoc non obstante, stat appetitus innatus circa bonum praescindens ab existentia: ergo & appetitus elicitus. Min. prob. quia ut patet ex Div. Thom. quæst. 80. art. 1. ad 3. qualibet potentia habet appetitum innatum ad suum objectum: ergo intellectus habet appetitum innatum ad verum, quod est objectum illius; sed verum praescindit ab existentia, ut de se notum est: ergo. Confirmatur, secundum Div. Thom. infra quæst. 79. art. 11. ad 2. verum, & bonum se invicem includunt; nam verum est quoddam bonum, alioquin non esset appetibile, & bonum est quoddam verum, alioquin non esset intelligibile: si ergo verum praescindit ab existentia, jam aliquod bonum ab existentia praescindit.

76 Resp. quod verum dicitur praescindere ab existentia objecti, quia verum non est aliquid secundum esse, quod habet a parte rei, nisi ad summum remotè, sed solum secundum esse, quod habet in intellectu, namque ratio veri consistit in similitudine, vel conformitate, quam habet intellectus cum re; qua conformitas, vel similitudo convenit intellectui ratione speciei,

quæ est representatio objecti. Et sic verum solum maliter non habet aliam existentiam preter existentiam objecti in specie foecundante, & informantem intellectum, ut elicit intellectum, & solum secundum hanc existentiam est bonum, & perfectivum intellectus. Cum ergo appetitus innatus intellectus non sit ad verum cum præcisione ab hac existentia, consequenter numquam verificatur stare appetitum innatum circa bonum cum præcisione a propria illius existentia: immò quia voluntas est appetitus totius suppositi, & ea appetimus appetitu elicito, quidquid conveniens est ad actum cuiuslibet potentiae, etiam ea appetimus, verum ratione qua perfectivum est intellectus, & ei conveniens ad intellectum, quo in casu etiam verificatur, quod voluntas fertur ad bonum secundum existentiam, quam habet in re, quia verum non est intra voluntatem, sed extra ipsam, & existentia illius, prout in re, est existentia illius prout in intellectu, sicut a simili dicitur de intellectione, & verbo. Et per hæc patet ad confirmationem.

### RESOLUTIO III.

*Data Hypothesi, quod Deus amet creaturas possibilis, non eas amat liberè, sed necessario.*

77 **E** st contra Valentiam, & alios. Eā tamen tenent communiter Theologii tam intra, quam extra Scholam Div. Thom. Et fundatur primo: nam propterea Deus diligens suam bonitatem, non ex necessitate vult creaturas secundum Div. Thom. in præsenti art. quia volens finem non ex necessitate vult ea, quæ sunt ad finem, quando sunt talia, quod sine eis finis esse possit; at hæc ratio solum probat de creaturis existentibus, & non possibilibus, sed futuris: siquidem creature possibles sunt tales, quod sine eis divina bonitas subsistere non potest, cum divina bonitas subsistere nequeat, quin sit communicabilis creaturis: ergo ex hypothesi, quod amentur a Deo, non possunt non amari necessario. Confirmatur. Ex quo secundum Thomistas amans necessariò aliquod objectum, necessariò etiam amat omne connexum cum illo, sine quo esse non potest, si alijs connexum sit amabile; sicut amans necessariò suam beatitudinem, etiam necessariò amat suum esse, & suam vitam, quia sine esse, & vita nequit esse beatus; sed divina bonitas, & omnipotencia sunt connexæ cum creaturis possibilibus, ita ut sine eis subsistere non possint: ergo in hypothesi, quod creature possibles sint amabiles, & actu amentur a Deo, non possunt non ab illo amari necessario.

78 Secundo fundatur: nam amor liber Dei potuit in Deo non esse propter defectum extrinseci connotati: oportet ergo, quod quidquid à Deo amat liberè, defectibile sit, & contingens; at creature possibles non sunt defectibiles, & contingentes, alias possibilia possent fieri impossibilia: ergo ex hypothesi, quod creature possibles amentur à Deo, non possunt amari liberè.

79 Tandem hoc sit perspicuum ex eo, quod bonitas creaturarum possibilium in data hypothesi non minus est necessaria, quam illarum veritas, siquidem necessario, sicut & veritas, sequeretur illarum entitatem, tanquam passio; at quia divinum intelligere est infinitum, & veritas in creaturis possibilibus est necessaria, Deus necessario, & scientia simplicis intelligentiae cognoscit creature possibles: ergo similliter, quia divinum velle est infinitum, & bonitas creaturarum possibilium est necessaria, non potest non Deus eas amare necessario.

#### *Objiciuntur, & solvantur argumenta.*


80 **P**räcipuum argumentum contra nostram resolutionem procedit ex eo, quod creature possibles non possunt amari à Deo, nisi per amorem electivum, quia non possunt non amari ut media, sicut & non possunt non amari propter divinam bonitatem, tanquam propter finem, siquidem sola divina bonitas est objectum formale motuum divinæ voluntatis, & consequenter non possunt non amari liberè, quia amor electivus liber eis. Sed hoc argumentum solutum est jam resolut. 2.

81 Deinde potest objici, quod in predicta hypothesi bonitas creaturarum possibilium est finita: ergo non potest Deum necessitare ad amorem. Prob. conseq. quia voluntas non potest necessitari nisi ab objecto, quod nullam habet rationem mali: neque privationem alicujus boni, proindeque adaequante totam ejus capacitatem, quod solum est summum bonum: ergo à bonitate finita, qualis est in illa hypothesi bonitas creaturarum possibilium, non potest Deus necessitari.

82 Resp. quod sicut divinus intellectus necessario cognoscit possibilia necessitate orta, non ex illorum veritate, quae finita est, sed ex ipsius intellectus infinitate, ratione cuius non potest non cognoscere quidquid aeterni cognoscibile est, & similiter ex suppositione, quod Deus velit aliquid, non potest non illud velle necessitate orta ex divinæ voluntatis immutabilitate: sic divina voluntas necessitatur ad amorem

possibilium in illa hypothesi, non ex illorum bonitate, sed ex ipsius divina voluntatis infinitate, ratione cuius non potest non amare, omne illud, sine quo divina bonitas subsistere non potest juxta primum fundamentum, & omne illud, quod indefectibiliter, & necessario est bonum, juxta secundum fundamentum, & in summa, quidquid aeterni amabile est, juxta tertium fundamentum.

83 Tandem objicies: in dicto casu Deus non amat creature possibles efficaciter, licet efficaciter amet suam divinam bonitatem, cum qua connectuntur: ergo neque necessario amat creature possibles connexas cum divina bonitate, licet necessario amet divinam bonitatem. Sed praeterquam quod amor simplicis complacentiae, quia est de fine, prout praescindit à presentia, & absentia, neque dicitur efficax, vel inefficax, & sic loquendo de hoc amore, quo Deus amat suam bonitatem, non eam amat efficaciter licet efficaciter eam amet per amorem gaudij, & fruitionis; praeter hoc, inquam, respond. quod amans necessario aliquod objectum, amat etiam necessario illud, sine quo esse non potest juxta ipsius capacitatem. Unde quia creature possibles pro illo statu capaces sunt amoris, non tamen amoris efficacis Deus necessario, & efficaciter amans suam bonitatem, necessario etiam amat creature possibles, sine quibus esse non potest; non tamen efficaciter. Sicut Deus ex quo necessario cognoscit suam essentiam, cognoscit necessario creature possibles, non tamen ex quo intuitivè cognoscit suam essentiam, cognoscit intuitivè creature possibles, quia praedicta cognitionis pro illo statu capaces non sunt.



#### DUBIUM IV.

*Per quid constituantur aeterni liber Dei.*

1 **I**cet adeò sit certum, Deum esse agens liberum ad extra, nihil ramen difficultius, quam aeternus liberum divini constitutivum designare. Cujus difficultas in eo consistit, quod de conceptu aeterni liberi est, quod taliter sit in voluntate, quod potuerit deficere, & cum ex alia parte sit actus formaliter immanens, jam Deo deficere posset aliqua illius intrinseca actualitas, & perfectio, v.g. volitio futuritionis hujus mundi: immo cum posset Deus velle futuritionem alterius mundi, actualitas hujus volitionis defacto non esset in Deo; cum tamen Deus sit intrinsecè immutabilis, sicut & aeternus purus, & infinitè perfectus.

Hinc

Hinc authores in tot, quot capite, abjerant sententias, ut salvent defectibilitatem actus liberi divini, salva ejus immutabilitate, & puris materialitate; juxta diversos modos, quibus determinare potest denominatione sine intrinseca mutatione subiecti. Unde aliqui assertunt, actum liberum Dei constitui per denominationem rationis à relatione rationis Dei ad creaturas provenientem. Alij autem dicunt constitui per denominationem realis in recto, & rationis in obliquo, nempè provenientem à volitione Dei, ut modificata respectu rationis ad creaturas. Unde hæc duplex sententia constituit actum liberum Dei defectibilem sine aliqua Dei intrinseca mutatione, solum ex defectu formæ rationis. Alij autem dicunt actum liberum Dei constitui per denominationem adæquate extrinsecam provenientem, vel ab actione Dei productiva creaturarum, quam ponunt formaliter transcurrentem, & in creaturis receptam, vel ab effectu ipso producto, quæ denominatio ex illius, vel hujus defectu deficere potest sine intrinseca mutatione Dei. Alij assertunt constitui per denominationem partim intrinsecam, & partim extrinsecam, provenientem nimis ab amore Dei necessario, & à productione creaturarum, quam etiam ponunt formaliter transcurrentem: quæ pariter deficere potest ex defectu productionis creaturarum sine intrinseca mutatione Dei. Alij assertunt constitui per perfectionem quandam liberam pure extensivam, non verò intensivam, super additam actu necessario, quæ propterea ponitur defectibilis absque aliqua imperfectione ex parte Dei. Alij assertunt constitui per actu necessarium, ut modicum quoddam modo intrinseco, & reali ab eo ratione distincto, & prout sic defectibili, nempè quo ad suam realitatem modalem sine imperfectione Dei. Alij assertunt constitui per actu necessarium, ut liberè terminatum ad creaturas, proindeque superaddere ad actu necessarium terminationem intrinsecam sub conceptu explicito terminantis ratione distinctam, & prout sic defectibilem absque defectu alicuius intrinsecæ realitatis, vel formalitatis, proindeque ipso Deo intrinsecæ realiter entitative, & formaliter immutato. Alij assertunt constitui per aliquid defectibile virtuiter, nempè per ipsam Dei volitionem, quatenus per inde se potest habere, ac si desiceret. Alij tandem assertunt constitui per denominationem adæquate intrinsecam, & realem, non absolutam, sed connotativam, nempè, provenientem ab actu necessario, ut liberè mutante creaturas ad fore, vel non fore; proindeque defectibilem pure ex defectu extrinseci connotati, scilicet passiva mutationis creaturarum sine aliqua in-

trinseca mutatione ex parte Dei. In praesenti ergo tot sunt difficultates, quot sententiae. Unde fit.

### RESOLUTIO I.

*Actus liber Dei constitui nequit per denominationem rationis, sive in recto, sive in obliquo.*

2 **E**st contra Capreolum, Ferraram, Serram, & Bazquez. Et prima pars fundatur specialiter primò ex eo, quod relatio rationis est solum effectus intellectus; de conceptu autem actus liberi voluntatis est egressio ab ipsa voluntate, cum sit actus vitalis illius: non ergo potest constitui formaliter, & in recto per aliquid rationis. Deinde utraque pars manifeste fundatur: namque Deus à parte rei est actu formaliter libere volens: ergo actu, & formaliter est actus liber Dei à parte rei; at à parte rei non datur relatio rationis: ergo. Præterea: hæc relatio rationis supponit actum liberum Dei adæquate constitutum: ergo non potest illum constituere. Prob. antec. & de relatione rationis formata ab intellectu creato probatione non indiget: tum quia decretum liberum Dei est æternum: tum quia plura sunt decreta, quæ defacto non cognoscuntur à creatura, nempè decreta negativa, quæ ad nullius creature statum pertinent. Immò ridiculum est dicere Deum omnia sua decreta creaturæ revealasse, ut omnia ea sint formaliter in Deo. De intellectu autem divino prob. ea parte, qua talis relatio non potest formari ab intellectu divino sine aliquo fundamento in ipsa Dei voluntate; hoc autem fundamentum nequit esse voluntas ipsa divina, vel illius actus necessarius in se, & absolute: namque prout sic important indifferenter ad fore, vel non fore creaturarum; consequenterque non est cur potius divinus intellectus formet determinatę relationem ad fore, quam ad non fore: debet ergo esse divina voluntas, vel ejus actus necessarius ut terminatus determinate ad fore, vel determinate ad non fore; at hoc ipso illa relatio rationis supponit actu liberum Dei adæquate constitutum, cum illa terminatio adæquate libera sit: ergo.

3 Deinde cognitionis divini intellectus, qualis formatur relatio, vel est simplex intelligentia, vel libera? Si primum: Sequitur relationem rationis esse necessariam, consequenterque non posse constituere actu formaliter liberum. Si secundum: Sequitur primò, quod talis cognitionis presupponat actu liberum, cum ideo sit libera, quia fundatur in divino libero decreto: in quo tanquam in medio Deus futura cognoscit. Secundum sequitur, quod talis cognitionis

pariter constituitur per formam rationis, quia eo ipso, quod est libera, potest Deo deficere, & non ex defectu alicujus intrinsecè actualitatis; vel si tenet hanc cognitionem constitui per actualitatem realem, & nihilominus esse defectibilem absque defectu alicujus intrinseci, non est cur hoc denegent de actu libero voluntatis, cum de utroque actu procedat eadem difficultas.

4 Ex his impugnatur sententia illa huic affinis, assertens actum liberum Dei esse actum necessarium, quatenus fundat respectum rationis. Quam sententiam probabilem reputat Serra. Et præterquamquod hæc sententia non explicat, quod sit constitutivum actus liberi Dei, ut potè non explicat, quod sic hoc fundamentum, an, scilicet, sit aliqua forma Deo extrinseca, vel intrinseca, defectibilis, vel indefectibilis: Immò non evacuat vim difficultatis, siquidē eo ipso, quod Deus potuit non velle productionem creaturarum, potuit deficere fundamentum ad relationem rationis, quæ est ad fore creaturarum, cum tamè illud fundamentum sit Deo intrinsecum: præter hæc, inquam, impugnatur hæc sententia, namque talè fundamentū non potest esse aliud, quam actus necessarius Dei, ut libere terminatus ad fore, vel non fore creaturarum, ut hæc sententia fatetur: pater autem, quod priùs intelligitur actus Dei necessarius, ut libere terminatus ad fore, vel non fore creaturarum, quam ut fundans relationem rationis ad eas prout sic, quia non fundat illam relationem nisi, ut cognitus, & priùs est, ut libere terminetur ad fore, vel non fore creaturarum, quam quod prout sic cognoscatur: presupponitur ergò adæquate constitutus, ante quam intelligatur fundans relationem rationis.

Objiciuntur, & solvantur argumenta.

5 Sed contra nostram resol. objicies ex D.Tho.q.23.de verit.art.4. ubi ait:

*Resp. dicendum, quod divinum velle necessitatē habere ex parte ipsius voluntatis, indubitate r̄ verum est. Unde hoc in questione non ponitur, sed utrum velle ipsum necessitatem habeat per ordinem ad volitum, quæ quidem comparatio intelligitur, cum dicimus Deum velle hoc, vel illud: Ergò secundum D.Tho. hoc ipsum, quod est, Deum velle libere, est ordo, & comparatio ipsius divini velle ad objectum volitum: ac proinde erit denominatio à forma reali in reto, quæ est actus necessarius, & à relatione rationis in obliquo, quia Dei ad creaturas nulla est relatio realis.*

6 Sed hoc argumentum instatur planè: nāque D.Tho.1.contra Gent. cap.28. pariter ait: *Quod voluntas Dei uno actu vult se, & alia sed M.Carrasco.*

*habitudo ejus ad se est necessaria, & naturalis: habitudo autem ad alia non est necessaria, aut naturalis, sed voluntaria: Ergò secundum Div. Tho. ncedum divinum velle est habitudo ad alia verum etiam ad ipsum Deum, licet illa voluntaria, & hæc necessaria sit; & tamen ex hoc non licet inferre divinum velle, quo Deus se ipsum amat, constitui per habitudinem realem, vel rationis etiam in obliquo: ergò neque licet inferre divinum velle, quo Deus alia à se amat, constitui per prædictam habitudinem. Relp. ergò: quod D.Thom.loquitur de ordine, qui est talis solum ex nostro modo concipiendi; ex parte vero rei conceptæ est realis terminatio ipsius divini velle ad creaturas, quæ non in alio consistit, quam in ipso actu necessario, ut mutante creaturas ad fore, vel non fore; concipitur tamè à nobis per modum cuiusdam habitudinis, ut à simili videre est in terminatione ipsius actus necessarij ad ipsum Deum, immò in connexione omnipotentiae cum creaturis. Quod satis ostendit D.Tho. hic,dum artic.2.ad 1. ait: Quid licet divinum velle sit ejus esse secundum rem, tamen differt ratione secundum modum intelligendit, & significandi: in hoc enim, quod dico Deum esse, non importatur habitudo ad aliquid, ut in hoc, quod dico Deum velle. Sed dices hoc ipsum, quod est terminari, est quodam medium inter ipsum divinum velle, & creaturas, ad quas terminatur; ac inter hæc non mediat, nisi ordo, & relatio unius ad aliud, quæ est ordo non realis, sed rationis: ergò. Sed resp. quod est medium tantum secundum nostrum modum concipiendi; proindeque solum secundum nostrum modum concipiendi est relatio; in re autem nec est relatio, neque medium sed ipse actus necessarius immediate terminatur ad fore, vel non fore, ut clarius patebit ex dicendis.*

## RESOLUTIO II.

*Neque potest actus Dei liber constitui per denominationem adæquate extrinsecam, siue ab actione productiva creaturarum, siue ab effectu ipso producto provenientem.*

7 E st contra Altissiodorensim, Aureolum, Gregorium, & alios. Quam fundat Zamorenis, quia Deus nō potest constitui vera causa actu causans per denominationem extrinsecam. Sed hoc principiu non est certum adhuc in via Thomistarum, cum sit sententia probabilis, quod agens creatum constituit vera causa actu causans per actionem intrinsecè receptam in passo.

8 Neque valet disparitas, quam assignat inter actionem creativam, & eductivam, quia illa

est ex nullo praesupposito subiecto, proindeque intelligitur constituens Deum producentem in aliquo priori, in quo neque intelligitur effectus, neque subiectum; contra enim est, namque actione generativa creata intelligitur constituens generante in aliquo priori, in quo non intelligitur compositum genitum; & tamen recipitur, juxta illam sententiam, in composito genito, quamvis in ratione mutationis recipiatur in materia prima, ut tenet communiter Thomista.

9 Relato ergo hoc fundamento, nostra resolut. fund. i. ex doctrina D. Tho. infra art. 11. ubi distinguit in Deo voluntatem propriè dictam, quæ dicitur voluntas beneplaciti, & voluntatem impropriè, & metaphorice dictam, quæ dicitur voluntas signi; illa est ipsa actualis Dei volitio, qua vult producere, quidquid producit; hæc vero sunt omnia illius opera: in quo sensu divina voluntas, quandoque pluraliter significatur, ut cum dicitur in psalmo: *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus*: ergo actione productiva Dei ad extra, si sit formaliter transiens, & similiter effectus illius, est solum voluntas signi, non ergo potest constitui adequare voluntatem beneplaciti, de qua loquitur.

10 Secundò fundatur, namque plura sunt decreta negativa in Deo; at hujusmodi constitui nequeunt per effectus aliquos, vel actiones productivas, ut liquido constat: ergo prædicta sententia non est vera universaliter de omni actu libero Dei; & cum alias de decretis negativis eadem prorsus sit difficultas, ac de positivis, quia hæc omnia decreta, ut potè libera, possunt Deo deficere, jam hæc sententia non evacuat vim difficultatis.

11 Tertiò: namque tam effectus, quam illias actione productiva supponit actum liberum Dei adæquate constitutum: ergo non potest illius constituere. Antec. prob. i. quia decretum liberum Dei est aeternum, effectus vero, & ipsa actione productiva est temporalis; unde in tempore Deus denominatur creator, ab aeterno autem est liber volens; ergo. Neque valet, si dicatur, quod actione Dei productiva est temporalis, quatenus existens, ut futura verò est aeterna, & similiter effectus illius; & tam effectus, quam actione productiva non sub existentia, sed sub futuritione constituant actionem liberum Dei. Non inquam valet: namque forma nondum existens, sed futura, non potest constitui rem presentem, & actualem; at actus liber Dei ab aeterno existit in Deo: non ergo potest constitui per effectum, vel illius productionem, nondum existentem, sed futuram, qua de causa præcipui Theologi convincuntur ad alterendum futuritionem rerum desummi ex determinatione causæ, quæ de praesenti existit,

& non ex re ipsa futura, ut extitura postea.

12 Secundò prob. idem antec. quia actus liber Dei est causa nedum effectus, sed etiam productionis illius: ergo tam effectus, quam illius productio supponunt actum liberum Dei constitutum. Antec. patet ex locis Sacrae Scripturae, præcipue ex Psal. 17. ad illa verba: *Salvum me fecit, quoniam voluit me*, & Psal. 113. ad illa verba: *Omnia, quæcumque voluit fecit*. Et Joan.

13. Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Et ad Ephesios 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue*. Immò si aetus liber Dei constitueretur per productionem rerum, prima propositio facheret hunc sensum: *Salvum me fecit, quoniam fecit me*, & secunda facheret hunc sensum: *Sic Deus dedit mihi Filium, ut Filium suum daret*, & altera facheret hunc sensum: *Omnia, quæcumque fecit fecit*. At tandem quarta facheret hunc sensum: *Qui operatur omnia secundum consilium sue operationis, vel effectus*: Quæ omnes loquitiones prorsus ridicula sunt. Neque valet dicere hanc rationem probare solum actum liberum constitui non posse per ipsos effectus, quia illorum est causa, non vero constitui non posse per actionem illorum productivam, cum potius hæc etiam sit illorum causa. Unde non per hoc excluditur actus liber à ratione causæ rerum: contra enim est: namque si semel actione Dei productiva ponitur formaliter transiens, & ad extra existens, in creaturisque recepta, etiam de illa debet affirmari, quod est, quia Deus voluit eam esse eadem ratione, ac hoc ipsum affirmatur de effectu.

14 Tertiò, & non minùs urgenter probat. idem anteced. & similiter roborantur probationes præcedentes: namque productio creaturarum solum procedit immediate, & elicitive à potentia Dei exequitativa, quæ est Omnipotentia; à voluntate vero Dei solum mediately, nempe ut movente, & applicante potētiā exequitativam; sed non ut movente, & applicante necessariō: ergo libere: præsupponitur ergo actus liber Dei ad actionem productivam creaturarum. Dices divinam Omnipotentiam in rerum productione non moveri, & determinari à divina voluntate. Sed cōtra est: nam inde sequeretur, quod in sola Omnipotentia, non in voluntate esset libertas formaliter, siquidem libertas formaliter est in illa potentia, quæ, cum sit indifferens, à nulla alia determinatur ad operandum, sed se ipsam, & omnes alias potentias ad operandum movet, qualis esset Omnipotentia, cum ab intrinseco indifferens esset ad productionem, vel non productionem, creaturarum, & ad producendum has, vel illas, & aliunde ad illarum productionem à nulla alia potentia, sicut neque à voluntate determinaretur.

Juxta solutionem prædictam. Immo sequeretur, quod sola Dei Omnipotētia, non verò ejus voluntas esset causa rerum: siquidē quando potentia exequitativa operatur suum effectum absque motione voluntatis effectus potentia exequitativa, non attribuitur voluntati etiam imperativè, vel motivè, ut patet in nostra voluntate, quæ nō dicitur causa illarum actionum, quæ præveniunt usum rationis. Neque valet, quod hoc ita est in creatis, non verò in divinis; contra enim est: namque adhuc in divinis potentia generativa, vel spirativa Patris non dicitur formaliter causa creaturarum, quia per illarum actus non determinatur Omnipotētia ad creaturarum productionem. Si autem dicas potentiam Dei exequitativam non esse attributum distinctum à divina voluntate, adhuc virtualiter in sententia Thomistarum: resp. quod licet non sit attributum adæquate distinctum à divina voluntate; distinguuntur tamē ab ea virtualiter inadæquate, nēpē, penes diversa munia, qualia sunt volitio, & produc̄tio, quæ se habent tanquam actus primarius, & secundarius, ut à simili distinguuntur in nostra intellectione dictio, & contemplatio objecti; ita ut dicatur voluntas per ordinem ad actum primarium, qui est velle, & formaliter libera per ordinem ad ipsum velle, quatenus determinat potentiam exequitativam ad operandū. Potentia verò exequitativa dicitur per ordinem ad actum secundarium, qui est ipsarum produc̄tio, & propterea hęc dicitur solum imperativè, scū motivè procedens à divina voluntate, alter verò actus dicitur procedens formaliter eliciti-ve. Tādem falsitas hujus sententiae patefit ex eo, quod constituit actum liberum Dei in aliquo, quod est formaliter extra ipsam Deum, cum tamē sit actus vitalis divinæ voluntatis, & consequenter non potest non esse formaliter immānens, ut patet propter candem rationem in divina intellectione. Contra hanc resolutionem nulla se offert objec̄tio.

## RESOLUTIO III.

Neque actus liber Dei constituitur per denominationem partim intrinsecam, & partim extrinsecam, nēpē provenientem ab amore Dei necessario, & productionem creaturarum, vel creaturis ipsis.

<sup>14</sup> **E**st contra Basiliū Legionensem, Granadum, Heriz, Alarcon, Arrabal, & alios. Et fundatur eisdem rationibus, ac præcedens: namque actus liber Dei est voluntas beneplaciti, & propriè dicta; actio verò productivæ si semel ponatur formaliter transiens, & pariter illius effectus, est dumtaxat voluntas signi, & impropriè, scū metaphorice

dicta: non ergò potest actus liber Dei etiam inadæquate constitui per actionem productivam creaturarum, vel creaturas ipsas. Deinde militat ratio de decretis negativis, quibus nulla produc̄tio correspondet. Item eternitas divini decreti hoc convincit, ut potest ab aeterno esse non potest sine adæquato illius constitutivo. Immo si ut ipsi dicunt, ut denominatio ex illis duabus formis partialibus constituta defectibilis sit, sufficit defectibilitas formæ partialis, nēpē productionis rerum, sequitur, quod absolute sit verum dicere, Deum incipere velle in tempore, sicut absolute est verum dicere incipere in tempore operari; pariter enim dicendum est de adventu denominationis, ac de defectu illius.

<sup>15</sup> Præterea convincit, quod causa nedum inadæquate, verum & adæquate debet presupponi constituta ad suum effectum. Neque valet, quod actus liber Dei solum inadæquate consideratus, videlicet pro amore necessario, est causa creaturarum, non verò adæquate consideratus, quia prout sic jam includit creaturas, ipsarumq; productionem. Non inquit valet: namque ex hoc sequitur, quod amor Dei, ut necessarius, & non ut, liber sit causa creaturarum; amor enim liber Dei consideratur inadæquate secundum quod pure est amor divinæ essentia, & possibilium, quæ cum ea connectuntur, si amabilia sunt; adæquate verò consideratur etiam secundum quod est amor futurorū: vel ergò est causa creaturarum, ut amor liber Dei adæquate consideratus, vel pure est illarum causa, ut est amor necessarius. Ex quo sequitur, quod creature non libere, sed necessario procedant à Deo; immo creature non possunt non procedere à Deo, ut intendente ipsarum productionē, aliter procedent à casu, & præter intentionem illius, & consequenter non voluntarie, ut patet in eo, qui occidit hominem, intendendo occidere feram, tunc enim occisio hominis non est voluntaria: ergò pariter si creature solum procedunt à Deo, intendente amare se ipsum. Procedant ergò creature à Deo, ut intendente ipsarum productionem, quæ intentio adæquate libera est. Dicere autem, quod licet creature non procedant à Deo, ut intendente ipsarum productionem, adhuc tamē non procedunt à casu, quia hęc creaturarum produc̄tio simūl cum amore necessario liberam Dei voluntatem constituit, est pure somniare. Et ex hac solutione infertur nullum posse dari effectum à casu, cum pariter posset dici, quod intentio libera occidendi feram, simūl cum occisione hominis, constituit liberam occisionem hominis, pro indeque occisionem hominis in intendente occideret feram, non esse à casu.

<sup>16</sup> Non minus urget contra hanc senten-

tiam tertium fundementum: namque cum productio creaturarum elicivè sit dumtaxat à divina Omnipotentia, à voluntate vero Dei non nisi motivè, non potest non præsupponere actū liberum Dei adæquatè constitutum. Immò si, ut ipsi dicunt, quod amor Dei necessarius potius volitio sit, quam nolitio hujus mundi, provenie ex actione productiva illius, cum talis actio non possit non elicivè procedere à divina Dei potentia, sequitur, quod omnino invertatur ordo debitū inter potentiam exequitivam, & voluntatem: siquidem ordo debitū est, quod potentia exequitiva operetur, ut determinata imperio voluntatis, cuius oppositum contingeret, si actus divinæ voluntatis determinaretur per actum divinæ Omnipotentie. Tandem procedit contra hanc sententiam ultima ratio, quod nēpē actus liber Dei est actus vitalis divinæ voluntatis, proindeque non potest non esse adæquate formaliter immanens, ut patet in divina intellecione; immò nullus actus vitalis potest in recto constitui per suum objectum, ut visio per parietem, cum objectum purè se habeat, ut terminus extrinsecus habitudinis illius. Contra hāc resolutionem nulla etiam se offert objectio.

## RESOLUTIO IV.

*Neque constituitur actus liber Dei per perfectionem aliquam liberam extensam superadditam actui necessario, & prout sic defectibilem.*

17 **C**ommunitè citatur Cajet. pro contraria sententia hic art. 2. & 3. cum tamè in artic. 3. à parte habeat, quod propriè loquendo, neque ex alijs, neque aliorum volitione divinæ bonitati accrescit aliqua perfectio. Undè rectè ipsum interpretantur Thomistæ: nomine perfectionis extensivæ solum intelligere terminationem defectibilem, non quantum ad actualitatem, sed vel purè sub conceptu terminationis, vel quantum ad denominationem ex defectu extrinseci connotati. Nostra tamè sententia slabilitur, & contraria rejicitur, eoquid succunbit difficultati: namque eo ipso, quod ponitur in Deo perfectio aliqua intrinsecè defectibilis, quilibet illa sit, ponitur necessario Deus intrinsecè mutabilis, finitus, potentialis, & compositus. Mutabilis: quia potuit carere perfectione decretorum, quæ defacto habuit. Finitus: quia caret perfectione decretorum, quæ defacto non habuit. Potentialis: quia perfectionem decretorum, quæ defacto non habuit, habere potuit. Compositus: quia illa perfectio non potuit non realiter à divina voluntate distingui; separabilitas enim realis signum est distinctionis realis: ergo eo ipso illa perfectio di-

vinam voluntatem realiter, actualiter, & perficeret, & consequenter cum ea compositionem faceret. Et uno verbo, perfectio illa hoc ipso, quod defectibilis involvit in proprio conceptu imperfectionem defectibilitatis, & ita implicat in terminis, quod ponatur defectibilis abique aliqua imperfectione Dei. Quod latius explicabitur resolutione sequenti.

## RESOLUTIO V.

*Neque potest constitui actus liber Dei per actum necessarium modicatum modo intrinseco, & reali, ratione ab eo distincto, & prout sic defectibili sine imperfectione Dei.*

18 **E**st contra Fonsecam, & alios, & fundatur eisdem rationibus, ac præcedens: namque ille modus superadditus actui necessario non potest non dicere perfectionem: si ergo ponatur defectibilis quoad suam realitatem modalem, ponitur consequenter Deus mutabilis, finitus potentialis, & compositus. Antec. prob. quia ille modus realitas quædam est, & actualitas absoluta constituēs Deum libere volentem in actu 2. quæ in Deo est maxima perfectio: ergo non potest non dicere perfectionem. Sed dices, quod licet modus ille in ratione entis virtualiter, & ratione distinguatur ab actu necessario, non tamè propterea dicit perfectionem in ratione perfectionis distinctā à perfectione actus necessarij, proptereaque licet dicat perfectionem; non tamè sequitur Deum fore mutabilem, finitum, potentialem, & compositum. Sed contra est: namque eo ipso, quod modus ille in ratione entis, virtualiter, & ratione distinguatur ab actu necessario, eo ipso virtualiter, & per rationem distinguitur ab illo, ut quædam realitas, & actualitas est, immò ut ultima actualitas actus liberi Dei constitutiva: ergo ut quædam perfectio distincta, & superaddita perfectioni actus necessarij

19 Neq; valer, quod prædictus modus supponit divinam essentiam infinitè perfectam: namque sicut divina attributa, quia virtualiter distinguuntur, non eam supponunt, ut infinitè perfectam formaliter in omni linea, sed solum formaliter in propria linea, & in omni linea solum radicaliter: sic modus ille si semel virtualiter distinguitur à divina essentia, solum potest eam supponere iusnitate perfectam in omni linea radicaliter, non tamè formaliter: consequenterque non potest non superaddere perfectionem, etiam virtualiter à perfectione essentiæ distinctam, sicut & attributa, propter eandem rationem, eam superaddit. Dices probabile esse, relationes distinguiri virtualiter in esse entis à divina essentia, & hoc

hoc non obstante, non dicunt perfectionem virtualiter, vel ratione distinctam à perfectione essentiae. Sed respondeo: quod in illa sententia dicunt perfectionem relativam, quæ non potest non distingui virtualiter à perfectione essentiae, quæ absoluta est. Dices: ad minus actio generativa Patris in Divinis, cum sit vera actio ad linea notionalem pertinens, superaddit actualitatem aliquam supra lineam absolutam; & tamen, adhuc in sententia Thomistarum, non superaddit perfectionem: ergo à simili. Respondeo: quod in sententia Thomistarum sicut non superaddit perfectionem, ita neque actualitatem, utpote actio generativa Patris, in sententia Thomistarum, dicit in recto intellectionem absolutam, in obliquo vero Paternitatem; ipsa enim intellectio essentialis prout in Patre, seu prout modicata Paternitate, est actio generativa, proindeque solum superaddit relationem in obliquo importantam, non verò actualitatem aliquam.

20 Deinde impugnatur praedicta sententia, nam quidquid sit, an talis modus dicat, vel non dicat perfectionem distinctam à perfectione essentiae, vel actus necessarij; eo ipso tamen, quod sit intrinsecè defectibilis, posset Deus illo carere, & habere plures alios: ergo eo ipso esset intrinsecè mutabilis. Neque valet si dicatur illud verificari non posse propter identitatem realem illius modi cum Deo. Non, inquam, valet: namque idem posset responderi in sententia illa; quā attribuunt Cajetano, nempè, illam perfectionem extensivam esse intrinsecè defectibilem, quin Deus esset intrinsecè mutabilis propter realem identitatem illius perfectionis cum Deo, quippe, in illa sententia, praedicta perfectio non ponitur realiter, sed sola ratione distincta ab actu necessario. Deinde implicat in terminis illum modum esse intrinsecè, & realiter defectibilem, & non distingui realiter à Deo, quia separabilitas realis, ut diximus, est signum distinctionis realis: Immò, si identificaretur cum Deo, esset realiter Deus; at Deus realiter est indefectibilis: ergo & ille modus.

21 Neque valet, sufficere distinctionem virtualem illius modi ab actu necessario, ut ille dicatur defectibilis, & hic indefectibilis, sicut sufficit distinctione virtualis essentiae à relationibus ut essentia dicatur communicabilis, & Paternitas incomunicabilis. Non, inquam, valet: quippe instantia patet in ipsa divina essentia, & Paternitate, quæ licet virtualiter distinguatur, non propterea separari possunt, & pariter neque attributa, quæ etiam inter se virtualiter distinguuntur: Immò neque sufficit distinctione virtualis essentiae à relationibus, ut essentia sit communicabilis, & Paternitas incomunicabilis, aliter

posset etiam essentia communicari non communicatis attributis, & pariter unum attributum non communicato alio. Dicitur ergo essentia communicabilis, & Paternitas incomunicabilis, propter oppositionem relativam Paternitatis cum filiatione, quam non importat divina essentia. In nostro autem casu nullum est principium defectibilitatis, si semel ponitur ille modus identificatus realiter cum Deo, quia omnia prædicata divina convenient in prædictis transcendentalibus, quorum unum est indefectibilitas in essendo, sicut & summa simplicitas, & pura actualitas: immò propterea Deus est indefectibilis, quia est ens à se, & non ab alio, ut à causa: qua ratione, quia Filius, & Spiritus Sanctus non sunt ab alio, ut à causa, quamvis sint ab alio, ut à principio, dicuntur etiam indefectibiles; at modus ille, si semel identificatur cum Deo, non est ab alio, ut à causa: ergo.

### RESOLUTIO VI.

*Neque constituitur actus liber Dei per actum necessarium, ut libere terminatum ad creaturas terminatione distincta, & superaddita sub expresso conceptu terminationis, & prout sic intrinsecè defectibile.*

22 Et contra Oxomensem, & Gorner, quam dicunt esse communem Thomistarum, eamque tenere Capreolum, & Ferraram, dum assertunt, decretum Dei liberum constitui per respectum rationis: nam loquuntur de respectu rationis profundamento, quod non est aliud, quam libera terminatio ad fore, vel non fore creaturarum, defectibilis purè sub conceptu expressio terminationis, & non sub conceptu actualitatis; eamque expressio tenet Ferrariensem his verbis: *Licet enim esse divinum sit in se necessarium, quod tamen ad creaturas terminetur, est voluntarii, & liberum.* Sed quidem in hoc omnes convenient; restat tamen difficultas, an hæc terminatio intrinsecè defectibilis sit, & quomodo? Quod neque leviter in prædictis verbis insinuatur.

23 Prædicta ergo sententia rejicitur 1. quia exterminis æquè repugnat immutabilitas cum defectibilitate, sicut indefectibilitas cum libertate; at in hac sententia indefectibilitas omnimoda non est componibilis cum libertate: ergo neque omnimoda immutabilitas cum defectibilitate: quælibet illa sit. Immò infinita immutabilitas Dei petit, ut ab eo excludatur omnis species, vel figura mutationis; at indefectibilitas intrinsecæ terminationis, sub expresso conceptu terminationis, aliqua species, & figura est mutationis: ergo illa à Deo excludenda est.

24 Secundò rejicitur ex eo, quod vel coincidit cum sententia constitutive actum liberum Dei per respectum rationis; vel cum sententia constitutive illius per perfectionem, vel modus intrinsecè defectibilem, vel involvit contradictionem. Quod ostenditur: namque defectibilitas divina terminatiois, sub expresso conceptu terminationis, vel est defectibilitas illius secundum aliquam entitatem, formalitatem, vel modum realem? Vel est defectibilitas illius pure secundum respectum rationis? Vel tandem est defectibilitas secundum aliquam rationem, qua neque est respectus rationis, neque entitas, formalitas, vel modus realis? Si primum: coincidit cum secunda sententia. Si secundum: coincidit cum prima. Si tertium: involvit contradictionem. ergo. Prima, & secunda pars probatione non indigent. Tertia verò prob. namque defectibile ex proprio, & formalis conceptu eit idem, ac contingens; contingens autem non dicitur aliquid, nisi secundum entitatem, formalitatem, vel modum, sicut & necessarium, cui opponitur. Immò ex definitione hoc innoteſcit, ut poteſt defectibile, eſſe: vel contingens eſt illud, quod potest eſſe, & nō ſic & neceſſarium, & indefectibile eſt, quod non potest non eſſe: ergo contradictionem involvit eſſe aliquid defectibile, & contingens, & non eſſe defectibile, & contingens secundum aliquod eſſe, vel rationis, vel reale, ſive entitativum, ſive formale, vel modale.

25 Confirmatur, & explicatur hoc ipsum: verbum substantivum non appellat conceptus rerum explicitos, alias poſſet falſificari principium illud: *Idem non potest simul eſſe, & non eſſe*, ſiquidem poſſet eſſe ſecundum unum conceptum, & non ſecundum aliud, ut aperte affirmat hæc sententia: ergo verbum substantivū quidquid significat, significat prout eſt in re: cum ergo prout eſt in re, non poſſit non eſſe entitas, vel modus, vel ens rationis, conſequenter contradictionem involvit praedicta sententia. Nequè valet exemplum de deformitate peccati, que, quamvis implicitè importet conceptū entitatis positivæ, quia tamē predictum conceptum non explicat, ſtat optime deformitatē peccati cauſari à Deo ſub conceptu entitatis, quin ab eo cauſetur ſub conceptu deformitatis: ergo à ſimili, quamvis terminatio libera, ſub conceptu terminationis, ſit implicitè entitas divina, quia tamē conceptum divinæ entitatis non explicat, ſtabit ſub conceptu entitatis indefectibilem eſſe, licet deficere poſſit ſub conceptu expresso terminationis. Sed disparitas eſt clara ex communi doctrina Thomistis quam etiam ſequitur Gonet. disp. 6. de pecc. artic. 3. nempe, quod hoc nomen *cauſa*, vel verbum

*cauſat* apellat ſupra rationem, vel conceptum formalem illius, cui adjungitur. Unde cum dicimus, quod Petrus eft cauſa ſtatue, non eft ſenſus eſſe cauſam ligni, ſed figuræ artificioſæ, quā hoc nomen *ſtatua* de formalis ſignificat; cum ergo hoc nomen peccatum de formalis ſignificet deformitatem moralem, ut Deus dicatur cauſa peccati, non ſufficit, quod ejus entitatem, & actualitatem producat; ſed inſuper eſtet neceſſe, quod cauſaret ejus malitiam. Patet ergo diſparitas propter appellationem verbi *cauſat*; properea enim cum ſola diſtincione penes explicatum, & implicitum Deus cauſans entitatem peccati, non eft, neque dicitur cauſa peccati. Verbum autem ſubtantivum, ut diximus, non appellat conceptus formales, & explicitos, & ſic non eft eadem ratio.

26 Tertio impugnatur hæc sententia eadē ratione, ac precedens: namque terminatio libera Dei ſub expresso conceptu terminationis, ne- dum implicat, verum & explicat perfectionem; ergo ſi tub illo conceptu eit defectibilis, etiam eft defectibilis ſub aliqua perfectione, & conſequenter Deus eſtet potentialis. Anteced. prob. terminatio libera Dei ſub conceptu explicito terminationis explicat ultimam actualitatem libertatis divinæ; ſed actualitas, & præcipue ultima actualitatis ex ſuo expresso conceptu dicit, & exprimit perfectionem: ergo. Dices minorem eſſe veram de actualitate entitativa, non verò terminativa: Sed contra eft primo: namque actualitas entitativa non dicit perfectionem, quia entitas eft, ſed quia actualitas eft, aliter materia prima diceret perfectionem: ergo actualitas terminativa, quia actualitas eft, dicit etiam perfectionem. Secundò: ex quo tantum dicat actualitatem terminativam, quod ſequitur, eft, quod non dicat perfectionem omnino absolutam, ſed vel respectivam, vel connotativam; ſicut à ſimili dicitur de relationibus divinis, quæ ſi ſemel dicunt entitatem virtualliter ab eſſentia diſtin- tam, dicunt etiam perfectionem, licet non abſolutam; ſed relativam. Tertiò: terminatio pre- dicta dicit, & explicat actualitatem illam, ut vi- talem, & formaliter immanentem: ergo ut per- fectionem ſubjecti liberè volentis per illam. Cofeq. pat. & anteced. prob. namque de concep- tu expresso actus vitalis formaliter immanentis eft actuare ſubjectum, iſumque conſtituere vi- vens in aetu ſecundò: immò actuare ſubjectum, non illud perficiendo ſecundum proprium, for- malem, & explicitum conceptum, eft proprium relationis: non ergo potest hoc verificari de illa terminatione, etiam ſub expresso conceptu ter- minationis, cum adhuc prout ſic ſit actualitas non relativa, ſed abſoluta.

27 Quartò : quia libertas ex proprio conceptu dicit perfectionem; sed hanc non amittit, quia divina; immò quia divina, dicit perfectionem non admixtam imperfectioni: cum ergò libertas divina secundum proprium, & formalem conceptum salvetur in illa terminatione sub expræsto conceptu terminationis, cum , ut sic , sit ipsa libertas divina in actu secundo , non potest non prout sic, dicere expræstè perfectionem: immò si quia actualitas est per modum pure terminationis in suo formali, & expræsto conceptu non dicit perfectionem , ex eodem capite, quia voluntas divina non est libera in actu primo, nisi ut potentia activa purè terminativa , nullam etiam quatenus libera dicet perfectionē. Quod si hoc concedatur, est contra principium assumptum à Div. Thom. infra q. 25.art. 1. ad probandum dari in Deo potentiam activam , quia potentia activa in suo formali conceptu dicit perfectionem sine imperfectione, eo quod unumquodque est principium , in quantum est in actu. Tandem sequitur in illa solutione , quod effectus formalis , vel quasi formalis pure terminationis in suo formali , & expræsto conceptu nullam dicat perfectionem , consequenterque, Deum esse libere volentem creaturas , non esse perfectionem formaliter, & expræstè.

28 Si autem ad omnia hæc respondeatur, terminationem illam secundum proprium , & expressum conceptum dicere perfectionem , sed non distinctam virtualiter à perfectione actus necessarij, fit idem argumentum , quod objecimus contra sententiam præcedentem : namque implicat terminationem , secundum expressum conceptum terminationis , virtualiter distingui ab actu necessario , & perfectionem, quam dicit secundum proprium , & expressum conceptum ab eo virtualiter non distingui: aliter sicut actualitas actus necessarij implicitè solum importatur in actualitate terminativa secundum expressum conceptum, sic solum implicitè in illa importatur perfectio, si indistincta sit virtualiter ab ipso actu necessario.

29 Tandem rejicitur prædicta sententia, quia fere expresse contradicit Div. Thom. art. 3. ad 4. respondendo ad difficultatem positam à principio , qua sola isti Authores convincuntur: namque ait, quod Deum non velle ex necessitate eorum, quæ vult , non accidit ex defectu voluntatis divinæ , sed ex defectu, qui competit volito secundum suam rationem: quia scilicet , est tale ut sine eo esse possit perfecte bonitas Dei; sed isti Authores tenent libertatem illam accidere nedum ex defectu voliti, sed etiā ex defectu alicujus intrinseci divinæ voluntatis: ergò expresse eorum sententia contradicit Div.

Thom. Neque valet, Div. Thom. debere intellegi de defectu intrinseco entitativo , non verò terminativo , namque si semel est verum libertatem divinæ voluntatis accidere ex defectu alicujus intrinseci terminativi: ergò falsum est solum accidere ex defectu extrinseci voliti.

30 Præterea Div. Thom. 2. contr. Gent. cap. 8.2. & alijs in locis adducendis infra , respondendo ad idem argumentum expresse habet, quod in differentia divinæ voluntatis, in qua illius libertas consistit, non est ad utrumlibet ex parte ipsius, sed solum ex parte creaturarum; at si terminatio Dei libera, sub expresso conceptu terminationis, esset defectibilis , jam divina voluntas esset ad utrumlibet ex parte ipsius , quia esset ad utramque terminationem intrinsecè defectibilem, sub expresso conceptu terminationis: ergò. Item Div. Thom. ut salvet libertatem divinæ voluntatis cum omnimoda determinatione, & sine aliqua indifferentia ex parte ipsius, recurrat ad independentiam, quam habet à creaturis adhuc prout sic determinata propter independentiam proprij finis ; at si divina volitio defectibilis esset intrinsece sub expræsto conceptu terminationis, non opus esset recurrere ad prædictam independentiam: ergò. Tandem hoc sit manifestum , ex quo prædicti Authores nullum pro se adducunt locum Div. Thom. in quo fundent prædictam defectibilitatem , nullumque ex his à nobis relatis sibi objiciunt. Argumenta in favorem hujus sententia , vel solum intendunt actum liberum Dei esse actum necessarium, ut libere terminatum ad creaturas, quod nos non negamus, vel si aliqua sunt ad probandum defectibilitatem illius sub expræsto conceptu terminationis , coincidunt cum ratione dubitandi posita à principio , de qua infra result. 8. & 9.

### RESOLUTIO VII.

*Nec constituitur actus liber Dei per aliquid defectibile virtualiter, nempe per ipsam Dei voluntatem , quatenus perinde se potest habere, ac si deficeret.*

31 **E**st contra Complutensem Hererra , qua sententia in hac tempestate Jesuitæ complutenses insultant. Itaque ait iste Doctor , quod Deus, ut aequaliter decernens mundum , & dicit aliquid reale, & etiam aliquid virtuale : realiter quidem dicit ipsum Deum , quia ex suis prædicatis intrinsecis est tota realitas , & voluntatis , & nolitionis divinæ circa mundum ; virtualiter verò addit , quod volitio mundi non solum realiter, verum & virtualiter existat , seu quod non defi-

deficiit virtualiter: si enim hæc volitio mundi, licet non realiter, virtualiter tamen deficeret, ita ut in ordine ad denominandum Deum volentem per inde se haberet, ac si non existeret, tunc Deus non esset decernens mundum, licet realiter existeret volitio mundi. Hinc tenet prædictum decretum esse defectibile solum quoad denominationem, & non ex defectu aliquo vero, & reali, id est, entitativo, sed solum ex defectu virtuali, quatenus ipsa volitio, quæ modo realiter existit, & se habet ut existens, potest perinde se habere, ac si non existeret, & deficeret. Addit etiam, quod hæc virtualitas, licet chimerica non sit, nihilominus perfectio, aut entitas simpliciter non est.

32. Quæ sententia brevissimè impugnatur, primò ex dictis resolut. præced. namque hæc sententia cum præcedenti convenit in eo, quod id, quod addit actus liber Dei supra necessarium non est aliqua perfectio. Deinde, quia probat idem per idem, probat enim actum liberum Dei esse defectibilem quoad denominationem, ex quo volitio Dei libera, licet realiter necessario existat, potest virtualiter non existere, potest autem virtualiter non existere, quia potest se habere ut non existens, seu perinde, ac si deficeret, sed posse se habere perinde, ac si non existeret, seu deficeret, non est formalissime aliud, neque aliud significat, quam posse Deum non denominare, licet non possit non realiter existere in Deo: probat ergo defectibilitatem denominationis Dei libere volentis, per defectibilitatem ipsiusmet denominationis Dei libere volentis, & sic probat idem per idem.

33. Explicatur hoc: juxta hunc modum dicendi, volitio Dei libera hujus mundi defecto nendum realiter, verum & virtualiter existit, existit autem virtualiter, quia nendum existit, sed etiam se habet ut existens. Inquiero ergo, quid addit volitio Dei libera hujus mundi per hoc, quod se habeat, ut existens, supra se ipsam, ut realiter existentem? Non quidem aliud prater denominare Deum libere volentem. Unde per idem est se habere ut existentem, ac se habere ut denominantem: Ergo pariter per idem est posse se habere ut non existentem, seu ac si deficeret, quod est posse deficere virtualiter, ac posse se habere, ut non denominantem: probat ergo hæc sententia actum liberum Dei esse defectibilem quoad denominationem, quia defectibilis est quoad denominationem.

34. Quibus adde id ipsum posse pariter affirmari de ipsa actione Dei productiva ad extra, nempe quod licet realiter cum Deo identificeatur, non tamen ipsum ab æterno de nominat producentem; non quidem ex defectu aliquo

vero, & reali, sed solum ex defectu virtuali, quia nempe, illa actio licet ab æterno existat in Deo, dunitaxat tamen in tempore se habet ut existens. Cum tamen ipse cum alijs Societatis teneat actionem Dei productivam ad extra esse formaliter transcurrentem, proindeque realiter, & nedū virtualiter à Deo separabilem. Quas impugnationes sibi non objicit prædictus Doctor, licet plures alias proponat ex Patre Riba de Neyra. Immo neque suæ sententie aliud assignat fundatum, quam quod his verbis decentius in hac materia loquitur, & sic in præsenti nulla se offert objecto.

### RESOLUTIO VIII.

*Divina libertas non consistit in indifferētia Di-*  
*vīna voluntatis quantum est ex parte ipsius,*  
*quæ dicitur indifferētia passiva ad eliciendum*  
*actualitatem volitionis, vel nolitionis, sed in*  
*indifferētia illius ex parte ejus, ad quod dici-*  
*tur, quæ dicitur indifferētia pure*  
*activa ad mutandum creaturem*  
*ad fore, vel non fore.*

35. Et doctrina expressa Div. Thom. pluribus in locis sibi objiciendo rationem dubitandi positam in principio. Unde & tota intelligentia dubij præfentis pendet, eaque non ita obscure, ut appareret, innotescit constitutivum actus liberi Dei. Et in primis in hoc articulo tertio eam sibi proponit sub his terminis, non necesse esse, & possibile non esse æquipolente; si ergo non necesse est Deum velle aliquod eorum, quæ vult, possibile est etiam cum non velle illud, & possibile est cum velle illud, quod non vult: Ergo voluntas divina est contingens ad utrumlibet, & sic imperfecta, & mutabilis. Et respondet D. Thom. *Ad quartum dicendum, quod aliquando aliqua causa necessaria habet non necessariam habitudinem ad aliquem effectum, quod est propter defectum effectus, & non propter defectum cause: sicut virtus solis habet non necessariam habitudinem ad aliquid eorum; quæ contingenter hic veniunt, non propter defectum virtutis solaris, sed propter defectum effectus non necessario ex causa provenientis. Et simili-*  
*ter, quod Deus non ex necessitate velit aliquod eorum, quæ vult, non accedit ex defectu voluntatis divinae, sed ex defectu, qui competit volitu-*  
*to secundum suam rationem, quia scilicet, est*  
*tale, ut sine illo esse possit perfecta bonitas Dei.* Hæc Div. Thom. ubi convictus argumento, quod si voluntas Dei esset indiferens, & ad utrumlibet, quantum est ex parte ipsius, eo ipso esset imperfecta, & mutabilis; plane affirmat,

& docet ipsam Dei voluntatem, adhuc in volendo ad extrā, esse causam necessariam, quantum est ex parte sui, & sic nullam esse indifferentiam in divina voluntate ad actualitatem volitionis, vel nolitionis, quae dicitur indifferentia passiva. Quantum verò ad habitudinem, quam dicit ad creaturas esse liberam, & contingentem propter defectum voliti, quod est tale, ut sine eo esse possit perfecta bonitas Dei. Et sic tota indifferentia divinæ voluntatis est activa, & ex parte ejus, ad quod dicitur, nempe indifferentia divinæ voluntatis per modum actualis volitionis ad mutandum creaturem ad fore, vel non fore. Quod maximè elucidatur exemplo virtutis solarij, cuius influxus necessarius est secundum illius actualitatem, est tamen contingens secundum habitudinem, quam dicit ad aliquos effectus propter illorum contingentiam, quippe non ex necessitate ab ea provenient.

36. Hoc ipsum docet ad quintum: cum enim objecisset, quod ab eo, quod est ad utrumlibet, non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad unum: si ergo voluntas Dei in aliis se habet ad utrumlibet, sequitur, quod ab aliquo alio determinetur, & sic habet aliquam causam priorem. Resp. Ad quintum dicendum, quod causa, quae ex se est contingens, oportet, quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; sed voluntas divina, quae ex se necessitatem habet, determinat se ipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam. Ubi convincitur argumento, quod si voluntas Dei se habéret ad utrumlibet, essetque contingens, quantum est ex parte sui, hoc est, ad actualitatem volitionis, & nolitionis, oporteret necessario, quod ab aliquo alio determinaretur, & consequenter, quod habéret causam priorem. Quapropter illud negat, & docet ipsam, quantum est ex se, necessitatem habére, sequi ipsam determinare non ad actualitatem volitionis, & nolitionis, sed purè ad objectum volitum, & nolitum.

37. Hoc ipsum adhuc expressus docet in 1. ad Anibaldum dist. 45. q. unica art. 1. cum enim objecisset idem argumentum, quod illud, quod se habet ad opposita, in Deo esse non potest, cū sit mutabile, respondet: *Quod voluntas Dei non se habet ad opposita per modum receptionis, sed per modum actionis,* & ideo non sequitur, quod sit mutabilis, sed rerum mutativa; ubi etiam convictus argumento, quod se habére ad opposita cum indifferentia passiva, quae est indifferentia per modum receptionis, est proprium voluntatis mutabilis; illam indifferentiam negat, & affirmat Deum se habére solum ad opposita per modum actionis, quae est indifferentia

purè activa ad mutandum creaturem. Hoc ipsum asserit q. 23. de verit. art. 1. tibi idem argumentum proponit, & respondeat: *Quod Deo non convenit ad opposita se habere, quantum ad ea, quae sunt in essentia ejus, sed ad opposita se habet, quantum ad effectus, que potest facere,* & non facere. Vbi etiam affirmat Deum solum se habére ad oppositos effectus, non verò ad oppositos actus.

38. Pariter hoc ipsum exprimitissimè tradit in 1. contra Gent. cap. 82. ubi etiam obicit argumentum, quod omnis virtus, quae se habet ad utrumlibet, est quoadmodum in potentia, & respondeat: *Quod ad utrumlibet se habere, potest duplicitè virtuti convenire: uno modo ex parte sui: alio modo ex parte illius, ad quod dicitur. Ex parte quidem sui, quando nondum assequuta est suam perfectionem, per quam ad unum determinatur, unde hoc in imperfectionem virtutis redundat,* & offenditur esse potentialitas in ipsa, ut patet in intellectu dubitante, qui nondum assequutus est principium, ex quibus ad alterum determinetur. *Ex parte autem ejus, ad quod dicitur, quando perfecta operatio virtutis à neutrō dependet, sed tamen utrumque esse potest;* sicut aliquis, qui diversis instrumentis uti potest equaliter ad idem opus faciendum. Hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet, sed magis ad ejus eminentiam, in quantum utrumlibet oppositorum excedit, & ob hoc ad neutrū determinatur, sed ad utrumlibet se habet. Sic autem est in divina voluntate respectu aliorum à se: nam finis ejus à nullo aliorum dependet, cum tamen ipsa fini suo sit perfectè conjuncta. Hac Div. Thom. ubi etiam convincitur argumento, quod si voluntas Dei esset ad utrumlibet ex parte sui, hoc est, ad actualitatem volitionis, & nolitionis, esset in ea potentialitas; propterea quod asserit eam solum se habére ad utrumlibet ex parte ejus, ad quod dicitur, obiterque assignat radicem, quarè hęc indifferentia passiva divinæ voluntati competere non possit, quia, scilicet, indifferentia passiva voluntatis provenit ex quo voluntas nondum assequuta est suam perfectionem, id est, proprium finem, per quem ad unum determinetur, sicut & indifferentia passiva intellectus provenit, ex quo nondum assequutus est principia, ex quibus ad alterum determinetur, ut Pater in intellectu dubitantis. Divina autem voluntas maximè, & usque ad identitatem est conjuncta suo fini, qui est divina bonitas; & sic in ea locum non habet indifferentia passiva, sed quantum est ex parte ipsius, est omnino, & cum omnimoda necessitate determinata. Quarè autem cum hac necessitate, & summa determinatione compatiatur indifferentia

ria activa respectu effectuum, sicut hoc demonstraverit loco supra allegato à posteriori, ex contingencia effectus, qui est talis secundum propriam rationem, ut sine illo posse esse perfecta bonitas Dei; hic tamen illud ostendit à priori propter independentiam ipsius Divinae voluntatis à creaturis, quae independentia ei convenit propter independentiam finis secum identificati. Proptereaque indifferentia activa nullam ponit imperfectionem in divina voluntate, sed magis ad ejus eminentiam pertinet, in quantum utrumlibet oppositorum excedit, & ab hoc ad neutrum determinatur, sed ad utrumlibet se habet.

39. Quibus adde doctrinam generalem ipsius Div. Thom. infra quæst. 25. art. 1. vbi probat in Deo esse potentiam maxime activam, & nullo modo passivam, quia potentia activa dicit perfectionem sine imperfectione; quia unumquodque est principium agendi, secundum quod est actu, & perfectum; è contra vero potentia passiva Deo repugnat, quia in suo formaliter conceptu imperfectionem involvit, quia unumquodque patitur secundum quod est deficiens, & imperfectum, potentialitas enim passiva secum importat indigentiam, & mutabilitatem ex parte subjecti, sicut & receptionem ex parte actus, ut est per se notum. Hinc Div. Thom. ibi ad 3. docet; quod in Deo Salvatur ratio potentia activa, quantum ad hoc, quod est principium effectus, non autem quantum ad hoc, quod est principium actionis, & intelligitur de principio tali per realem influxum, & realiter ab actione distinto, quod etiam docet infra quæst. 41. art. 4. ad 3. & quæst. 1. de potentia art. 1. & 2. contra gent. cap. 10. unde quæst. 3. de potentia art. 5. ad 1. cum obiecisset argumentum commune, quod possibilis, & contingens ad esse, & non esse denotat mutabilitatem, responderet: *Quod quantum ad id, quod in ipso Deo est, non potest attendi aliqua possibilis, sed sola necessitas naturalis, & absoluta; respectu vero creature potest ibi considerari possibilis non secundum potentiam passivam, sed secundum potentiam activam, que non limitatur ad unum,*

40. Est ergo perpetuus Div. Thom. in eo, quod divina libertas non consistit in indifferentia divina voluntatis, quantum est ex parte ipsius, quæ dicitur indifferentia passiva ad elicendum actualitatem volitionis, & nolitionis; sed in indifferentia ex parte ejus, ad quod dicitur, quæ dicitur indifferentia purè activa, & illius per modum actualis volitionis ad mutandum creaturas ad fore, vel non fore aliter divina voluntas esset imperfecta, potentialis, determinabilis, perfectibilis, & mutabilis. Juxta quæ dicendum est,

quod de conceptu formaliter libertatis, ut abstracta à creata, & increata, solum est indifferentia activa ad opposita, & ex parte objecti, non vero passiva, & ex parte voluntatis, sicut & de conceptu formaliter potentiae activæ ut sic, non est, quod sit principium actionis, sed solum quod sit principium effectus; quapropter, quod sit principium actionis, ei convenit, quia creata. In Deo vero ponitur potentia seclusa omni imperfectione, consequenterque seclusa omni potentialitate, & sic non ponitur, ut est principium actionis, sed solum, ut est principium modo supra explicato, à simili ergo loquendo de libertate.

*Objiciuntur, & solvantur argumenta:*

41. Sed objicies: sequi ex hac resolutione divinam libertatem nullam dicere perfectionem; namque omnis perfectio debet explicari per ordinem ad subiectum: qua ratione magis communiter dicitur relationes nullam formaliter dicere perfectionem; at libertas divina secundum hunc modum dicendi non explicatur per ordinem ad Deum, sed solum per ordinem ad creaturas, quippe solum per ordinem ad creaturas, non per ordinem ad Deum, salvatur in divina voluntate indifferentia, in qua libertas consistit: ergo. Resp. disting. min. non explicatur per ordinem ad Deum ut potentem mutare creaturas ad fore, vel non fore, nego: per ordinem ad Deum ut potentem elicere actualitatem volitionis, vel nolitionis, seu ut potentem per illam perfici, & mutari, conced. & nego conseq. Indifferentia enim divina voluntatis pure per ordinem ad creaturas non intelligitur, ac si sit indifferentia purè respectiva, seu relativa in ordine ad creaturas, ut ad purum terminum, utpote libertas in suo formaliter conceptu aliquid absolum est, ipsamque divinam voluntatem respicit, non ut potentem elicere actualitatem volitionis, vel nolitionis, sed purè, ut potentem mutare creaturas ad fore, vel non fore; pater autem, quod Deum posse mutare creaturas, sine sui intrinseca mutatione, dicit maximam, & infinitam perfectionem, immo necessariam, cum adhuc libertas potentialis creata perfectio necessaria sit.

42. Sed dices: ergo actus liber Dei, ut liber est, dicit etiam ordinem ad subiectum, scilicet, ad Deum, & consequenter adhuc, ut liber est, perfectionem dicit, falsum ergo est quod omnia, quæ sunt in Deo per ordinem, ad ipsum necessaria sunt. Ad hoc responderet Zamorensis, quod actus liber Dei, ut liber est, dicit etiam ordinem

Deum, siquidem eum constituit operantem, sed non dicit ordinem ad illum, ut libere eum constituentem operantem, sed ut constituentem eū operantem libere; licet enim sit actus liber, non tamen liberè constituit eum operantem, ac si posset non constituere, quippe non potest Deus non habere actum liberum. Constituit tamen Deum operantem liberè, quia quod Deus isto actu attingat hoc objectum, vel illud, liberè Deo convenit. Sed hæc solutio tenet solum in sententia, quod divina voluntas non potuit manere suspensa. Unde melius dicitur, quod adhuc, ut liber est, dicit perfectionem, sed non distinctionem etiam virtualiter à perfectione actus necessarij, quia actus liber est ipsem actus necessarius, ut mutans creaturas ad fore, vel non fore, ac proinde in actualitate non distinguitur ab actu necessario, & consequenter neque in perfectione; de quo late resolutione sequenti.

## RESOLUTIO IX.

*Actus liber Dei constituit per ipsum actum necessarium, ut mutantem creaturas ad fore, vel non fore, seu ut connotat passiva mutationem creaturarum prout sic, qui pure est defectibilis quoad denominationem, non propter defectum aliquus intrinseci, sed propter defectum extrinseci connotati, unde predicta denominatio est adæquate intrinseca, non absoluta, sed connotativa.*

**I**ta communiter Thomistæ, exceptis relatis in 6. resolutione. Et infertur ex præcedenti, solumque indiget explicatione. Cum enim libertas divina non consistat in indifferentia divinæ voluntatis, quantum est ex parte ipsius, nempè ad eliciendum actualitatem volitionis, vel nolitionis: quæ dicitur indifferentia passiva, sed in indifferentia diuinæ voluntatis, quatenus est ex parte creaturarum, nempè divinæ voluntatis per modum actualis volitionis ad mutantem creaturas ad fore, vel non fore, manifestè sequitur exercitium talis libertatis, seu illius determinationem ad unum non superaddere actualitatem aliquam supra actum necessarium, sed ipsum actum Dei necessarium habere ex se omnem actualitatem, & perfectionem possibilem volitionis, & nolitionis, amoris & odij; solumque superaddere connotationem passivæ mutationis creaturarum ad fore, vel non fore, ratione cuius, si mutet ad fore sive conditionante, sive absolute, denominatur intrinsecè adæquatè volitio, si vero ad non fore, denominatur intrinsecè adæquatè nolitio. Quapropter Deum velle libere futuritionem hujus mundi, & nolle futuritionem alterius, non est liberè elice-

re actualitatem volitionis, sed per suum actum necessarium libere mutare creaturas ad fore, vel non fore; proindeque est libere habere illos a. etus solum quantum ad denominationem, cumque predicta denominatio sit connotativa, nempe connotans passivam mutationem creaturarum; hac deficiente, & illa deficit, propterea que sine defectu alicuius intrinseci, solum propter defectum extrinseci connotati.

44 Cujus est exemplum juxta sententiam omnium Thomistarum in actione creativa, quæ secundum actualitatem æterna, & necessaria est. Quoad denominationem vero contingens est, & temporalis, Deoque deficere potest ex defectu extrinseci connotati, quia est denominatio connotativa, nempè, connotans phisicam mutationem objecti. Potest etiam hoc ipsum explicari in causa materiali, formalis, & specificativa, in sententia probabili, quod identificant suas causalitates. In hac enim sententia hujusmodi causalitates sunt necessaria quoad existentiam, quoad denominationem vero deficere possunt purè ex defectu connotati sine intrinseca mutatione ex parte causæ. Sicut coloratum absque sui intrinseca mutatione causat visionem in genere cause formalis specificativæ, quando exigit visio, & non causat, quando non exigit. Et pariter materia, forma, & finis denominantur causæ, cum connotant existentiam proprij effectus, & hujus defectu, sine sui intrinseca mutatione, definit esse predicta denominatio, est etiam exemplum in specie angeli, quæ solum representat futurum contingens, dum existit, & ex defectu existentie illius definit ipsum representare sine sui intrinseca mutatione: est etiam altius exemplum in substantia Verbi Divini, quæ sine sui intrinseca mutatione incipit terminare naturam humanam per connotationem solum naturæ humanæ sibi unitæ, & ex defectu hujus unionis definit eam terminare ante Verbi Incarnationem. Ac tandem est exemplum in denominatione Patris secundi Filii, quæ est adæquate intrinseca, utpote à Paternitate proveniens, & nihilominus deficere potest sine intrinseca mutatione Patris, solum ex defectu secundi Filii. Et hoc ideo, quia omnes hujusmodi denominaciones, licet adæquate intrinsecæ, sunt connotativæ, & connotatio deficit ex solo defectu connotati, à simili ergo in praesenti,

45 Hinc liquet, divinam libertatem potentiam, & actualem non distinguere quoad actualitatem, sed purè quoad denominationem, sive connotationem. Ipsem enim actus necessarius, ut potens mutare creaturas, dicitur liber in potentia; ut vero connotat ipsam actualem mutationem creaturarum, dicitur liber in actu. Est tamen

tamen valde notandum, quod in sententia negante divinam voluntatem potuisse manere suspensam, non in convenit admittere actum Dei liberum virtualiter distingui ab actu necessario, quia in hac sententia idem formaliter actus perseverat in Deo, sive mutet creaturas ad fore, sive ad non fore, & licet deficere possit quoad unam, vel alteram denominationem determinatè, nempè quoad mutare creaturas determinatè ad fore, vel determinatè ad non fore, quoad unam tamèn, vel alteram determinationem indeterminate deficere non potest, & sic dicitur necessarius per ordinem ad mutationem indeterminate sumptam; dicitur verò liber per ordinem ad mutationem sumptam determinatè. Undè adhuc in hac sententia talis actus solum est liber terminativè, seu connotativè, vel denominativè, subjectivè verò, & quoad actualitatem, necessarius est. Difert tamen in hac sententia ab actu necessario, quo Deus se ipsum amat, quia hujus objectum primarium est bonitas divina, nullo addito respectu ad creaturas, illius verò objectum primarium est ipsamet divina bonitas, ut communicanda creaturis, seu ut est ratio diligendi illas.

46 Attamen in sententia afferente divinam voluntatem potuisse manere suspensam, nullo modo est admittendum, actum liberum Dei ab ejus actu necessario distingui virtualiter, vel ei superaddere modo aliquem intrinsecū virtualiter, & ratione ab eo distinctum; aliter in hac sententia aliquid intrinsecum Deo deficere posset, cuius oppositum defendimus. Et est exemplum in materia de Trinitate, in qua communiter dicitur rationem Verbi, & Filij in secunda persona esse formaliter eandem, absque distinctione aliqua virtuali, alias essent assignabiles sex notiones, siquidem assignaretur duplex relatio Filij, & Verbi, sicut & propter eandem virtualem distinctionem ponitur in Patre relatio spirationis activæ distincta notio à relatione paternitatis, & pariter in Filio, & nihilominus Verbum, ut tale, connotat creaturas, quas etiam representat, utpote procedens ex cognitione omnium possibilium, non tamen Filius, qui ut talis, solum dicit ordinem ad generantem. Et hoc ideo, quia illa connotatio creaturarum importatur in Verbo secundario, & in obliquo; quantum ad id vero, quod ratio Verbi importat in recto, convenit cum filiatione, utpote etiam dicit ordinem ad Patrem, quem etiam primo representat. A simili ergò, quia actus liber Dei, & necessarius convenient quantum ad id, quod important in recto, non distinguuntur adhuc virtualiter, sed solum ex parte connotati, quod sufficit, ut distinguantur quoad denominationem,

sicut & sufficit, ut quoad denominationem distinguantur in Deo ratio Verbi, & ratio Filij.

*Objiciuntur, O solonuntur argumenta.*

47 **E**X dictis in primis fit satis rationē dubitandi positae in principio dicendo, quod de conceptu actus liberi non est, quod taliter sit in voluntate; quod potuerit non esse quantum ad actualitatem, & perfectionem, sed sufficere, quod potuerit non esse quantum ad denominationem, vel connotationem ex defectu extrinseci connotati; eoque quod de conceptu formalis libertatis solum est indifferentia activa, & ad opposita ex parte objecti, non vero passiva, & ad opposita ex parte ipsius voluntatis. Unde quod actus liber taliter sit in voluntate, ut potuerit non esse quantum ad actualitatem, & perfectionem, provenit, ex quo est creatus, utpote libertas creata in indifferentia voluntatis, nendum activa, sed etiam passiva consistit è contra verò libertas divina, ut explicatum est, qua ratione ejus exercitium nullam superaddit actualitatem, sed solum connotationem, que purè ex defectu extrinseci connotati deficere potest.

48 Sed pro majori intelligentia contra nostram resolutionem objicies primò, quod denominatio adæquate intrinseca, cum sit forma communicata, utpote est effectus formalis illius, deficere non potest durante subjecto capaci, quin deficiat forma ipsa: ergò implicat, quod deficit at purè ex defectu extrinseci connotati. Resp. argumentum convincere de denominazione adæquate intrinseca absoluta, quia hæc est forma absolute considerata, & sine connotatione alicujus extrinseci. Secus verò de denominazione adæquate intrinseca connotativa, quia hæc est à forma non absolute, sed ut connotante aliquid extrisecum, ac proinde remanente forma, quantum ad actualitatem, quam importat in recto, potest non denominare ex defectu extrinseci connotati, quod videtur est in exemplis allatis. Denominatio verò actus liberi in Deo est connotativa, proveniens ab actu Dei necessario non absolute, sed ut connotante passivam mutationem creaturarum, & ideo ex solo defectu illius mutationis definit actus necessarius denominari liber, ipso intrinsecè immutato.

49 Sed dices: probabile est denominacionem notitiae intuitivæ, quamvis connotativam, esse adæquate intrinsecam, & nihilominus hæc denominatio deficere non potest purè ex defectu extrinseci connotati, nempè objecti praesentis, sine intrinsecā mutatione notitię, ita ut ob-

jecto variato de præsenti in absens, varietur etiā intrinsecè notitia de intuitiva in abstractivam: ergò à simili. Sed resp. neg. min. quia in hac sententia pariformiter dicendum est, ac de specie impressa angelī: sicut enim ex sola variatione objecti, seu futuri, species impressa angelī transit de non repræsentare intrinsecè ad intrinsecè repræsentare, sine sui intrinseca mutatione; sic & notitia ex sola variatione objecti trāsit de repræsentare intrinsecè abstractivè ad repræsentare intrinsecè intuitivè, vel vice versa, sine sui intrinseca mutatione. Sicut enim species angelī habet ex se sufficientem actualitatem, futurum repræsenter, si ponatur existens; pariter & notitia abstractiva habet ex se sufficientem actualitatē, ut objectū intuitivē repræsenteret, si ponatur præsens.

50 Secundo potest reddi disparitas dicendo, ideo illud esse in notitia, quia variato objecto de præsenti in absens, vel è contra, variatur formaliter objectum specificativum notitiae: ut potè objectum specificativum notitiae intuitivæ est objectum, ut præsens, & objectum specificativum notitiae abstractiva est objectum, ut absens: licet enim ratio absentis, vel præsenti materialiter se habeat respectu potentia cognoscitiva, respectu tamen notitiae se habet formaliter, & specificativè in hoc modo dicendi. Ac proinde variato objecto de præsenti in absens, non potest non intrinsecè variari notitia, in exemplis autem allatis non variatur formaliter terminus, vel objectum, sed solum materialiter; sub eadem enim ratione materia respicit omnes formas amissibiles, & pater omnes filios, & species angelī sua objecta. Ac tandem libera Dei volitio nullo modo specificatur à creaturis, sicut neque à creaturis dependet: immò in sententia, quod divina voluntas non potuit manere suspensa, actus liber Dei formaliter deficere non potest, quia sub eadem ratione respicit omnes creature, sive eas mutet ad fore, sive ad non fore, ut dictum est.

51 Secundò objicies, & est replica contra dicta: volitionē Dei liberam posse deficere quoad denominationem, non est aliud, quam posse deficere quoad mutare creature ad fore, vel non fore; at posse sic deficere, est posse deficere quoad aliquid intrinsecum, quia ipsa Dei volitio, ut sic mutans creature, Deo intrinseca est hęc. Resp. dist. maj. non est aliud quam posse deficere quoad mutare creature ad fore, vel non fore secundum id, quod activa mutatio importat in recto, nego suppositum: secundum id, quod importat in obliquo, conc. & disting. min. eisdem terminis, & nego conseq. Itaque hęc activa mutatio in recto importat actum necessarium, quia libertas Dei est indifferētia purè activa; in obliquo verò importat passivam mutationem creature, un-

dè cum dicitur mutatio activa, dicitur in recto actus necessarius, & passiva mutatio in obliquo, & sic non est aliud activa. Dei mutatio, quam actus necessarius connotans passivam mutationem creature, Ex hoc ergò præcisè, quod deficere potest passiva mutatio creature, deficere potest actus Dei necessarius quoad illam cōnotationem, quod est post deficere quoad denominationem, ex defectu extrinseci connotati.

52 Tertiò objicies: prior est defectus actus liberis Dei, quam defectus passivæ mutationis creature, sicut actus liber Dei prior est illa, cum sit illius causa: non ergò potest deficere actus Dei liber ex defectu passivæ mutationis creature; namque prior non potest deficere ex defectu posterioris, sicut neque causa ex defectu effectus. Confirmatur: hęc causalis, in sententia Thomistarum, est falsa: quia res est futura, ideo Deus habet decretum de futuritione illius, sed potius è contra; quia Deus habet illud decretum, res futura est: ergò & hęc causalis est falsa: quia alter mundus non est futurus, ideo deficit Deo decretū de illius futuritione, sed potius è contra: quia Deo deficit decretū de futuritione alterius mundi, alter mundus futurus nō est.

53 Respond. disting. anteced. prior est defectus actus liberis Dei, quantum ad actualitatem, nego suppositum, quia ut sic non est defecibilis: quantum ad denominationem, concedo anteced. & disting. consequens: ergò actus liber Dei deficere non potest ex defectu passivæ mutationis creature, tanquam ex causa, concedo: tanquam ex defectu alicujus connotati necessario requisiti ad denominationem, nego. Fautem enim, quod sicut actus liber Dei est causa passivæ mutationis creature, ita & defectus actus liberis Dei, quantum ad denominationem, est causa defectus passivæ mutationis creature, proindeque actus liber Dei deficere non potest ex defectu passivæ mutationis creature, tanquam ex causa. Quia tamè actus Dei necessarius non est liber, nisi ut connotans passivam mutationem earundem, utpote non est liber, nisi ut mutans creature ad fore, vel non fore, & connotatio deficit, deficiente connotato, propterea ex defectu hujus, deficere potest Deo actus liber quoad connotationem, vel denominationem, ut videre est in exemplis allatis.

54 Sed objicies contra: implicat, quod defectus actus liberis Dei, quoad denominationem, prior sit, & causa defectus passivæ mutationis creature: & quod non intelligatur ante illam: namque si semel pro eodem priori, quo intelligitur defectus actus liberis Dei, intelligitur de connotato, & in obliquo defectus passivæ muta-

tionis creaturarum, eo ipso non intelligitur, ut prior illo, sed ut quid coexistens, & simul cum illo. Sed respond. neg. assumptum: namque licet defectus actus liberi Dei non possit pro aliquo priori intelligi, non intellecto de connotato, & in obliquo defectu passiva mutationis creaturarum, adhuc intelligitur, ut prior, & causa illius, quod planè est videri in causa materiali, formalí, finali, & specificativa, ut supra exemplificavimus. Noviter hoc ipsum exemplificatur in denominatione primi, prioris, & pri-mogenitis, si summatur nedum negativè, prout significat id, ante quod non est aliud, sed etiam positivè, prout significat id, quod precedit alios. Hujusmodi namque denominationes necessario connotat aliquid posterius, neque enim Adamus est, vel potest intelligi positivè prior alijs hominibus, si alij homines post ipsum nō essent: neque Filius potest dici positivè primogenitus, si post ipsum alter Filius natus non sit. Et similiter causa, ut actu causans, est prior effectu, non tamen potest intelligi sine illo, sicut neque Deus potest intelligi creator sine creaturis. Non ergò obest, ut aliquid sit, vel concipiatur prior, quod concipi non possit sine posteriori: & consequenter, quod defectus actus liberi Dei concipi non possit sine defectu passiva mutationis creaturarum, obstarere non potest, ut concipiatur prior, & illius causa.

55 Sed dices: licet denominatio prioris necessario connotet posteriorem, proindeque causa sub illa denominatione, sub qua consideratur prior signata, connotet necessario effectum, & si ne effectu non possit intelligi; causa tamen sub denominatione causæ, sub qua consideratur solum prior exercite, intelligi potest pro aliquo priori ante effectum, seu effectu non intellecto: immò licet causa, ut causa in actu secundo est, non possit intelligi, ut prior positivè effectu sine effectu; potest tamen intelligi, ut prior negativè effectu sine illo, id est, potest intelligi pro aliquo priori influere, seu causare effectum, effectu non causato: ergò hoc modo adminus potest intelligi defectus actus liberi Dei sine defectu passiva mutationis creaturarum, quod sufficit, ut ille defectus ex hoc provenire non possit.

56 Sed in primis solum fuit intentum in solutione praecedenti explicare, non obesse concipi aliquid, ut prius, & causam, & concipi non posse sine connotatione posterioris. Ad replicam autem factam respondeo, dupliciter, vel negando posse causam, ut causam in actu 2. intelligi non connotato effectu ad minus in fieri quoad exercitum, quia efficientia causæ est fieri effectus. Vel concedendo de causis agentibus per causalitatem realiter distinctam, & negando de cau-

sis agentibus per causalitatem secum identificatam. Pro cuius intelligentia est notandum, quod causa non potest intelligi, ut in actu 2. causans, quin intelligatur cum aliquo superaddito sibi in actu 1. considerata: cum ergò causæ per causalitatem realiter distinctam superaddatur actualitas ipsius causalitatis, potest ex hoc ipso intelligi in actu 2. causa, etiam non intellecto effectus causæ verò identificanti suam causalitatem non potest superaddi actualitas ipsius causalitatis, sed solum connotatio effectus, & sic implicitorum est, quod intelligatur in actu 2. causans, quin pro eodem priori connotet effectum. Nota tamen, ex hoc non licere inferre actuum Dei liberū quoad denominationem dependere à passiva mutatione creaturarum: quamvis enim hujusmodi denominatio à nobis apprehendatur, tanquam depéndens ab effectu connotato, quia sine illo resultare non potest; re tamen vera ab illo non dependet, sed potius è contra, & si cum illo connectatur, ad modum quo unum relativum non potest esse sine alio, neque Omnipotentia sine creaturis propter connexionem, cum tamen neque relativum à corelativo, neque Omnipotentia à creaturis dependeat.

57 Quarto objicies: defectus passiva mutationis objecti, nedum provenit ex defectu actu liberi Dei quantum ad denominationem, sed etiam quantum ad actualitatem: ergò ex defectu alicuius intrinseci. Prob. antec. actus liber nō solum quantum ad denominationem, sed etiam quantum ad actualitatem est causa mutationis objecti: ergò hujus mutationis defectus, nedum procedit ex defectu actu liberi Dei, quantum ad denominationem, sed etiam quantum ad actualitatem. Antec. pat. nam & si actu liber Dei nullam haberet denominationem, adhuc esset causa passiva mutationis objecti. Conseq. verò probat. namque sicut affirmatio est causa affirmatio-nis, ita negatio est causa negationis: ergò sicut positio actu liberi Dei, nedum quantum ad denominationem, sed etiam quantum ad actualitatem est causa passiva mutationis objecti, ita & negatio illius, nedum quantum ad denominationem, sed etiam quantum ad actualitatem erit causa negationis ejusdem.

58 Resp. quod licet actu liber Dei, etiam quantum ad actualitatem, sit causa passiva mutationis creaturarum: non tamen propterea negatio praedictæ mutationis provenit ex negatione actu liberi Dei quantum ad actualitatem. Ad probationem responderetur, regulam illam tenere in causa realiter distincta à sua causalitate; fecus verò cum illa identificata. Causa enim realiter distincta à sua causalitate perficitur, dum causat per ipsam causalitatem,

tatem, & dum non causat, deest ei actualitas causalitatis, & propterea est verum, quod sicut positio causalitatis, quantum ad denominationem, & actualitatem, est causa effectus, ita negatio illius quantum ad denominationem, & actualitatem est causa negationis effectus. Causa vero identificans suam causalitatem non perficitur dum per ipsam causat, ut potè non habet de novo actualitatem, & perfectionem, quam antea non habebat; consequenterque dum non causat, aliqua non deest ei actualitas causalitatis, quam secum identificat; sed solum ei deficit connotatio effectus, propterea que licet causet effectum per propriam causalitatem nedium quoad denominationem, sed etiam quoad actualitatē, negatio effectus provenire nequit ex negatione causalitatis quoad actualitatem, sed dumtaxat quoad connotationem, vel denominationem.

59 Ultimo objicies: decretum Dei liberum secundum Thomistas est medium, in quo Deus cognoscit futura propter illius intrinsecam connexionem cum futuritione objecti: ergo implicat, quod deficit decretum Dei liberum, quin deficit hæc ipsa connexio, & consequenter quin deficit aliquid reale Deo intrinsecum, quippe predicta connexio realis, & intrinseca est. Dices, quod deficiente decreto deficit connexio illius cum futuritione objecti, non quantum ad actualitatem, sed solum quoad connotationem ex defectu extrinseci connotati. Sed contra est primò: namque non minus decretum Dei liberum, secundum Thomistas, connectitur cum futuritione objecti, quam Divina Omnipotentia cum possibilibus; at, secundum Thomistas, implicat deficit connexionē Omnipotentie pure quoad connotationem, & non quoad actualitatem: ut potè, in sententia Thomistarum, ex defectu possibilitatis alicujus objecti sequitur, & quod deficit Omnipotentia ipsa: ergo à simili. Secundo: namque connexionis illia decreti est defectibilis in quantum est medium cognoscendi futura, ut potè non est medium necessarium, sed liberum, & propter hoc etiam cognitio ipsa futurorum libera est; at non est medium cognoscendi futura secundum id solum, quod importat in obliquo, sed etiam secundum actualitatem, quam importat in recto, aliter futura ipsa essent medium cognoscendi se ipsa: ergo.

60 Ad argumentum recte dictum est: pro cuius intelligentia est notandum, quod connexionis est duplex, alia virtatis, & alia exercitij virtutis; connexionis virtutis ex necessitate superaddit natura subjecti, cuius est virtus, perfectionē, & actualitatem realiter, vel ad minus virtualiter distinctam, non minus ac virtus ipsa: est enim hæc connexionis ipsa habitudo virtutis ad objec-

tum, vel terminum; proindeque connexionis virtutis, sicut & virtus ipsa deficere non potest subjecto sine defectu alicujus intrinseci, & consequenter neque sine subjecti intrinseca mutatione. Connexionis vero exercitij virtutis solum superaddit actualitatem, & perfectionem supra virtutem, cum eam superaddit exercitium ipsum; qua modo vero exercitium solum superaddit connotationem effectus, vel termini, solum etiam illius connexionis supra virtutem superaddit prædictam connotationem, quæ connotatione pure propter defectum extrinseci connotati deficit potest, ut patet in exemplis allatis. Et adhuc clarissimum exemplificatur in subsistencia verbis, in qua est considerare connexionem illius per modum virtutis terminativæ, quæ est connexionis cum omni natura terminabili; & connexionem exercitij illius virtutis cum natura humana, quam defacto terminavit. Prima connexionis deficere non potest Verbo sine illius intrinseca mutatione, unde destrueretur subsistencia verbis, si naturam aliquam, quam modo potest terminare, non posset terminare. Secunda vero connexionis potest Verbo deficere, & defacto deficit ante illius Incarnationem sine defectu alicujus actualitatis, & perfectionis, solum propter defectum extrinseci connotati; & hoc ideo: quia exercitium illud terminandi naturam humanam non superaddit supra virtutem terminativam aliquam actualitatem, & perfectionem, sed solum connotationem naturæ humanæ sibi unitæ. A simili ergo in presenti connexioni Divina Omnipotentia cum possibilibus est connexionis per modum virtutis, & ideo deficere non potest sine defectu alicujus actualitatis, & perfectionis; connexionis vero decreti, sicut & connexionis actionis creativæ, est connexionis per modum exercitij non addentis perfectionem aliquam supra actum necessarium, sed solum connotationem passivæ mutationis objecti, & sic deficere potest dumtaxat propter defectum extrinseci connotati. Et per hæc patet ad primam replicam.

61 Ad secundam respond. ex dictis, quod decretum est medium cognoscendi futura secundum actualitatem, quam importat in recto, non secundum se, & absolute considerat, ut potè prout sic est indifferens ad mutandum creaturas ad fore, vel non fore, & sic non potest esse medium cognoscendi potius futura, quam non futura; sed ut connotat obliquum, nempe passivam mutationem creaturarum. Ex quo enim Deus comprehendit suam divinam voluntatem, cognoscit etiam, quas creaturas mutet ad fore, quas vero ad non fore. Unde solum interfert, quod decretum liberum Dei possit deficere quantum ad actualitatē importatā in recto,

non absolutè consideratam, sed ut connotantem passivam mutationem creaturatum, quæ connotatio deficere potest ex defectu obliqui connotati. Cujus pone exemplum in specie impressa angelii, quæ non est medium cognoscendi futura contingentia, nisi quatenus connotat illorū existentiam; & pariter non est medium cognoscendi cogitationes cordium, nisi ut connotat illarū manifestationes; quapropter ex unius, vel alterius defectu, sive defectu alicujus actualitatis, & perfectionis desinit esse medium cognitionis illorum.



## DUBIUM V.

*Utrum divina voluntas ab omni actu libero potuerit manere suspensa?*

1. **E**st idem, ac inquirere, utrum divina voluntas sit etiam libera libertate contradictionis? In omnium enim sententia Deo repugnat suspensio voluntatis, quæ exercitiū libertatis non est, & dicitur omissione purè negativa, quæ datur in voluntate, ante quam intellectus deliberet, & se determinet erga agenda. Quæ proindè ortum habet ex ignorantia agendorum, quam Deo repugnare haud dubium est. Quo in dubio unica est difficultas titulo dubij correspondens, unde fit.

## RESOLUTIO UNICA.

*Divina voluntas non potuit ab omni actu libero manere suspensa?*

2. **E**st contra Ferrariensem, Cajet. Albertinum, Oxomens, Gonet, Herrenram, & alios plures in manuscriptis. Eam tamè tenent Salmanticenses, Lisboniensis, Nazarius, Gonzalez, Granadus, Zamorensis, & alij extra scholam Div. Thom. & fundatur primò ex dictis dubio præced. resolut. 7. & 8. namque libertas divina non consistit in indifferentia divina voluntatis, quantum est ex parte ipsius, quæ dicitur indifferentia passiva, & per modum potentie ad eliciendum actum volitionis, vel nolitionis, si sit libertas contrarietas; vel ad actum, vel omissionem actus, si sit libertas contradictionis; sed consistit in indifferentia divina voluntatis dumtaxat ex parte ejus, ad quod dicitur, quæ dicitur indifferentia purè activa, & per modum actus ad mutandum creaturas ad fore, vel non fore: ergo exercitium divina voluntatis non potest non esse actus mutans creaturas, vel ad fore, vel ad non fore, & consequenter non est indifferenter actus liber, vel il-

lus suspensio, sed actus liber determinate.

3. Dices, quod licet divina libertas non consistat in indifferētia ad actum, & non actum, quantum ad actualitatem, utpote, quia est indifferētia per modum actus; bene tamè quantum ad terminationem. Sed contra est: namque actus liber constituitur in ratione talis per terminationem ad creaturas: ergo indifferētia ad actum, & non actum, quantum ad terminationem, est indifferētia ad actum liberum, & non actum liberum formaliter ut tale; at hęc est indifferētia passiva, & ex parte voluntatis, quæ à divina libertate omnino releganda est: ergo. Immò, ut dubio præcedenti resolut. 6. argumentabamur contra Oxomens, & Gonet, illa terminatio est Deo intrinseca, & in proprio, & formalī conceputu, dicit perfectionem, & actualitatem, cum sit ipsa ultima actualitas divinae libertatis, sicut exercitium illius, estque vitalis, & formaliter immannens, constituensque Deum libere volentem: indifferētia ergo ad actum liberum, quantum ad prædictam terminationem, est passiva divina voluntati repugnans. Hinc talis terminatio ponitur à nobis intrinsecè indefectibilis, etiam sub expresso conceptu terminationis, virtualiterque, & ratione identificata cum actu necessario.

4. Sed dices: absque ulla imperfectione, & mutabilitate ex parte divina voluntatis potuit Deus non velle futuritionem Petri, quam defacto voluit, sed non, nisi quia non velle futuritionem Petri non est suspensio ab actu libero, quantum ad actualitatem, sed solum quantum ad terminationem: ergo. Sed respondet. quod Deum non velle futuritionem Petri, stat duplicitè: vel per omissionem omnis actus, nempe omisssive habendo erga volitionem, vel nolitionem futuritionis Petri: vel per actum positivum nolitionis, nolendo, scilicet, illius futuritionem. Primum negamus, secundum concedimus.

5. Dices: ergo saltem per actum positivum nolitionis potuit Deus non velle futuritionem Petri, quam defacto voluit; sed eo ipso potuit Deo deficere volitio, quam defacto habuit ad terminationem, & non quantum ad actualitatem, ut supponimus: ergo. Sed resp. disting. min. quantum ad terminationem formaliter, & subjectivè consideratam, nego: materialiter, & objectivè consideratam, conced. Actus enim Dei liber est idem formaliter, sive terminetur ad fore, sive ad non fore: quia sub eadem ratione terminatur ad utrumque, sicut sub eadem ratione divina intellectio respicit omnia intelligibilia, & operatio divina omnia existentia; sicut & omnipotencia omnia possibilia, & paternitas omnes filios. Unde, sicut in Deo una solum ponitur intellectio respectu omnium intel-

ligibilium, unicaque operatio ad extra respectu omnium existentium, unicaque Omnipotentia respectu omnium possibilium, & pariter in Patera unica Paternitas respectu omnium Filiorum; sic solum in Deo ponitur unus actus liber respectu omnium objectorum, quæ libere vult; & consequenter ex quo non terminetur ad fore Petri, dummodo terminetur ad non fore illius, idem formaliter permanet, & solum objectivè, & materialiter variatur, sicut solum objectivè, & materialiter variatur divina intellectio, ex quo terminetur ad possibilia, vel ad futura, sive ad existentia, & similiter operatio divina Omnipotentia, ex quo terminetur ad istas, vel illas creaturas, & Paternitas ad illos, vel illos Filios. Sed adhuc dices: in Deo datur actus volitionis, & nolitionis; sed isti sunt formaliter distincti, & si sint respectu ejusdem, sunt contrarii: ergo.

6 Respond. quod sicut divina intellectio, ut terminata ad possibilia, dicitur simplex intelligentia, & ut terminata ad existentia dicitur scientia visionis, eadem est formaliter scientia, ut terminata ad possibilia, & ad existentia: sic actus liber Dei, ut terminatus ad fore dicitur voluntio, & ut terminatus ad non fore dicitur nolitio; idem tamen formaliter actus est, sive terminetur ad fore, sive ad non fore, & solum objectivè, seu denominativè distinctus.

7 Tandem dices: hinc sequi actum Dei liberum formaliter esse indefectibilem, & consequenter formaliter esse necessarium. Resp. sequi esse necessarium sicut, & indefectibilem formaliter quantum ad terminationem, seu mutationem ad fore, vel non fore indeterminatè sumptam, non verò sumptam determinatè: licet enim non potuerit non terminari ad fore, vel ad non fore, potuit tamen non terminari determinatè ad fore, sicut & non terminari determinate ad non fore. Defactò enim terminatus fuit ad fore Petri, & potuit non terminari ad illud, sed ad non fore illius; & defactò fuit terminatus ad non fore pari possibilis, & potuit non terminari ad illud, sed ad illius fore; non tamen non potuit non terminari ad illius fore, vel non fore, & hanc defectibilitatem, & non aliam admittimus in actu libero Dei.

8 Hinc, ut praecedenti dubio resolut. 8. notavimus, non in convenit in hac nostra sententia dicere actum liberum Dei superaddere actualitatem, & perfectionem supra actum necessarium, quo Deus se ipsum amat, virtualiterque ab eo distingui, utpote, in hoc modo dicendi, idem formaliter actus perseverat in Deo, sive mutet creaturas ad fore, sive ad non fore; & licet deficere posse quoad unam, vel alteram denominationem determinatè, videlicet quoad

mutare determinatè ad fore, quod est velle, vel determinatè ad non fore, quod est nolle, quoad unam tamè, vel alteram denominationem, neppè quoad velle, vel nolle, deficere non potest. Unde praedictus actus, quamvis necessarius, per ordinem ad denominationem, vel mutationem indeterminatè sumptā, distinguitur ab actu Dei necessario, quo Deus se ipsum amat: quia hujus objectum primariū est bonitas divina nullo habito respectu ad creaturas; illius autem objectū primarium est bonitas divina cum praedicto respectu. Et quidem actum Dei liberum superaddere actualitatem, & perfectionem supra actum necessarium, quo Deus se ipsum amat, satis mihi persuadetur, ex quo ei superaddit terminationem, quæ in suo formali, & explicito conceptu perfectionem, & actualitatem dicit, cum sit ultima actualitas divine libertatis, ut plures dixi.

9 Secundo etiam principaliter fundat. nostra resolut. namque exercitium per omissionē, seu suspensionem ab omni actu libero dicit in suo formalī conceptu imperfectionem: ergo tale exercitium divinę libertati repugnat. Probat. anteced. tale exercitium est carentia, & privatio melioris exercitij, nempe exercitij positivi, veri & vitalis, quale est ipsem actus liber; sed exercitium, quod est carentia, & privatio melioris exercitij, dicit in suo formalī conceptu imperfectionem: ergo. Maj. pat. & min. clare suadetur namque perfectione simpliciter simplex, quæ in suo formalī conceptu dicit perfectionem sine imperfectione, definitur, quod est, quæ melior est ipsa, quam non ipsa: ergo exercitium, quod est carentia, & privatio melioris exercitij, in suo formalī conceptu dicit imperfectionem, cum eo ipso non sit melius ipsum, quam non ipsum. Confirmatur exercitium dumtaxat interpretativum, & inanimatum est exercitium in suo formalī conceptu dicens imperfectionem; sed exercitium per omissionē, & suspensionem ab omni actu libero est exercitium purè interpretativum, in quantum interpretatur divinum velle ita se habere erga non fore creaturarum, ac si positivè illud vellet; & similiter est inanimatum, cum vitale non sit, sed potius carentia actus vitalis: ergo.

10 Resp. Oxom. & Gonet, sicut ad precedens fundamentū: quod sicut actus liber Dei non superaddit actualitatem, & perfectionem supra actum Dei necessarium, sed solum terminationem ex suspensione ab omni actu libero Dei, non arguitur defectus alicuius perfectionis, & consequenter neque aliqua imperfectione. Sed contra semper instat nostrum fundamentum, & primum: namque licet actus liber Dei nullam addat actualitatem, & perfectionem supra actum illius necessarium, adhuc tamen suspensio ab om-

ni actu libero Dei est carentia, & privatio melioris exercitij, estque exercitium pure interpretativum, & inanimatum: ergo adhuc in suo formaliter conceptu dicit imperfectionem. Deinde licet aetius liber Dei nullam supra actum necessarium superaddat actualitatem, & perfectionem, haud dubium, quod ad Dei perfectionem pertineat; sed hoc sufficit, ut carentia, & privatio illius in suo formaliter conceptu dicat imperfectionem: ergo. Prob. min. ab exemplis: licet enim verum nullam superaddat actualitatem, & perfectionem entis; quia tamen ad perfectionem entis pertinet, carentia, & privatio illius in suo formaliter conceptu dicit imperfectionem. Similiter licet divina relatio nullam superaddat actualitatem, & perfectionem supra actualitatem, & perfectionem essentiae; quia tamen ad perfectionem essentiae pertinet, carentia illius in suo formaliter conceptu diceret in Deo imperfectionem, neque esset omnimoda perfectio in divinis, nisi ibi esset processio verbi, & amoris, ut tenet D. Thom. q. 8. de potentia art. 5. ad secundum, & pluribus alijs locis: ergo a simili, praecipue cum divina relatio solum implicit, & imbibat actualitatem, & perfectionem essentiae; & pariter verum actualitatem, & perfectionem entis; cum tamen actus Dei liber non possit non exprimere ipsam actualitatem, & perfectionem aetius necessarij, saltenti ut terminati ad creaturas.

12 Immò ex hoc tertio pracluditur praedicta evassio: namque licet actus Dei liber nullam addat actualitatem, & perfectionem supra actualitatem, & perfectionem actus necessarij, est tamen actus ipse necessarius, ut terminatus ad creaturas: ergo suspensio ab illo formaliter est privatio actualitatis actus necessarij, licet non secundum se, sed ut terminati ad creaturas; hoc autem sufficit, ut dicat in formaliter conceptu imperfectionem, ut patet in divinis processionibus, quia licet non addant actualitatem, & perfectionem supra actionem essentialiem, tribusque personis communem; quia tamen sunt ipsam actiones essentiales, ut terminatae ad Verbum, & Spiritum Sanctum; carentia, & privatio illiarum in suo formaliter conceptu dicit imperfectionem: ergo a simili.

13 Quartò est contra praedictam solutionem id, quod contra praedictos AA. argumentabatur dubio praecedenti resolut. 6. quod licet actus liber Dei nullam addat actualitatem, & perfectionem supra actualitatem, & perfectionem actus necessarij; defectus tamen illius formaliter esset defectus, & carentia alicuius perfectionis, & actualitatis, quia nempè defectibile sunt, & contingens est, quod potest esse, & non esse, & consequenter implicat esse formaliter

defectibile, & contingens, quin sit defectibile, & contingens secundum esse, tunc, quia necessarium est, quod non potest non esse, implicat aliquid esse necessarium, & non esse necessarium secundum esse. Cujus ratio à priori, ut ibi diximus, est: quia verbum substantivum non appellat conceptus rerum explicitos, sed quidquid significat, significat, ut est, aliter posset significari illud principium: *Idem non potest simul esse, & non esse*, quia posset esse secundum unum conceptum, & non secundum alium. Immò in hac sententia omissionis actus, & actus ipse opponuntur contradictioni: aliter divina voluntas non esset libera libertate contradictionis, ut ipsis affirmant; oppositio autem contradictionis est inter esse, & non esse. Quod & potest etiam explanari exemplis allatis: hac enim ratione defectus, & carentia veri, sicut & divinitate relationis, est carentia, & defectus alicuius actualitatis, & perfectionis, quamvis nec verum supra ens, neque divina relatio supra essentiam, perfectionem, & actualitatem superaddat. Tandem contra praedictam solutionem potest negari, quod actus liber Dei nullam superaddat actualitatem, & perfectionem supra actum necessarium, quod Deus se ipsum amat, ut patet ex dictis in primo fundamento.

14 Tertiò fundator nostra resolut. namque divinus intellectus non potest carere omni positiva terminatione erga fore, vel non fore creaturarum: ergo neque divina voluntas. Antecedat. pat. alias divinus intellectus posset non cognoscere, quia creatura futurę sint, vel non. Conseq. autem probat. namque si divina voluntas posset manere suspensa erga fore, vel non fore creaturarum, intellectus divinus non posset non carere omni positiva terminatione erga illud fore, vel non fore: si ergo intellectus divinus carere non potest omni positiva terminatione erga illud fore, vel non fore, pariter neque divina voluntas. Prob. maj. 1. namque cum cognitione positivae futuritionis, vel non futuritionis creaturarum sit libera, non potest non divinus intellectus in eam moveri virtualiter quoad exercitium à divina voluntate; sed divina voluntas per puram suspensionem ab omni actu libero erga fore, vel non fore creaturarum movere non potest divinum intellectum, ut patet: ergo. Secundò, divinus intellectus non cognoscit, neque cognoscere potest futuritionem, vel non futuritionem creaturarum in alio medio, quam in decreto libero divinitatis voluntatis: ergo cum omissionem omnis decreti liberi impossibile est, quod divinus intellectus cognoscat futuritionem, vel non futuritionem creaturarum.

Dices

15 Dices cum predictis Authoribus, quod quamvis divina voluntas non se determinasset circa futuritionem, vel non futuritionem aliquarum rerum possibilium; hoc tamen non impediret, quod certò Deus cognosceret illas non esse futuras; nam licet, ut Deus cognoscat aliquid esse futurum, requiratur, quod divina voluntas habeat decretum positivum de illius futuritione; ut tamen cognoscat aliquid non esse futurum, sufficit, quod de illius futuritione nullum habeat decretum. Unde in negatione decreti de futuritione rei posset Deus cognoscere illius non futuritionem. Quod patefit ex eo, quod, sicut se habeat concursus Dei ad extra in ordine ad existentiam rerum, ita se habet ejus decretum in ordine ad illarum futuritionem; ad negationem autem existentia alicujus rei non requiritur concursus Divinæ Omnipotencie, sed sufficit concursus negatio: ergo similiter ad non futuritionem illius nullum requiritur positivum decretum, sed sufficit libera ejus negatio, seu libera voluntatis suspensio.

16 Sed contra hanc solutionem instat primum, quod divina voluntas per negationem decreti nequit movere divinum intellectum ad cognitionem liberam non futuritionis, ut diximus, utpote unumquodque movet, in quantum est in actu. Deinde casu, quod divina voluntas non se determinasset circa futuritionem, vel non futuritionem creaturarum, creature neque essent futurae, neque non futurae, positivè loquendo: ergo neque divinus intellectus cognosceret illarum futuritionem, vel non futuritionem positivam; negativa autem non futuritio non distinguitur à possibiliitate creaturarum, unde Deum cognoscere creature, ut negativè non futuras, est solum eas cognoscere, ut possibles, quæ cognitio necessaria est, & non libera, neque eas prout sic cognoscere potest in medio aliquo libero etiam negativo, sed solum in sua essentia, taliquam in causa, ut ipsi fatentur. Neque id, quod additur, oppositum convincit: concursus enim Dei ad extra non est indifferens ad existentiam rei, & negationem illius, sed determinatum ad existentiam: unde negatio existentia terminare non potest divinum concursum, sed potius divini concursus negatio est. Decretum autem Dei indifferens est ad rei futuritionem, vel non futuritionem: aliter non posset Deus; positivè decernere non futuritionem alicujus; & sic non futuritio non consistit in negatione decreti, sed potius si sit positiva, illud exposcit, aliter erit pure negativa, & quæ nullo modo extrahit rem ab statu possibilitas, cuius proinde cognitio non erit libera, sed necessaria.

*Objiciuntur, & solvantur argumenta.*

17 **S**ed contra nostram resolut. objicies

i. authoritatem Div. Thom. hic art. 10. ad 2. ubi ait: *Deum ad opposita se habere, in quantum velle potest hoc esse, vel non esse, scilicet & nos, non peccando, possumus velle sedere, vel non sedere; sed nos possumus velle non sedere per liberam suspensionem omnis actus, ut nanc supponimus: ergo & Deus per liberam suspensionem omnis actus potest non velle futuritionem rerum.* Resp. quod aliud est Deum posse velle hoc non esse, & aliud Deum posse non velle hoc esse; primum enim pertinet ad libertatem contrarietas, que in indifferentia ad velle hoc, & velle oppositum consistit; secundum verò pertinet ad libertatem contradictionis, que consistit in indifferentia ad velle, & non velle. Igitur Div. Thom. non ait Deum ira se habere ad opposita, quod possit non velle hoc esse, sed ita, quod possit velle hoc non esse, sicut nos possumus velle non sedere, & sic minor sub sumpta est propositio nullam habens connexionem cum majori Divi Thom. & sic concessa majori, & minori, negatur conseq.

18 Secundò objicies: Pro priori, quo Spiritus Sanctus procedit, divina voluntas intelligitur suspensta ab omni actu libero, siquidem pro illo priori non intelligitur terminata ad fore, vel non fore creaturarum, aliter Spiritus Sanctus ex illarum amore procederet, contra doctrinam omnium Thomistarum: non ergo praedita suspensio divinæ voluntati repugnat.

19 Resp. illam suspensionem esse pure negativam, non positivam: namque haec est carentia actus pro priori, quo potest actus haberi; cum tamè actus necessarius, qualis est amor, ex quo procedit Spiritus Sanctus, non possit non procedere pro aliquo priori actu liberum terminatum ad creaturas, consequenter pro illo eodem priori divina voluntas incapax est exercendi actu liberū erga fore, vel non fore creaturarum, & sic suspensio ab omni actu libero pro illo priori est pure negativa, non verò positiva, quæ sola est exercitium libertatis.

20 Tertiò objicies: otiosum videri, & superfluum fingere in Deo infinita decreta conditionata circa infinitas combinationes possibiles, quarum plures videntur absurdæ, & negatoriae: sicut quod in Deo sit decretum positivum, & actuale, quo positivè velit, & determinet, quod si capra saltet, arbor non florebit, vel si gallus canteret, turca non convertetur, & circa similia humanæ mentis deliria; omnia enim hujusmodi decreta otiosa videntur, & superflua, cum ad nullum

nullum finem deservire possint, conveniens ergo videtur dicendum, voluntatem Divinam circa hujusmodi combinationes, & futura disposita mansisse suspensam, & habuisse circa illa dumtaxat decretum negativum, seu liberam decreti negationem, in qua certe cognoscatur illa non esse futura.

21 Sed in primis hoc argumentum intendit probare praedicta decreta esse omnino repugnantia, cum tamen nulla sit terminorum implicatio, neque repugnantiam ex parte objectorum. Deinde quis unquam doctor intellectum divinum otiositatis notaverit in cognitione omnium illorum futurorum? Cum ergo divina voluntas non minus infinita sit, quam divinus intellectus, non minus etiam attinget combinaciones omnes conditionatas disparatas, quamvis apud nos ridiculas. Tandem praedicta decreta non esse otiosa probant Thomistæ: tum quia sunt necessaria, ut in eis tanquam in medio Deus omnia praedicta futura cognoscatur: tum quia sunt necessaria, ut Deus erga illa exerceat suam libertatem modo perfectissimo, positivo tempore, & vitali, ut patet ex dictis.

22 Sed dics, quidquid Deus decernit, debet cadere sub certa illius intentione; sed infinitæ illæ combinaciones nequeunt cadere sub certa Dei intentione: namque Div. Thom. 1. p. quæst. 7. art. 4. probat non posse dari infinitum in actu secundum multitudinem, quia infinitum non potest cadere sub certa intentione creatis: ergo. Sed respond. Div. Thom. solum probat non posse dari infinitum in actu secundum multitudinem, quia omnis multitudo in rerum natura existens est creata, & omne creatum sub certa intentione creantis comprehenditur, non enim in vanum agens aliquid operatur: ac proinde solum ex verbis Div. Thom. colligi potest, quod infinita simili existentia non possum cadere sub certa intentione creantis; non vero quando sunt infinita non simili existentia, sed successivè, alias neque haberet Deus decreta circa omnia futura absoluta, cum infinita, ut sunt omnes operationes, & cognitiones, quas habebunt beatiti, & dannati per totam æternitatem.

23 Quarto objicies: absque ulla imperfectione potuit Dei Omnipotentia à proprio exercitio creationis manere suspensa, & similiter potuit manere suspensa divina misericordia ab exercitio misericordi, & divina justitia ab exercitio puniendo, vel premiendo: ergo etiam divina voluntas, ut libera est, potuit absque ultra imperfectione manere suspensa ab exercitio volendi. Anteced. patet casu, quod Deus nihil produxit ad extra. Conseq. vero prob. namque eo ipso suspensio ab omni exercitio positi-

vo nullam dicit in suo conceptu formali imperfectionem, aliter nedum Divinæ voluntati, verum, & omnibus virtutibus Divinis repugnat,

24 Sed hoc argum. urget in sententia assertentem omnipotentiam esse attributum adequate distinctum ab intellectu, & voluntate; non vero in sententia Thomistarum, in qua Dei omnipotentia est ipsem intellectus, & voluntas, utpote in hac sententia non arguitur carentia alicuius perfectionis, ex quo omnipotentia maneat suspensa à proprio exercitio producendi, siquidem solum sequitur, quod divina voluntas caret illo exercitio, à quo denominatur omnipotentia, nempe terminatione ad esse creaturarum. Ut autem supra diximus, idem formaliter est actus divinæ voluntatis, sive terminetur ad esse, sive ad non esse creaturarum, & sic si semel terminatur positive ad non esse, quamvis non terminetur positive ad esse, non sequitur carentia alicuius actualitatis, vel perfectionis, sed sequeretur casu, quod careret omni positiva terminatione. Et idem dicimus de divina justitia, & misericordia, quæ, in omnium sententia, sunt actus divinæ voluntatis; ac proinde ex illorum exercitorum carentia solum sequitur, divinam voluntatem carere positiva terminatione ad esse sub elevationis miseria aliena, à qua denominatur misericordia, & tribuendi unicuique, quod suum est, à qua denominatur justitia; non tamen carere perfectione aliqua, siquidem non careret positiva terminatione ad oppositum, quæ formaliter est eadem, & ejusdem perfectionis.

25 Ultimò objicies: Licet repugnet divinam voluntatem manere suspensa erga fore, vel non fore creaturarum per omissionem omnis actus; non tamen repugnat eam manere suspensa per actum volentem positivè ipsam suspensionem ad fore, vel non fore creaturarum: ergo absolute loquendo, quod divina voluntas suspensa maneat erga fore, vel non fore creaturarum, nullam dicit in suo formalis conceptu imperfectionem. Cof. patet, & antec. prob. nam licet illa suspensio per se non possit esse volita, potest tamen à divino intellectu judicari convenientis, & amabilis ratione alterius, nimirum, exercitij divini voluntatis, vel ob alia motiva, in quo implicatio non est. Et potest exemplificari in permissione peccati, quæ in prædestinationis est effectus prædestinationis ipsorum volita à Deo ratione majoris boni eorum, ut refert communis Theolog. opinio; sed permisso peccati est suspensio gratiæ requisitæ ad non peccandum: ergo.

26 Hac via noster Lezana conatur conciliare sententiam assertentem, divinam voluntatem potuisse manere suspensa ab omni positi-

va terminatione ad fore, vel non fore creaturarum, cum sententia afferente non potuisse manere suspensam ab omni actu libero. Et respondentis aliqui ex Thomistis negando Deum posse velle praedictam suspensionem, quia haec, juxta dicta, includit in suo formalī conceptū imperfectionem, nemp̄ carentiam melioris exercitij erga fore, vel non fore creaturarum. Quod & confirmari potest, ex quo intellectui divino ne- dum repugnat suspensio per omissionem omnis positivæ terminatis circa fore, vel non fore crea- turarum, verum & per cognitionēi prædicta suspensionis: ergo à simili. Sed contra hanc so- lutionem potest non leviter argumentari ex di- citis, siquidem in eo casu, licet divina voluntas careret omni positiva terminatione erga fore, vel non fore creaturarum, non tamen careret absolute omni positiva terminatione: siquidem non careret positiva terminatione erga suspensionem ipsam: ergo neque careret perfectione aliqua, vel actualitate, quipp̄ ut diximus, ille actus est idem formaliter cum actu positivæ ter- minatum ad fore, vel non fore creaturarum: quia divina voluntas sub eadem ratione vult omnia, quae liberè vult; qua etiam ratione non careret perfectione aliqua, vel actualitate, licet careret omni positiva terminatione erga esse creatura- rum, à qua denominatur omnipotētia, quia es- set in ea altera positiva terminatio ad non esse illarum: ergo praeditus actus erga suspensionem circa fore, vel non fore creaturarum, aliquam in suo formalī conceptū includeret imperfectionem, & ita non est, cur Deo repugnans possit.

27 Melius ergo respond. illum actum, quo Deus vult prædictam suspensionem repugnare non ex allato capite, quia nemp̄ careret divi- na voluntas in eo casu perfectione aliqua, vel a- ctualitate; sed quia praeditus actus involuit con- tradictoria simul. Quod patet ex eo, quod Deus velle positivæ suspensionem erga fore crea- turarum, est positivæ velle ipsum non fore crea- turarum: ergo implicitorum est Deus pos- se velle positive suspensionem erga fore, vel non fore creaturarum; siquidem jam tunc positive vellet, & non vellet, non fore creaturarum, vel- let quia positive vellet suspensionem erga fore, & non vellet, quia positive vellet suspensionem erga non fore. Quod autem velle positive sus- pensionem erga fore, sit velle positive ipsum non fore, probat, exemplo allato: namque Deū positi- vè velle suspensionem erga gratiam effica- cem requisitam ad non peccandum, est Deus velle positive substrahere prædictam gratiam, seu gratiam non conferre, undē in predicto ac- tu permisso activa peccati, juxta thomistas, consilium. Similiter Deus positivè velle omission-

nem electionis aliquorum ad gloriam, non est aliud quam positivè velle non eis tribuere glo- riam, hinc reprobatio negativa, quæ in exclu- sione à gloria in ratione doni indebiti constituit, ponitur à Thomistis non in omissione electio- nis ad gloriam, ut ponit Scotus, sed in volun- tate efficaci, & positiva non conferendi gloriam à simili ergo.

28 Dices, Deum velle positivæ suspensi- nem gratiæ efficacis esse positive non illam con- ferre indirecte, non vero directe, & idem est de alio exemplo. Sed contra est: namque, juxta Tho- mistas, in voluntate positiva suspensionis gratiæ permisso activa peccati consilium; at juxta Thomistas, permisso activa peccati est actus, quo Deus vult positivæ substrahere gratiam efficacem, scilicet illam non conferre: ergo Deum positivæ velle suspensionem gratiæ efficacis, est nedum indi- recte, sed etiam directe velle non conferre gra- tiā efficacem. Similiter, juxta Thomistas, in volunterate positiva omissionis electionis aliquorum ad gloriam consilium reprobatio negativa; at reproba- tio negativa etiam juxta Thomistas est actus, quo Deus positivæ vult eis non conferre gloriam: ergo Deum velle positivæ omissionem electionis aliquorum ad gloriam est nedum in- directe, sed etiam directe velle eis positivæ non conferre gloriam, & consequenter Deus posi- tivæ velle suspensionem erga fore creaturarum erit etiam positivæ velle non fore creaturarum. Ex quibus patet ad exemplum, concedendo Deū positi- vè posse, & defacto velle suspensionem gratiæ efficacis, quia ex hoc non sequitur velle, & non velle gratiam efficacem; cum tamen ex quo vellit positivæ suspensionem erga fore, & non fore creaturarum, sequatur velle, & non velle positivæ ipsum non fore, quod implicitorum est.

29 Quod si admitatur, Deus posse velle positivæ suspensionem circa fore, vel non fore crea- turarum, ut potest illa suspensio est Deo libera: hinc validissimè nostra resol. roboratur con- tra sententiam afferentem, divinam voluntatem potuisse manere suspensam erga omnem positi- vam liberam terminationem; namque tunc sic argumentor: ergo potuit divina voluntas mané- re suspensa nedum circa fore, vel non fore crea- turarum, verum, & erga suspensionem ipsam circa fore, vel non fore creaturarum, & sic ma- neret suspensa, juxta sententiam oppositam; at haec suspensio est Deo prorsus impossibilis: ergo saltem divina voluntas non potuit manere sus- pensa ab omni positiva libera terminatione, nemp̄ circa suspensionem ipsam. Major patet, namque divina voluntas potuit juxta sententiam contrariam manere suspensa erga omne illud,

quod

quod positive libere velle potuit; sed velle potuit positive ipsam suspensionem circa fore, vel non fore creaturarum, ut suponimus: ergo eam non velle positivè, esset erga eam manere suspensam, sicut esset manere suspensam circa fore, vel non fore creaturarum, non velle positive ipsum fore, vel non fore illarum. Minor verò aperite ostenditur, namque tunc casus verificarentur pariter de divina voluntate duo contradictiones: ergo prædicta suspensio est Deo prorsus impossibilis. Conseq. patet, & anteced. prob. namque tunc causis verificaretur de divina voluntate, quod esset suspensa erga fore, vel non fore creaturarum, aliunde de illa verificaretur, quod non esset suspensa circa fore, vel non fore creaturarum: ergo verificaretur de divina voluntate duo contradictiones. Conseq. patet, & anteced. quoad primam partem supponitur. Quoad secundam probat. namque tunc divina voluntas maneret suspensa erga suspensionem circa fore, vel non fore creaturarum; sed hoc est non manere suspensam circa fore, vel non fore creaturarum: ergo tunc non maneret suspensa circa fore, vel non fore creaturatum. Patet minor, utpote suspensio divinae voluntatis erga aliquod objectum, infert carentiam illius, sicut suspensio circa fore, vel non fore creaturarum infert carentiam ipsius fore, vel non fore illarum. Suspensio ergo divinae voluntatis erga suspensionem circa fore, vel non fore creaturarum infert carentia suspensionis circa fore, vel non fore illarum. Unde tandem infert nec divinam voluntatem posse positive velle suspensionem circa fore, vel non fore creaturarum, nec posse manere suspensam erga illam: quippè ex utraque parte sequuntur duo contradictiones. Unde arguitur talis suspensionem circa fore, vel non fore creaturarum esse chimericam, & divina voluntati repugnantem. Sic argumentatus fui in quoddam publico Gimnasio, nec solutionem intellexi.

## DUBIUM VI.

Et antonomasticum inter Doctores Societatis, & Thomistas.

*An Deus concurrat ad actus nostros liberos per decretum ab intrinseco indifferens, & inefficax, vel per decretum ab intrinseco efficax, & determinatum?*

*Ubi per tres resolutiones impugnatur decretum ab intrinseco indifferens: Fundatur efficacia ejus intrinseca: Concordatur libertas creatrix cum efficacia intrinseca divini decreti: Ac tādem argumentis Novissimorum Doctorum Societatis fit satis.*

1 **S**upposito, Deum simul, & immidante cum voluntate creata concurrere ad actus nostros liberos, ut omnes fatentur, Durando excepto, & liberum Dei concursus non posse non præcedere ex parte Dei decretum liberum, quo illum concursus velit, inquirunt theologi, an hoc decretum sit ab intrinseco indifferens, & inefficax, vel efficax, & determinatum? Quod pariter inquirunt de ipso divino concurso, & auxilio prævenienti, unde indifferenter de his loquemur. Cum enim per decretum præparet Deus concursus divinae omnipotentiae, si illud est indifferens, non potest non concursus, vel auxilium esse indifferens, vel si est efficax, & determinatum, non potest non ex se derivare concursus, & auxilium ex se, & ab intrinseco efficax, & determinatum.

2 **E**sse ab intrinseco indifferens, & inefficax tenent communiter Jesuitæ: quia aliter creatam libertatem componere cum divino decreto non possunt, utpote voluntas non potest actum à divina voluntate efficaciter prædefinitum omittere: Unde dicunt prædictum decretum esse indifferens ad utrumque libertatis extreum, quo Deus constituit sub nostra libertate suum concursus actualem, applicando omnipotentiam ad concurrentem cum nostra voluntate ad omnem illud, ad quod ipsa pro sua se verterit indifferencia. Hinc consequenter dicunt, quod tota determinatio hujus divini decreti est penes voluntatem humanam; siquidem humana voluntas pro libito suo potest hoc decretum indifferens determinare, ut potius ad consensum, quam ad dissensum, & etiam ad disensum, potius quam ad consensum divina omnipotentia concurrit.

3 Disident tamen in explicando tendentiam hujus decreti applicantis omnipotentiam,

præparantisque divinum illius concursus. Nāque aliqui docent consistere in hoc decreto: *Decerno, quod Petrus eliciat consensum præceptum, vel dissensum prohibitum.* Alij dicunt consistere in hoc decreto: *Volo concurrere cum creatura, si se determinaverit.* Nempe ad amorem, si se determinaverit ad amorem: vel ad odium, si se determinaverit ad odium. Alij dicunt consistere in hoc decreto: *Volo concurrere cum creatura ad quodcumque ipsa se determinaverit.* Alij dicunt consistere in hoc decreto: *Volo inefficaciter opus creature, efficaciter tamen nolo, quod fiat me non concurrente.* Alij dicunt consistere in decreto, quo Deus vult ne deficiat ex parte sua concursus ad actum liberum. Alij dicunt consistere in qualibet obligatione morali orta ex decreto, quo Deus se voluit obligare ad concurrendum cum causis secundis juxta illarum inclinationem, propensionem, & libertatem. Alij dicunt consistere in decreto: *Quo Deus vult semiefficaciter concurrere cum creatura ad actum bonum, & p[ro]p[ter]e inefficaciter ad actum malum.* Alij dicunt consistere in hoc decreto: *Volo, ut quatenus est ex me, non deficiat actus odij, ut iura libertatis non infrigam, quamvis actu vellem à voluntate non esse.* Ad amorem verò, & ejus omissionem, etiam instantे præcepto, hoc decreto: *Volo, ut quatenus est ex me, non deficiat omissione amoris Dei.* Alij dicunt consistere in decreto: *Quo Deus vult excludere quamlibet necessitatem positivam ad aliquid ex extremis libertatis.* Alij tandem dicunt consistere in decreto: *Quo Deus unice amat concursus ad actum bonum, & carentiam omnis impedimenti ad actum malum.* Omitto alios modos, quos ex cogitaverunt Doctores Societatis, & late referunt Pater Junius scđ. 7. cap. 2. qui vel dicunt omnipotentiam à Deo applicari per se ipsam, absque aliquo actu divina voluntatis; cum tamen præparatio divini concursus non pos sit non esse Deo libera, & voluntaria. Vel dicunt omnipotentiam applicari per volitionem principij remoti, vel per volitionem efficacem, vel inefficacem solum libertatis in actu primo. Quo in casu Deus non applicabit omnipotentiam immediate ad ponendum consensum, & multo minus per volitionem principij remoti, cum istud remotius se habeat ad consensum. Solum ergo loquimur in præsenti cum Authoribus constituentibus applicationem proximam, & immediatam divinæ omnipotentia ad consensum in decreto intrinsecè indifferenti; ita tamen, quod ex vi illius divina omnipotentia adeò maneat conexa, & conjuncta cum voluntate creata, ut hac operante, illa necessariò cooperetur, & concomitetur illius operationem, eo ferè modo, quo

voluntate operante super naturalem Dei dilectionem, habitus charitatis necesse est, ut etiam operetur.

4 Sententia tamen opposita, est omnium Thomistarum asserentium repugnare Deum per decretum indifferens concurrere ad actus nostros liberos; sed tale decretum esse ab intrinseco efficax, & prædeterminativum. Triplex ergo in præsenti dubio versatur difficultas: prima procedit erga indifferentiam intrinsecam divini decreti: secunda erga ejus intrinsecam efficaciam, tertia erga concordiam libertatis creatæ cum efficacia intrinseca divini decreti, & tandem objiciemus argumenta, quæ novissimè excogitata sunt à recentioribus Societatis.

### RESOLUTIO I.

*Repugnat Deum ad actus nostros liberos concurrere per decretum ab intrinseco indifferens.*

### FUNDAMENTUM I.

*Quo impugnantur omnes modis, quibus constituitur prædictum decretum.*

5 Undatur primò impugnando omnes prædictos modos, quibus adversarij ejus tendentiam definire, & explicare contendunt. Et quidem primus, qui est Patris Molinæ asserentis consistere in hoc actu: *Decerno, quod Petrus eliciat consensum præceptum, vel dissensum prohibitum.* Ab omnibus recentioribus Societatis rejicitur; namque illud decretum ex ipsis terminis divinam beatitudinem dedecere existimant, quia plane concedit Deum prosequi peccatum affectu disjunctivo.

6 Secundus verò modus, qui est Patris Suarez asserentis consistere in hoc decreto: *Volo concurrere cum creatura, si se determinaverit.* Nempe ad amorem, si se determinaverit ad amorem: vel ad odium, si se determinaverit ad odium; impugnatur primo, quia incidit in idem inconveniens, nam si Deus vellet concurrere cum creatura ad peccatum, si creatura se determinaverit ad illud, eo ipso vult inefficaciter, & conditionate existentiam peccati. Supposito ergo, quod Deus non vult, neque potest velle etiam inefficaciter peccatum, illud decretum est Deo impossibile. Prob. maj. Namque adhuc in istius Authoris sententia concursus divinus identificatur cum actu peccati, sicut & cum concursu creature: ergo per idem est Deum velle existentiam sui concursus in actu peccati, ac velle existentiam peccati.

7 Secundo : hujusmodi decretum , utpote contingens , & liberum non potest habere objectum necessarium ; sed predicto decreto , juxta hunc modum dicendi , assignatur objectum necessarium. Ergo . Pater minor , utpote concurrere Deum cum creatura ad amorem , si ipsa se determinet ad amorem , necessarium est ; aliter posset creatura sine Dei concurso se determinare , & amare. Immò tale decretum esset omnino inutile: inutile namque illud decretum , quo Deus paratur facere , quod non potest non facere. Ac tandem , ut dixi in hujus Authoris , & ceterorum sententia , concursus divinus , determinatio voluntatis , ejusque consensus identificantur : ergo per idem esset Deum dicere : *Volo concurrere cum creatura ad amorem , si ipsa concurrerit.* Ac dicere ; *volo concurrere cum creatura ad amorem , si ego concurrero ad amorem ;* quod decretum haud dubium , quod Deo dedecens sit.

8 Tertius modus aliorum afferentium consistere in hoc decreto: *Volo concurrere cum creatura , ad quocunque ipsa se determinaverit , sive bonum , sive malum.* Quo in sensu aliqui explicant precedentem sententiam P. Suarez , impugnatur primò ex eodem inconvenienti : quia si Deus disjunctivè veller concursum ad actum bonum , vel malum , eo ipso , quantum est ex se , veller existere alterum ex illis concursibus , proindeque vellet , quantum est ex se , existere actionem bonam , vel malam ; Deo autem reputnat velle , adhuc disjunctivè , existere actionem bonam , vel malam ; aliter cum voluntas disjunctiva adimplatur per positionem cuiuslibet ex extremis vagè amatis , jam voluntas Dei posset adimpleri per positionem actionis peccaminosæ ; quod absurdum est.

9 Deinde impugnatur : nam vel per illud decretum Deus vult omnia extrema libertatis , nempè tam contrarietatis , quam contradictionis , vel solum vult extrema contrarietatis ? Si hoc secundum : ergo Deus per hoc decretum nō vult omissionem liberam voluntatis etiam inefficaciter , & indifferentè , seu disjunctivè ; unde sequitur hanc esse omnino præter Dei intentionem , neque cadere sub illius providentia. Immò cum in illo casu , ut dicunt , tale decretum esset necessario connexum cum aliquo ex extremis positivis vagè , & indeterminate , voluntas creatura , supposito illo decreto , & in sensu composito illius , non posset libere omittere. Si verò dicatur primum : sequitur illud decretum non esse , quo Deus vult determinatè concurrere cum creatura , sed quo indifferentè vult concurrere , vel non concurrere ; concursus enim Dei identificatur solum cum extremo positivo.

10 Propter hoc alij afferunt predictum de-

cretum esse : *Quo Deus vult indifferentè concurrere , vel non concurrere cum creatura.* Sed sanè hoc decretum non est applicatio Omnipotentie ; namque hæc solum applicatur ad concursum , non ad parentiam concursus. Deinde predictum decretum non potest esse contingēs , & liberum , sed necessarium ; sicut & objectum predictum necessarium est : est enim necessarium Deum concurrere , vel non concurrere cum creatura.

11 Sed dices , quod licet decretum illud sic necessarium per comparationem ad concurrere , vel non concurrere vagè , & indeterminate ; est tamè contingens per ordinem ad concurrere determinatè , vel ad determinatè non concurrere. Cujus potest ponи exemplum in nostra doctrina juxta dicenda de constitutivo decreti liberi Dei : ibi enim dicimus , quod in sententia , quod divina voluntas non potuit manere suspēsa , non inconvenit admittere actum Dei librum , adquātè virtualiter distinguī ab actu Dei necessario : namque , licet tunc decretum Dei per comparationem ad fore creaturarum determinatè , vel determinatè ad non fore esset defēcibile , & contingens , esset tamen necessarium , & indefēcibile per comparationem ad fore , vel nō fore vagè , & determinatè . Stat ergo decretum Dei esse necessarium erga concurrere , vel non concurrere vagè , & indeterminate , & esse liberum , & contingens erga utrumque illud extrema determinatè .

12 Sed contra est. Nam in illo casu omnes admittunt Deum velle determinate fore præ nō fore creaturarum , vel vice versa non fore præ fore. Et sic quid mirum , quod decretum illud sit defēcibile , & contingens per comparationem ad fore determinatè , vel determinatè ad non fore ; sicut enim voluit determinatè fore , potuit velle determinatè non fore. In nostro tamen casu Deus per decretum illud indifferentes , neque vult determinate concurrere , neque determinatè non concurrere , sed indifferenter concurrere , vel non concurrere ; ac proinde solum vult ea extrema sub disjunctione vaga , quæ , quia est inter extrema contradictoria , non potest non esse necessaria.

13 Quartus modus aliorum afferentium consistere in hoc decreto: *Volo inefficaciter opus creaturæ ; efficaciter tamen nolo , quod fiat me non concurrente , etiam impugnatur , & quidem prima pars : namque vel Deus vult inefficaciter solum opus bonum creaturæ , vel etiam malum ? Si hoc secundum : sequitur idem inconvenientis , quod in precedentibus modis. Si verò primum : Hic modus non explicat tendentiam , & applicationem , qua Omnipotentia preparatur ad con-*

currēdū cum creatura ad peccatum. Secunda verò pars impugnatur etiā ex quo ponit in Deo decretum de eo, quod non fiat id, quod impossibile est fieri; est enim impossibile creaturem operari sine concurso Dei, quod est ridiculum.

14 Quintus modus afferentium consistere in decreto, quo Deus vult ne deficiat ex parte sua concursus ad actum liberum, impugnatur ex eo, quod explicat idem per idem: ut potè per idē est dicere Deum velle ne deficiat ex parte sua concursus ad actum liberum, ac velle Omnipotentiā applicare ad concurrendum cum creatura ad actum liberum; de cuius applicatione, & præparatione in præsenti inquirimus, in quo consistat?

15 Nisi forte hic modus dicendi coincidat cum quinto modo, quem sequitur Alarcon de Scientia Dei, disp. 5. cap. 8. afferens prædictam applicationem Omnipotentię consistere in quādā obligatione morali ortā ex decreto, quo Deus se voluit obligare ad concurrendum cum causis secundis juxta illarum inclinationem, propensionem, & libertatem. Quod decretum, ait, esse efficax; namque ex illo oritur aliud decretum, quo Deus hic, & nunc concurrit cum causa secunda ad suos effectus. Quod secundum decretum includitur in promissione Dei, & est quasi indifferens, quo in actu 1. applicatur Omnipotentia ad amorem, & odium cum subordinatione ad voluntatem creatam, in cuius potestate, & non Dei est amor, vel odium, supposito decreto.

16 Sed iste modus impugnatur 1. ex dictis: namque tandem reducit applicationem Omnipotentię ad decretum indifferēs, quo applicatur Omnipotentia ad quodcumque voluntas creata se determinaverit, sive bonum, sive malum. Secundò nām de illo decreto, quo libere se obligavit, inquiro, quod habet cōnotatum? Namque non est amor determinatè, non determinatè odium, non unum, vel aliud vague; ut potè tale cōnotatum debet esse aliquid, quod in rerum natura existat; decretum enim existere nequit non existente ejus cōnotato; illud autem disjunctum in rerum natura existere non potest, nām in rerū natura, vel est amor determinatè, vel determinatè odium: chimericum ergò est illud decretum. Qua ratione iste author rejicit decretum conditionatum P. Suarez, & indifferens aliorum: quia ut existat amor determinatè præ odio, tam decretum conditionatum, quam indifferens absolutum insufficiens est.

17 Secundò: quia supposito primo decreto, illud secundum omnino est inutile, namque posito decreto, quo Deus se obligat ad concurrendum cum creatura, juxta illius libertatem, eo ipso, manet Deus determinatus, divinaque Ome-

M. Carrasco.

nipotentia præparata, & applicata ad concurrendum cum secunda causa ad amorem, si ipsa se determinaverit ad amorem, vel ad odium, si ipsa se determinaverit ad odium.

18 Ac tandem rejicitur iste modus, ex quo applicationem Omnipotentię constituit in aliquo non necessario, ut Deus concurrat cum causa secunda, juxta illius libertatem: ut potè neque ad hoc est necessaria promissio, neque obligatio ex promissione orta; illudque secundum decretum pariter Deus habere poterit nulla promissione, vel obligatione præcedēte, ut videtur per se evidens. Dices, illud decretum esse necessarium, quia sine illo taliter Deus cōcurreret, quod posset non concurrere; quod inconveniens est. Sed non esse inconveniens patet ex quo taliter concurrere, quod posset non concurrere, pertinet ad illius dominium, sicut ad supremam potestatem supra causas secundas, & illarum operaciones, & effectus.

19 Sextus modus aliorum afferentium consistere in decreto, quo Deus vult semiefficaciter concurrere cum creatura ad actum bonum, & pure inefficaciter ad actum malum, impugnatur primò: quia hic modus non cohæret cum communi doctrina Societatis; quippè omnes uniformiter docent divinum decretum indifferens non determinari ex Dei voluntate, sed ex nostra; illa autem semiefficacia ad actum bonum, & non ad malum aliqua determinatio est, sicut si esset omnino efficax, esset omnino determinatum; cum ergò illa semiefficacia non sit à nostra voluntate, aliter in sensu composito illius non posset voluntas elicere actum malum, necessariò infertur, quod sit à Deo, & consequenter, quod prout à Deo exeat aliqualiter determinatum, neque omnis ejus determinatio sit à creatura.

20 Secundò: nam per illud decretum, ut dicunt, Deus subjicit, vel subordinat Omnipotentiā voluntati creatæ, ut ea utatur juxta suam libertatem, & indifferentiam: ergò illius indifferentia commensurari debet cum indifferentia voluntatis creatæ; at hęc non major est ad actum malum quam ad bonum, sed equalis ad utrumque; ergò & indifferentia decreti debet esse equalis ad actum malum, atque ad actum bonum; proindeq; respectu utriusque debet esse, vel semiefficax, vel inefficax. Immo vel per illud decretum Deus connatur voluntatem creatam potius elicere actum bonum, quam malum, vel non? Si hoc secundum: unde habet decretum illud, quod sit semiefficax respectu actus boni, & non respectu actus mali? Si primum: ergò per illud decretum non vult Deus concurrere juxta ipsius indifferentiam, & libertatem; namque ista aequa potest connari actum malum, sicut actum bo-

Dd

num;

num; sicut & æque indifferens est ad utrumque.

21 Tertio: per illud decretum, ut dicunt, Deus voluntatem creatam constituit proximè potentem, & expeditam ad exercitium suæ libertatis; at voluntas sic per divinum decretum constituta, & expedita non est magis potens, & expedita ad actum bonum, quam ad malum, sed æque expedita, & potens ad utrumque: ergò quia prædictum decretum non magis inclinat ad actum bonum, quam ad malum. Ac tandem prædictum decretum rejicitur, ex quo non renuit concedere Deum velle inefficaciter peccatum; unde juxta ipsos, infertur Deum absque ulla imperfectione posse illud velle efficaciter, si semel efficacia decreti non opponitur cum libertate, ut prædicti AA. permittunt, dum contra Thomistas probant prædeterminationem ad actum peccati facere Deum Authorum peccati.

22 Septimus modus asserens consistere in decreto hoc: *Volo, ut, quatenus est ex me, non deficiat actus odij, ut iura libertatis non infringā, quamvis actu vellem à voluntate non esse;* ad amorem vero, & ejus omissionem, etiam instantे præcepto: *Volo, ut, quantum est ex me, non deficiat omissionis amoris Dei;* quo in sensu explicat P. Oviedo primo physicorum, punto 40. y. 4. sententiam præcedētem, rejicitur ex dictis, & quidē prima pars: nām Deum velle, quod non deficiat odium, quantum est ex se, est velle, quantū est ex se, quod odium existat; ut potè idem est objectū non deficere, ac odium existere: idem ergò erit Deum velle, quantū est ex se, odium non deficere, ac velle, quantum est ex se, odium existere; & sic non vitat inconveniens, quod sententia præcedens vitare intendebat. Eodem modo refutatur quantum ad secundam partem; nām Deum velle, quantum est ex se, non deficere omissionē amoris Dei, etiam instantē præcepto, est velle, quantum est ex se, omissionem amoris Dei existere, etiam instantē præcepto, cum omissionem non deficere, sit omissionem existere, & sic etiam infertur Deum, quantum est ex se, velle omissionem peccaminosam.

23 Octavus modus asserens, *magis caute,* consistere in decreto, quo Deus vult excludere quamlibet necessitatem positivam ad aliquod ex extremis libertatis, quem alijs rejectis, sequitur primarius Complutensis Hertera de prædict. q. 8. sect. 3. num. 53. quo, & in hac tempestate Jesuitæ Complutenses insultant; ipsiusque explicat sic; Deus potest positivè necessitare ad amorem ponendo physicam qualitatem in voluntate connexam cum consensu, vel etiam concipiendo libere aliquod decretum efficax consensu omnino independens à consensu; cum enim sit necessitas illius, quod decernit, minimèque

consensui, aut dissentui subdatur, erit necessitas inevitabilis. Dicit ergò Omnipotentiam non indigere alta sui applicatione, quam exclusione, tu prædeterminationis, tum decreti efficacis ab illo extremo omnino independentis. Qui modus rejicitar primo, ex quo sequitur Deum pari modo, & absque ulla differentia applicare suā Omnipotentiam ad actum bonum, atque malum: si quidem, & utriusque pariter excludit necessitatem; unde vel utriusque debet dici author, vel utriusque pure permittor; & sic non vitat inconveniens, quod in ceteris modis, de quo infra dum ex professo provabimus hoc inconveniens sequi expositione decreti indifferentis, ubi hujus Authoris responsionem etiam ex professo impugnabimus.

24 Secundò, & non minùs urgenter impugnatur: Nām si per decretum excludens necessitatē ad aliquod ex extremis libertatis, sufficienter applicatur Omnipotētia ad concurrēdum cum creatura, sequitur etiam sufficientē applicari per parentiam decreti necessitatis, in sententia admittente putam omissionem liberam Deo; at hoc iste Author non admittit: ergò Probat sequela: namque in isto modo dicendi, ut voluntas libere se determinet ad aliquod ex extremis suæ libertatis, non aliam applicatiōnem Omnipotētiae exigit præter eam, quā omne excludit impedimentum; at per parentiam omnis decreti necessitatis omne prædictum excluditur impedimentum: ergò.

25 Hunc argumento non aliam adhibet solutionem iste Author, quam sub līte esse inter ipsos, in prædicta applicatio Omnipotētiae consistat in voluntate positiva, vel in pura parentia decreti. Addit tamen probabilius eis esse repugnare Deo puram omissionem liberam, quapropter exclusio decreti necessitatis erit aliud positivum decretum, quo siet Deum non negativè, sed positivè suam Omnipotentiam applicare. Sed in primis argumentum juxta hunc Authorum, convincit casu, quo esset Deo possibilis pura omissione libera, quod & esse probabile in Societatis schola fatetur.

26 Deinde: licet ita sit, quod Deus non possit necessitatē illam excludere per puram omissionem; hoc tamē est certum, applicationem Omnipotētiae per exclusionem prædictę necessitatis, non exigere illud decretum; namque hęc æque exhibetur, sive per hoc, quod Deus velit positivè omne impedimentum excludere ad aliquod ex extremis libertatis; sive per hoc, quod Deus non velit aliquod impedimentum adesse ad aliquod ex extremis libertatis. Unde si per possibile, vel impossibile Deus nullum haberet decretum erga prædictam exclusionem,

dummodo non habéret oppositum Omnipotētia, juxta hunc modum dicendi, manéret parata ad indifferentē concurrendum cum creatura sive ad bonum, sive ad malum; sicut hęc manéret expedita, sicut & non impedita ad indifferentē concurrendum ad bonum, & ad malum, sicut & adhuc actum, & ad illum. Quod declaratur exemplo omissionis adimptionis precepti, quæ, quia ex proprio, & formalī conceptu est carentia actus, esentialiter, & ex proprio formalī conceptu non petit, ut existat, actum voluntatis, licet ex alio capite, quia voluntati creatę pura omīssio libera possibilis non est, existere non possit absque actū, qui sit ejus causa, vel occasio. E contra tamen: quia applicatio potentiae exequitivae creatę in positivo actu voluntatis consistit, qui dicitur usus activus, talis applicatio nedum existere, verum neque intelligi potest absque prædicto actū.

27 Tandem impugnatur prædictus modus, ex quo licet applicationem Omnipotentiae constitutā in positivo decreto, quo Deus vult à voluntate creata omnem necessitatem, seu impedimentum excludere ad aliquod ex extremis libertatis; non tamen, quo Deus velit cum creatura concurrere, seu concorsum Omnipotentiae præparare ad concurrendum cum illa. Quod esse falsum sic ostenditur primo: namque vel est inconveniens Deum velle concurrere cum creatura ad actus liberos, vel non? Si hoc secundum: ut quid refugit concedere decretum applicativum Omnipotentie esse decretum, quo Deus nedum velit excludere necessitatem, verum & cum creatura concurrere? Näm, ut cæteri AA. dicunt, Deus potest velle concurrere cum voluntate juxta ipsius libertatem, & indifferentiam, proindeque nullum inferendo, seu inducendo impedimentum ad aliquod ex extremis libertatis.

28 Si autem sequitur aliquod inconveniens, erit illud commune: nempē, Deum velle concurrere ad actum malum; velle enim concurrere ad actum bonum, inconveniens non est. Immò ipse eatenū quæst. 8. de prædestin. fct. 1. n. 7. Deum constituit Authorem boni, non verò mali: quia in malum influit præter intentionem, in bonum verò influit juxta inclinationem propriam: ad minus ergo applicatio Omnipotentiae ad concurrendum cum creatura ad actus bonos debet fieri nedum per decretum excludendi necessitatem ad aliquod ex extremis libertatis; verum, & per positivam voluntatem concurrendi cum illa ad prædictos actus; aliter etiam cursus in actum bonum erit Deo involuntarius, & fortuitus, sicut & præter intentionem. An verò inconveniens sit Deum velle concurrere

ad actum malum, infra declarabimus.

29 Secundò: nám inde sequitur pariter necessarium non esse decretum, quo Deus præpararet Omnipotentiam ad concurrendum cum causa naturali, v.g. igne, volendo cum illa concurrere, & decernendo productionem effectus; sed sufficere Deum per positivum decretum excludere impedimentum ad illius operationē, nempe ad comburendum, quod credo prædictum Authorem non admisitum; est tamē certum cæteros hujus sententię sequaces illud non admittere. Sequela probatur à fortiori: nám si non obstante, quod voluntas sit libera, proindeque indifferentis, & non determinata ad aliquam operationem, Deus sufficienter applicat Omnipotentiam ad concurrendum cum illa per hoc, quod excludat omne impedimentum ad aliquod ex extremis libertatis, quanto melius poterit sic Deus applicare Omnipotentiam ad concurrendum cum igne, qui ex se determinatus est ad comburendum.

30 Confirmatur: cum illo decreto excludendi necessitatem, & impedimentum, ut ignis comburat, non potest componi carentia combustionis; namque hęc esse non potest ex determinatione ignis, qui liber non est ad cumburendum; neque ex determinatione Dei, qui in vi illius decreti supponitur volens non impediare operationem, seu combustionem. E contra: autem cum illo decreto excludendi necessitatem, & impedimentum, ut voluntas eliciat amorem, componitur carentia amoris: ergo potiori titulo intelligitur Omnipotentia applicata, & parata ad concurrendum cum causa naturali per illud decretum, quam ad concurrendum cum causa libera: Si ergo hoc non obstante illud decretum non est sufficiens parare, & applicare Omnipotentiam ad concurrendum cum causa naturali, à fortiori neque ad concurrendum cum causa libera. Explicatur amplius, ex eo posito illo decreto ex parte Dei, esset Omnipotentia sufficienter applicata ad concurrendum cum causa libera, quia hęc ex sua innata liberrate est indifferentis ad amorem, & odium, proindeque potens se determinare ad amorem præ odio, si non impediatur; at ignis ex sua natura est determinatus ad comburendum, si non impediatur: ergo potiori jure, ut comburat, non indiget nisi exclusione impedimenti.

31 Huic argumento, quod sibi non objicit Pater Herrera, cæteri Authores hujus sententiae sequaces respondent: quod, quia etiam si concedatur decretum, quo Deus velit positivè concurrere cum causa naturali, nullum sequitur inconveniens, & alias perfectiorem arguit providentiam erga operationes naturales

propterè tale decretum negandum non est. Si autem concedatur decretum , quo Deus velit positivè concurrere cum causa libera , sequitur inconveniens,nempè eversio libertatis; propterea que decretum tale admitti non potest respectu causæ liberae.

32 Sed melius dicerent inconveniens esse Deum aequæ volitum auctum bonum, & malum, & utriusque esse authorem, vel permissorem; namque eversio libertatis purè sequitur in eorum sententia ex decreto ab intrinseco efficaci , non verò ex decreto inefficaci, quo Deus solum vult indifferenter concurrere ad amorem , vel odium. Ex perfectione autem Divina Providentie, quæ erga res naturales est cum illo decreto, potius arguitur simile decretum fore erga causas liberas; utpotè creatura, quo perfectior est, perfectiorem exigit providentiam in Deo; undè Philosophus in i. hætinicor. docet, quod Deus magis curat de his, quæ delegant illum. Et D. Tho. 3. contra Gétes, cap. 64. ratione 9. & cap. 89. & 90. ex majori perfectione substantiarum intellectualium probat electiones humanas, & actus liberos potiori jure subjici Divina Providentie , quam operationes naturales.

33 Nonus modus afferens, non minus cautè, consistere in decreto : *Quo Deus unicè amat concursum ad actum bonum, & carentiam omnis impedimenti ad actum malum; ita tamèn, ut in illum concursum solum tendat, quantù est ex se, & relinquendo ejus determinationem voluntati, in carentiam autem impedimentorum tendat efficaciter, eum indulendo: quem novissimè tenet R.R. Thysius Primar. Salmant. de Scientia Dei, disp. 11. fect. 2. n. 15. ea parte, qua negat Deum velle, & amare sui concursum in peccatum, impugnabit latè infra. Quoad præfens tamen impugnatur ex dictis contra modum præcedentem namque non explicat sufficienter applicationem Omnipotentia ad concurrendum cum creatura in actum malum, utpotè hæc ultra carétiam impedimentorum, quæ aliquid negativum est, addit præparationē concursus, quæ est aliquid positivum. Et ad minus per decretum illius carentia non potest Omnipotentia positivè applicari, sed negativè solum. Immò si per carentiam omnis impedimenti ad actum malum sufficienter applicatur Omnipotentia ad concurrendum cum creatura ad actum malum , pariter sufficienter applicari poterit per carentiam omnis decreti necessitantis ad actum malum , nempè per carentiam omnis decreti efficacis, vel positivè voluntatis inducentis qualitatem, physicè prædeterminantem in sententia , quod est Deo possibilis pura omissione libera , quam iste author in præsenti admittit.*

## FUNDAMENTUM II.

*Ex implicantia determinationis divini concursus per electionem voluntatis create.*

34 **S**ecundo fundat. nos. resolut. namq

inexplicabile est , quomodo concutus divinus ex se , & ab intrinseco indifferentis, id est, quatenus à Deo oblatus, ut ipsi dicunt, determinetur per voluntatem creatam : chimericus ergò est prædictus concursus. Prob. anteced. primò: nám in eodem instanti , & pro eodem signo, quo concursus Dei est indifferentis , voluntas creata etiam est indifferentis ; & pariter in eodem instanti , & pro eodem signo, quo voluntas creata est determinata , etiam divinus concursus est determinatus ; sed voluntas creata non potest eum concursum determinare pro instanti , & signo , quo ipsa est indifferentis, neque pro instanti , & signo , quo divinus concursus est determinatus : est ergò inexplicabilis determinatio divini concursus per electionem voluntatis creatæ. Maj. pat. nám divinus concursus non est indifferentis, nisi quatenus à Deo oblatus, ut dicunt. Patet autem, quod prout sic præredit determinationem voluntatis creatæ , scilicet electionem illius: ergò pro illo signo adhuc est indifferentis voluntas creata. Pariter divinus concursus per electionem , & determinationem voluntatis creatæ transit de indifferenti ad determinatum , ut ipsi etiam dicunt: ergò in eodem signo , in quo voluntas creata est determinata , etiam divinus concursus est determinatus; min. etiam est manifesta: quippè in primis indifferentis, ut indifferentes, non potest determinare; immò voluntas creata non potest determinare divinum concursum, nisi se determinando , utpotè indivisibilitè, ut dicunt , se & divinum concursum determinat; deinde solum determinatur , quod est indifferentis; non verò determinatur, quod est jam determinatum: ergò pro signo, in quo divinus concursus est determinatus , nempè, pro signo determinationis creatæ, determinari non potest.

35 Confirmatur primò, & explicatur: namque adversarij fatentur actionem creaturæ ita indivisibilitè simultaneè procedere à Deo, & à creatura , ut neque pro priori naturæ intelligatur eam procedere à creatura absque concursu Dei: ergò pro priori, adhuc nature, quo creatura intelligitur concurrere in suam actionem liberam , intelligitur jam Deus concurrere ad illam; sed cum intelligitur Deus influere in actionem liberam , jam intelligitur ejus concursus determinatus ad illam actionem : ergò in illo, & pro illo signo non potest intelligi concursus Dei capax determinationis : vel ergò determi-

natur pro signo antecedenti operationem creatam, vel nullo modo; quod esse non posse patet, ex quo pro illo signo eque voluntas creata est indifferens, ac ipse divinus concursus.

36. Confirmatur 2. ut Deus indifferenter decernens concursum cum creature ad consensum, vel dissensum determinetur potius, ut concurrat ad consensum, quam ad dissensum, debet moveri ex ipsa determinatione creature; at ex hac moveri non potest ergo. Maj. pat. alias Deus ageret omnino à casu. Minor probat. primò: Näm Deus non potest moveri, ut potius concurrat ad consensum ex determinatione creature pro signo, in quo decernit indifferenter cum ea concurrere, sive ad consensum, sive ad dissensum, cum pro illo signo non sit determinatio creature; nec potest moveri pro signo operationis creature, seu determinationis illius, cum pro illo signo jām Deus operetur, & sit determinatus ad consensum præ dissensu: ergo non est signum, pro quo possit moveri. Secundò: nám, ut Deus moveatur ex determinatione creature, ut potius concurrat ad consensum, debet prius saltē ratione scire, & videre inclinationem, & determinationem creature ad consensum; alias Deus concurreret cæco modo; at non potest sic prius scire, & vide-re: ergo. Probat. min. Näm, ut prius saltē ratione videret, & sciret inclinationem, & determinationem creature ad consensum, oportet, & determinationem creature ad consensum præcedere ipsum consensum, & determinationem creature ad consensum esse absque concurso Dei determinato, cum pro illo priori concursus Dei determinatus non sit, cum potius expectet determinationem creature, ut eum determinatum exhibeat.

37. Nec valet, hoc ipsum scire Deum per scientiam medium: namque, cum objectum scienciarum media præsupponatur ad ipsam scientiam medium, & in objecto scientiarum media importentur conditionate hæc eadem determinatio, quæ est in statu absoluto, consequenter pro priori ad scientiam medium debet importari conditionatè scientia, quam dicimus requiri, ut Deus moveatur etiam conditionatè ad concurrentem cum creature ad consensum, potius quam ad dissensum. Unde hoc per scientiam medium Deus scire non potest, si semel illud scire non potest pro priori ad illam, de quo in sequentibus.

38. Aliter recentior Valentinus Societatis respondet: quod licet ante instans operationis tam prima causa, quam secunda sit indeterminata; & in instanti operationis utraque determinata sit; sed cum hac differentia, quod ante instans operationis causa secunda est indeterminata

nata omnino, causa verò prima per decretum indifferens est aliqualiter determinata, & ita, ut non relinquat ulteriorem determinationem ex parte sui, sed solum ex parte creature; hæc verò determinatio tribuitur à causa secunda in instanti operationis. Sed sane hoc est in summa dicere: quod licet utraque sit indifferens in eodem instanti, & utraque in eodem instanti determinata: quia prima est jām aliqualiter determinata, & secunda omnino indifferens, hæc potest primam determinare. Sed argumentum nostrum in suo manet robore, dum non assignat signum, vel instans in quo eam determinare possit; dato quod satisfaciat argumento, cur voluntas creata determinet potius voluntatem Dei, quam è contra voluntas Dei voluntatem creatam, cum utraque in eodem instanti indeterminata sit, & in eodem instanti utraque sit determinata; de quo in præsenti fundamento non curamus: Adhuc tamè prædicto argumento non satisfacere sit notum, ex quo potius, quia causa prima aliqualiter est determinata, & causa secunda est omnino indifferens, causa prima debet potius determinare causam secundam, quam è contra: quia causa quanto indifferenter est, longior est à determinatione alterius causæ.

39. Tertiò alij respondent, concursum Dei indifferenter oblatum determinari à voluntate creata pro signo antecedenti existentiam operationis; quia licet pro illo signo sit formaliter indifferens, est tamè virtualiter determinata; ita aliqui apud Arriagam, disp. 10. physicor. leet. 3. num. 74. Sed hæc solutio communiter à recentioribus deseritur; namque hæc determinatio, quam vocant virtualem, non est alia præter determinationem voluntatis in actu primo, quatenus scilicet continet in virtute determinationem ad consensum, sicut & determinationem ad dissensum: unde est ipsa virtus causativa, & contentiva utriusque determinationis formalis, proindeque est ipsa formalis indifferens ad utrumque. Quomodo ergo in vi istius determinationis potest divinus concursus determinari potius ad consensum, quam ad dissensum?

40. Item: vel illa determinatio virtualis se habet ex additione ad voluntatem in actu primo, vel non? Si hoc secundum: ergo est ipsa voluntas, ut formaliter indifferens. Si primum: item inquiro, vel illud, quod superaddit, est liberum, vel necessarium? Si hoc secundum: ergo tollit libertatem consensus. Si primum: ergo est exercitium liberum voluntatis: unde consequenter non est undè distinguatur à consensu, vel si ab illo distinguitur, consensus non est exercitium liberum, sed necessarium; cum illa determinatio infalibiliter illum inferat; undè totum exer-

citum liberum voluntatis salvabitur in illa determinatione.

41 Tandem: namque illa virtualis determinatio non potest mediare inter voluntatem in actu primo, & ipsum actum secundum: ergo vel est voluntas in actu primo, vel est ipse met actus secundus. Probat. antec. nam si mediaret, non dependeret à Deo sola dependentia voluntatis in actu primo, neque sola dependentia actus secundi, sed alia dependentia media inter utramque; at hoc dici non potest: ergo. Probat. min. nām tunc præter concursum Dei productivum voluntatis, & illius concursum productivum consensus deberet dari alter concursus productivus illius determinationis virtualis; at talis concursus assignabilis non est: ergo. Patet min. nām de illo concursu est eadem difficultas, undē Deus determinetur, ut potius concurrat ad determinationem virtualem consensus, quam ad determinationem virtualem dissensum; non quidem per consensum, utpote illum antec. non per voluntatem, ut formaliter indifferentem, aliter posset etiam per eam, ut sic determinari ad consensum: ergo vel talis concursus non est, consequenterque illa determinatio virtualis non dependet à Deo, vel Deus ad illam se determinat.

42 Quartò alij resp. prædictum Dei concursum indifferenter oblatum determinari à nostra voluntate pro signo antecedenti existentiam operationis per quandam negativam ipsius determinationem, nempe, quatenus sinit se moveri ab objecto, & non induratur, aut resistit. Ita Belarminus, lib. 4. de Gratia, cap. 16. sed hēc solutio easdem patitur difficultates, ac præcedens; nam illa negativa determinatio, seu positiva non resistētia antec. ipsum consensum, vel dissensum, vel est pura omissio libera voluntatis, vel non distinguitur ab ipsa voluntate in actu 1. ac proinde ipsam relinquit omnino indifferentem: non ergo ex illa determinari potest divinus concursus. Conseq. pat. nām pura omissio, cum nihil sit, utpote carentia omnis actus, determinare non potest divinum concursum: item neque ab ipsa voluntate prout in actu primo determinari potest. Anteced. autem prob. namque illa negativa determinatio, vel non resistētia antec. actum secundum, vel est libere à voluntate, vel non? Si hoc secundum: erit voluntas in actu primo, quippe hēc sic dicitur, quia antecedit omne illius liberum exercitium. Si primum: erit pura omissio, utpote absque omni actu voluntatis: ergo.

43 Ulterius illa negativa determinatio, seu non resistētia voluntatis, vel importat solum negationem consensus, & non inclinationem ad

dissensum vel importat aliquam inclinationem, ratione cuius magis appropinquat ad consensum, & magis remota est à dissensum? Si primū: nihil importat, ratione cuius possit determinare divinum concursum: tum, quia hic non potest determinari per puram negationem: tum quia illa duplex negatio verificatur de voluntate etiā in actu primo. Si vero secundum: jam non est negativa determinatio, sed simplicitè positiva est, sicut inclinatio illa simplicitè positiva est.

44 Tandem: nam vel cum illa negativa determinatione manet voluntas indifferens ad consensum, & dissensum; vel manet ita determinata ad consensum, ut in sensu composito illius non possit volūtas elicere dissensum? Si primum: ergo ita se habet voluntas cum illa determinatione, ac si esset in actu primo ad utrumque indifferens. Si secundum: ergo prædicta determinatio tollit libertatem ad consensum, quia, juxta principia scientiæ mediæ, omnis suppositio antec. actum connexa infallibiliter cum actu tollit libertatem ab actu: unde vel ad summum tota libertas erit in illa determinatione, non vero in consensu.

45 Quintò alij resp. divinum concursum determinari per voluntatem creatam pro signo antecedenti existentiam suæ operationis, per hoc, quod Deus ab ea auferat omnia impedimenta ad agendum; namque, cum Deus possit omnia agentia creata impediare, ne agant: eo ipso, quod non vult impediare potentiam creatam, intelligitur sufficienter velle illa applicari suam Omnipotentiam. Ita Herice, 1. part. disp. 19. cap. 4. sed quidem his verbis potius exprimitur voluntatem determinari à Deo auferente ab illa impedimenta ad agendum, quam voluntatem determinare divinum concursum; utpote per ablationem impedimentorum, ut dicunt, constituitur voluntas creata perfectè completa, & expedita ad agendum; non tamen per illam ablationem determinatur potius ad consensum, quā ad dissensum, sed ad utrumque indifferens manet: non ergo per eam potest divinum concursum determinare.

46 Explicatur, vel enim voluntas creata per remotionem impedimentorum manet indifferens ad consensum, & dissensum, vel ita determinata ad consensum, quod in sensu composito illius non possit non fentire? Si hoc secundum: omnino tollit libertatem à consensu, propter ratione nuper allegatam. Si primum: ergo non est unde potius determinet divinum concursum ad consensum, quam ad dissensum.

47 Tandem: nam adhuc ablatis omnibus impedimentis ad agendum, potest Deus dengare concursum voluntati creata; ergo sola re-

motio impedimentorum non sufficit determinare divinum concursum. Dices, unum ex impedimentis esse ipsam suspensionem concursus, proindeque hoc ipso, quod Deus auffert omnia impedimenta, divinum concursum suspendere non potest. Sed contra: ergò sicut, in hac sententia, divinus concursus determinatur à voluntate per ablationem omnium impedimentorum, ita determinatur per non suspensionem concursus, sed non suspensiō concursus est existentia concursus; sequitur ergò ex hac solutione divinum concursum determinari per se ipsum. Immò Deus auffert omnia impedimenta ad agendum per decretum indifferens: per hoc enim, ut ipsi dicunt, excludit phisicam prædeterminationem ad consensum, potius quam ad dissensum, vultque indifferenter cum voluntate concurrere juxta ipsius electionem, & determinationem; tum sic; sed per decretum indifferens pariter offert creature concursum indifferente: immò hic dicitur indifferens, quia offeretur per decretum indifferens: ergò adhuc ablatis impedimentis, concursus divinus manet indifferens: non ergò determinari potest per ablationem impedimentorum, sed aliud debet assignari, vi cuius voluntas eum determinare possit.

48 Tandem noster Sapientissimus Magist. Vives, disp. 16. distinet. 5. §. 1. refert sententiam D. Melchioris Fuster Valentiae Ecclesie Prepositi, afferentis prædictam determinationem consistere in prædicatis creatæ libertatis in actu primo liberè relictæ à divina voluntate, ut operetur juxta suam naturam, quod dicit negationem impedimentorum, quæ apponi poterant à divina voluntate. Et concludit: hoc igitur omne, ut extrinsecè applicatum operationi, est determinare voluntatem. Miraturque Magister Vives, quod prædictus Author propriam sententiam pronuncians, alijs rejeçtis, quiescere potuerit in prædicatis creatæ libertatis in actu primo liberè, & relictæ sine impedimento ad agendum, quod sibi placuerit. Crederit ipse nullum esse aliud effugium Authoribus scientiæ mediae.

49 Sed illud non posse subsistere, patet ex dictis: namque sola libertas essentialis voluntatis creatæ in actu primo etiam expedita, aut non impedita adhuc est libertas omnino indeterminata ad consensum, & dissensum: non ergò illa prout sic determinare potest divinum concursum. Etenim ex quo est libertas in actu primo, solum habet, quod possit consentire, vel dissentire. Pariter ex quo non sit impedita, solum habet, quod possit expedite consentire; vel dissentire: ergò ex nullo illorum habet, quod sit potius determinata ad consensum, quam ad dissensum,

quam ad dissensum, illumque, potius quam illo, eliciat, & consequenter nec ex omni illo haberi potest, quod possit determinare divinum concursum ad consensum, potius quam ad dissensum, utpote juxta commune proloquium, ab indifferenti ad opposita, ut tali nequit provenire determinatio ad alterum.

50 Quibus adde, voluntatem non posse determinare divinum concursum, nisi se determinando: namque, ut dicunt, se, & divinum concursum indivisibiliter determinat. Si autem consideretur creata voluntas solum in actu primo expedita, non sic consideratur se determinans, neque se determinat, nisi per elicientiam actus, non ergò potest, ut sic Divinum concursum determinare. Sed dices sententiam istius Authoris esse: omne illud determinare, ut extrinsecè applicatum operatione, utpote ex ultimis verbis. Sed inquiero, vel per ly extrinsecè applicatum operationi, designat determinationem illam coalescere ex libertate in actu primo, & operatione, vel non? Sic hoc secundum, manet impugnatum: si verò primum: restat respondere nostro fundamento à principio, quando scilicet fit hæc determinatio; cui non respondet.

### FUNDAMENTUM III.

*Ex implicantia identitatis divini concursus indifferantis cum concursu voluntatis creatæ.*

51 **T**ertio fundatur nostra resolutio: namque concursus Dei ex se, & ab intrinseco indifferens, seu indifferens, ut oblatus, implicat identificari cum concursu voluntatis creatæ; sed juxta adversarios, identificatur cum illo: ergò. Probat. maj. nam si identificaretur cum concursu voluntatis creatæ, identificaretur nedum cum consensu; sed etiam cum dissensu; at implicat identificari cum utroque: ergò. Maj. patet, utpote concursus ille nedum est indifferens ad consensum, sed etiam ad dissensum: ergò sicut posito consensu, identificatur cum illo, ita posito dissensu identificatur cum illo: Min. vero etiam est nota: quippe unus numero consensus, nequit identificari cum duplo actu, seu concursu realiter distincto, qualiter distinguuntur consensus, & dissensus: namque ea, quæ realiter inter se distinguuntur, non possunt identificari cum uno tertio, hoc enim solum in Ministerio Trinitatis profitemur.

52 Dices, quod cum Dei concursus identificatur cum consensu, non existit dissensus, & sic non identificatur cum illo, & pariter cum identificatur cum dissensu, non existit consensus; nec cum illo identificatur, sic nunquam erit ve-

rum identificari cum utroque. Sed contra, nam inde solum sequitur, quod non possit simul cum utroque identificari, non vero, quod ex se non sit identificabilis cum utroque; namque ut solutio fatetur, cum existit consensus, identificatur cum consensu, sicut & identificatur cum dissensu, cum existit dissensus; at nendum implicat eundem numero concursum identificari simul cum duplice actu realiter distincto, verum & esse disjunctum identificabilem cum utroque: ergo. Patet min. Nam sicut consensus non potest non numero distingui a dissensu, nec potest non distingui a dissensu concursus identificabilis cum consensu; alias eadem entitas poneretur numero distincta, & non numero distincta.

53 Præterquamquod illa solutio solum procedit de concursu Dei pro instanti existentia, non vero pro instanti futuritionis, nempe oblationis illius; concursus enim ille, ut oblatus, & pro signo antecedenti existentiam concursus voluntatis, idem est numero cum concursu Dei existenti pro signo operationis illius; alias concursus à Deo oblationis nunquam existeret, neque à Deo esset oblatus: ut extiturus in re. Verum est quidem, quod pro signo oblationis est futurus, & pro signo operationis est existens; est tamen idem numero concursus, ut potè ens possibile, futurum, & existens idem est, sicut & idem, quod existit, fuit futurum, & idem, quod est futurum, fuit antea possibile, aliter possibile non transiret ad statum futuritionis, nec futurum ad statum existentia, sed quidpiam aliud distinctum à possibile, & futuro. Si ergo concursus Dei, ut existens identificatur cum concursu voluntatis creatæ ut existenti, sic ideimmet concursus, ut futurus, identificari debet cum concursu voluntatis, ut futuro. De illo ergo, sic loquendo, inquito, vel identificatur cum consensu, vel cum dissensu, vel cum utroque? Hoc secundum dicci non potest, ut ipsi fatentur, neque etiam primum, quia jam non esset indifferens, sed determinatus ad illum cum quo, ut futuro, identificatur, proindeque, nec pro instanti existentia dissensus cum eo, ut existenti, identificari posset.

54 His jam communiter convicti adversarij dicunt, Deum per decretum indifferens non offerre voluntati creatæ unum numero concursum ex se indifferente ad consensum, & dissensum; sed plures identificatos cum diversis; & oppositis actibus voluntatis, ut vagè voluntas utatur, quo voluerit. Sed sanè hoc est plane negare Deum creaturæ offerre concursum indifferente: Namque sigillatim in hoc modo dicendi, quilibet illorum est determinatus; utpote identificatus cum suo actu, v. g. unus cum consen-

su, & alter cum dissensu; at exploribus concursibus determinatis resultare nequit concursus indifferens, namque falsum est dicere plura determinata esse aliquid indifferens: ergo. Ratioque à priori est: nam collectio plurium nihil est præter singula simul sumpta; si ergo singula determinata sunt, & non indifferentia, ex eis resultare non potest aliquid indifferens. Immò cum hac doctrina non cohæret concursum Dei indifferenter determinari per concursum creaturæ, utpotè quilibet Dei concursus, adhuc prout à Deo, est jam determinatus, nempe alter offeritur à Deo pro consensu, & alter pro dissensu.

55 Nec valet per consensum, vel dissensum creature determinari aggregatum ex concursu Dei ad consensum, & ex concursu Dei ad dissensum, non inquam valet, namque hoc aggregatum essentialiter constituitur per utrumque concursum: ergo illud determinari non valet quim uterque concursus determinetur. Unde esset dicere concursum Dei ad consensum, & ipsius concursum ad dissensum determinari per consensum, quod falsissimum est, utpotè altera pars illius aggregati, nempe concursus Dei ad dissensum determinari non potest per consensum. Nec valet creaturam eatenus determinare illud aggregatum, quatenus utitur uno concursu, alio reliquo; namque solum determinatur id, quod est indifferens; sed voluntas tunc non utitur concursu indifferenti, sed determinato: ergo tunc non dicitur determinare, sed solum uti concursu determinato. Dices, quod lièet concursus sit determinatus, ipsa tamen voluntas ex se indifferens est, ut utatur hoc, vel illo concursu, & ideo utendo uno, alio reliquo, dicitur determinare. Ita est, sed non dicitur determinare indifferentiā divini concursus, sed suam propriam, & intrinsecam indifferentiā, & sic per illum usum determinat non divinum concursum, sed se ipsam.

56 Tandem est contra prædictam solutionem, ex ea sequi Deum voluntati creatæ offerre consensum, ut possit per eum determinari ad consensum, & pariter ei offere dissensum, ut possit per eum determinari ad dissensum. Unde sequitur eosdem actus consensus, & dissensus esse simul indifferentes, & se determinantes, quod est ridiculum. Prob. sequela; namque ut hæc solutio fatetur, Deus offert creaturæ concursum identificatum cum consensu, ut per eum, vel medio eo ipsa se determinet ad consensum, & pariter concursum identificatum cum dissensu, ut medio eo determinetur ad dissensum; at implicat realiter à Deo offerri concursum identificatum cum consensu, quin realiter offerat ipsum consensum, & eadem ratio est de dissensu;

su : ergò. Patet minor , nam quando duo identificantur, implicat unum realiter offiri sine alio ; sicut & dici aliquid realiter de uno , & non de alio ; qua ratione unum sine alio realiter existere , aut realiter exhiberi non potest : immò in eorum doctrina propter hanc ipsissimam rationem Deus non potest concurrere ad materia- le peccati , quin concurrat ad formale cum eo identificatum.

57 Restat nunc satisfacere exemplo , quo adversarij instare contendunt tam præsens , quā præcedens fundamentum , & est de habitu charitatis. Dicunt enim optimè stare duplccim causam agere unico concursu , & tamen unam alteram determinare, sicut voluntas , & ius habitus agunt uno concursu ; & tamen voluntas determinata habitum ad concurrendum. Sed exemplum non esse ad propositum, patefit, ex quo Divinus concursus non comparatur ad voluntatem , ut actus primus , vel è contra , quomodo ad eam comparatur habitus. Deinde: Deus , & homo sunt duæ cauæ suppositaliter distinctæ , unde videtur inferri earum concursus identificari non posse , quia actiones sunt suppositorum. Habitus vero , & voluntas non sunt duæ causæ suppositaliter distinctæ , sed idem si ppositum operatur per voluntatem , ut actuatam habitu ; quapropter ex voluntate , & habitu una coalescit perfecta causa sicut ex principio quo , & quod ; & propterea tam voluntas , quam habitus concurrunt eodem concursu. Præterea , habitus non est ex se indifferens ad operationem oppositam , sed potius quantum ad speciem est determinatus ; propterea quod ad speciem determinat voluntatem , id est , eam inclinando , ut potè naturalis tendentia in suum objectum , licet non movendo , & quoad exercitium , quia quoad exercitium voluntati subjicitur. Ac tandem , ut exemplum esset ad propositum , nedum voluntas debéret determinare habitum verum , & concursus voluntatis debéret determinare concursum habitus , non obstante identitate utriusque concursus , quod negamus , ut potè in intelligibile est idem te ipsum determinare. Hinc voluntatem quoad exercitium determinare habitum , non est illius concursum determinare , sed operari juxta inclinationem illius , hoc enim ipso habitus ex necessitate , & naturaliter simùl cum voluntate indivisiibilitè , & eodem concursu insuit , ejusque concursum per omnimodam simplicitatem concomitatur.

## FUNDAMENTUM IV.

*Ex quo tale decretum opponitur decreto prædinitivo antecedenti, & efficaci consensu, ut liberi, dependenti a scientia media de ipso.*

58 **E**st sententia communis inter AA. Societatis Deum posse , immò defacto prædefinire efficaciter , & antecedenter nostrum liberum consentum , dummodo haec prædiffinitio sit dependens à scientia media de ipso consensu ; ut sic enim , adjunt , libertati creatæ non opponi. Ita Complutensis Herrera de prædestinat. q. 10. feft. 2. citans pro se P. Suarez , & P. Riba de Neyra , cum pluribus alijs. Cujus fundamentum est : nám Deus instruetus scientia media de consensu libero futuro , si existat auxilium A , & cognoscens se posse posere auxilium A , cognoscit similitè habere medium , quo defacto obtineat ab homine consensum liberum ; sed qui habet medium aptum ad finem potest intendere finem efficaciter ante positionem medij : ergò Deus potest intendere efficaciter consensum liberum Petri ante positionem auxilij ; sed intentio efficax Dei de consensu libero non potest opponi ipsi consensui , ut liberum : ergò Deus potest absque libertatis jaætura præintendere efficaciter consensum liberum. Hinc feft. 4. sequenti defendit nedum de possibili , verum defacto Deum prædefinire efficaciter , & antecedenter nostra bona opera libera ; asserit tamen , num. 47. hanc prædefinitionem consensus non esse necessariam , ut detur consensus , quatenus Deus non necessario movetur ex efficacia auxilij ad illud conferendum , sed posse illud conferre , & non ex hoc motivo.

59 Non intendo huic decreto contradicere , nec ipsum opponi libertati ; sed quod admissio prædicto decreto , repugnat omnino Deum concurrere cum voluntate ad nostros actus liberos per decretum ex se , & ab intrinseco indifferens. Namque Deum velle indifferenter concurrere cum voluntate ad quocumque ipsa se determinaverit sive in consensum , sive in dissensum , supposito decreto intentivo , & prædefinitivo consensus præ dissensu , est impossibile , & repugnans supposito ergò illo decreto prædefinitivo , repugnat alterum decretum indifferens. Prob. ant. Deum velle indifferenter concurrere cum voluntate ad quocumque ipsa se determinaverit , supponit Deum proxime expeditum , & aptum determinari à creatura , sive ad consensum , sive ad dissensum ; at supposito decreto illo prædefinitivo , Deus non est proxime ex predictus , & aptus determinari à creatura , sive ad con-

consensum, sive ad dissensum: ergò Deum velle concurrere indifferentē cum voluntate ad quodcumque ipsa se determinaverit, supposito decreto efficaci, & prædistributivo, consensus est prorsus impossibile, & repugnans. Major patet: min. vero prob. Deus, supposito illo decreto prædistributivo, & in sensu composito illius non potest determinari à creatura ad dissensum: ergo nec manet expeditus, & aptus determinari à creatura, sive ad consensum, sive ad dissensum. Conseq. patet, & anteced. prob. cum illo decreto prædistributivo consensus non potest componi existentia dissensus: ergo in sensu composito illius decreti prædistributivi consensus non potest Deus à creatura determinari ad dissensum. Conseq. patet ex ipsorum principijs, nam quia cum prædeterminatione phisica ad consensum componi non potest dissensus, inferunt, nec cum ea componibilem esse potentiam ad dissensum. Antec. verò est certissimum: namque cum decretum illud prædistributivum, & efficax infallibiliter inferat existentiā consensus, si cum illo posset componi existentia dissensus, etiam existentia dissensus componi posset cum existentia consensus, quod esse repugnans est per se notum.

60 Hoc argumentum in hunc modum, & sub hac forma tibi non objicit Pater Herrera; eoque præcluditur additus solutioni quam adhibet arguento 4. quod sic ab eo proponitur; prædistributio efficax consensus est voluntas efficax de non existentia dissensus; sed voluntas efficax de non existentia dissensus opponitur applicationi indifferenti omnipotentiae ad dissensum: ergò. Et respondeat, quod prædistributio efficax consensus est voluntas efficax de non existentia dissensus, non quidem executiva, sed intentiva; voluntas autem efficax intentiva de non existentia dissensus, ut ponenda ex determinatione divina, opponitur applicationi indifferenti omnipotentiae ad dissensum; secus tamen voluntas efficax intentiva de non existentia dissensus, ut ponenda ex determinatione aliena, nempè humana. Unde in summa habet, quod decretum efficax exequitativum de non existentia dissensus incomponibile est cum decreto illo indifferenti applicativo omnipotentiae, sive ad consensum, si xe ad dissensum; decretum verò intentivum, solum prædicto decreto opponitur, quando est decretum de existentia consensus, vel non existentia dissensus, ut ponenda ex ipsa determinatione divina, secus verò quando est de illa, ut ponenda solum ex determinatione humana.

61 Additus, inquam, huic solutioni præcluditur argumentum sub forma, qua à nobis ob-

jicitur; simūlque rejicitur prædicta solutioꝝ namque licet decretum illud prædistributivum, seu intentivum sit de existentia consensus, vel non existentia dissensus, ut ponenda ex determinatione creaturæ; sed non ut ponenda indifferenter, ita ut in sensu composito illius decreti possit creatura Deum determinare ad existentiam dissensus; sed ut ponenda ex determinatione creaturæ infallibiliter, & necessario, quidquid sit an hæc infallibilitas, vel necessitas sit simpliciter, & omnino antecedens, tollensque libertatem, de quo in præsenti non curamus, ut dixi in principio; neque enim creatura potest indifferenter determinare Deum ad consensum, vel dissensum, dum Deus suo decreto prædistributivo se determinat ad consensum, & non existentiam dissensus; aliter voluntas creata posset decreto Dei efficaci resistere, cum tamen prædictus Author potius has prædefinitions efficaces in Deo constituat, ut verificantur loca Scripturæ, & Sanctorum Patrum, in quibus habetur voluntatem divinam potestate superare voluntatem creatam hancque ei resistere non posse, ut patet ex sectione 4.

62 Quibus adde, quod cum decretum illud prædistributivum, & efficax infallibiliter inferat existentiam consensus, & parentiam existentia dissensus, si Deus post hoc decretum sinebet se determinari à creatura ad existentiam dissensus, eo ipso necessario retractaret priorem voluntatem; nam eo ipso vellet existentiam consensus, non efficaciter, & determinatè; sed inefficaciter, & indifferenter; quæ retractatio voluntati divinae repugnat propter ipsius intrinsecam immutabilitatem,

#### FUNDAMENTUM. V.

*Ex incomponibiliitate prædicti decreti indifferentis cum decreto de purificanda conditione.*

63 **H**oc fundamentum propono propter alios Jesuitas, qui licet decretum prædistributivum, & efficax de existentia consensus admittere recusent; quamvis dependens sit à scientia medita, quia potest tollere libertatem consensus; omnes tamen admittunt decretum absolutum, & efficax de collatione auxiliij, sub quo voluntas consensu prævidetur per scientiam medium, quod ab aliquibus vocatur decretum prædistributivum auxiliij, ab alijs verò decretum purificandi conditionem. Et quidquid sit, an tale decretum sit simpliciter, & omnino anteced. an verò libertatem consequens, à quo etiam in præsenti prescindimus: solum intendo ad modum præceden-

tis fundamenti; cum eo non componi alterum decretum indifferens.

64 Quando sic ostenditur: decretum intrinsecè indifferens est, quo Deus nō potius vult concurrere ad consensum, quam ad dissensum; sed quo vult indifferenter concurrere ad id, ad quod voluntas se determinaverit; at hoc decretum pugnat omnino cum illo decreto efficaci, & absoluто de purificanda conditione consensus: ergò hoc decreto admissò, alterum admitti non potest. Prob. min. decreto illo de purificanda conditione consensus, Deus determinate vult concurrere ad consensum præ dissensu; sed decretum, quo Deus vult non potius concurrere ad consensum, quam ad dissensum, pugnat cum decreto, quo determinatè vult concurrere ad consensum præ dissensu: ergò. Minor patet ex terminis, major autem prob. decretum, quo Deus vult efficaciter, & absolute purificare cōditionem consensus, infert infallibiliter ipsum consensus, & carentia existentiae dissensus: ergò eo Deus vult determinate concurrere ad consensum præ dissensu. Conseq. patet, & anteced. prob. decretum, quo Deus vult absolute, & efficaciter purificare conditionem consensus, infallibiliter infert purificationem conditionis cōsensus; sed decretum infallibiliter inferens purificationem conditionis consensus, infallibiliter etiam infert existentiam consensus, & carentiam existentiae dissensus: ergò. Major patet: Nam in eo consistit efficacia absoluta illius decreti; min. verò etiam notissima est: nam aliter illa conditionalis, quæ est objectum scientiæ mediae, non esset infallibiliter vera, utpote, adhuc conditione purificata, non poneretur infallibiliter eventus; scientia enim certo, & infallibiliter eruntiat, & videt, quod si Petro detur auxilium A, in occasione B, consentiet. Implicat ergò tale auxilium conferri in ea occasione, & quod Petrus non consentiat, vel scientia divina fallibilis est.

65 Sed dices: quod cum per illud decretum etenim Deus velit consensum, quatenus vult auxilium, & auxilium ex se, & ab intrinseco sit indifferens ad consensum, & dissensum, & solum ab intrinseco sit efficax, & determinatum: nempè per consensum sub illo prævissum per scientiam medium, propterea licet supposita scientia media de consensu sub illo auxilio, decretum de purificatione illius infallibiliter inferat consensum præ dissensu, hoc tamen non habet ab intrinseco; sed ab intrinseco, neque illativè phisicè, sed logicè, & sic adhuc tale decretum ex se, & ab intrinseco indifferens est ad consensum.

66 Sed contra est: nam licet auxilium il-

lud ex se, & ab intrinseco indifferens sit, & solum ab extrinseco efficax sit, & determinatum; decretum tamen illud prædefinitivum auxiliij, non est de auxilio pure secundum se, sed, quatenus prævidetur sic efficax per scientiam medium ergo ex indifferentia intrinseca auxiliij erga consensum, non licet inferre indifferentiam intrinsecam decreti erga ipsum. Antec. supponitur: namque illud decretum non est aliud, quam quo Deus vult purificare conditionem, sub qua prævidetur consensum futurum: ergo illo Deus vult conferre auxilium, quatenus prævissum efficax per scientiam medium, & nedum secundum se. Consequentia verò etiam est legitima, utpote illud decretum prædefinitivum auxiliij ex se, & ab intrinseco habet, quod si voluntas purificandi conditionem: ergo quod sit voluntas auxiliij quatenus conditio sub qua prævidetur consensus futurus, & consequenter, quod sit voluntas auxiliij, ut efficacis. Anteced. patet: nam cum decretum sit ipsum velle Dei, non aliud habet ab intrinseco, quam esse velle illius, quod Deus eo vult: si ergo Deus eo vult purificare conditionem, ex se, & ab intrinseco habet quod sit voluntas purificandi conditionem.

67 Dices fortè: Deum illo eodem decreto uti posse sub alia scientia media, nempè volendo concurrere illudmet auxilium in alia occasione, in qua prævidetur dissensus futurus: quod est signum decretum illud ex se, & ab intrinseco non exigere regulari scientia media consensus, neque existentiam consensus infallibiliter inferre, licet ab extrinseco, quando scientia media regulatur, existentiam consensus infallibiliter inferat. Sed contra est: nam hoc est non supponere sententiam: sententia enim est Deum absolute, & efficaciter velle, & decerne, purificare conditionem, sub qua prævidetur consensus futurus; conditio autem hec est: si dedero auxilium A. in occasione B, & consequenter Deus absolute, & efficaciter illo decreto vult nedum conferre auxilium, verum & eum conferre in occasione B, cum ergo Deus vult auxilium conferre non in occasione B, in qua prævidetur consensum futurum, sed in alia, in qua prævidetur futurum dissensum, jam non est decretum purificandi conditionem, quod in praesenti supponimus.

68 Dices, ita esse; est tamen idem intrinsecè decretum, utpote de eodem auxilio conferendo. Sed contra, nam licet auxilium, sit entitatively idem, formaliter tamen in ratione voliti, & collati, seu beneficij, & congrui, ut ipsi dicunt, est diversum, utpote in occasione, in qua prævidetur efficax, confertur, ut efficax, & congruum; sicut in occasione, in qua prævidetur in-

efficax, solum ut inefficax conferri necessè est. Propterea decretum de conferendo illud in alia occasione non potest non esse intrinsecè, & formaliter distinctum, sicut diversus intrinsecè formaliter actus est exequitio mediorum, & illorum elec̄tio, quamvis eadem media respiciant, & pariter intentio finis, & complacentia de illo, quia nempè idem objectum sub diversa ratione, & respectu potest terminare diversos formaliter actus voluntatis.

69 Alia via potest huic fundamento responderi conformiter ad solutionem fundamenti præcedentis: sicut enim ibi dicunt, decretum prædefinitivum consensus componi cum decreto concurrendi ad nos tristis liberos ex se, & ab intrinseco indifferenti, quia licet infallibiliter inferat consensum, illud infert, ut ponendum ex determinatione creaturæ: sic in presenti decretum prædefinitivum auxiliij, dicunt, componi cum simili decreto, quia licet inferat infallibiliter consensum, illum infert medio auxilio determinando ex determinatione creaturæ. Sed pariter contra hanc evasionem procedit argumentum factum fundamento præcedenti, namque licet inferat consensum medio auxilio determinando ex determinatione creaturæ; sed non indifferenter determinando, ita ut in sensu composito illius decreti possit creatura auxiliū illud determinare ad dissensum; sed determinando infallibiliter ad consensum, aliter, neque decretum illud esset de auxilio, ut efficaci præviso per scientiam medium, neque consequenter consensum infallibiliter inferret.

70 Dices, saltē illud decretum prædefinitivum est de auxilio, ut determinato ex determinatione libera creature conditionatè prævisa per scientiam medium, quo nimur, sicut determinavit auxilium ad consensum, potuit illud determinare ad dissensum. Sed quid contra nos? Ex hoc sane sequitur, quod licet decretum inferat infallibiliter consensum, adhuc tamen illum infert, ut liberum, quia infallibilitas illa non est omnino antecedens, sed consequens libertatem conditionatam creaturæ. Hoc tamen non tollit, sed potius firmat decretum illud prædefinitivum esse de auxilio, ut liberè determinato ad consensum, & consequenter de illo, ut efficaci per adjunctionem conditionatam consensus. Quo sic posito, impossibile est eum determinari ad dissensum, nisi forte scientia illa media infallibilis non sit. Unde tandem infert, quod illo supposito decreto non relinquitur locus decreto alteri ex se, & ab intrinseco indifferenti, quo nimur Deus indifferenter posse à creatura determinari, sive ad consensum, sive ad dissensum; aliter, ut supra arguebamus, pos-

set creatura decreto Dei absoluto, & efficaci resistere, vel Deus posset suam restringere voluntatem.

#### FUNDAMENTUM VI.

*Ex incompossibilitate predicti decreti indifferētis cum scientia media.*

71 **N**on intendo hoc probare ex futuritione infallibiliter conditio[nata], exacta ad objectum scientiæ mediae, quæ subsistere non potest cum solo Dei decreto, & concursu indifferenti; ut potè ex se etiam indifferentis est; namque adversarij in hujus solutione recurrent ad suppositionem objectivam eventus, de quo latè egimus agendo de constitutivo futuri. Ideo aliter probatur, notwithstanding illud solemne principium: quod eadem principia qua in statu absoluto requiruntur ad existentiam absolutam effectus, importari debent conditionatè, seu ex parte conditionis in futuro conditionato, quod est objectum scientiæ mediæ. Ita communiter AA. Societatis, pacis exceptis, de quibus infra. Ratio meo videtur evidens est: quia si ex parte conditionis non poneretur aliquid simpliciter requisitum ad existentiam absolutam effectus, nempè sine quo implicat effectum existere, falsum erit, quod posita, seu purificata conditione existat effectus; namque tunc purificata illa conditione restaret aliam purificari, ut effectus existeret; nec posset Deus sub illa tantum conditione affirmare infallibiliter voluntatem consensuram, unde, & divina scientia fallibilis esset. Hinc supposito, quod ad conversionem Petri non sufficit, quod ponatur à Deo in tali rerum ordine, & sub talibus circumstantijs, sed aliunde, quod ei conferat auxilium A, hæc conditionalis: *Si Petrum constitueret in tali ordine rerum, & sub talibus circumstantijs, convertetur, nequit esse objectum scientiæ mediæ*, quia ultra purificationem hujus conditionis, requiritur ad Petri conversionem auxilium A, quod ex parte conditionis non importatur; unde in illa conditionali à positione antecedentis ad positionem consequentis, consequentia non valeret.

72 Hinc ergo patet, quod, si voluntas creata in statu absoluto converti, seu consentire non potest sine decreto, & concursu Dei indifferenti, tam decretum, quam Dei concursus indifferentis memorari debet ex parte hypothesis, seu conditionis in futuro conditionato, quod est objectum scientiæ mediae: ita ut objectum scientiæ mediæ sit hoc: *Si decrevero Petrum constitueret in tali occasione, & sub tali auxilio, & simul cum eo concurrere concursu indifferenti, Petrus convertetur.*

Hoc

73 Hoc supposito, sic efformatur argumentum, prædictum decretum, seu concursus indifferens cōponi non potest cum objecto scientiæ mediæ: ergò nec cū ipsa scientia media. Prob. antec. futurum conditionatum, in quo ex parte conditionis importatur decretum, vel concursus indifferens, nequirit esse objectum sc̄iēt̄ mediæ: ergò tale decretum, vel concursus componi nō potest cum objecto scientiæ mediæ. Prob. antec. futurum conditionatum, quod est objectum scientiæ mediæ debet esse propositio conditionalis vera, & contingens; at propositio conditionalis, in qua ex parte conditionis importatur decretum, vel concursus indifferens, vel non est vera, vel non est contingens: ergò nequirit esse objectum scientiæ mediæ. Maj. & conseq. patent, & min. prob. propositio conditionalis, in qua ex parte conditionis importatur decretum, vel concursus indifferens est hujusmodi: *Si decrevero Petrum constituere in occasione B. cum auxilio A. O' concurrero indifferenter cum illo, consentiet.* At talis propositio, vel non est vera, vel non est contingens: ergò. Major constat ex notatis, minor prob. vel sub illa conditione: *Si concurrero indifferenter, importatur concursus indifferens pure, ut oblatuſ, seu manens, & perseverans in sua indifferentia, vel ut jam determinatus per consensum, & electionem voluntatis creata?* Si primum, illa propositio est falsa; si secundum, non est contingens, vel ergò non est vera, vel non est contingens. Anteced. quoad primam partem prob. implicat voluntatem creatam aequaliter consentire manente, & perseverante Dei concursu in sua indifferentia: ergò falsum est, quod si Deus concurrerit cum illo concursu, purè ut oblatuſ, seu manente, & perseverante in sua indifferentia, consentiet. Consequentia patet, & antecedens est notum in eorum doctrina, quippè implicat voluntatem creatam aequaliter consentire, quin per consensum determininet concursum Dei indifferente: immò rati determinatione, quod eum secum identificet, at ita hac determinatione, & identitate falsum est consentire cum concursu Dei, pure ut oblatuſ, seu manente, & perseverante in sua indifferentia, cum potius per consensum transeat, eo ipso; de indifferenti ad determinatum eadem determinatione consensus: ergò.

74 Confirmatur, & explicatur: namque, ut ipsi dicunt, concursus Dei solum est indifferens ut oblatuſ, proindeque soluſ est indifferens pro signo antecedenti existentiam consensus, ut exhibitus verò, seu pro instanti, & existentia consensus ja est determinatus, & identificatus cum eodem consensu: ergò cum voluntas absolute consentit, verum est concursum Dei esse jam

*M. Carrasco.*

determinatum, & de indifferenti in determinatum transisse: pariter ergò cum de illa conditionate affirmatur consensum, importari debet conditionate concursus Dei jam determinatus, & non indifferens; proindeque concursu manente in sua indifferencia verificari non potest, etiam conditionate, quod voluntas consentiet.

75 Explicatur hoc amplius: voluntatem contentire de præsenti, & in statu absoluto, est ejus consensum determinare concursum Dei, cumque sibi identificare: immò indivisibiliter ut ipsi dicunt, voluntatem concurrere determinatè ad consensum, est Deum concurrere determinatè ad consensum: ergò voluntatem contentire de futuro, & in statu conditionato, est de futuro, & in statu conditionato determinare cōcursum Dei, cumque sibi identificare, pariterque voluntatem conditionatè concursuram ad consensum determinatè, erit Deum determinatè concursurum ad consensum: implicat: ergò consensus conditionate futurus, non intellecto Dei concursu, jam conditionatè determinato ad consensum.

76 Quoad secundam verò partem, nempe, quod si ex parte conditionis importetur cōcursus Dei, jam determinatus per cōcursum creature, illa propositio nō est contingens, liquidò constat, nā eo ipso facit hunc sensum: si concurrero cū voluntate concursu determinato ad consensum, consentiet, quod est infallibile, & necessarium in eorum principijs, utpote cum determinetur ad consensum per ipsum consensum, implicat concurrere concursu determinato ad consensum, sine consensu. Immò talis propositio est negatoria, namque cum voluntatem concurrere ad consensum, sit Deum concurrere ad consensum, utpote uterque concursus identificatur, per idem erit ex parte voluntatis dicere, consentiet, ac ex parte Dei, *concurreram ad consensum*, & similiter ex parte Dei dicere, *cōcurreram ad consensum*, ac ex parte voluntatis, cōsentiam, & sic objectum scientiæ mediæ erit hoc: *Si concurrero cum voluntate, concurreram cum voluntate, O' pariter si voluntas consentiet, consentiet.* Verdades de Pedro Grullo.

77 His adversarij ocurrere possunt juxta dicta fundamento præcedenti: nempe dicendo nomine cōcursus indifferens, ut oblati, non intelligi unum numero concursum: nāque iste identificari non posset cum consensu, vel dissensu; sed intelligi duplē concursum, alterum ad consensum, & alterum ad dissensum, & solum dicitur indifferens, quatenus aggregatum ex illo duplice concursu, nec est tantum concursus ad consensum, nec est tantum concursus

*Ee*

*ad*

ad dissensum; & quia voluntas potest uti indifferenter uno, vel altero, quo in sensu, licet in obiecto scientiae mediae præassignato ponatur ex parte conditionis concursus determinatus, non sequitur concursus illum, ut à Deo oblatu, non esse indifferentem, tempore, indifferentia opposita, non determinationi, sed unitati concursum.

78 Sed præterquamquod, predictum aggregatum non propriè dicitur cōcursus indifferens, sed duplex concursus, ut fundamento præcedenti ponderavimus, cōsequentia à nobis facta eodē rigore tenet, ac antea, nāque, vel cum dicitur in predicta hypothesi: *O cōcurrero indifferenter cū illo,* intelligitur de aggregato illius duplicitis cōcursus, vel solū de uno, nempè determinato ad cōcursum? Si primum: proposito est falsa, sicut & implicatoria, tū quia Deus hic, & nūc nequit duplici illo concursu concurrere, sed vel debet cōcurrere concursu determinato ad consensum, vel concursu determinato ad dissensum aliter, vel voluntas simul cōsentiet, & dissentiet, vel saltē Deus concurreret ad consensum, etiam concursu determinato ad dissensum, tū quia, cū indifferentia divini concursus in aggregato utriusque concursus consistat, Deo non concurrente utroque concursu, non potest dici indifferenter concurrere.

79 Si vero intelligitur de concursu determinato ad consensum, predicta cōditionalis est necessaria, nāque, Deo concurrente cōcursu determinato ad cōcursum, voluntas non potest nō consentire: tū quia in sensu cōposito non potest dissentire, cum tamen necessarium sit eam concurre Deo concurrente: tum quia ille concursus determinatus ad cōcursum identificatur cū illo, in hoc ergo modo dicēdi adhuc est verū, vel nō dari predictū concursum indifferentē, vel cū illo cōponibile non esse objectum scientiae mediae.

80 His convictus Pater Riv. de Neira, de prædestinat. disp. 17. num. 28. & disp. 10. n. 23. & 25. afferit, quod in objecto conditionato contingentis nequit numerari ex parte cōditionis aliquid inferens eventū infallibiliter, sive sit concomitans, sive sit antecedens; implicat enim objectum illud esse contingens, & tamen quod cōditio inferat effectum infallibiliter. Afferit tamen, num. 37. tripliciter formaliter posse illud objectum conditionatum, prīmō excludēdo à conditione aliquid ex simpliciter requisitis, & hoc objectum, ait esse implicitorum, quia pronuntiat de esse eventus, excludendo positivē aliquod principium, sine quo esse non potest. Secundō, numerando positivē pro conditione omnia simpliciter requisita ad existentiam efficiens; & hoc objectum est necessarium, quia aliqua ex simpliciter requisitis inferunt effectum

infallibiliter, & cōstitutur cū illo. Tertio, ponendo tantum pro conditione existentiam voluntatis, aut solam entitatem auxiliij indifferenter ad consensum, vel dissensum, aut omnia constitutiva libertatis in actu primo; & hoc est, inquit, objectū contingens pertinens ad scientiā mediā. Notat tamen, quod quando ex parte conditionis non ponuntur omnia simpliciter requisita, debet sub eadem conditione esse verum existitura esse omnia simpliciter requisita, quapropter omnia illa simpliciter requisita, quæ non ponuntur ex parte conditionis, poni debent ex parte eventus, & consensus, quia consensus ea requirit essentia liter.

81 Ex quibus in prim. habetur juxta hujus Auth. doct. argumentum à nobis factum convincere, si ponantur omnia requisita ex parte conditionis, quia unum ex eis, nempè, concursus concomitans necessariō connectitur cū consensu, cumque infallibiliter infert; proindeque efficit conditionatum simpliciter necessarium: cū ergo major pars Doct. Soc. à Ludovic. Molusque ad P. Rivaden. teneant, omnia simpliciter requisita numerari debere ex parte conditionis etiam concussum concomitantem; consequenter in hujus Auth. sent. argumentum contra eos convincit, quod admissio concursu indifferenti per concursū creaturæ determinatio, talis concursus destruit objectū scient. med.

82 Hanc eandem sent. seq. RR. Thyrs. qui disp. 20. de terminat. scient. med. sect. 1. prædict. sibi objicit argument. & ait, quod si hoc Jesuitas mordet, prædeterminates dillacerat. Attendite, inquit, ad instant. Quando Deus videt Tyrios convertendos, si viderent Christi miracula, vel concursus Dei, qui juxta adversarios est prævius, ac proinde capax, ut assummat pro conditione, ponatur ex parte conditionis, vel non? Si primum, redditur objectum illud necessarium, quia necessarium est voluntatem consentire, si Deus eam prædeterminet; proindeque non pertinet ad scientiam liberam, ut ipsi dicunt, sed ad necessarium. Si secundum, non potest Deus, &c.

83 Sed iste Athor débaret etiam attendere, argumentum nostrum procedere ad hominem ex principijs scientiae mediæ. Nos enim defendimus, quod licet prædeterminatione inferat infallibiliter consensum, non propterea evadit necessarium simpliciter, nempè necessitate consequentis, sed solū necessitate consequentia, proindeque, posita prædeterminatione ad consensum, infallibiliter voluntas consentit, sed non necessariō, sed liberē; & sic adhuc pertinet ad scientiam liberam; ipsi tamē dicunt talem prædeterminationem efficere consensum

simpliciter necessarium, nempè, necessitate opposita libertati, quia non intelligunt, vel nolunt intelligere, quod s̄ap̄e s̄ap̄ius docet D. Thom. locis infra allegandis, nempè pr̄determinacionem inferre infallibiliter consernum, & nihilominus voluntatem libere consentire. Ex hoc ergò principio communi, apud omnes doctores Societatis, non stando nostris principijs, ad hominem argumentamur, quod si semel ex parte conditionis ponitur concursus determinatus, qui eo ipso infallibiliter infert; & connectitur cum consensu, talis consensus non potest non evadere simpliciter necessarius; undē & perijt objectum scientiæ mediae; cum hoc debeat esse liberum, & contingens.

84 Deinde prosequitur iste Doctor, & quidem, *cum in nostra sententia concursus Dei ad consensum sit concomitans, & identificatus cum ipso consensu, evidens est non posse summi pro conditione à scientia divina, nam Deus nequit affirmare aliquid sub conditione sui ipsius.* Addit tamen num. 4. non posse Deum per scientiam medium videre aliquem actum determinatum nostræ voluntatis, quin videat aliquem concursum determinatum suę omnipotentia, cum hic identificetur, cum illo; non tamen potest illum videre ex parte conditionis, sed solum ex parte conditionati. In quo reliquos societatis relinquit, & sequitur Patrem Riva de Neira. Tandem num. 5. sequenti concludit scientiam medium, ex parte conditionis, solum attingere concursu in actu primo, seu ejus præparationem indifferentem, per quam voluntas nostra constituitur proximè indiferens ad utrūque; ac proinde per illam sic Deum affirmare: *Si Petrus constituantur in tali occasione, cum cognitione sufficienti ad amandum, & odio habendum, & illi conferam concursum ad amorem, & odium, ille pro sua libertate elicit, scilicet amorem, proindeque nostram omnipotentiam concomitanter determinabit ad concursum in illum.*

85 Sed in primis isti Authores pro suo arbitrio sic disponant objectum scientiæ mediæ, ut vim argumenti effugiant; neque ei satisfaciunt, namque solum negant, concursum concomitantem debere ponи ex parte conditionis, quo in casu cum ex parte conditionis non possit non ponи concursus indiferens, sicut & decretum indiferens, quo ille offertur; necessario tenetur affirmare ex parte conditionis ponи concursum indifferentem, purè ut oblatum, manentemque, & perseruantem in sua indifferentia; quo in casu propositio est falsa, falsum enim est voluntatem actualiter consentire eum solo Dei concursu indifferenti, & absque sui determinatione per consensum ipsum. Undē licet fugiat vim argumeti,

quantum ad secundam partem; non tamen quantum ad primam.

86 Deinde impugnatur hic modus dicendi ex quo fatetur non debere excludi ex parte conditionis aliquod ex simpliciter requisitis, quia tale objectum est implicitorum; sed illud non excludi, licet expressè non numeretur, est eum saltem tacite, & virtualiter ponitur, eo ipso excluditur saltem tacite, & virtualiter, licet non expressè, & deinde, quod tacite, & virtualiter ex parte conditionis subintelligitur, nō inconvenit ex parte conditionis expressè cum ceteris numerari. Undē quia in actione tacite subintelligitur agens, sicut dico: *Actio existit, possunt dicere: Actio ut ab agente existit, vel actio, & agens existunt;* vel tandem, consequentia non valet absque positione conditionis subintelligenter, ut per se notum est: ergò.

87 Præterea impugnatur ratione supra in initio allegata: namque ultra omnia ea assignata, nempè voluntatem, auxilium vè, seu omnia constitutiva libertatis in actu primo, ut voluntas eliciat amorem, necesse est Deum concurrere actualiter ad amorem: ergò illæ sola conditions absque concursu actuali Dei non inferunt voluntatem amare, licet inferant posse amare, ut potè ad posse amare sufficit concursus Dei in actu primo, qui est concursus, ut oblatus.

88 Dices ita esse; ultra ea omnia requiri Deū concurrere actualiter, non tamen præviè; sed cōcomitanter. Optime: ergò hēc propositio est vera: *Licet Deus præparet omnipotentiam ad concurrentem cum voluntate, si tamen concomitanter non concurrat ad consensum, non consentiet;* Tūc ultra: ergò ut sit verū voluntatem consensuram, debet sic illa conditionalis efformari: *Si Deus præparet omnipotentiam ad concurrentem cum voluntate, & simul cum ea concurrat ad consensum, consentiet;* at hēc propositio est necessaria, & ex parte conditionis ponitur concursus concomitans: ergò. Dices ex RR. P. Thyr. adhuc non debere sic efformari: nam ad hoc eslet necesse, in sensu cōposito predictæ præparationis omnipotentia posse Deum concursum actualē suspēdere, quo in casu, adhuc purificata illa conditione, posset non sequi consensus, & propositio falsificari. Attamē illud est falsum, nāque omnipotētia præparata ad concursum cū voluntate, infallibiliter Deus concomitanter cū creatura concurret ad consensum, & sic consensus sequetur etiam non apposita concomitantia divini concursus ex parte econditionis. Sed contra, namque licet præparata omnipotentia ad concurrentem cum creatura non possit Deus non concurrere cū creatura ad consensum, vel disensem; non

tamen est necesse eum concurrere determinatè ad consensum, sed potest determinatè concurrere ad dissensum; sed ipso determinatè concurrente ad dissensum, voluntas non consentiet: ergo. Dices: esse necessarium eum concurrere ad consensum, si voluntas eligat consensum. Benè: ergo tandem electio consensus est requisitum simpliciter, ut Deus concurrat concursu determinato ad consensum; non verò concursus Dei determinatus ad consensum est requisitum simpliciter, ut voluntas consentiat. Deinde argumentum intendit, quod voluntas non consentiat, quia Deus potest non concurrere ad consensum, & solutio est, quod concurreret ad consensum, quia voluntas consentiet. Ac tandem, juxta hanc doctrinam, conditionalis illa erit nugatoria, quia in ea infertur consensus ex consensu.

89. Tandem, ut radicis hoc explicetur, notanda sunt verba horum Authorum: ipsi enim non negant concursum Dei actualem esse necessarium, ut voluntas consentiat; dicunt tamen non esse necessarium præviè, & ut se tenens ex parte actus primi, sed concomitantè, & ut se tenens ex parte eventus. Tunc sic: ergo ad existentiam consensus non sufficit, quod Deus concurrat concursu indifferenti, ut oblato pro priori ad consensum, sed ultra, quod concurrat concursu si nultante, & pro posteriori determinato per consensum. Ita est: ergo cum haec omnia eo ordine, quo exercentur in statu absoluto, numerari debeant in statu conditionato, conditionalis, qua est objectum scientie media debet sic efformari: *Si Deus concurserit concursu indifferenti, ut oblato pro priori ad consensum, & concomitanti pro posteriori determinato per consensum, voluntas consentiet.* Ubi jam ex parte conditionis ponitur concursus Dei concomitans, & efficit conditionalem necessariam. Omitto, quod ex predicto modo loquendi sequitur consensum voluntatis, saltè pro posteriori rationis, procedere concursus Dei determinatum, de quo infra; pariter, quod adhuc in sensu composito concursus indifferentis in actu primo, potest voluntas mere omissivè se habere, neque consentiendo, nec dissentiendo, quo in casu purificata conditione coturus indifferentis, non existet consensus. Antec. pat. nam alias prædictus concursus everteret libertatem creatam contradictionis, qua consistit in indifferentia ad actum, & omissionem actus.

90. Alia via nostro fundamento occurrit Complutensis Herrera de predestin. q. 2. sect. 4. n. 45. ubi argumentum procedebat, scientiam medium debere poni conditionate, seu ex parte conditionis in illius objecto, propter eandem rationem, ac nos intendimus debere poni con-

cursum Dei actualem; namque etiam illa, juxta eorum sententiam, est simplicitè requisita ad existentiam consensus. Ait ergo, aliud esse loqui de statu conditionato, & absoluto realiter, & à parte rei; aliud loqui de ipsis, ut intentionaliter existentibus, sive ut cognitis à nobis, terminantibusque nostras propositiones. Ita status absolutus realis à parte rei actionis intrinsecè connexè cum agente, nequit esse realiter absque eo, quod existat realiter agens; at verò in statu absoluto mentali judicativo benè potest existere actio, quin existat agens; optimè enim potest affirmari existentia actionis, quin affirmetur existentia agentis, à cuius existentia realiter dependet, non enim dumtaxat est vera haec propositio. *Actio, & agens existunt;* verumetiam haec: *Actio existit,* in qua objectum affirmatioonis est actio, non verò agens, à quo dependet.

91. Quod, ait, clarius videri in statu conditionato: quia re vera, & à parte rei, si ut existat consensus sub auxilio A, requirit scientiam medium, si existaret consensus sub auxilio A, etiam requireret eandem scientiam medium; quia quidquid requirit essentialiter aliquid, quod existens est, requireret id ipsum si existaret. Et hoc est requiri conditionate realiter ad statum conditionatum, quidquid requiritur absolute ad statum absolutum. At verò mentaliter benè potest affirmari conditionate existentia consensus, quin eodem modo affirmetur existentia requisitorum essentialium, quia non solum est vera haec propositio: *Si daretur talis hypothesis, datur consensus, & omne requisitum ad consensum,* verumetiam haec: *Si existaret talis hypothesis, existaret consensus.*

92. Sed contra hunc modum dicendi est: quod objectum scientia media non constituitur tale per conditionem, ut subest nostro iudicio, seu nostro modo efformandi propositiones; sed per conditionem, ut à parte rei extituram, seu exercendam: hec enim conditionalis; *Si posuero Petrum in tali occasione, & sub tali auxilio, &c.* Procedit in sensu phisico, & reali, & nondum mentali, ut à nobis concipiatur, immò illam nos non affirmamus, sed ut affirmatam per divinum intellectum referimus, & supponimus: Si ergo realiter, & à parte rei conditionatum illud, ex parte conditionis, includit omnia simpliciter requisita ad existentiam absolutam consensus, habemus intentum. Deinde: si status conditionatus realiter, & à parte rei includit, ex parte conditionis, scientiam medium, & concursum concomitantem: ergo etiam mentaliter juxta nostrum iudicium; namq; mentaliter affirmari vere à nobis non potest existentia conditionata effectus, quin affirmetur sub omnibus conditionibus esse.

essentialiter requisitis ad existentiam absolutam illius; aliter, ut supra arguebamus, non valeret argumentum à conditionali ad absolutam purificata conditione; hic enim modus argumentandi non alienus, sed propriissimus est nostri intellectus. Exemplum de actione, & agente oppositum non convincit, sed nostrum assertum confirmat; ut potè, licet ut affirmetur actionem existere, non sit necesse affirmare agens existere; ut tamen affirmetur sub conditione actionem extitur, necesse est, ex parte conditionis, poni existentiam agentis; aliter in objecto scientiae mediae, ut conditionate affirmetur consensus, non esset necesse, ex parte conditionis, importari existentiam voluntatis, vel Dei; & hoc ideo, quia in statu absoluto existentia rei per se ipsam innotescit; in statu vero conditionato non innotescit, nisi per conditiones omnes, quibus purificatis existentia rei infertur. Præterquamquod cum dico, *actio existit*, tacite dico, & subintelligitur, *agens existit*, ut potè cuius existentia in egredione ab agente consistit; atamen cum dico concursus Dei in actu primo, seu Omnipotentia præparata existit, neque tacite dico concursum Dei simultaneum exire; ut potè, quia potest existere sine illo, nec cum illo connectitur, sicut actio cum agente. Unde potius conditionalis, quæ, in hoc modo dicendi, est objectum scientiae mediae, comparatur conditionali, in qua affirmatur existentia actionis sub conditione existentiæ agentis, ut si dicam: *Si Petrus existaret, Petrus curreret*; quæ omnino disparata est: sicut enim existentia Petri esse potest, sine existentia cursus, pariter concursus Dei in actu primo, & Omnipotentia præparata potest esse sine existentia consensus. Quibus adde, quod si objectum scientiae mediae constituitur per conditionem, ut subest nostro modo intelligendi, cum tamen realiter, & à parte rei non possit subsistere sine alijs conditionibus, nempè, sine concursu Dei concomitantib; euclamant contra prædeterminantes, cum assertant potentiam ad dissensum in prædeterminato ad consensum esse ad dissensum secundum se, & præcissivè à prædeterminatione ad ipsum dissensum, & carentia prædeterminationis ad consensum? Quia sicut potentia ad dissensum est ad dissensum, ut extiturum à parte rei, ita conditionalis de consensu est de consensu, ut extiturum à parte rei: sicut ergo, iuxta adversarios, quia potentia ad dissensum est potentia ad dissensum, ut extiturum à parte rei, & à parte rei existere non potest sine prædeterminatione ad ipsum, & caritia prædeterminationis ad consensum, inferunt prædictam potentiam non posse esse ad dissensum secundum se, & præcissivè, sed necessario debere esse ad dissensum sub uno ex contradic-

torijs relatis; pariter quia conditionalis illa est de dissensu, ut extiturum à parte rei, & à parte rei non potest existere sine concursu concomitantib; & ceteris requisitis, nec conditionalis illa poterit efformari de dissensu solùm, ut subest nostro iudicio, noltroque modo efformandi propositiones, sed necessario debet efformari de dissensu secundum omnia, quæ exigit, ut existat a parte rei.

## FUNDAMENTUM VII.

*Ex quo Deus cum illo decreto indifferenti, vel effet Author actus mali, vel solùm permisso actus boni.*

93 **H**oc inconveniens, licet sit jām persuasum ex dictis in primo fundamento; nūc tamen iterū convincitur, ex quo supposito illo decreto indifferenti, quo Deus parat Omnipotentiam ad cōcurrentum cum voluntate creata, ad quodcumque ipsa se determinaverit, inferunt Deum cum creatura immediate concurrere, nedum ad actū bonum, verum etiam ad malum, & peccaminosum, & ad hoc etiam pro formalī propter identitatem cum materiali, ut communiter jām defendant recentiores Societatis. Quo supposito statum appetit inconveniens: Deum, nempe, vel esse Authorem actus mali, vel solùm esse permisso actus boni: namque Deus per idem decretum præparat, & applicat Omnipotentiam ad concurrentum cum creatura ad actū bonum, atque ad actū malum; aliunde sicut ad actū bonum concurrit nedum pro materiali, sed etiam pro formalī, pariter ad actū peccaminosum concurrit nedum pro materiali, sed etiam pro formalī: ergo non est unde dicatur Author actus boni, & non mali, vel unde dicatur permisso actus mali, & non boni, sed vel utriusque debet dici Author, vel utriusque permisso. Confirmatur, sicut actus malus est à creatura, ut à determinante, à Deo vero solùm ut permittente se determinari, pariter actus bonus; juxta eorum doctrinam est solū à creatura ut determinante, & à Deo solū ut permittente se determinari; aliter decretū, vel concursus Dei ad actū bonum non esset indiferens, nec per creaturam determinatus: si ergo quod peccatum sit à Deo, non ut à determinante, sed ut permittente se determinari, sufficit, ut Deus sit pure permisso peccati, pariter sufficiet, ut sit pure permisso actus boni: vel è contra, si quod actus bonus sit à Deo non ut determinante, sed ut permittente se determinari, sufficit, ut sit Author actus boni, sufficiet etiā, ut sit Author actus mali.

94 Dices cum P. Herrera, quæst. 8. de prædestinat. sect. 1. quod Deus dicitur Author bo-

ni, quia est causa per se illius; peccati vero non est causa per se, sed peraccidens, & permissiva. Sed contra est argumentum factum, namque propterea non est causa per se peccati; sed tollum peraccidens, & permissiva, quia licet ad illud concurrat effectivè, non tamen determinativè, id est, non ut se determinans, sed ut determinatus à creatura, sed pariter ad actum bonum non concurrit ut se determinans, sed ut determinatus à creatura: ergo vel utriusque est causa peraccidens, & permissiva, vel utriusque est causa per se.

95 Sed responderet: non ideo solum esse causam peraccidens, & permissivam peccati, quia ad illud non concurrit, ut se determinans, & ut determinatus à creatura; sed ultra quia in illud influit præter intentionem, secùs autem in actum bonum. Sed instat argumentum: nam propterea Deus influit in actionem malam præter intentionem, quia in eam influit non ex propria sui determinatione, sed ex determinatione extra-nea creature; at etiam in actionem bonam non influit ex propria sui determinatione, sed ex extra-nea creature: ergo vel in actionem bonam influit etiam præter intentionem, vel non influit præter intentionem in actionem malam.

96 Resp. non ideo præcisè influere in peccatum præter intentionem, quia in eum influit ex determinatione creature, sed ultra quia in eum influit contra propriam inclinationem; in actionem autem bonam secundum propriam inclinationem influit. Sed contra: nam in actionem bonam non influit Deus in actu primo alia inclinatione, & voluntate præter inclinationem, & voluntatem decreti ex se, & ab intrinseco indifferentis; in actu vero secundo non alia voluntate præter voluntatem ejusdem decreti determinata per eum. At etiam creature; supponimus enim hoc decretum unicè existere, ut ipse tenet, & communiter Jesuitæ; at indifferentia intrinseca illius decreti eadem est respectu peccati, & actus boni, cum per eum Deus indifferenter velit concurrere cum creatura, ad quod ipsa se determinaverit, sive bonum, sive malum; pariterque determinatio illius decreti eadem est respectu utriusque; ut potè sicut per determinationem creature ad bonum, determinatur ad bonum, etiam per electionem ejusdem ad malum, determinatur ad malum, ut ipse frequenter repetit: non ergo est unde in actionem bonam influat secundum propriam inclinationem, & in malam contra ipsum.

97 Sed nunc notanda sunt verba hujus doctoris, n. 14. quibus suam mentem apperit; at enim, quod concursus Dei in peccatum, alter est in actu primo, alter est in actu secundo. Con-

cursus in actu primo est illa voluntas Dei indifferens ad actionem malam, & bonam, qui concursum, & optimus est, & omnino à libertate di-vina dependens. At vero concursus in actu secundo est ipsa actio humana, sive determinatio libera voluntatis creatæ, proveniens indivisibiliter ab homine, ut se determinante, & à Deo ut permittente se determinari; unde quando homo peccat, ipsa voluntas prava, quæ peccatum quoad materiale, & quoad formale est, concursus est in actu secundo. Quapropter licet Deus velit suum concursum in actu primo circa peccatum, quia concursus in actu primo est voluntas Dei indifferens; attamen concursus in actu secundo ad peccatum, ut potè identificatus cum ipso peccato, nequit amari à Deo, sed potius de illo displacebit. Quibus verbis sententia hujus Authoris, illiusque solutio patet; nempe, Deum propterea concurrere ad peccatum præter ipsius intentionem, & inclinationem, quia licet cum creatura concurrat ad peccatum, etiam pro formalib; non tamen propterea vult concursum in peccatum, sicut vult concursum in actum bonum.

98 Sed in primis contra hanc doctrinam arguitur primo ex verbis relatis; namque Deus per illud decretum indifferens vult suum concursum in peccatum; sed non concursum in actu primo: ergo non concursum in actu secundo. Prob. min. concursus in actu primo est ipsum decretum indifferens, sed per decretum indifferens nequit directè amare ipsum decretum indifferens: ergo Pat. min. ut potè objectum directè amatum debet distingui ab actu amandi: nec enim negamus decretum velle se ipsum reflexe, quippe per decretum nedum Deus decernit, verum & vult se decernere, sicut per amorem consensus vult se amare consensum, attamen sicut directè iste amor non se ipsum attrahit, sed consensum, ita decretum non se ipsum directè attingit, sed concursum ab eo distinguebit, qui est concursus in actu secundo.

99 Deinde id, quod addit, nempe, concursum in actu secundo esse ipsam actionem humanam, sive determinationem liberam voluntatis creatæ provenientem indivisibiliter ab homine, ut se determinante, & à Deo ut permittente se determinari, procedit nedum de actione humana mala, sed etiam bona: adhuc enim hæc non est à Deo ut determinata, ut dicunt, sed solum, ut permittente se determinari; & tamen hoc non impedit Deum velle concursum ad actionem bonam, & indifferentem in vi decreti indifferentis, & determinatae in vi ejusdem decreti, ut determinati per electionem hominis, quo intentu dicitur esse volitum permissivè: ergo pariter,

ritèr, quod actio mala proveniat à Deo, ut permittente se determinari, non tollit Deum velle concursum in actionem malam, indifferenter quidem in vi decreti, ut de se indifferentis: nám indifferentia hęc eit ad extrema libertatis, nempe bonum, & malum; & determinatę in vi ejusdem decreti, ut determinati per electionem hominis, nam per hanc etiam determinatur indifferentia decreti, sēcū decretum transit de indifferenti ad determinatum.

100 Fateor his non posse occurri, nisi negando Deum per decretum indifferentis velle ex se indifferenter id, ad quod voluntas se determinaverit; unde etiam infertur, nec velle determinatę concursum in malum, adhuc supposita determinatione creaturæ. Illud tamē p̄d̄ctus Author negare non potest, aliter non erit indifferentis indifferentia commensurata indifferentiæ libertatis creatiæ, quæ est ad bonum, & malum; nēc per illud decretum Deus jura libertatis creatæ servaret: nám eam determinaret saltem quo ad speciem boni. Immò, in tententia istius Authoris, decretum indifferentis applicativum Omnipotentiæ consistit in decreto, quo Deus vult excludere omnem positivam necessitatem ad quodlibet ex extremis libertatis, ut patet ex dictis fundamento primo; sicut ergo & que vult Deus excludere necessitatem ad actionem bonam, & malam, pariter per eum vult actionem bonam, vel malam.

101 Hinc patet & equivocatio illius termini *permisivię*, quo semp̄ utitur iste Author. In p̄senti enim ly *permisivię* non potest summi in sensu Thomistatum, nēp̄, pro substractiōne divini auxiliij, sine quo voluntas non adimplbit p̄ceptum; nec potest summi pro eodē, ac mere omisivię, alias excluderet omnem voluntatem, nēc Deus vellet ex se indifferenter concursum creaturæ ad bonum, vel ad malum; nēc ut determinatus vellet determinatę concursum in malū. Summittur ergo ly *permisivię* prout opponitur voluntati ex propria electione, & determinatione, ita ut sensus sit, non quod Deus non velit concursum creaturæ in malum, sed quod illum non vult ex propria electione, sed ex electione voluntatis creatiæ; ex propria enīm electione vult solum indifferenter, ex electione autem creaturæ, vult determinatę; namque sua electionem, & libertatem summittit creaturæ, ac si Deus sit ex se paratus velle determinatę, quod creatura determinatę voluerit. Unde manifeste apperit, sēcū detegitur & equivocatio: nēp̄, concursum Dei cum creatura in peccatum esse prater intentionem Dei; patet enim non esse, cum Deus non habeat aliam intentionem in vi decreti indifferentis, nisi illius, ad quod

voluntas se determinaverit, ac si electio creaturæ reputetur electio Dei, ut patet à simili in electione ad bonum.

102 Deinde est contra p̄dictam solutionem: nam id, quod non dedecet Deum operari, non dedecet ipsum velle, ut ex terminis notum est. Si ergo non dedecet Deum cum creatura concurrere ad peccatum, nec dedecet ipsum velle concursum ad peccatum. Confirmatur, Deus eit Sanctus, & laudabilis in omnibus operibus suis, juxta illud, quod canit Ecclesia: *Benedictus Deus in omnibus vijs suis, Sanctus, in omnibus operibus suis*: Ergo in omni opere se exercet honeste, & laudabiliter: Ergo etiam se exercet honeste, & laudabiliter in concurso cum creatura ad peccatum, si semel datur in Deo talis concursum; at Deus amat omne opus honestum, & laudabile: amat ergo Deus suum concursum in peccatum.

103 Sed respondet iste author conformiter ad dicta, quod id, quod non dedecet Deum operari per se, & ex propria determinatione, non dedecet ipsum velle. Secus tamen si illud operetur peraccidens, & ex aliena determinatione. Pariterque, ait; quod Deus nihil potest agere per se, & ex propria determinatione, nisi honeste, & laudabiliter; secus tamē peraccidens, & ex aliena determinatione. In his enim operationibus, non eit Deus necessario laudabilis: nám haꝝ operationes absolutè, & simpliciter non sunt operationes Dei.

104 Sed contra est etiam ex dictis, namque, quod non dedecet Deum operari per se, & ex propria determinatione, non dedecet eum velle per se, & ex propria determinatione: Ergo quod non dedecet Deum operari peraccidens, & ex aliena determinatione creaturæ, non dedecet eum velle peraccidens, & ex aliena determinatione creaturæ, id est; ut determinatum per eam. Patet consequentia, nám ideo quod non dedecet Deum operari per se, & ex propria determinatione, non dedecet ipsum velle per se, & ex propria determinatione: quia Deus non operatur per se, & ex propria determinatione, quod non vult; at etiam non operatur peraccidens, & ex determinatione creaturæ, quod non vult: ergo. Pat. min. ex dictis: nám Deo volente per decretum indifferentis indifferenter concurrere cum creatura, ad quod ipsa se determinaverit, eo ipso vult concurrere cum creatura ad bonum, si ipsa se determinet ad bonum, & pariter ad malum, si se determinet ad malum. Patet ergo ex solutione sequi, non quod Deus non velit illud, quod operatur ex determinatione creaturæ, sed quod illud non velit ex propria electione; neque enim est idem non ope-

rari ex propria electione, ac non operari volendo, cum Deus, ut ipsi dicunt, ita velit concurrere cum creatura, ut ejus libertatem non laedat; proinde ita, ut ipse determinatè non velit, nisi quod voluntas creata determinatè vult. Vult ergò Deus, quod voluntas ex sua electione vult. Cujus pariter ponitur exemplum in voluntate concursus in actum bonum, quem Deus vult, cum tamen illum non vult, nisi ex determinatione creature.

105 Durissimum autem est, quod sequitur: nempè, Deum aliquando ex determinatione creature operari aliquid in honestè, & turpiter. O bone Deus, qui ne laudas libertatem hominis, ita te ejus libertati summis, ut adhuc turpiter, & in honestè opereris, si ipse turpiter, & in honestè velit operari! Fallissimumque est illas operationes non esse absolute, & simpliciter proprias Dei; namque quod non procedant ex electione Dei, non tollit quo minus ex Deo simul cum creatura propriè procedant; aliter nec actus liber bonus erit operatio propria Dei; nec actus charitatis erit operatio propria habitus charitatis, à quo solum procedit ex electione voluntatis, ut ipsi dicunt; nec pariter operatio necessaria creaturæ, v. g. Combustio, erit operatio propria ignis, sed solum Dei, ex cuius sola determinatione, & electione procedit. Nè tandem dicetur illum concursum propriè procedere à voluntate creata, ut à causa secunda; nam si ut à causa secunda propriè procedit, eo ipso procedit ab ea, ut à causa subordinata prima, in quo includitur eam propriè procedere à causa prima.

106 Deinde hoc est Deum creaturæ equiparare in sanctitate suorum operum; sicut enim in Deo distinguuntur operationes, quæ proveniunt ex propria electione, & operationes, quæ procedunt ex electione creaturæ; sic in creatura distinguuntur operationes, quæ proveniunt ex propria electione, ut sunt operationes liberas, & quæ proveniunt ex electione Dei, ut sunt operationes necessariae; & sicut operationes, quæ in Deo proveniunt ex propria electione non possunt non esse honestæ, & bona; secus verò, quæ proveniunt ex electione creaturæ, pariter operationes, quæ in creatura proveniunt ex electione Dei, non possunt non esse bona, & honestæ, secus verò, quæ proveniunt ex propria electione. Cur ergò Deus potius dicitur Sanctus in omnibus operibus suis, & non creatura? Cum tam in Deo, quam in creatura omnes operationes, quæ proveniunt ex electione Dei, honestæ sint, & bona, & pariter tam in Deo, quam in creatura omnes operationes, quæ ex electione creaturæ proveniunt, necessario bona non sint, neg-

laudabiles. Hinc ergò convincitur, quod Deus diciter Sanctus in omnibus operibus suis, ita ut nullum sit opus Dei, quovis modo ab ipso procedat, quod non sit bonum, honestum, & laudabile, secus verò in creatura.

107 Præterea contra prædictam solutionem potest non leviter sic argumentari: namque vel Deum concurrere cum creatura ad peccatum, ut per eam determinatum, est ipsi Deo malum, vel bonum, si Deo est malum, implicat, quod ut sic determinatus concurrat; aliter Deus sineret se determinari à creatura, ut sic determinatus, sibi injuriam irrogaret. Si autem est bonum, cur non poterit eum velle ea ratione, qua sibi bonum? Hic non resp. iste Author, sed planè succumbit, dicendo, esse Deo malum, nec inconveniens esse, Deum, ut per creaturam determinatum, sibi irrogare malum, vel injuriam. Esse tamen Deo bonum, & consequenter illud velle: probat, nam eatenac creatura non potest concurrere ad actum peccati sine concursu Dei, quia non potest non concurrere dependenter à causa prima: ergò Deum concurrere cum creatura ad actum peccati, est eum concurrere, ut causam primam, at Deum operari, ut causam primam, est ei bonum, & maximè bonum: ergò ei bonum, & maximè bonum est cum creatura concurrere ad actum peccati.

108 Dices, quod Deum operari ut causam primam ex propria electione, & determinatione, est ei bonum, secus verò quando operatur permisivè, & ex alterius determinatione. Sed contra: nam sequitur Deum operari actus nostros liberos, ut causam primam, nunquam esse ei bonum, namque semper cooperatur ex electione, & determinatione voluntatis creaturæ. Imò operari ut causam dicit ex proprio, & formalí conceptu perfectionem, si sit causa efficiēs, quia unumquodque sic operatur, in quantum est in actu: ergò operari ut causam primam, ex proprio, & formalí conceptu dicit infinitam perfectionem, sicut, & infinitam actualitatem. Hinc D. Thom. I. p. q. 25. art. 1. probat in Deo infinitam potentiam ad agendum, quia est purus actus: vel ergò operari ex electione, & determinatione voluntatis creaturæ tollit à Deo operari ut causam primam, vel adhuc ut causam primam operari ex electione, & determinatione voluntatis creaturæ est Deo bonum, & perfectum.

109 Item Deum offerre suum concursum ad actum peccati est bonum Deo: ergò & concursus ad actum peccati est bonus Deo. Consequatur: nam actio, cuius objectū est malum agenti, non potest esse bona agenti, cum actio specificiter ab objecto. Antec. autem prob. nam ut iste Author fatetur, id, quod procedit à Deo ex

pria electione, & determinatione; & non ex electione, & determinatione creaturæ, necessario est bonum Deo; at Deus offert concursum ad actum peccati ex propria electione, & determinatione, & non ex determinatione, sive electione creaturæ: ergo. Patet minor, nam oblatio concursus ad actum peccati procedit electionem, & determinationem creaturæ; sicut & concursum illius; consistit enim illa oblatio in decreto indifferenti, quod à Deo esse ex propria electione, & pro priori ad concursum, & determinationem creaturæ haud dubium est.

110 Tandem Deum non posse non velle cum creatura concurrere ad peccatum, si semel concurrit, probat: adhuc urgentius, nam Deus nihil agit, nisi per intellectum, & voluntatem, & licet admittatur potentiam Dei exequutivam distingui virtualiter in Deo ab ejus intellectu, & voluntate; hoc tamen est certum, quod potentia exequutiva, sive creata, sive invenientia, non operatur, nisi ut mota à voluntate: non ergo potest Deus concurrere ad actum peccati, quin velit ad ipsum concurrere. Nec valet Deus nihil agere, nisi per intellectum, & voluntatem, sive positivam, sive permisivam. Nam nos solum intendimus eum velle voluntate determinata per electionem creaturæ, voluntam etiam à Deo decreto indifferenti; in hoc enim sensu, & non in alio Deus vult concurrere ad actum bonum, ut plures dictum est.

111 Quibus adde loca Scripturæ, que predicta sententia contradicere videntur: nempe illud ecclesiastici: *Omnia propter se ipsum operatus est Deus*, vel ergo concursum in peccatum Deus non operatur, vel eum operatur propter semetipsum, tanquam propter ultimum finem, & eum amando. Pariter Sap. 11. habetur: *Nihil odiisti eorum, quæ fecisti*. Si ergo Deus odio habet peccatum, eum non facit; vel falsum est, nihil odiisse eorum, que fecit. Ratioque assignatur verb. seqq. *Nec odiens aliquid constituit, & fecisti*. Ac si Deum dedebeat aliquid agere, & in eo displicere. Scio hæc adversarios explicare de his, quæ Deus operatur, & facit ex propria determinatione; sed sanè verba sunt absoluta, & universaliter significantia, nec postulunt in hoc modo interpretandi, nisi cum distinctione proferri, immò notanter non dicit textus, *nihil odiisti*, sed *nihil odiisti eorum, quæ fecisti*; ac si aliquid sit quod Deus odio habeat, non tamen ab ipso factum, quod aliud esse non potest, præter peccatum.

112 Audiamus jam RR. Thyrsum Salmantensem, qui disp. 11. de scientia Dei, sect. 10. num. 74. Deum eximit ab eo, quod sit Author peccati, quamvis ad eum concurrat, quia non

concurrit tanquam causa, cur sit ille actus, sed præcisè ut causa sine qua non est. Ille autem dumtaxat potest dici causa peccati, qui est causa cur voluntas indifferentis ad utrumque se determinet ad actum peccati; in hac enim determinatione consistit peccatum, seu quo voluntas peccet, Deus autem nullo pacto est causa, quod voluntas potens ad utrumque se determinet ad actum peccati, quia nullo pacto movet ad illum eliciendum, & ita offert concursum ad actum peccati, ut illum concursum nullo pacto amerit, sed permittat voluntati.

113 Sed iste modus solum vocibus differt à precedenti, easdemque patitur difficultates. Pro quo notandum, quod nos in praesenti non intendimus Deum peccare, etiam concurrere ad materiale, & formale peccati; ab hoc enim prescindimus. Sed solum intendimus, quod si dumtaxat Deus concurrit ad actus nostros liberos per decretum indifferentis, non sit cur sit Author actus boni, & non peccati, vel non sit, cur sit purem permissionem peccati, & non actus boni. Quo supposito, neque iste modus satisfacit, sed semper nostrum fundamentum in suo labore manet; namque supposito hoc decreto, non est unde Deus non sit causa cur existat peccatum, sed solum causa sine qua non; & sit causa cur existat actus bonus; & hendum causa sine qua non. Ut poterit propterea secundum ipsum Deus non est causa cur existat peccatum, sed solum sine qua non, quia non est causa cur voluntas se determinet ad peccatum; at etiam non est causa cur voluntas se determinet ad actum bonum: ergo vel existentia actus boni non est causa cur, vel non est unde non sit causa cur existentia peccati, & consequenter vel utriusque purem permissionem. Minor patet: nam actus bonus etiam non procedit à Deo, ut determinante, & ex propria electione, sed solum sic procedit à voluntate creata; alias decretum Dei erga existentiam actus boni non esset indifferentis, sed determinatum, nec per eum Deus pararet Omnipotentiam ad concurredum cum creatura juxta illius libertatem, sive ad bonum, sive ad malum.

114 Sed respondebit ex dictis ab ipso eadem disputat. sect. 2.n. 15. quod per illud decretum indifferentis unicè amat concursum ad actum bonum, & carentiam omnis impedimenti ad actum malum, ita ut in illum concursum tendat, quantum est ex se, & relinquendo ejus determinationem voluntati; in carentiam autem impedimentorum tendat efficaciter eam inducendo. Sed sit ita, non tamen sit satis argumento: namque in primis semper fatetur, Deum determinationem ad actum bonum relinquere voluntati: ergo semper est verum Deum

Deum non esse causam cur existat actus bonus, licet sit causa sine qua non potest existere; deinde praedictus modus dicendi impugnatur ex dictis à nobis fundamento primò, ubi hujus modi dicendi, & preparandi omnipotentiam mentionem fecimus.

115 Tandem impugnatur eisdem rationibus, ac precedens ea parte, qua asserit Deum unicè amare concursum ad actum bonum; namque id, quod non dedecet Deum operari, non dedecet ipsum velle. Sed respondet distinguendo, quod non dedecet Deum operari præcisè, ut causam sine qua non, secus verò, ut causam cur sit. Sed contra ex dictis, nam non dedecet Deum velle concursum ad actum bonum; sed non quia illum operetur, ut causa cur sit, sed solum ut causa, sine qua non pariter: ergò si non dedecet Deum operari actum malum, ut causam sine qua non, nec dedecet eum velle concursum in illum. Patet minor: ut potè, ut ipse fatetur, actum bonum liberum non operatur Deus ex propria electione, & determinatione, sed determinatus per voluntatem creatam, sed hæc sola ratione Deus ad actum malum concurrit solum, ut causa sine qua non, & non ut causa cur sit: ergò.

116 Deinde, licet voluntas creata sit causa cur concursus Dei sit determinatus ad malum, non tamen est causa cur existat quantum ad intrinsecam sui indifferentiam, sed hujus causa est dumtaxat Deus, qui omnino liberè, & spontaneè concursum illum offert creature, cum potuerit non offerre: ergò ad minus Deus vult concursum illum quantum ad sui intrinsecam indifferentiam; at hæc voluntas non stat quin Deus etiam velit illum concursum quantum ad extrinsecam determinationem supposita determinatione creature, ut supra probavimus contra Patrem Herrera: ergò.

117 Pro cuius confirmatione notanda sunt verba hujus Authoris sect. 2. num. 2. ubi habet: *Quod licet bonum sit Deum offerre concursum suum ad actum peccati; malum tamen est, quod illum revera exhibeat;* & propterea id nequit tribui ipsi Deo, sed voluntati, que est causa cur Deus in actu secundo concurrat potius ad actum peccati, quam ad actum oppositum. Unde videtur deduci concursum illum ad actum peccati, quantum est ex parte Dei, non esse determinatum ad actum peccati, sed indifferentem ad actum bonum, & malum, namque si determinatus sit ad actum malum ex parte Dei, falsum est voluntatem esse causam cur Deus in actu secundo concurrat potius ad actum malum quam ad oppositum: hæc enim verba sonant ipsum quantum est ex se, & prout à Deo indif-

ferentem esse ad utrumque: Deus ergò est causa cur existat ille concursus, quantum ad intrinsecam sui indifferentiam, licet voluntas sit causa cur existat quantum ad sui extrinsecam determinationem.

118 Præterea, vel Deum concurrere cum creatura ad actum malum est ipsi Deo malum, vel bonum? Si malum, implicat, quod concurrat. Si bonum: ergò poterit eum velle ea ratione, qua sibi bonum est. Sed respondet Deus concurrere ad actum peccati, neque esse ex se bonum, neque malum ipsi Deo. Sed non posse non esse bonum Deo convincitur, ex quo Deus non potest non operari conformiter ad rationem, & propter finem verum ultimum, qui est sua bonitas. Preterea ut ipse fatetur, Deum offerre suum concursum ad actum peccati, est Deo bonum: ergò illum revera exhibere est Deo bonum. Patet consequentia, nam Deus non offert concursum illum, nisi ut revera exhibendum, & actio cuius objectum est malum agenti, non potest esse ei bona, ut supra arguimus.

119 Ultra: Deum operari, ut primam causam, est ei bonum. Ac tandem id, quod Deo est necessarium non potest non esse ei bonum; creatura autem concurrente ad actum peccati, Deo est necessarium cum ea concurrere. Sed respondet fact. 2. ita esse de eo, quod est necessarium absolute, & simpliciter, secus verò si sit necessarium ex suppositione determinationis voluntatis, cum hæc suppositio malitiæ involvit. Sed contra est, nam ut iste Author ibi numer. 2. habet hæc necessitas ex suppositione non distinguitur ab omnipotencia, ut continentे voluntatem creatam talis naturæ, ut nihil possit operari, quin Deus simultaneè concurrat cum illa: sicut ergò hæc continentia est Deo bona, & conveniens, pariter ei erit bonum, & conveniens cum creatura concurrere ex suppositione determinationis illius, quamvis hæc malitiæ, & deformitatem involvat,

120 Deinde vice versa hoc ipsum esse Deo malum convincitur ex verbis hujus doctoris: namque Deum concurrere ad actum peccati, est creaturam concurrere ad actum peccati, sed creaturam concurrere ad actum peccati est peccare: ergò Deum concurrere ad actum peccati est peccare; sed peccare est malum Deo: ergò Deum concurrere ad actum peccati est malum ipsi Deo.

121 Rursus, Deum velle predictum concursum, probatur, ex quo nihil agit nisi per intellectum, & voluntatem, ut supra contra Patrem Herrera: ac tandem hoc ipsum manifestè colligitur ex doctrina istius doctoris, nam ipse

concedit Deum per decretum illud velle carentiam omnis impedimenti ad actum malum , at Deum possitivè concurrere cum creatura ad actum malum volendo , & decernendo excludere omnia impedimenta ad talem concursum, est velle illum concursum, ut potè eo ipso non concurrit involuntariè, & fortuitò: ergò. Confirmatur , per decretum , quo Deus vult carentiam omnis impedimenti ad actum malum, vult creaturam liberè operari actum malum ; sed ut nuper arguebamus , ille doctor satetur creaturam concurrere ad actum malum, esse Deum concurrere ad actum malum : ergò Deus per illud decretum vult se ipsum concurrere ad actum malum. Major est manifesta , nam Deus carentiam omnis impedimenti ad actum malum non vult propter alium finem , quam ut jura libertatis non infringat , ut ipse loquitur : ergò non propter alium finem , quam ut creatura liberè operetur.

122 Sed restat jam impugnare generalem evasione aliorum , qui non renuentes concedere Deum per decretum indifferens velle concurrere cum creatura indifferenter ad actum bonum , atque ad actum malum , proindeque ut determinatum per creaturam ad actum malum , velle determinatè concurrere ad actum malum, sicut & ut determinatum per creaturam ad actum bonum , velle determinate concurrere cum creatura ad actum bonum; nihilominus eximunt Deum ab esse Authorum peccati , ex quo per decretum indifferens decernit dare auxilium, vel concursum illum, cum quo voluntas peccat , ex intentione feria , sinceroque desiderio de bona operatione , seu salute hominis , quam Pater Oviedo primo Phisicor. punct. 4. num. 33. explicat hoc decreto : *Volo quantum est ex me , ut sit actus amoris ; ita tamen illum decerno , ut voluntas possit ab illo cessare , quia licet ex me vellem esse talem actum , non tamen illum efficaciter decerno independenter à voluntate , ne illius iedam libertatem.* Pater Arriaga illam intentionem exprimit hoc decreto : *Volo , ut quantum est ex me , non deficiat actus odij , ut jura voluntatis non infringam ; quem actum vellem ego non produci à voluntate creatra , quia malus est.* Per illud ergò verbum velle exprimitur illa intentio Dei seria , desideriumque sincerum , quod habet de bona operatione hominis , ejusque salutari consensu; quamvis ne iedat libertatem creatram , indifferenter velit cum voluntate concurrere , sive ad actum bonum , sive ad actum malum; proindeque ex illa intentione efficitur Deus Author actus boni , & purè permisso actus mali.

123 Sed hanc seriam intentionem non

eximere Deum abesse Authorum peccati fit manifestum , ex quo illa intentio est omnino inefficax , & potius velleitas , quam volitio ; decretum autem indifferens licet ex se , & ab intrinsecō sit indifferens , sit tamen efficax , & determinatum per determinationem creaturæ ad actum malum , creatura ergò concurrente ad actum malum , Deus efficaciter vult concursum ad actum maium ; inefficaciter tamen tam ab intrinsecō , quam ab extrinsecō , vult solum concurrere ad actum bonum : sicut ergò intentio inefficax actus boni non tollit à Deo voluntatē efficacem concurrendi ad actum malum , nec tollet ab ipso esse Authorum actus mali. Patet consequentia , tum à priori nam esse Authorum actus mali non est aliud , quam efficaciter voluntariè concurrere ad actum malum : si ergò intentio illa inefficax non tollit hanc efficacem voluntatem , neque tollet Deum esse Authorum actus mali : tum etiam , namque , cum Deus ut determinatus à creatura , concurrit ad actum bonum , non dicitur Author actus boni ab illa velleitate , seu seria intentione , qua quantum est ex se , vult concurrere ad actum bonum ; sed à voluntate efficaci , qua ex determinatione creaturæ vult efficaciter cum ea concurrere ad actum bonum: ergò à simili. At tandem , namque aliter iudex volens inefficaciter , & quantum est ex se homicidam vivere , efficaciter tamen illum occidi , & suspendi , non diceretur Author mortis illius.

124 Pater Herrera , licet hanc seriam intentionem non attingat in prælenti , quia ea nō indiget , ut salvet Deum non esse Authorum peccati , ut potè negans Deum velle concurrere cum creatura ad peccatum , nihilominus eā admittit in divino decreto , de eaque agit de prædestinat. quæst. 4. feft. 1. aitque consistere in eo , quod vi amoris bona operationis redditur Deo impossibilis negatio potestatis libertatis & expeditæ , ita ut nō fieri per Deum defectus boni eventus , sed solum per creaturam. Sed hanc seriam intentionem non sufficere , ut Deus non dicatur Author peccati ostenditur , ex quo potestatem liberam , & expeditam Deus nondum confert creaturæ vi amoris bona operationis; sed etiam vi amoris libertatis creatra , ut paucim ipse , & ceteri Authores loquuntur: cum ergò libertas creatra in indifferentia ad bonum , & malum consistat , vi illius intentionis serię non magis Deus vult creaturam concurrere ad actum bonum , quam ad actum malum.

125 Si tamen , sicut adversarij nostris impugnationibus communiter occurruunt recurrendo ad scientiam medium , nos in præsenti ad illam recurramus , apparet per spicilem talem

seriam intentionem non dari in Deo, cum indifferenter decernit conferre auxilium, vel concursum ad actum malum. Pro cuius intelligentia duo sunt brevitè notanda: primò predictos AA. docere Deum per scientiam medium videre voluntatem ex se omnino indifferentem operatum, benè si ab ipso ponatur in ordine A, peccaturam vera si ponatur in ordine B. Secundò, quod qui liberè, & scientè ponit impedimentum consequutioni finis, infallibiliter dici non potest serio intendere consequutionem finis. Qui enim vult peccare mortaliter, sciens peccatum mortale esse impedimentum infallibiliter excludens salutem aeternam, dici non potest serio salutem aeternam intendere, ut ex se notum est: ergò si Deus videns per scientiam medium voluntatem humanam ex se, & ab intrinseco indifferentem, esse peccaturam si ab ipso ponitur in ordine B, operaturam verò benè, si ponatur in ordine A, liberè & pro sua libertate decernat eam constituere, seu ponere in ordine B, & non in ordine A, non intendit serio eam benè operaturam. Patet conseq. namque eo ipso liberè, & scientè ponit impedimentum consequutioni talis finis infallibiliter, scilicet, bona operationis, utpotè eo ipso infallibiliter non benè operabitur, aliter scientia divina esset fallibilis.

126 Confirmatur: nam qui scit finem non esse obtainendum, nisi ipse adhibeat media, quæ ipse solus habet in sua potestate, & ea non vult adhibere, non potest dici verè, & serio desiderare illum finem; at Deus per scientiam medium scit hominem non benè operaturum, nisi ab eo ponatur in tali occasione sub tali vocatione, & auxilio: ergò casu quo Deus eum non constitutus in tali occasione, & sub tali auxilio, non potest dici verè, & serio desiderare hominem bonè operaturum. Explicatur, & confirmatur: namque Deus prævidens per scientiam medium hominem in tali occasione, & sub tali auxilio peccaturum, non potest decernere collationem illius auxilij ex motivo efficacia illius, aliter eam decerneret ex motivo frustandi suam voluntatem, & decretum: ergò ex motivo inefficacia; sed Deus decernens conferre illud auxilium ex motivo inefficacia, decernit illud conferre ea intentione, ut homo sub eo peccet, utpotè solum per peccatum sit inefficax illud auxilium, ut suppono: ergò.

127 Solutio P. Herretæ reducitur ad hæc verba: Connatus alius est efficax affectivè, alter inefficax, licet serius, & sincerus; de ratione connatus affectivè efficacis est non posse conjungi cum præscientia sue frustrationis. At verò de ratione connatus inefficacis non est ita non

posse conjungi. Nec video aliquam rationem afferni pro hac impossibilitate preter terminorum propositionem. Addit etiam ipsum nescire, quo jure semel admissa in Deo voluntate inefficaci cum præscientia sue frustrationis, cùm non possit similitè admitti connatus inefficax cum ejusdem frustrationis præscientia? Sed in primis stando eorum principijs, ratio impossibilitatis est eadem, qua ipsi contra Thomistas intendunt ante prævisa merita non dari in Deo intentionem efficacem dandi gloriam prædestinatis, quia hæc componibilis non est cum voluntate illa inefficaci salvandi omnes homines, quia in hoc casu hæc esset ficta, & simulata: nec enim potest verè desiderare salutem aeternam omnium hominum, qui scit, & vult efficaciter dumtaxat aliquos salvare, & alios excludere ante prævisa merita, vel demerita. Quæ ratio militat adversus prædictum Authorem: namque pariter possunt dicere Deum non verè desiderare hominem benè operaturum; cum scit, & vult efficaciter eum non benè operaturum. Et quidem nos hanc duplē voluntatem, nempe, inefficacem salvandi omnes homines, & efficacem excludendi aliquos à gloria, componimus dicendo illam esse antecedentem, id est, secundum primam considerationem hominum, nempè salvandi omnes homines, in quantum homines; hanc verò consequentem, id est, non salvandi aliquos consideratis omnibus circumstantijs, ut exponit D. Thom. 1. p. q. 19. art. 6. quo in sensu iudex vult hominem vivere, id est, in quantum homo; vult tamè efficaciter eum suspendi in quantum homicida est. Sub quibus considerationibus planè ostenditur illam voluntatem inefficacem cum altera inefficaci componibilem esse. Est tamen incomponibile eadem voluntate, & dum efficaciter per eam vult hominem damnari, velle serio etiam inefficaciter salvari, ut in præsenti contingit, quatenus dicunt eodem decreto, quo Deus vult constituere hominem in occasione, in qua prævidet eum peccatum, serio velle inefficaciter benè operaturum.

### FUNDAMENTUM VIII.

*Ex quo Deus cum illo decreto indifferenti concurreret cæco, & ignorant modo.*

128 **N** Amquè agens aliquod cæco, & ignorant modo producere effectum, est cum producere, velut tentando, & in certum tendens, ignorando, quis effectus determinatè eventurus sit, quamvis cum jam productum agnoscat;

scat. Sic enim mulier dicitur parere cęco, & ignoranti modo, quia parit ignorando an paritura sit marem, vel fæminam, licet post partu hoc ipsum sibi determinatē innoteat; sed in eo casu Deus concurreret ad actus nostros liberos, ve-  
luti tentando, & in incertū tendēs, nempē, igno-  
rando an eventurus sit determinatē amor, odiū  
vē, quamvis supposita illius elicientia sibi talis  
actus innotescat: ergo. Prob. min. nām in eo ca-  
su Deus hoc unum dumtaxat fecit, nempē, te cō-  
currere cum creatura concursu indifferenti ad  
amorem, vel odium; an verò determinatē sit  
eventurus amor potius quam odium, hoc igno-  
rat, usque dum creatura divinum concursum  
determinādo amorem eliciat, & non odium: er-  
gō vera est minor. Cujus est accommodatum exē-  
plum in eo, qui manum suam præparat ad scri-  
bendum, sed non determinat scribere potius A.  
quam B. sed hoc voluntati alterius relinquit, ei  
tradendo manum calamo præparatam, ut ex ip-  
sius determinatione scribatur quod ei placuerit;  
iste enim dicitur cęco, & ignoranti modo scri-  
bere. Si ergo pariter Deus offert manum tuę  
Omnipotētia, teu divinum illius concursum  
creatura, non determinando potius producere  
consensum, quam disensem, sed hoc voluntati  
creatę relinquento, haud dubium, quod consen-  
sum p̄ disensem produci cęco, & ignorati modo

128. Sed quis non miretur P. Alarcon, disp.  
15. cap. 8. & P. Arriagam, disp. 1. phisicorum, n.  
72. hoc tam absurdum nec rennere devorare.  
Contra quos scriptura clamitat, dūm Psal. 103.  
dicit: *Omnia in sapientia fecisti*; & ad Ephesios  
primò: *qui operatur omnia secundum consilium  
voluntatis sua*; & sapientiae septimo: *omnium  
enim artifex docuit me sapientia*; & cap. 8. attin-  
git à fine usque ad finem, *P* disponit omnia sua  
ziter; noteturque illud Augustini de Civitate  
Dei: *non aliquid nesciens fecit*. Hęc enim loca  
componi non possunt cum eo, quod Deus actus  
nostros liberos operetur cęco, & ignoranti mo-  
do; namque si cęco, & ignoranti modo:  
ergo non in sapientia, sed in insipientia: ergo  
non secundum consilium, sed inconsiderate. Et  
quis dicat modum sic operandi imperfectū non  
esse, perfectioremque modum operandi esse per  
scientiam, & sapientiam; Deoque atribuendum  
esse modum perfectissimum operandi, nempē,  
præsciendo effectū determinatē producendum

229. Melius alij resp. quod licet pro priori  
ad decretum indifferentis non videat Deus ef-  
fectum determinatē sequendum; videt tamen  
illum absolutē, & per scientiam medium, qua  
prævidet actum ponendum sub conditione sui  
concurrentis, & per scientiam visionis, qua actum  
existentem intuetur: & hoc sufficit ut non con-

M. Carrasco.

currat cęco, & ignorantī modo. Sed non suffice-  
re ostenditur: nam in primis notitia, quæ sequit  
ur existentiam effectus, ut est scientia visionis,  
non sufficit ut agens illud producens non con-  
currat cęco, & ignorantī modo; aliter sufficeret  
mulierem cognoscere filium post partum, ut cę-  
co, & ignorantī modo ipsum non partiat; &  
pariter sufficeret quod homo tradens manū suam  
alteri ad scribendum, quod ei placuerit, videat  
post litteras jam efformatas, ut non dicatur eas  
efformasse cęco, & ignorantī modo: requiritur  
ergo ad hujusmodi ignorantiam, & cęcitatem  
excludendam præscientia, seu scientia anteced.  
existentiam effectus.

130. Deinde notitiam effectus determina-  
ti habitam per scientiam medium, etiam non suf-  
ficere fit notum: tum quia, licet per scientiam  
medium Deus prævideat effectum de-  
terminate ponendum, sed non ex propria  
sui determinatione, sed ex determinatione  
creaturæ: prævidet ergo suum proprium con-  
currum ex se non inducere effectum determina-  
tum: proindeque ipsum, quantum est ex se, con-  
currere in incertum, & consequenter cęco, & ig-  
noranti modo: tūm quia scientia media, juxta eo-  
rum principia, non est practica, sed speculativa,  
proindeque non facit suum objectū, sed supponit,  
& consequenter se habet ad illud, ab eoque  
determinatur: cum ergo divinum decretum, eju-  
sque concurrentis non possit non ingredi objectū  
scientię medię juxta principia supra allegata, nē  
pē, omnia requisita ad existentiam absolutam  
consensus debere ingredi conditionatē in futu-  
ro conditionato, quod est illius objectum, planè  
sequitur pro priori ad scientiam medium præin-  
telligi Deum concurrente conditionatē suo de-  
creto in consensum absque scientia illius, & con-  
sequenter cęco, & ignorantī modo. De quo ma-  
gis late in fundamento sequenti.

#### FUNDAMENTUM IX.

*E*x quo cum illo decreto non componitur provi-  
dentia Dei erga nostros actus  
liberos.

131. **N** Amque providentia definitur à  
Boetico quarto de consolatio-  
ne, quod est ipsa divina ratio in  
summo omnium principe constituta, qua cuncta  
disponit. Qua definitione uitur D. Thom. t. p.  
quæst. 12. art. 1. ut probet in Deo esse provi-  
dentiam: tunc sic: ergo ut salvetur providentia  
in Deo erga actus nostros liberos, requiritur  
eos existere ex divina dispositione. Hęc con-  
sequentia est nota: at Deo concurrente ad  
nollos actus liberos solum per decretum

FF

in-

indifferens, tales actus existere non posunt ex divina dispositione: ergo. Prob. min. existere ex divina dispositione, per id est ac existere ex divina determinatione; sed Deo concurrente ad actus nostros liberos per decretum indifferens, illi non existunt ex divina determinatione, sed potius ex determinatione voluntatis creare, ut factentur: ergo. Major videtur nota ex terminis: ut poterit disponere agenda, est de agendis determinare, qui enim nihil determinat agendum, nihil disponit.

132 Confirmatur primò quod determinate ex voluntate Dei non existit, ex providentia Dei, ut poterit quod existit ex providentia alicujus determinate existit ex illius voluntate; cù enim providentia sit ordinatio mediorum in finem, presupponit intentionem finis, & dirigit electionē mediiorum in illum: si ergo amor determinate præ odio non existit ex voluntate Dei, nec potest existere ex providentia Dei. Sed posito ex parte Dei decreto dumtaxat indifferēti ad amorem, & odium, amor determinate præ odio non existit ex voluntate Dei: ergo neque ex providentia Dei. Pat. min. nam amorem determinatē præ odio existere ex voluntate Dei, est Deum velle determinatē amorem præ odio; sed posito solum illo decreto indifferēti ad amorem, & odium, Deus non vult determinatē amorem præ odio: ergo amor determinatē præ odio non existit ex voluntate Dei.

133 Confirmatur secundo: providentia est pars prudentiæ: ut docet D. Tho. loco citato, ad prudentiam autem pertinet consiliari de medijs quæ dicitur eubilia, & judicare de illis, quæ dicitur sine sis, & ea exequutioni mandare, quæ dicitur prudentia specialiter, & simpliciter sumpta ut etiam docet D. Tho. 2.1. q. 47. art. 8. & q. 91. art. 2. & 4. quam doctrinam desumpsit, ex philosopho in 6. ethicorum. Supponit ergo providentia intentionem finis, & dirigit electionem, & exequutionem mediiorum, sine voluntate ergo determinata finis, & mediiorum non stat providentia, & consequenter nec salvatur in Deo providentia erga nos tristis actus liberos, si ad eos solum concurrit per decretum indifferens.

134 Pariter hoc ipsum testatur D. Thom. q. 22. antecedenti, ubi ipsissimum adversario- rum fundatum sibi objicit: Nempè quicunque dimittitur sibi, non subest providentia alicujus governantis; sed homines sibi ipsis dimittuntur secundum illud Ecclesiastici: Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui: Ergo respondet: Quod in hoc non excluditur homo à divina providentia, sed ostendit quod nō prefigitur ei virtus operativa determinata ad unum, sicut rebus naturalibus, quæ

agunt tantum, quasi ab altero directe in finem, non quasi se diregentia in finem, ut creature rationales per liberum arbitrium, quo consiliatur, & eligant; sed quia ipse actus liberi arbitrij reducitur in Deum sicut in causam, neceſſe est ut ea quæ ex libero arbitrio fiunt, divine providentia subdantur. Providentia enim hominis continetur sub providentia Dei, sicut causa particularis sub causa universalis. At hæc doctrina cohædere nequit cum decreto illo indifferēti, nā que tūc, sicut providentia hominis reducatur in Deum tanquam in causam affectivam, non tamen tanquam in causam determinativam, proindeque non reducitur in prudentiam Dei, nam hæc non est causa nisi per electionem, & determinationem: Ergo.

135 Sed omnia hæc concordate connantur adverſarij cum sua scientia media, in qua divinā providentiam constituunt, divinamque providentiā, ut à Thomistis statuitur, ut libertati creatræ contraria rejiciunt. Dicunt ergo quod licet decretum Dei sit ab intrinſeco indifferens, priori tamen ad ipsum explorat Deus quid voluntas creata eligit, si in tali occasione cōſtituitur, eique conferatur auxilium A. & prævidens ipsam consensuram, decernit purificare cōditionem, nempè, eam in tali occasione cōſtituere, eique præbere tale auxilium; quo in casu jam decreto illo ex se, & ab intrinſeco indifferēti, præviso tamē efficaci pro arbitrio creaturæ in statu cōditionato, vult Deus efficaciter, & determinatē consensum præ dissensu, vel præ carentia dissensu, quod est velle consensum provide, securè, & prudenter, nam aliter, seu illa scientia non præente, vel veller consensum cum laſione voluntatis creare si decretum ab intrinſeco efficax, & determinatum sit, vel exponeret se periculo frustrandi suam voluntatem, & auxilium, cum utrumque hoc ab intrinſeco sit frustrabile, sicut & conjungibile cum dissensu, vel carentia dissensu.

136 Sed hanc providentiam libentius appellare providentiam creaturæ erga Deum, quā providentiam Dei erga creaturam; providentiāque Dei potius subdī providentia creaturæ, quā è contra infertur manifeste: namque juxta hunc modum dicendi, Deum velle determinatē consensum præ dissensu non provenit ex decreto Dei, vel illius auxilio secundum se, sed ex quo Deus prævidet voluntatem creatam sub illo decreto, & auxiliij indifferēti se determinaturam potius ad consensum, quam ad dissensum: quod est prævidere voluntatem creatam determinaturam potius divinum decretū, vel auxilium ad consensum, quam ad dissensum: principium ergo, & radix determinationis

divina ad consensum creature, potius quam ad illius dissensum est electio, seu determinatio voluntatis creatae previsa sub conditione decreti, & auxilij indifferitis: potius ergo ex predicta scientia media insertur providentia creature erga Deum quam Dci erga creaturam; providentiamque Dei subdi providentiae creature, quam est contra.

137 Deinde efficacissime predicta evasioni occurrit ex supradictis: namque providentia divina omnino necessaria est ad existentiam actus liberi, ut suppono: ergo in statu conditionato non potest non etiam praevideri ut sic requisita, & necessaria ad existentiam actus liberi: sicut ergo scientia media supponit suum objectum, estque illo posterior, utpote pure speculativa, & non practica, ut fatentur adversarij, supponit etiam objective divinam providentiam, neque eam constitutre potest. Intelligitur ergo Deus in illo statu conditionate, provide, & prudenter volitum determinate consensum independenter a scientia media; & consequenter in statu absoluto: aliter, aliquid esset requisitum ad existentiam actus in statu absoluto, quod conditionate non esset requisitum, nec importaretur in statu conditionato.

138 Confirmatur, & explicatur decretum illudmet, quo Deus potest scient. medium vult futurum esse consensum, ipsummet conditionate ex parte objecti previdetur per scientiam medium, estque illa posterior: vel ergo illud decretum antecedit scientiam medium, ut providum, & prudens, vel non? Si primum: ergo scientia media impertinenter se habet ad Dei providentiam. Si secundum: ergo nec post scientiam medium est prudens, & providum, namque decretum est idem, sola differentia penes statum conditionatum, vel absolutum: nempe penes *decreno*, vel *si decrevero*; si enim *decreno* dicit decretum absolute providum, *si decrevero* dicit decretum conditionate providum: vel contra *si decrevero* non dicit decretum conditionate providum, neque *decreno* dicit decretum absolute providum.

139 Adhuc amplius confirmatur: objectu scientiae mediae tale pro priori ad ipsam, est hoc *si dedero*, vel *decrevero dare Petro auxilium A. in tali ordine rerum, consentiet*. Nunc ergo inquiro, vel in illa hypothesis includitur: *si dedero*, vel *decrevero prudenter, & provide*, vel non? Si hoc secundum: ergo providentia Dei necessaria non est ad existentiam consensus, quod dici nequit. Si primum: iterum inquiro, vel illa hypothesis: *Si decrevero prudenter, & provide*, includit hypothesis scientiae mediae: nempe *si decrevero cum scientia media, seu previdens creaturam consensuram, vel non?* Si hoc secundum: ergo provide, & prudenter decerne-

re illud auxiliu, non est illud decernere praesciendo consensum creature sub conditione auxilij, neque ab illa præscientia dependere. Si primum est destruere objectum scientiae mediae: namque illa conditionalis necessaria est, & non contingens, utpote scientia media de consensu, infallibiliter cum consensu connectitur; cum tamen objectum scientie mediae contingens sit, & liberum.

140 Tandem explicatur, vel scientia media necessaria est ad existentiam consensus, vel non? Si hoc secundum: cum providentia Dei necessaria sit ad existentiam consensus, patet providentiam Dei erga nos actus liberos independentem esse a scientia media. Si primum: ergo eadem ratione qua in objecto scientiae med. ingreditur divinum decretum, & auxilium, adhuc autem ipsa Divina Providentia ingreditur, & ipsa scientia media, per quam conditionate attinguntur omnia requisita ad existentiam absolutam consensus. Quo in casu currit argumentum factum, nempe, objectum scientiae mediae destruit, propter infallibilem, & necessariam connexionem ejus cum futuritione consensus.

141 Sed respondent dupli via: prima dico predictam scientiam non esse necessariam, ut essentialiter exactam ab actu libero nostro, bene tamen ut requisitam ex parte Dei, nempe ut Deus provide ad illum actum concurrat. Sed contra sit argumentum irrefragabile, nam providentia Dei essentialiter exigit a nostro actu libero: si ergo scientia illa media essentialiter exigit ex parte Dei, ut provide ad nostrum liberum actum concurrat, non potest non etiam a nostro actu libero essentialiter exigi. Sicut, quia a nostro actu libero essentialiter exigitur concursus divinus, & hic requirit essentialiter divinum decretum, etiam divinum decretum essentialiter exigitur a nostro actu libero. Confirmatur: nam implicat contradictionem aliquid esse essentialiter requisitum, ut causa producat effectum, & quod non sit essentialiter requisitum, ut effectus producatur a causa: si ergo scientia media essentialiter requiritur ex parte Dei, ut provide producat nostrum actum liberum, essentialiter etiam requiretur ex parte nostri actus liberi, ut provide producatur a Deo.

142 Deinde hec solutio impugnatur: nam propterea, juxta aliquos recentiores, scientia media essentialiter non exigitur a nostro actu libero, quia eo ipso laderet ejus libertatem; at hoc pariter insertur *si semel est requisita ex parte Dei*, ut provide producat nostrum liberum: ergo. Probat. min. namque eo ipso est suppositio antecedens existentiam nostri actus liberi, ad illam necessaria, infalli-

biliterque illam inferens, quā habet, vel repellere non est in nostra potestate; hoc enim semper verificatur. Si ē à nostro actū libero essentialiter exigatur, sive solū exigatur ex parte Dei, ut provide producat noltrū actū liberum: ergo. Ac tādem impugnatur predicta solutio: nā adhuc non vitat in conveniēs, ut potē si semel est necessaria ad existentiam actus nostri liberi, sicut & ad divinam providentiam, non potest non importari conditionatē in objecto scientiæ mediæ, quo in casu objectum scientiæ mediæ efficitur necessarium, & definit esse liberum, vel contingens.

143 Magis tamen communiter respondet Doct. Societatis apud Complutensem Herrera de scientia Dei, quæst. 13. sect. 9. num. 138. quod in objecto scientiæ mediæ preintelligitur Dei providentia conditionatē, ita ut objectum scientiæ mediæ sit: *Si ideo vero provide, vel de dero prudenter,* &c. Cumque ad talēm providentiam propter indifferentiam decreti, vel concursus sit necessaria scientia media, ne te ponat Deus periculio irustrandi suū decretū, vel concursum, consequenter cōvicti affirman, scientiā mediā ingredi etiā suūmet objectū; unde non salvatur nostrum intentum: nēpē, quod providentia Dei intelligatur in statu conditionato pro priori ad scientiā mediā; sed ipsam eadem scientia media absolute dirigēs in statu absoluto, ditigit cōdīti nātē in statu conditionato. Ab eisdē enim causis, à quibus res pendet absolute in statu absoluto, dependet conditionatē in statu conditionato, verba enim sunt Authoris telati.

144 Ex quibus infert quā temere ausus sit fingere Gonetus, disp. 6. de scientia, art. 6. §. 7. Quod juxta sententiam defensorū scientiæ mediæ sunt distinguēdi duo modi concurrēdi cause pri- ma cū secūdis, unus cecus, & ignorans, casualis, & fortuitus; qui presupponit ad scientiā mediā, & nullū intellectus iudicii, quo divina voluntas, & omnipotētia ad aliquē effectū in particulari producendum dirigatur: supponit, sed modo quādā vago, & quasi in incertā tendit in actus volūtatis humanae, nātārū ad quocūque voluerit, vel elegerit volūtas humana. Alter, vero prudens; & sapient, & supponens p̄ visionē scientiæ medie. & cū deliberatione, & intentione effectus particularis. Quo nibil absurdius dici potest. Hac Gonetus predicto loco.

145 Contra quem invehitur Herrera his verbis: Cæcum, & ignorans à defensoribus scientiæ mediæ Deum fugi jactitat Gonetus, cum ipso sit qui cecitate, & ignorantia doctrina de scientia media turpiter afficiatur. Non distinguit doctrina de scientia media duos modos concurrēdi, alterū p̄eūrum ad scientiam medium, & alterū illa posteriorē; sed modum providētis.

sapientis deliberaatum, & scientiæ medie directum, quem habet Deus absolute in statu absoluto, hunc ipsam habet conditionatē in statu conditionato. Quemadmodum enim, ut supra dicebamus, idem consensus, qui foret si poneretur conditio, idem ipse sit quādo hypothēsis purificatur, ita pariter eadem ratione, quā verū est, dirigi Deum absolute, & de factō scientiæ medie, quando de factō ponitur auxiliū, cui homo de factō consentit, verū similiē est Deum dirigendū fore eadem scientiæ media, si poneretur auxiliū. Hoc autem, ut evidenter patet, non est dari alterum modum concurrendi dissimile ab eo, quem Deus habet in statu absoluto auxiliū, & consensus. Quod quidem adeo evidens est, ut pudeat in re usque adeo manifesta ulterius immorari.

146 Sed quidquid sit de verbis, quā statim dederat Religiosum, non adeo evidens esse, sed oportuisse eum ulterius immorari, nec temerē Gonetus inferre illum duplē modum concurrendi, convincitur ex dictis; primò: nām licet ipse, & alij cum eo sic sentiant, ceteri tamen oppositiū consent: nēpē omnes illi, qui dicunt scientiam med. necessariam non esse ad existentiam actus liberi, proindeq; nec ingredi conditionatē objectum scientiæ medie. quod & nūc novissimē tenet R.R. Thyrf. de scientiæ Dei, disp. 14. sect. 7. n. 81. immò ait hoc libenter fateri Societ. DD. In hoc enim modo dicendi, cum tota ratio, ut scientiæ medie importetur conditionatē in statu conditionato consensus, sit ipsam esse requisitam ad existentiam absolutā consensus, videtur necessario dicendum eam neque conditionatē importari in objecto scientiæ medie, & consequenter necessitate est in hoc tam communi modo afferere, juxta illius defensores, esse distinguendū illum duplē modum concurrendi: non ergo finxit, nec temerē intulit Gonetus; sed ipse potius finxit suam sententiam, ut communem Authorum scientiæ mediæ, cum non ita sit.

147 Deinde: si objectum scientiæ mediæ ingreditur ipsa scientia media, eo ipso est necessarium, & non liberum, & contingens: namque eo ipso importat conditionem infallibilitatē connexam cum consensu; unde deducitur, vel objectum scientiæ mediæ penitus extingui, vel ipsum teneri fateri in objecto scientiæ mediæ non ingredi conditionatē ipsam scientiam medianam; quo in casu tenetur etiam fateri illum duplē modū concurrendi. Unde patet eum ulterius immorari oportuisse sibi objiciendo hanc replicam, quam sibi non objicit. Eam tamen sibi objici de p̄destinatione quæst. 2. sect. 4. cui satisfacit num. 45; de qua solutione supra egimus, ibique impugnatū relinquimus. Immò ibi numer. 47. forte difficultate solutionis oppressus de-

requisita ad existentiam absolutam effectus debere numerari in objecto scientiae mediae ex parte conditionis, sed sufficit si aliqua importentur ex parte conditionati, ubi non consequenter loquitur ad dicta in praesenti; namque tunc non importatur adhuc conditionate per modum diligentis Deum in suo decreto; sed potius ut illata ex eo consequenter, sicut & consensus ipse. Et sic nec verificatur tunc Deum decerne te provide, & sapienter.

148. Et quidem licet solutionem primam impugnaram supra relinquamus, eam placet breviter hic impugnare juxta subiectam materiam. Dicebat enim scientiam mediā esse requisitam tam ad statum absolutum, quam conditionatum realiter, & à parte rei, secus autem mentaliter, seu ut cognitum à nobis: tunc ergò inquiero, quomodo conciliari possit hæc solutio cum precedentī, qua ipse cum alijs affirmat, providentiam non salvari in Deo erga nostros actus liberos, nisi quatenus directo per scientiam medianam? Hoc enim est planè asseverare providentiam divinam, sive conditionatam, sive absolutam affirmari in Deo à nobis non posse, non affirmata scientia media, sive conditionate, sive absolute. Confir. si divina providentia absoluta, vel conditionata mentaliter, & ut affirmatur à nobis, non requirit scientiā mediā: ergò potest affirmari à nobis conditionatè, vel absolute nō affirmata scientia media? Consequentia concedit. Tunc sic: ergò divina providentia in statu absoluto verè affirmatur à nobis per hoc, quod Deus conferat auxilium præscindendo ab eo, quod prævideat voluntatem ei consensuram; at hoc ipsi in exercitio negant, cum ipsi, & non Deus, vel angelus, vel thomista, vel scotista, dicant, & affirmant potius, Deum provide se gerere circa nostros actus liberos quatenus præbet auxilia sub quibus prævidet voluntatem consensuram: ergò. Ut videat lector, rem non esse usqueadē manifestam, ut eum non oportuisset ulterius immorari.

#### FUNDAMENTUM X.

*Ex quo predictum decretum componi non potest cum supremo Dei dominio erga nostros actus liberos.*

149. **N**Amque supremam dominium Dei erga nostros actus liberos exercetur per imperium, nempe, imperando, & intimando quod fiant, at tale imperium componi non potest cum solo divino decreto ex se; & ab intrinseco indifferenti erga nostros actus liberos: ergò. Major est expressa D. Thom. 3. contra Gentes, cap.

64. ubi sic habet: *Sacra Scriptura Deum dominum, Regemque confitetur, secundum ilud Psalmi: Dominus ipse est Deus, & iterum: Rex omnium terra Deus; Regis enim est, & Domini suo imperio regere, & guvernare subiectos. Unde rerum cursum Sacra Scriptura divino adscribit imperio Job. 8. qui præcipit Soli, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo. Hac etiam ratione Deus in sacra scriptura describitur ut omnia guvernans, omniaque producens suo imperio, ut colligitur ex illo Genesis: Dixit Deus fiat lux, fiant duo luminaria magna, Germinet terra, producant aquæ: & Matthæi 8. imperavit ventis, & mari, & Job. 38. usquehuc veniens, & non procedes amplius. Hinc in Psalmo præceptum posuit, & non præteribit, & in alio, Verbo Domini Cœli firmati sunt, & in alio, ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.*

150. Minor vero, quod tale imperium componi non possit cū solo divino decreto ex se, & ab intrinseco indifferenti erga nostros actus liberos, est manifesta; nāque imperium est semper de uno p̄æ alio, ut patet ex locis p̄æ allegatis. Neque enim segerit ut Dominus, qui alteri solū proponit, *fac quod volueris*, unde imperium propriè significatur per *fas hoc*: Hinc imperium supponit iudicium determinatum de medijs eligendis, pariterq; electionē illorum, per ipsumque intimator voluntati usus actius, seu medijs præjudicati, & electi exequatio. Quod etiā expressa traditur à D. Tho. 1. 2. quest. 17. art. 3. ad 1. his verbis: *omnis actus voluntatis præcedit bono actionis, qui est imperium; sed aliquis præcedit, scilicet elección, & aliqui sequitur scilicet usus; quia potest determinatione consilij, que est iudicium rationis voluntas elicit, & potest electione ratio imperat ei per quod est agendum quod eligitur; & tunc demū voluntas alicujus incipit uti exequendo imperium rationis. Imperium ergò semper est de medio determinato, supponitque iudicium determinatum, determinatumque electionem, & infert exequitionem determinatam, nempe, unitis p̄æ alio. Quia coherere non posunt Deo solū decernente indifferentē concurrere ad id, quod voluntas creata ex sua innata libertate eligere voluerit, ita ut voluntas creata judicet eligendum, quod Deus eligendum non prædicavit, pariterque eligat medium; quod voluntas divina non prælegit, ac tandem ponat in exequitione medium, ad quod divinus concursus ex se, & ab intrinseco: non terminatur hoc enim est fieri, vel exequi medium Domino non jubente, quod ex persona blasphemantium inducitur Tren. 3. ut supra ex D. Tho. notavimus.*

151. Confirmantur: namque imperium juxta Divum Thomam loco citato, art. 1. in corp.

*corp. est ordinativa cum motione quadam intimatio operis exequendi: Hæc autem intimatio utpote practica, & operis exequendi non potest non esse actus rationis determinatus supponens intentionem determinatam finis, iuditium determinatum mediorum, electionemque illorum determinatam: non ergo cohædere potest in Deo cum solo decreto indifferenti erga nos tristus actus liberos.*

152 Alia via nostrum assertum fundatur sic, ille actiones dicuntur ex dominio Dei procedere, quæ ex deliberata Dei voluntate procedunt; sed quæ procedunt ex solo Dei decreto indifferenti, non procedunt ex deliberata Dei voluntate: ergo. Major est nota ex terminis, qui enim nihil deliberat, nihilque determinat a gendis, quomodo potest dici ea exequutioni mandare; exequenter quidem, sed à casu, & præter illius intentionem, patetque etiam ex dictis ratione præcedenti; ac tandem est doctrina ex presla Div. Thom. 1. 2. quæst. 1. art. 1. in corp. loquendo de domino hominis illis verbis: *ille solæ actiones vocantur propriè humanae, quarum homo est dominus; est autem homo dominus suarum actionum per rationem, & voluntatem, illæ ergo actiones propriè humanae dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt.* Si ergo solum actiones illæ dicuntur procedere ex domino hominis, quæ ex deliberata hominis voluntate procedunt, quanto magis solum illæ, quæ ex deliberata Dei voluntate procedunt, possunt dici procedere ex dominio Dei.

153 Immò actiones humanas non posse procedere ex deliberata voluntate hominis, quin simili procedant ex deliberata voluntate Dei, ostendit Div. Thom. 1. 2. quæst. 19. art. 2. ad primum, quod erat hujusmodi: *Illud est in hominis potestate, cuius ipse est dominus; sed homo est dominus suorum actuum, & maximè ejus, quod est velle: Ergo homo potest velle, & facere bonum per se ipsum absque auxilio gratiae.* Et respondeat: *Quod homo est dominus suorum actuum, & volendi, & nolendi propter deliberationem rationis, quæ potest flecti ad unam partem, vel ad aliam. Sed quod deliberet, vel non de liberet, & si hujusmodi etiam sit dominus, oportet quod hoc sit per deliberationem præcedentem, & cùm hoc non procedat in infinitū, oportet, quod finaliter deveniatur ad hoc, quod liberum arbitriū moveatur ab aliquo exteriori principio, scilicet à Deo. Unde mens hominis non ita habet dominium sui actus, quin indigeat moveri à Deo. Non ergo secundum Div. Thom. actiones humanae possunt procedere ex deliberata hominis voluntate, quin simili procedant ex voluntate deliberata Dei, immò si homo non ita est do-*

minus sui actus quin indigeat prius moveri à Deo, quomodo potest ponit ita dominus sui actus, ut ipse potius in illius elicitia moveat, & determinet Deum.

154 Minor verò principalis, nempe quod actiones, quæ procedunt ex decreto Dei indifferenti, non procedant ex deliberata Dei voluntate, non minus est nota, namque voluntas deliberata idem est atque voluntas electiva, quæ propterea sic dicitur, quia sequitur iuditium determinatum rationis de electione mediorum, sicut & in exequendo sic dicitur, quia sequitur imperium determinatum, & perfectum de exequutione operis. Ita Div. Thom. 1. 2. quæst. 17. citata, art. 5. & in 2. distinct. 39. quæst. 2. art. 2. ad 2. proptereaque idem est voluntas deliberata, ac determinata, vel medio iuditio rationis ad electionem hujus medij præ alio, vel medio imperio ad exequutionem hujus medij præ alio, quod in decreto indifferenti inveniri non potest.

155 Confirmatur primo: dominium in actu primò consistit in posse ad eligendum hoc, vel illud, hac enim ratione homo est dominus suorum actuum, ut docet Div. Thom. supra, quæst. 82. art. 2. ad 3. Hinc dominium in actu primò in libertate consistit, ut etiam docet D. Thom. 3. contra Gent. cap. 10. his verbis: *Eesse autem tribuit Deus alijs non necessitate naturæ, sed secundum suæ arbitrium voluntatis; undè consequens est, quod factorum suorum sit dominus, nam super ea, quæ nostræ voluntati subduntur, dominamur.* Tunc sic, sed exercitium prædictæ potestatis est velle determinatè hoc præ illo, namque debet esse ad unum determinatè extreum, aliter non esset determinatio illius, æqueque exercitium cum potestate indifferenti maneret: dominium ergo divinum exerceri non potest per decretem indifferentis, quoad unum præ alio non determinatur. Explicatur: voluntas creatæ eatenus exercet dominium, quod habet supra suos actus, & ceteras potentias sibi subjectas, quatenus se determinat ad volendum hoc præ illo, ceteraque potentias movet, & applicat ad exequutionem ejus, quod vult, & intendit: ergo cum dominium Dei supremum sit, utpote sibi subjiciens etiam voluntatem creatam, dicendum est, Deum illud exercere se determinando ad volendum hoc præ illo, voluntatemque creatam applicando, & movendo ad volitionem, & exequutionem ejus, quod Deus ipse prævoluit, & præintendit, & consequenter non per decretem indifferentis.

156 Alia adhuc via nostrum assertum potest roborari, namque Dei dominium supra actus liberos excedit dominium nostræ voluntatis

etis supra eosdem; sed dominium excedens dominium nostrum voluntatis supra suos actus liberos, subfistere nequit si Deus ad eos pure concurrat per decretum indifferens: ergo. Major est nota, cui consonat illud Apocalipsis, cap. 19. *Rex Regum, & Dominus dominantium*, & illud Augustini, cap. 14. de correctione, & gratia: *Deus magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas.* Rationeque patet ex quo dominium voluntatis creatae supra suos actus non potest non esse secundum, & participatum. Minor vero suadetur, ut potè majus dominium est ubi plenior est potestas; nam dominium, vel non distinguitur à potestate, vel in ea fundatur, ut docet Div. Thom. infra quæst. 13. art. 7. ad primum, & quæst. 7. de potentia, art. 10. ad 14. & alijs in locis; sed in eo casu plenior esset potestas nostræ voluntatis erga nosotros actus liberos, quam potestas Dei: ergo. Prob. min. in eo casu voluntas nostra se ipsam liberè determinare potest ad consensum præ dissensi; Deus autem eam determinare non potest absque lassione sua libertatis; item nostra voluntas determinare potest divinum decretum; concussumque divinum, divina autem voluntas determinare non potest decretum, vel concussum voluntatis creatæ, deinde decretum divinum, prout à divina voluntate non est, neque esse potest efficax, constituitur autem efficax per determinationem voluntatis creatæ: plenior ergo esset in eo casu potestas nostræ voluntatis, quam potestas Dei erga nosotros actus liberos.

157 Tandem fundari potest nostrum assertum ex definitione dominij, quam communiter tradunt philosophi morales, & jurisperi-  
ti, nempè: *Dominium est facultas libera utendi re sua sine injuria alterius*? Si ergo Deus supremus Dominus est nostræ voluntatis, nostri-  
que liberi arbitrij; ergo in Deo est facultas libera utendi nostra voluntate, nostroque libero arbitrio sine hominum prejudicio, vel injuria. Tunc sic; sed talis usus consistit in applicatione, & de-  
terminatione nostræ voluntatis, nostrique liberi arbitrij ad operandum, quod Deus voluerit; ut enim est applicare principium actionis ad actionem, ut docet Div. Thom. n. 2. quæst. 16. art. 1. potest ergo Deus in vi supremi dominij, quod habet supra nostram voluntatem, nostrumque liberum arbitrium, eum applicare, & determinare ad consensum, potius quam ad dis-  
sensum; quod tamen facere non potest per so-  
lum decretum indifferens. Cujus pone exem-  
plum in nostra voluntate, quæ ratione dominij, quod habet supra cæteras potentias, eis uti-  
tur, eas aplicando, & movendo ad suas opera-  
tiones. Immò ratione supremi dominij, quod

habet Deus supra causas naturales, eis pariter utitur per applicationem, & determinationem. Ac tandem, ut docet Div. Thom. opusc. 37. cap. 5. *verus Dominus, id quod possidet ut Dominus, possidet ut suum*: Si ergo Deus possidet nostram voluntatem ut Dominus, eam possidet ut suam: potest ergo ea uti, & de ea dis-  
ponere ut sibi placuerit.

158 Audiamus jām responsiones Jesuitarum. Et quidem olim ore Battidæ in congrega-  
tione 39. de auxilijs resp. dominium Dei supra voluntatem creatam, nostrumque liberum arbitrium, non esse absolutum, & despoticum, quale est, quod habet supra causas naturales; sed tantum politicum, & civile, quo nimur posse voluntatem nostram regere, dirigere, & al-  
cere, uti Rex se habet ad sibi subditos, & mar-  
itus ad mulierem; non vero, quod possit voluntatem nostram efficaciter, & intrinsecè mouere, & applicare ad liberè agendum, alias moueret ipsam absque sui libertate; & consenserit, sicut mouet alias causas naturales, quod est absurdum.

159 Sed Deum habere absolutum domi-  
nium, & nedum politicum, & civile supra no-  
stram voluntatem ostendit ex dictis: namque in primis Dei dominium supra nostram volun-  
tatem est supremum, proindeque quo majus  
intelligi non potest, & cui termini non possunt  
præfigi; ut potè Rex Regum, & Dominus Do-  
minantium; hujusmodi autem dominium non  
potest non esse despoticum, & absolutum, ut-  
potè hoc majus est dominio politico, & civili.  
Deinde dominium Dei supra nostram volun-  
tatem est supra dominium nostræ voluntatis, su-  
pra suos actus liberos, & in cæteras potentias, si-  
bi subjectas, aliter non verificatur proloquium  
Augustini: quod Deus magis habet in sua po-  
testate voluntates hominum, quam ipsi suas; sed  
dominium voluntatis nostræ in suos actus libe-  
ros, & in cæteras inferiores potentias est domi-  
nium despoticum, & absolutum: ergo à for-  
tiori dominium Dei supra nostram voluntatem.

160 Deinde: dominium Dei supra causas  
naturales est absolutum, & despoticum, ut ipsi  
fatentur: ergo etiam est absolutum, & despo-  
ticum dominium Dei supra nostram volun-  
tatem. Prob. conseq. ideo illud est dominium ab-  
solutum, & despoticum, quia tam causæ natura-  
les, quam illarum operationes sunt bona Dei,  
effectusque illius, ab ipsoque tanquam à causa  
prima dependentes infieri, & conservari; at pa-  
riter sunt bona Dei nostra voluntas, nostraque  
libertas, ipsiusque operationes liberæ; merita-  
que nostra, ut patet ex illo Paralipomenon 29.  
*Tua sunt omnia, & que de manu tua accept-*

mus, dedimus tibi; & ex illo Concilij Tridentini Sessione 6. cap. 16. Tanta est erga omnes homines bonitas Dei, ut eorum vellit esse merita, que sunt bona sua: & ex illo Augustini: *Deus dum coronat merita nostra, coronat bona sua.* Licet enim merita hominis sint sub dominio absoluto voluntatis illius, sed non ut supremo, sed ut secundo, & subordinato domino: ergo. Hinc proverbiorum 24. dominium Dei supra voluntatem nostram equiparatur cum dominio Dei supra res naturales, ut patet ex illis verbis: *Sicut divisiones aquarum, ita corrigit Regis in magnus Dei, quacunque voluerit, vertet illum.*

161 Ac tandem: illud est dominium absolutum, & despoticum, cuius imperio resisti non potest; sed tale est dominium Dei erga voluntatem nostram: ergo. Prob. min. ex illo sapientia 11. *Virtuti brachij tui quis resistet?* Et ex illo Esther. 14. *Non est qui possit tua resistere voluntati?* Et ad Romanos nono. *Voluntati ejus quis resistit?* Et Esaï. 14. *dominus exercitu in decrevit, & quis poterit infirmare?* Quod & alijs in locis frequenter tradit Scriptura. Nec inde sequitur Deum movere voluntatem nostram absque sui libertate, & consensu, sicut movet alias causas naturales, de quod infra in response argumentorum.

162 Hinc alij concedunt in Deo erga nostram voluntatem, & liberum arbitrium, dominium absolutum; dicunt tamen eum salvari in Deo per solum decretum indifferens, namque ut aliquid dicatur esse sub dominio alterius, sufficit quod esse non possit absque ejus libera voluntate: Cum ergo actus nostri esse non possit absque illo decreto indifferenti Dei, consequenter hoc sufficit, ut salvetur dominium Dei absolutum erga nostram voluntatem, nostrumque liberum arbitrium.

163 Sed non sufficere declaratur ex eo, quod dominium consultens in eo, quod aliquid non possit fieri sine voluntate alterius, est imperfectum, & diminutum; dominium quippe perfectam insuper addit, quod fiat aliquid determinare per illius imperium, illiusque liberam determinationem. Cujus ratio à priori est: tum quia, juxta ejus definitionem, est libera facultas utendi re sua: tum quia de ratione dominij perfecti est potestas, nedum ad non esse, verum & ad esse effectus: Ergo non sufficit ad dominium perfectum alicuius, quod habeat in sua potestate non esse effectus suspendendo concursum, sine quo effectus esse non potest; sed ultra, quod habeat in sua potestate esse illius; nempe, quod sit, si ipse voluerit, & determinaverit. Quis enim dicat esse dominium electio-

nis canonice, ille sine quo alter eligi non potest? Sanè est ulterius necesse, quod posset facere, ut ille præ alio determinatè eligatur. Dominum autem Dei supra nostram voluntatem non est diminutum, sed perfectum, nec solum super non esse consensu, potest nempe suspendere concursum, sine quo esse non potest; sed etiam super esse illius, habens scilicet in sua potestate quod sit, quod & comprobant verba illa Deuteronomij 32. & primo Reg. 2. *Dominus mortificat, & vivificat, dedit ad infernos, & reducit.*

164 Huic modo dicendi affinis est modus aliorum dicentium, dominium Dei salvare per hoc, quod Deus per concursum simultaneum attingat effectivè, & immediate entitatem voluntatis creatæ, quin voluntas possit in aliquem actum providere, nisi pendenter à tali concurso. Qui modus pariter impugnatur, ac praecedens. Et addo inde sequi etiam voluntatem creatam habere dominium supra voluntatem divinam, quia ad ipsos actus voluntatis nostræ, ut potè vitales, nedum non potest concurrere voluntas creata se sola, & sine concursu voluntatis divinæ, verum nec potest concurrere voluntas divina se sola, & sine concursu voluntatis creata. Quod etiam convincitur in duabus portantibus lapidem, quorum uterque immediate effectivè in eundem morum, seu portationem lapidis influit taliter, ut unus alio indigeat ad eum portandum; unde inferre non licet unum supra alterum dominium habere. Ratioque supra assignata hoc manifeste ostendit, ut potè dominium est facultas libera utendi re sua sine injuria alterius; ut autem est applicatio principij actionis ad actionem; hæc autem applicatio voluntatis creatæ non salvatur in Deo per concursum simultaneum, cum concursus applicans causam ad operandum prævius sit, & operationem præcedat: Ergo nec per solum concursum simultaneum, quo Deus immediate effectivè cum voluntate creata volitionem creatam attingit, salvatur in Deo dominium, quod habet supra ipsam.

165 Hinc jam communiter Jesuitæ, ut salvent in Deo supremum dominium supra voluntatem creatam, nostrumque liberum arbitrium, recurrent ad scientiam medium, qua media dicunt Deum prævidere quid voluntas eligeret sub tali auxilio, & concursu indifferenti; & supposito quod prævideat ipsam electuram consensum, jam habet potestatem, ut possit facere ipsam consensuram, nempe, conferendo ei illud auxilium, sub quo eam consensuram prævidet; in qua potestate dominium Dei supra nostram voluntatem constituunt.

Sed

166 Sed ubi est imperium, quo diximus Deum dominium suum exercere supra voluntatem creatam? Sanè imperium domini non expectat determinationem servi; longe enim dicit *fac hoc à velle* quod fiat prævisa ipsius voluntate, & determinatione. Ultra ut diximus, imperium supponit iudicium determinatum de medijs, illorumque electionem determinatam, intimatque usum actuum voluntatis, ut exequutioni mandetur; Deus autem per scientiam medium, ut potè pure speculativâ nihil judicat determinate agendum, potest illam nihil determinatè eligi, nihilque intimat exequutioni; sed purè per scientiam medium cōditionatè prævidet, quid judicaret homo sub illo auxilio, quid eligeat, quid exequutioni mādaret, & potest illam solum purificare conditionem, ut iudicium hominis transeat de conditionato in absolutum, pariterque transeat de conditionata in absolutam ejus electio, ejusque determinatio, & intimatione: quod facit non eligendo, non determinando, non intimando, sed purè conferendo concursum indifferentem, indifferentisque auxilium illud, sub quo creatura prævisa fuit conditionatè judicata, electura, determinatura, & intimatora: nihil ergò splendet ex parte Dei, adhuc cum illa scientia media, quod nomen imperij, seu exercitij dominij sibi vendicare queat.

167 Deinde ubi est deliberata illa voluntas, quam præcedere iudicium rationis determinatum practicum necesse est, & nedum iudicium speculativum, quale solum est scientia media? Ac tandem ubi est plenior illa potestas? Namque adhuc voluntas illa conferendi auxilium, & concursum, sub quo voluntas creata prævisa fuit conditionatae consensura, non determinata, nec est potens illam determinare, sed potius ab illa determinatur: adhuc ergò non salvatur dominium Dei esse supremum, & excedens dominium voluntatis creatae.

168 Sed respondet Complutensis Herrera de prædestinatione, quest. 6. test. 8. num. 147. liberum arbitrium hominis considerari posse, vel secundum se, vel cum omnibus ad consensum, & dissensum prærequisitis instructum. Facta ergò comparatione potestatis liberi arbitrij hominis secundum se ad divinam potestatem, magis subjicitur dominio divino actus liber Petri, quam arbitrio libero ipsius Petri, quia Petrus ita consideratus, nec est proximè potens ad consensum, neque absolute potens comparare sibi proximam potestatem, præser-tim ad actus supernaturales; Deus autem habet proximam, & expeditam potestatem constituciendi Petrum proximè potenter consentire, conferendo illi libertatem, sub qua consensurus

prævidetur, quod sufficit, ut sub prædicta consideratione actus liber Petri sit sub potestate Dei, magis quam sub ipsius Petri potestate. Si verò liberum arbitrium hominis consideretur cum omnibus requisitis, omittit num. 149. est. se in homine perfectius dominium electivum, licet non proprietatis, & jurisdictionis. Et cum hac distinctione, sit, esse intelligendum proloquium Augustini, nempe magis esse in potestate Dei voluntates hominum, quam in eorum potestate.

169 Sed planè in hac solutione confunditur dominium Dei super voluntatem creatam in actu primo, cum illius dominio supra eandem in actu secundo. Dominium enim, quod exercet Deus conferendo liberè voluntati creatæ potestatem proximam, & expeditam, nempe auxilium sufficiens, est dominium super ipsam solum in actu primo, cui ex parte voluntatis nullum correspondet dominium, cum in ejus potestate non sit auxilium illud adquirere, ut solutio fatetur: unde de hoc dominio loquendo non datur locus comparationi; neque illud exercet Deus dependenter à voluntate creata, sed cum omnimoda libertate ex sua electione, & determinatione. De hoc ergò dominio non loquimur in praesenti, sed de dominio Dei super voluntatem creatam in actu secundo, id est, erga ejus determinationem ad actus liberos, supposita voluptate creata cum omnibus requisitis ex parte actus primi, nunc enim procedit comparatio, & urget nostrum argumentum; namque voluntas sic potest se ipsam determinare, & divinum concursum; Deus autem solum potest concurrere determinatus per voluntatem creata: est ergò plenior potestas in voluntate creata, quam in divina; & consequenter plenus dominium, neque hoc solum est electivum, sed etiam proprietatis, & jurisdictionis, utpote hoc sic dicitur, quia est usus rei propriæ; potestas autem illa per donationem Dei sit propria creatura, illudque auxilium sub illius propria potestate constituitur, ut illo tanquam proprio utatur. Et quidquid sit de hoc, dominium voluntatis electivum superexcede-re dominium electivum Dei, est asserere dominium voluntatis electivum non esse secundum, participatum, & subordinatum, immo est solum ponere ex parte Dei dominium electivum imperfectum, & diminutum, nempe solum quantum ad hoc, quod sine illius concursu voluntas hominis elicere non valeat consensum. Quod esse inconveniens ex terminis videtur manifestum.

170 Item proloquium Augustini non debere intelligi de voluntate hominis secundum

se previsse, verum & cum omnibus requisitis ornata, liquet, ex quo voluntas hominis secundum se non est in potestate illius, neque enim in manu ejus est eam sic adquirere, vel repellere; sed in eo diamanat ab anima in eodem instanti comprodueta ad productionem illius: solum ergo est in potestate hominis, quantum ad liberam determinationem erga elicentiam suorum actuum; cumque ad hanc presupponatur completa, & ornata, seu instrueta cum omnibus requisitis, infertur evidenter, quod cum Augustinus asserit magis predictam voluntatem esse in potestate Dei, quam hominis, loquitur non de voluntate hominis secundum se, sed cum omnibus requisitis ornata, & completa.

171 Sed quidquid sit de his, radicitus præterea impugnatur iste ultimus modus dicendi, ex his, quibus impugnabimus eundem modum loquendo de divina providentia: namque illa potestas Dei, qua potest facere voluntatem creatam consensuram conferendo ei illud auxilium, sub quo eam consensuram prævidit in statu conditionato; est potestas non quidem proveniens ex efficacia, vel determinatione ipsius decreti, vel auxiliij conditionate prævisi, sed ex determinatione voluntatis creatæ conditionatæ prævisæ sub illo auxilio, & decreto ex se omnino indifferenti: ergo principium, & radix illius divinæ potestatis ad consensum potius quam ad dissensum est ipsamet electio, & determinatio voluntatis creatæ, non vero ipsa divina voluntas absoluta, & secundum se, potius ergo ex illa scientia media colligitur dominium Dei subdi dominio voluntatis creatæ, quam è contra.

172 Deinde, ut etiam ibi argumentabamur; cum Deus prævidet voluntatem creatam consensuram ex hypothesi auxiliij; utique prævidet eam consensuram ipsamet Deo concurrente ut dominio ad consensum: ergo cum objectum scientie media prius sit ipsa scientia media, quia hec objectum suum supponit, consequenter pro priori ad scientiam medium salvatur in eo statu dominium Dei erga voluntatem nostram: impertinenter ergo recurrerit ad scientiam medium, ut salvetur predictum Dei dominium.

173 Rursum: vel illudmet decretum, quo Deus potest scientiam medium statuit conferre voluntati creatæ auxilium conditionatæ, prævidetur per scientiam medium, vel non? Si hoc secundum: Ergo per scientiam medium non prævidetur Deus conditionate concurrens tanquam dominus ad consensum voluntatis creatæ. Si primum: ergo pro priori ad scientiam medium salvatur Dei dominium, seu potestas, ut faciat voluntatem consensuram, potius quam

dissensuram. Tandem, ut ibi diximus, objectum scientie media est hoc: *Si decrevero, vel dedero Petro auxilium A in tali rerum ordine consen-  
tiet.* Tunc sic: vel in illa hypothesi importatur: *Si dedero, ut dominus, C tanquam potestatem  
habens ad faciendam eam consensuram, vel non?* Si hoc secundum: ergo voluntas creata conditionatè cōsentiet independenter à Dei dominio. Si primum: Ergo pro priori ad scientiam medium salvatur Dei dominium erga voluntatem creatam.

174 Quibus solum potest responderi ut alibi, quod objectum scientie mediae supponitur ad ipsam absolute, & exercitè existentem, non vero conditionatè; sed sic ipsamet scientia media suimet objectum ingreditur, proindeque nunquam salvatur dominium Dei ante scientiam medium; sed si sit absolutum, eam supponit absolute, si vero conditionatum, eam supponit conditionate. Sed contra hanc evasionem est inde destrui objectum scientie mediae propter connexionem infallibilem illius cum consensu, ut ibi ponderavimus.

#### FUNDAMENTUM XI.

*Ex quo predictum decretum tollit à Deo rationem prime cause, primique agen-  
tis liberi.*

175 **H**oc in primis videtur deduci ex doctrina Complutensis Herrera fundamento præcedentib[us] relata; namque non reputat inconveniens dominium Dei electivum esse imperfectius, & inservius dominio electivo hominis: Cum ergo dominium electivum sit dominium libertatis, neque à libertate distinctum, jam juxta hunc Authorem, libertas divina erga nos tristis liberos, imperfectior, inferiorque est libertate creatæ; proindeque eo ipso non est libertas prima, sed secunda libertati creatæ subordinata.

176 Deinde à priori fundatur, namque agens liberum, prout à necessario distinguitur, est illud, quod cum sit indifferens, se ipsum formaliter determinat ad operandum: ergo illud erit primum agens liberum, quod se primum ad operandum formaliter determinat, id est, se determinat non prius determinatum ab alio; at hujusmodi est voluntas creata, non vero divina, casu quod Deus ad nos tristis liberos concurredit decreto ex se, & ab intrinseco indifferenti: ergo. Patet minor, nam voluntas creata ad consensum, ita concurredit, ut se determinet, & non determinetur ab alio, nempe à Deo, è contra vero voluntas divina concurredit ut determinata per voluntatem creatam: illa ergo est, que

se primò formaliter determinat ad nostros aetus liberos, secus verò divina.

177 Sed respondet RR. Thysrus de scientia media disp. 20, sect. 3. num. 16. hinc solum tēqui, quod voluntas creata sit primum, immò unicum determinans ad nostram actionem liberam, quia supposita indifferentia ad utrumque, illa determinat Deum, ut concurrat ad hunc actum præopposito; non tamen quod sit primum liberum simpliciter, namque non est primum liberum simpliciter, quod nequit se determinare, nisi prius determinaverit se ad cooperandum cum illo, neque est primum principium, quod nequit operari sine concurso alterius. In idem coincidit solutio Pátris Herrera de Scientia Dei quæst. 13. sect. 7. num. 103. negat enim de ratione primi liberi esse, quod sit primum determinans actiones liberas alterius agentis, quia nullum agens liberum patitur jure libertatis, suas actiones ab altero agente formaliter determinari.

178 Sed plane semper instar probatio nostra, namque, quod aliquid sit primum, vel secundum liberum, debet deduci ex ipsa formalissima ratione liberi, nam debent distingui per differentias intraneas, quæ nempè, dividant per intranea rationem genericam liberi: supposito ergò, quod esse principium liberum formaliter, & essentialiter consistit in eo, quod formaliter se determinaret ad operandum, in nullo consistere posse videtur, quod sit primum principium liberum, nisi in eo, quod sit primum se determinans ad operandum, id est, ita ut non determinaretur ab alio, & è contra secundum liberum. Hinc enim arguitur juxta communem regulā. *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.* Ac si argueretur, de ratione agentis liberi est, quod se formaliter determinaret ad operandum: ergò de ratione perfectioris liberi est, quod se perfectius formaliter determinaret ad operandum. Ad mislo ergò, ut utraque solutio admittit, solam voluntatem creatam se primò determinare ad consensum, id est, se determinare non prius determinatam ab alio, secus verò voluntatem divinam, videtur negare non posse illam esse primum agens liberum.

179 Confirmatur, nam sicut à definitione ad definitum valet absolute consequentia, ita valet à definitione cum addito primi ad definitum, cum eodem addito. Pono exemplum, quia intellectivum est principium intellectoris, ita ut benè valeat est principium intellectoris: ergò intellectivum; benè etiam valer, est primum principium intellectoris: ergò est primum intellectivum. Qua ratione, quia essentia, vel natura est primum, & radicale principium intellecti-

onis, essentia vel natura est primò, & radicale intellettiva: & quia potentia est secundum, & proximum principium intellectoris, dicitur etiam secundum, & proximum intellectivum: ergò pariter sicut bene valet: est principium se determinans ad operandum: ergò est principium liberum: pariter bene valebit, est principium primum se determinans ad operandum: ergò est primum principium liberum: hæc enim differentia *primo se determinans* est intranea, seu per intranea dividens intrinsecam rationem liberi; unde non potest non constituere primum liberum.

180 Nec valet, quod voluntas nequit se determinare, nisi prius Deus determinaverit se ad cooperandum cum voluntate; namque, licet Deus se determinet ad cooperandum cum voluntate vagè, & in determinatè, nempè, consensum, vel dissensum, secùs tamen ad cooperandum consensum præ dissensu, namque ad sic cooperandum à voluntate determinatur. Hocque sufficit ut consensus reducatur in voluntatē creatam, ut in primam causam, primumque agens liberum. Pro cuius evidētia notanda est doctrina hujus Authoris supra relata, qui ex quo Deus solum per decretum indifferens applicat suam omnipotentiam, infert Deum non esse causam, & Authorem peccati, quia, nempè peccatum non debet reduci in causam sine qua non, sed in causam cur sit: & quia hæc est voluntas creata determinans divinum concursum, propterea in ipsam, ut in primam causam reducitur peccatum, & non in Deum: illa ergò applicatio indifferens non sufficit Deum constitutere primam causam, primumque agens liberum simpliciter respectu illius actus, ad quem voluntas se ipsam, & divinum concursum determinat; namque eadem ratio est, quantum ad hoc de actu peccati, atque de actu bono, & honesto, cum per decretum indifferens omnipotētia ad utrumque indifferenter applicetur, & sola voluntas illam determinaret ad unum præ alio.

181 Et claritatis gratia inquirō, cur voluntas creatā elicit potius consensum, quam dissensum? Non quidem quia Deus libere volē fūam omnipotentiam applicare, ut ea pro nutu suo voluntas utatur; namque ex hoc non potius habet quod consentiat, quam quod dissentiat; sed ut ipse dicit, ex hoc habet esse potens proxime, & expedite utrumque causare: dicendum ergò est, ut ipse etiam affirmat, consensit potius, quia vult potius se determinare ad consensum, quam ad dissensum, & ibi sifistitur juxta ipsorum doctrinam. Cum ergò causa prima illa sit, in quam effectus ultimate resolvitur

videtur convinci voluntatem creatam esse primam causam consensus, non obstante, quod ejus determinationem præcedat determinatio libera Dei, quia nempe non est determinatio qua se, & voluntatem creatam determinet, sed potius relinquens voluntatem indifferentem ad utrumque; è contra verò determinatio voluntatis creatæ.

182 Nèc etiam valet id, quod addit iste Author, nempe, primum principium non posse esse id quod nequit operari sine concurso alterius; namque si hoc ita est, nec Deus erit primum principium consensus creati, hunc enim, utpote vitalem, Deus operare non potest sine concurso voluntatis creatæ: vel ergo Deus non est primum principium consensus creati, vel ex illo capite voluntas creatæ excludi non debet à ratione primi principij.

183 Nèc tandem valet, quod addit Pater Herrera, nempe, nullum agens liberum pati, jure libertatis, suas actiones ab altero agente formaliter determinari: nam in contra est sua ipsius doctrina, qua ex una parte non potest nō fateri Deum esse agens liberum respectu consensus creati; aliter Deus non omnia operaretur secundum consilium voluntatis suæ; & tamen ex alia cum suis docet Deum eum non operari, nisi ut determinatum per voluntatem creatam: Non ergo est contra rationem agentis liberi pati suas actiones ab alio agente formaliter determinari.

184 Et ad majorem claritatem ab hoc Authore inquiero: unde habet Deus quod sit primum agens liberum? Resp. de prædict. q. 6. sect. 1. n. 122. eatenus esse primum agens liberum, quatenus prius est Deum exercere suam libertatem, quam aliam causam suam libertatem exercere. Item est primum liberum, quatenus ipsa libertas creature ponitur libere à Deo, non verò quia Deus prius determinet voluntatem creatam, quam, ea se ipsam determinet. Sed contra est: nam praterquamquod Deum prius exercere suam libertatem non sufficit ut effectus in eam ultime resolvatur, ut super dicebamus contra R.R.P. Thyrsum, in præsenti loquimur de libertate erga consensum præ diffensu: erga quem sic non prius Deus exercet suam libertatem, quam voluntas creatæ, cum consensum præ diffensu non attingat, nisi ut determinatus per voluntatem creatam. Pariter in præsenti loquimur facta comparatione divinæ libertatis proximæ, & immediatæ erga actum secundum liberum; libertas autem, qua Deus confert creature libertatem, attingit solum mediatè; & remotè actum secundum liberum, immò non determinatè, sed vagè; & sic ex ea ad summum

salvator, Deum esse primum agens liberum respectu voluntatis creatæ in aëtu primo, non verò in aëtu secundo; cum eo enim componitur voluntatem divinam in aëtu secundo non cooperari proximè, & immediatè, nisi ut determinatam per creatam voluntatem.

185 Alia via fundatur nostrum assertum, & non minus urgenter: si Deus ad actus nostros liberos solum concurrat per decretum indifferens, Deus formaliter non est causa nostra determinationis ad bonum, sed præcisè illius causa est voluntas creatæ: reducitur ergo prædicta determinatio in nostram voluntatem, ut in primam causam. Conseq. pat. & antec. videtur manifestum: namque determinatio solum provenit à principio determinante, non verò ab indifferenti, juxta proloquium Philosophi in secundo phisicorum textu 48. *A principio indifferenti, ut tali, non exit actus determinatus; sed Deus ad actus nostros liberos currens per decretum indifferens, non concurrit ut principium determinans, sed ut indifferens; è contra voluntas concurrit ut principium se, & decretum Dei determinans: ergo.*

186 Communis solutio, quam & tradidit Herrera de prædict. q. 6. sect. 8. n. 152. & de scientia Dei q. 13. sect. 7. n. 103. est nostrum argumentum convincere determinationem nostram ad bonum, non esse à Deo determinativè, scù ut à determinante, secùs verò effectivè, scù ut à determinato à creatura. Cujus ponit exemplum in habitu voluntatis, qui est causa nostra determinationis ad bonū, sed non ut determinans voluntatē, sed ut per voluntatē determinatus. Additq. falsissimū esse Deum expectare, vel supponere, & non causare liberā determinationem creature etiam, ut sepe diximus, determinatio est simul concursus divinus in aëtu secundo, quem Deus determinatus à creatura causat phisicè per decretum indifferens. Neque hujus præbet rationem aliam præter ipsum sèpè dixisse. Pariter loco citato de scientia Dei ait: *In hoc nos sepiùm allucinari, quia ad hoc, quod determinatio creature procedat Deo, non ut determinante, sed ut determinato, non opus est prius debere esse nostram determinationē, eamque pro posteriori sequi divinum concursum. Hoc inquam falsissimum est, & in quo adversarij male decipiuntur, nam indivisibiliter Deus, & creatura concurrunt ad liberam determinationem, ita tamen, ut creatura determinando, Deus verò concurrit à creatura determinatus.* Hæc P. Herrera.

187 Eisdem fere verbis resp. R.R. Thyrsum de scientia Dei disp. 11. sect. 3. n. 23. nempe, determinationem nostrę voluntatis ad hunc ac-

tum præ illo verè, & immediatè esse à Deo, non ut determinante, sed ut efficiente : & hinc, ait: *Manet detecta precipua deceptio adversariorum. Ut enim ex eorum objectionibus observavit Fasolus, precipua adversariorum nostrorum deceptio in eo sita esse videtur, quod existimant liberam determinationem, quam nos negamus Deo, ut prædeterminanti, & concedimus arbitrio se determinanti, esse simpliciter concursum aliquem, & operationem, seu realem quendam motum, quem nos vellimus oriri à sola creatura.*

188 Sed quidem Thomistas deceptos non fuisse illud existimando, patet ex Sapientissimo Belarmino lib. 4. de Gratia cap. 16. exprèsse asserente: *Causam secundam determinare primam, antequam illa à causa prima moveatur.* Audiant etiam eum, quem inter suos Doctores Eximum vocant P. Suarez lib. 1. de Concurso Dei cum voluntate cap. 14. & 15. num. 5. asserentem: *Deum non abolutè, sed quasi sub conditione velle, ut hic actus fiat à voluntate creatæ, si ipsa se ad illum eliciendam determinaverit, & sub eadem conditione velle influere in eundem actionem; expectando tamen injuxum creatæ voluntatis.* Audiant etiam eum lib. 3. de Auxilijs cap. 13. num. 15. asserentem: *Deum ita se generere cum voluntate nostra, ut nullam ei vim inferat, sed in potestate ejus motum ejus constituat, ita ut eum inshaare possit, si vellit, vel suspendere. Et quavis Deus pulset, & tangat corda; non tamen infert vim, sed expectat, ut ipsa voluntas consentiat cum Dei adjutorio.* Hunc modum loquendi tenent, & fateri tenentur quotquot cum Suarez docent, Decretum Divinum indifferens esse conditionatum; namque purificatio conditionis prior est natura existentia conditionati. Qua ratione fuerunt Societatis recentiores convicti ad negandum prædictum decretum conditionatum, & novissime idem RR. Thysius loco citat. n. 12. hoc enim, audiens Thomistæ, quid mirum? Si tanquam principium Societatis existimant, Deum expectare, & supponere determinationem voluntatis creatæ, ut per eam determinatum ad ejus liberum actum concurrat. Dicant ergò isti PP. sic docuisse antiquos Societ. DD. recentiores verò contra eos aliter judicare, & non invehanter cōtra Thomistæ tanquam deceptos, & allucinatos.

189 Sed quidquid sit de his, ego nec leviter suspicor, Jesuitas nūc velle prædictam determinationem oriri à sola creatura, solum ergò contendo hoc sequi ex illorum principijs: namque si determinatio est à determinante, & Deus non est determinans voluntatem creatam, videatur sequi, determinationem voluntatis creatæ non esse à Deo. Et in hoc sensu crediderim cæ-

teros Thomistas loqui: quid hoc ut decipiātur existimantes, illos velle prædictam determinationem oriri à sola creatura? Sic enim & nos pariter possemus dicere ipsos decipi existimantes, nos velle voluntatem creatam libertate carere, quatenus asserimus, Deum prædeterminare nostram voluntatem, quo in casu ipsi reputant illius libertatem omnino everti.

190 Ad tem ergò contra prædictam evasione dupli via potest occurri; & primò talè determinationem, neque effectivè posse à Deo produci, si Icmel omnipotentia insit, ut determinata per voluntatē creatam. Quod sic ostendit: namque Divina Omnipotentia eo ipso supponit determinationem creaturæ; ergò non potest adhuc effectivè eam causare. Conseq. patet, ut potè nulla causa supponit suum effectum. Anteced. autem prob. nam Divina Omnipotētia solum potest effectivè influere in consensum, ut determinata per voluntatem creatam, sed non per voluntatem creatam, nisi jam, & priori determinatam; nam ipsa, ut indifferens, determinare non potest: supponit ergò determinationem voluntatis creatæ. Min. & conseq. probantur ad exemplo nostræ voluntatis respectu aliarum potentiarum inferiorum, nam quia istæ in proprias operationes exire non possunt, nisi ut determinatæ pro voluntatem, earum influxus determinationem voluntatis supponit: ergò à simili. Cujus ratio à priori est: nam determinatio voluntatis est medium, ut potentia exequutiva operetur; medium autem ad operandū non potest, non saltè prioritè naturę prædere operationem. Quæ ratio etiam procedit de Divina Omnipotentia, quæ Dei potentia exequutiva est, consequenterque non potest non supponeré determinationem voluntatis; unde cum hæc respectu consensus præ dissensu, sit determinatio voluntatis creatæ, & non divinæ, illa non potest non concursum Divine Omnipotentie præcedere. Quod adhuc exemplificatur in ipsa Omnipotentia, quatenus determinata à voluntate divina ad productionem actus necessarij: nam quia sic determinata à divina voluntate concurrit, divinæ voluntatis determinatio concursum Omnipotentie pro aliquo priori præcedit, & ad eum supponitur.

191 Hæc sibi non objicit RR. Thysius; ex parte tamen sibi objicit P. Herrera loco citato de prædict. num. 137. & sequenti, ubi distinguit illam propositionem: *Nulla causa supponit, vel expectat suum effectum, ut causa sit, vel existat, concedo: ut causet, nego.* Et patiter ait, quod Divinum Decretum indifferens supponit, vel expectat determinationem liberi arbitrij, non ut existat per istud decretum,

sed ut causet ipsam determinationem : nam re vera non causat eam, donec existat. Et deinde negat consequiam, quia causat determinationem per ipsam determinationem , tanquam per causalitatem.

192 Quam solutionem fuisse explicat , ex quo causa à qua aliquis effectus se ipso oritur , & non media aliqua causalitate interjecta , ita est prior illo effectu , ut , licet per effectum prior constituantur , ipsa tamen sola sit , quæ est prior , & licet ea causa , ut sit absolute in rerum natura , non expectet effectum , ut tamen denominetur prior in actu secundo effectu , ipso effectu indiget , & illum expectat , quia per ipsum effectum prior effectu constituitur ; omnis enim causa , quæ causat per causalitatem à se distinctam , per causalitatem constituitur prior causalitate , sicut ignis producens alium ignem per causalitatem , constituitur prior ipsa causalitate , & causalitatem expectat , ut prior causalitate constituantur. Ita decretum indifferens causans determinatum à creatura exercitium liberum hominis , indivisibiliter nascens ab eo decreto , & à voluntate , licet non expectet exercitiū nominis , ut existat , expectat tamen illud , ut illud causer , sicut causa non intelligitur causans suam actionem , usque dum intelligatur actio. Deinde licet decretum , quatenus causat liberum exercitium hominis , presupponatur ad exercitium , non ita intelligendum est , ut ipsummet causare exercitium presupponatur , sed ita , ut id , quod causat , nempè , decretum indifferens , presupponatur ad ipsum causare ratione ipsius , sicut agès presupponitur ad actionem per ipsam actionem. Hæc implicatissimè , & veluti sudore affectus vi argumenti ille Complutensis.

193 Et quidem non absque contradictione ad nuper relata ex ipso , absolute negante Deum vel Omnipotentiam expectare determinationem creaturæ. Pariterque ex diametro opponitur doctrinæ ejusdem , agendo de constitutivo Divini Decreti , seu actus liberi Dei : ibi enim q. 15. lect. 2. probat contra connotatores Thomistas , Divinum Decretum constitui non posse per aliquid Deo intrinsecum , connotans aliquid extrinsecum , nempè , operationem ad extra , seu productionem creaturarum , quia ipsum velle Dei est causa illius : ergò antequam illa intelligatur , debet intelligi velle Dei. Et probat antecedens : quia potius Deus operatur , quia vult ; quam vult , quia operatur : ergò velle Dei est causa operationis ad extra. Quæ doctrina doctrinæ impræsentí traditæ opponitur ; namque , iuxta ipsum , licet causa , ut sit , vel existat , non expectet , vel supponat effectum ; ut tamen causet , vel denominetur causans , illum necessariò ex-

pectat , neque effectu non intellecto potest intelligi causans. Licet ergò Deus , quæ est causa productionis ad extra creaturarum , ut sit , vel existat , non expectet , vel supponat productionem creaturarum , ut tamen denominetur illius causa per liberum decretum , eam necessario expectat. Quæ est sententia illorum Thomistarum , utpote assertentium denominationem Dei liberè volentis , seu liberè causantis esse connotativam , consistentem in ipso actu Dei necessario , ut connotante passivam mutationem creaturarum ad fore , vel non fore : ac proinde non potest intelligi in Deo , ipsa passiva mutatione creaturarum non intellecta. Unde tandem inferunt , quod hac non intellecta , seu solum ex illico defectu , prædicta denominatio deficit sine intrinseca aliqua mutatione Dei.

194 Sed quidquid sic de hoc , prædictam solutionem non satisfacere , pluraque implicatio involvere , ostenditur : & in primis ipse fatetur , quod , ut decretum Dei existat , non expectat determinationem liberi arbitrij : ergò nec ut causet. Probat. consequentia : namque Decretum Dei non est id , quod causat determinationem liberi arbitrij , hoc enim est solus Deus : ergò solum est id , quo Deus causat , seu causalitas illius ; causalitas autem intelligi non potest non causando , cum sit ipsum actualiter causa re , seu actualē fieri effectus : vel ergò , ut causet , non expectat determinationem liberi arbitrij , vel eam etiam expectat , ut existat.

195 Deinde falsum est decretum Dei liberum causare determinationem liberi arbitrij per ipsam liberi arbitrij determinationem , tanquam per causalitatem ; utpote hoc debet supponi , tanquam certum , quod determinatio liberi arbitrij non potest esse causalitas Dei , quatenus est à voluntate creata , sed quatenus est à Deo. Hoc etiam est certissimum , quod sola causalitas se sola egreditur ab agente : effectus , quippe egreditur ab eo media causalitate. Tunc sic argumentor : si determinatio creaturæ , solum prout à Deo , est Dei causalitas , solum prout à Deo est à Deo per se ipsam , non vero prout à creatura ; sed argumentum in præsenti procedit de determinatione liberi arbitrij , quatenus à creatura ; ut sic enim contendimus non causari à Deo , si semel Deus per eam determinatus concurredit , quia eo ipso eam expectat , & supponit : falsum ergò est , decretum Dei liberum causare determinationem liberi arbitrij per ipsam liberi arbitrij determinationem , tanquam per causalitatem.

196 Explicatur hoc cum enim prefata hujus Authoris doctrina solum procedat de causa , à qua effectus se ipso oritur , & non media aliqua cau-

causalitate interjecta, qui effectus est tatum causalitas ipsa, utpote effectus à causalitate distinctus, non se ipso, sed causalitate interjecta ab agente procedit, fit, non esse contra rationem divini decreti liberè causantis, supponere, & expectare ipsam determinationem liberi arbitrij, quatenus à Deo, & illius causalitas est; secùs verò quatenus ab ipso libero arbitrio, & causalitas est illius: ac proinde sub hac ratione manet argumentum in suo robore: nempe, *Divinum Decretum non esse causam illius, si semel eam expectat; namque tunc expectaret non causalitatem, sed effectum ut tales, quod implicitorum est.*

197 Deinde quis unquam verè possit asserere, quod potentia exequitiva operetur per determinationem voluntatis, tanquam per causalitatem: per determinationem, inquam, voluntatis, quæ ea utitur, eamque determinat ad operandum: Cum ergò omnipotentia sit Dei potētia exequitiva, causare, vel influere non potest per similem determinationem; at voluntas, quæ ipsa omnipotentia utitur, quamque determinat, est voluntas creata: implicat ergò omnipotentiam influere per determinationem voluntatis creatæ, tanquam per causalitatem.

198 Deinde solutio absolute impugnatur, ex quo pro eodem intelligit illa verba: *Expectat, & supponit determinationem liberi arbitrij atque exigit illius coexistentiam, sicut causa, ut denominetur causans exigit coexistentiam causalitatis, & effectus.* In hoc enim sensu mihi verisimile est, non implicare *Divinum Decretum esse causam determinationis liberi arbitrij*, si mulque eam expectare, & supponere, ut à simili dicunt constituentes actum liberum Dei per ipsum actum necessarium, ut coexistentem passivæ mutationi creaturatum ad fore, vel non fore; attamen argumentum à nobis factum non in hoc sensu procedit, sed supponere determinationem liberi arbitrij, summittur pro antecedentia determinationis liberi arbitrij ad ipsum *Divinum Decretum* per eam determinatum. Quod & probatur exemplo potentiae exequitivæ, quæ quia determinata per voluntatem, seu ulum actuum illius concurredit, antecedenter supponit prædictum ulum actuum, seu determinationem voluntatis. Quæ doctrina non leviter confirmatur, ex quo ille Author affirmat, quod licet causa per effectum prior constituitur, ipsa tamen sola est prior; tunc sic, sed falsum est, quod *Divinum Decretum*, ut determinatum sit prior determinatione voluntatis creature, si est solùm per eam determinatum, ut ex terminis patet: ergo.

199 Alia via, & adhuc urgentius impugnatur solutio a principio: namque si determinatio

creature non sit à Deo determinativè, scū ut determinante, sed solùm effectivè, sequitur Deum solùm causare determinationem creature pro materiali, & entitative, non verò ut formaliter determinatio est. Quod ostenditur primò: nam determinatio, formaliter ut talis, non est nisi à determinatè, sicut actio, formaliter ut talis, non est nisi ab agente: si ergò determinatio creature non est à Deo ut determinante, consequenter non est ab eo formaliter ut determinatio: licet ab eo causetur entitative, & materialiter. Secundo: causa, quæ efficit ipsam determinationem voluntatis formaliter, est, quæ ipsa efficienter determinat, namque si eam efficienter non determinat, quomodo causare potest illius determinationem, quatenus formaliter determinatio est, licet possit eam causare entitative, & materialiter? Si ergò Deus efficienter non determinat voluntatē creatam, neque poterit illius determinationem formaliter efficere. Quod vide re est in nostra voluntate, quæ eatenus causat determinationem aliarum potentiarum formaliter, quatenus eas efficienter determinat. Immò si voluntas nostra ad suum determinationem concurreret solùm ut determinata à Deo, & non ut se determinans, non esset causa adhuc efficientis suę determinationis formaliter, ut adversarij objiciunt contra nos: si ergò Deus ad determinationem voluntatis non concurrit ut se determinans, sed ut ab ea determinatus (intellige ad consensum præ disensu) pariter neque esse potest causa adhuc efficientis determinationis illius formaliter.

200 Quod si hoc concedatur, ut ab aliquibus recentioribus conceditur, inflat argumentum à principio: ergò formaliter, ut determinatio est, reducitur in voluntatem creatam, ut in primam causam, & sic habemus intentum. Et inde revivisit aliud non minus inconveniens, nempe, aliquid bonum nostrum non esse formaliter ex Deo, contra illud Pauli: *Quid habes, quod non acceperisti?* & illud in oratione Ecclesiæ: *Deus, à quo bona cuncta procedant;* & in alia: *Largitor omnium bonorum,* &c. Quod & passim scriptura, concilia, & PP. affirmant. Et debere intelligi in sensu proprio, & formalis, & nedum materiali, & entitativo pater primò, ex quo verba significantia causalitatem appellant supra formule termini, cui applicantur, qua ratione non dicitur efficere vas, vel domum, qui formā dominus, vel vas non efficit. Secundò: quia scriptura, concilia, & PP. intendunt per hoc excludere superbiā, & presumptionē hominis, nempe ut non in se, sed in Dño. gloriantur, ut indicant verba Apost. *Si autē acceperisti, quid gloriaris, qua si non acceperis?* Pat. autē quod si determinatio

hominis formaliter ita esset à voluntate illius, ut prout sic non esset à Deo, posset in se ipso gloriari, quia se formaliter determinavit ad bonum, & non in Deo, quia Deus ipsum formaliter non determinavit.

201 Non me later, aliquos Iesuitas apud Gonet disp. 5. de efficacia voluntatis Dei art. 3. §. 1. num. 6. dixisse, liberam nostræ voluntatis determinationem non causari à Deo proximè, & immediate, sed mediata tantum, & remotè, quatenus scilicet dedit voluntati creatæ liberaum arbitrium, & facultatem se determinandi ad quocumque voluerit. Quæ doctrina procedit de determinatione formaliter sumpta; & inde salvant prædictam determinationem formaliter reduci in Deum, ut in primum liberum, primamque causam.

202 Prædictum autem modum dicendi impugnat Gonet, quia incidit in sententiâ Durandi, quam sere oaines theologi rejiciunt tanquam erroneam, vel temerariam. Ceterum Magister Ferre de voluntate Dei, q. 7. §. 15. ait hanc impugnationem procedere ex non intelligentia solutionis: namque adversarij sic respondentes non negant Deum immediate influere in actionem causæ secundæ, sicut negat Durandus, sed in ipsa actione assignant duas inadæquatas formalitates, secundum quarum unam à Deo sit sub ratione entis, & secundum aliam fit à voluntate, & dicunt, quod prout est à voluntate, non est à Deo immediate causante illam per concursum simultaneum, sed tantum esse à Deo mediata, prout dedit virtutem causativam ejus, & eam conservat. Unde nobis opponuntur qui de illa actione prout est à voluntate dicimus, quod est à Deo efficaciter movente, & applicante illam ad elicitiam actionis; nec tamen addimus, quod sub eo conceptu, sub quo est à voluntate, sit à Deo per concursum simultaneum, quia prout sic tantum pendet à Deo applicante, & à voluntate elicite. Et sic dicimus eam prout à voluntate esse posse à Deo movente, non efficiente tamen conjunctionem voluntatis cum actione.

203 Quo in sensu solutionem impugnat: namque libera voluntio nequit intelligi egredi à voluntate sub sua peculiari ratione, nisi simul intelligatur causari à Deo sub universalissima ratione entis; etenim actio libera prout à voluntate dicit ipsam entitatem actionis procedentem à voluntate sub illo explicito actionis libera: ergo cum Deus causet universalissimam rationem entis per suum concursum simultaneum, impossibile erit intelligere illam entitatem, ut procedentem à voluntate libera, quia simul intelligatur procedere à Deo causante illam sub ratione universalissima entis importa-

ta in tali actione. Hæc i... p... pro cuius intelligentia notanda est doctrina communis, quod ratio entis transcendit omnium inferiorum differentias, proindeque Deus immediatè omnia causans sub universalissima ratione entis, non potest non omnia ea immediatè causare secundum proprias differentias, & consequenter formaliter, & nendum materialiter. Hinc ad propositum fit argumentum: quod si Deus non causat determinationem voluntatis creatæ formaliter immediatè: ergo neque eam causat immediate sub universalissima ratione entis; unde tandem sequitur, quod neque eam causet per concursum simultaneum, ut causa prima: namque huic utsipote universalissimæ cause, correspondere debet effectus sub universalissima ratione.

204 Alia tandem via nostrum assertum fundat Gonetus ex illo trito, & communii adversariorum principio, qui afferunt voluntatem creatam determinare decretum, & concursum Dei ad speciem actus, & ab eo determinari ad individuum, scilicet ad eliciendam hanc numero operationem potius quam aliam, ut fusce exponit Suarez in metaphysica, disp. 5. sect. ult. Hinc enim infertur voluntatem creatam esse primum eligens, & primum determinans; divisionem verò solùm secundum, & fundatur sic: illa causa prius eligit, & prius determinat, quæ per se primo attingit in actu, vel in effectu aliquam rationem priorem illa, quæ ab altera attingitur, sed natura specifica in actibus voluntatis creatæ est prior individuali, eaque nobilior, & perfectior: ergo si voluntas creata in suis actibus liberis rationem specificam per se primò attingat, & concursum Dei ad illam determinet, ab eaque solùm determinetur ad rationem individualem, & numericam suæ operationis, voluntas creata erit primum liberum, primumque determinans, divina verò solùm secundum.

205 Sed complutensis Herrera ait, objectionem factam oriri ex ignorantia terminorum, ideoque eis explicatis, objectionem cessare. Non ergo afferunt Societatis Doctores, Deum determinare omnino determinatè ad differentiam individualē consensus A.v.g. nullā ratione determinando rationem specificam consensus, posteaque voluntatem creatam determinare rationem illam specificam, quæ à Deo indeterminata relinquitur. Non inquam, hanc adeo absurdam philosophiam tradunt nostri Doctores; sed docent Deum, dum suam applicat omnipotentiam indifferenter ad consensum, & disensem, eam tantummodo applicare ad consensum A.v.g. & disensem A. negando concursum ad quolibet aliud individuum consensus, & disensem. Qua propter Deus non determi-

nat omnino determinatè ad individuationem consensus A. sed vagè inter consensum A. & dissentum A. deinde voluntas determinat unum præ altero individuo. Hinc fit, Deum determinare vagè ad individuationem consensus A. vel individuationem dissentus A. pariterque determinare ad gradum specificum consensus identificatum cum differentia individuali consensus A. & dissentus A. Deinde: voluntas non solum determinat gradum specificum consensus A. præ gradu specifico dissentus A. verum etiam rationem individualem, non determinatione, qua ipsi imputetur non existere consensum B. sed qua illi tribuitur non existere dissentum A. qua explicatione adhibita manifestè colligitur, idem, quod Deus determinat vagè, determinari creatura omnino determinatè.

206 Sed non manifestè colligitur solutio argumenti: namque hoc, juxta præfata doctrinam, semper remanet in suo robore; in summa enim habetur, quod Deus non determinat omnino determinatè ad individuationem consensus A. sed vagè inter consensum A. & dissentum A. pariterque non determinat ad gradum specificum consensus, nisi solum identice, nempe, quatenus identificatur cum differentia individuali consensus A. immò sic adhuc non determinat omnino determinatè, sed vagè inter gradum specificum consensus A. & dissentus A. creatura verò ad gradum specificum, & individualem omnino determinatè se determinat; sed prior est ratio specifica consensus formaliter, quam identice, & materialiter, seu individualiter vagè considerata nobiliusque, & perfectius est rationem specificam, vel individualem attingere omnino determinatè, & formaliter, quam indeterminatè, & identice: manet ergò adhuc argumentum in suo robore.

## FUNDAMENTUM XII.

*Ex quo prædictum decretum etiam tollit à Deo nationem agentis liberis.*

207 **H**oc inseritur clarè ex præcedentibus fundamentis: nam producens effectum aliquem determinatè, quem determinatè non vult, illum liberè non producit, ut potè ille effectus evenit præter illius voluntatem, seu intentionem; sed Deus per decretum indifferens producit effectum aliquem determinatè, quem determinatè non vult, nempe, amorem præ odio, seu consensum præ dissentu: Ergò. Solatio est; quod licet Deus determinatè non velit cum voluntate creata concurrere ad consensum præ dissentu; liberè tamen vult cum illa concurrere indifferenter ad quodcumque ipsa voluerit. Sed con-

tra est, inde solum sequi, Deum liberè indifferenter concurrere ad actum voluntatis per illud decretum; secus tamen ad hunc præ alio, quo in sensu in præsenti loquimur: nempe, consensum præ dissentu à Deo produci præter illius voluntatem, & intentionem. Quod elucidatur exemplo suprà adducto de eo, qui manum suam præparat ad scribendum, sed non determinatè vult potius scribere A. quam B. sed hoc alterius voluntati relinquit, ei tradendo manum calamo præparatam, ut ex ejus motione, & determinatione scribat, quod ei placuerit. Iste enim liberè præparat manum ad scribendum, liberèque eam tradit alteri, seu sub potestate illius constituit; & nihilominus non inde infertur, quod altero scribente A. præ B. ipse vult liberè scribere A. præ B quia in voluntate præparandi manum suam ad scribendum, hoc determinatè non voluit, sed solum indifferenter: à simili ergo. Immò alter à voluntate illa indifferenti ad determinatam valeret conseq. v.g. Deus vult indifferenter concurrere cum voluntate creata ad quodcumque ipsa voluerit; sed voluntas creata vult determinatè concurrere ad consensum: ergò Deus vult determinatè concurrere ad consensum; sed hæc consequentia in ipsorum doctrina non valet; aliter voluntate creata determinatè concurrente ad peccatum, Deus vellet determinatè ad peccatum concurrere, quod tam recentior. Complutensis, quam Salmaticensis negant: Ergo.

208 Secundò fundatur assertum etiam ex dictis fundamento præcedenti; namque agens liberum est, quod se determinat ad operandum, in hoc enim distinguitur ab agente necessario: hinc juxta adversarios, quia voluntas nostra liberè operatur, non potest operari, ut determinata à Deo: namq; ut dicunt, nullum agens liberum patitur jure libertatis ab alio agente determinari; at Deus concurrens cum voluntate nostra per decretum indifferens concurrit ad hunc actum præ alio non determinatus à se, sed à nostra voluntate: non ergò concurrit ad illum, tanquam agens liberum.

209 Dices cum RR. Thyrso de scientia media disp. 20. sect. 3. n. 17. quod, licet Deus non concurrat modo libero ad nostram actionem liberam, quia concurrens determinatus à nobis; concurrens tamè liberè, quia sibi necessitatem imposuit sequendi nutum voluntatis nostræ incooperando ad ejus actiones. Benè: ergo tota libertas Dei reducitur ad libertatem illam indifferenter, qua sibi illam necessitatem imposuit: at hæc non est voluntas concurrens ad hunc actum præ alio, sed indifferenter ad unum, vel alium: ergo semper est verum, Deum non concurrens liberè ad hunc actum præ alio.

Explicatur: Concurrere liberè ad hunc actum præ alio, est concurrere per electionem unius actus præ alio; at, in doctrina adversariorum, tota elecțio unius actus præ alio est ex voluntate creata, & ex Deo solum est decretum, quo indifferenter vult, quod voluntas creata elige-re voluerit: ergò ex decreto illo, adhuc adjuncta elecțione voluntatis creatae, non infertur Deum liberè concurrere adhunc actum præ alio, licet deducatur Deum liberè concurrere ad illum actum ex electione voluntatis, quod est ad illum concurrere, quia voluntas creata vult, non quia Deus ipse velit.

210 Et ut clarius innotescat, ponamus casum vice versa: nempè, quod sicut Deus, in sententia adversariorum, per decretum indifferens offert homini suam omnipotentiam, ut homo ea utatur ad quocumque voluerit, qua voluntate sibi necessitatem imponit sequendi nutum voluntatis illius; pariter homo per decretum indifferens offerat Deo suam voluntatem, ut Deus ea utatur ad quocumque voluerit, sibi per voluntati, vel alio modo imponens necessitatem moralem sequendi nutum voluntatis Divinæ; quod & quotidie faciunt Sancti, & Ecclesia canit, de Beata Lucia illis verbis: *Ego per tres annos non cessavi sacrificare Deo vivo quidquid habui, modò, quia nihil superest, me ipsam offero, faciat quod voluerit de hostia sua.* Quo in casu sic argumentor: Si Deus tunc determinaret efficaciter voluntatem illius hominis, ut potius eliciat consensum, quam disensem, voluntas illius hominis, in adversariorum sententia, non consentiret liberè, sed necessario: ergò pariter, si Deo offerente homini suam omnipotentiam per decretum indifferens, voluntas hominis Deum determinat, ut potius concurrat ad consensum, quam ad disensem, Deus ad consensum præ disensu non concurrit liberè, sed necessario.

211 Tandem tertio fundatur nostrum assertum etiam ex dictis fundamento precedentibus: nam Deus ita concurrit ad nostrum consensum præ disensu, ut determinatus per liberum arbitrium; ut hujus determinatio pro priori natura antecedat Divinum concursum determinatum: non ergò Deus tali concursu concurrit liberè, sed necessario. Probat. conseq. namque talis determinatio est in primis antecedens Divinum concursum determinatum, proindeque est prædeterminatio; item infallibiliter illum infert; ac tandem non est in potestate Divinæ voluntatis eam acquirere: necessitat ergò Dei ut concurrat ad consensum præ disensu. Anteced. quo ad primam partem patet ex dictis fundamento precedentibus: quod illum infallibiliter

inferat, est per se notum; cum determinatio creaturæ sit efficax, efficacemque constitutus Divinum concursum. Quod vero non sit in potestate Dei eam acquirere patet: tum quia, ut fundamento præcedenti diximus, determinatio liberi arbitrij, formaliter ut talis, non potest esse à Deo, si semel non procedit ab eo ut determinante: Tum quia Deus non potest eam acquirere per decretum indifferens, ut indifferens; ut patet, neque per decretum determinatum, cum hoc posterius sit ipsa determinatione liberi arbitrij. Conseq. vero probat. nam non alio fundamento dicunt Jesuitæ, quod si nostra voluntas concurreret ad consensum, ut efficaciter determinata à Deo, non concurreret liberè, sed necessario, nisi quia talis determinatio antecederet consensum nostræ voluntatis, cumque infallibiliter inferret, neque esset in potestate illius eam acquirere, vel repellere: ergò pariter.

212 Si autem dicas, Divinam omnipotentiam prædeterminari à voluntate creata physice, sed non intrinsecè, id est, prædeterminatione intrinsecè recepta in omnipotentia, sed extrinsecè, nempè, prædeterminatione identificata cum ipso Divino concursu, qui est ipsa actio voluntatis creatae. Contra est primò exemplum potentiaz exequitiva creatae, quæ quia intrinsecè est indifferens ad hunc effectum præ alio, indiget prædeterminatione physica voluntatis, & non sufficit extrinseca: ergò ex eadem ratione tali prædeterminatione indiget omnipotentia, quæ Dei potentia exequitiva est, & non minus indifferens. Deinde: hucusque non est auditum, unam potentiam prædeterminare aliam, nisi vel ratione alicujus intrinsecè recepti in ipsa, vel ratione simpatiae, quæ est inter utramque potentiam; quæ nullatenus est inter omnipotentiam, & voluntatem creataem, utpote hac simpatia potentiarū in unione, vel connexione intrinseca ipsarum consilit, quatenus ab eodem principio radicali ordinate dimanant, & in eodem subiecto existunt: quia ratione inter potentiam leonis, & hominis nulla simpatia imaginari potest. Immò, licet Scotistæ hanc simpatiam agnoscant inter voluntatem Divinam, & creataem; eam tamen ponunt cum prædominio ex parte voluntatis Divinæ, non vero creatae; nam simpatia in eo est sita quod potentia superior faciat operari potentiam inferiorem. Hinc voluntas nostra per simpatiam, in aliquorum sententia facit operari potentias inferiores sibi subditas, non vero è contra.

## FUNDAMENTUM XIII.

*Ex quo Deus per illud decretum nobis donaret suam Omnipotentiam, sicut aliquis donat alteri librum; & pariter nobis suam Omnipotentiam subjiceret.*

213

**Q**uod Deus nobis donet suam omnipotentiam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, vel librum, & patiter quod Deus nobis subjiciat suam omnipotentiam, sunt propositiones nuper à Sanctissimo domino nostro Innocentio XI. damnatae tanquam temerariae, & novae; mandatque ne quisquam deinceps cujuscumque sit gradus, aut conditionis, illas vel illarum alterutram audeat imprimere, vel imprimi facere, sive scriptis, aut etiam ore tenus docere, vel assertere sub pœnis, & censuris in indice librorum prohibitorum contentis.

214 Unde manifestè infertur in primis, quod omnes, qui decretum indifferens explicant per actum voluntatis, quo Deus nobis suam omnipotentiam subjicit, eamque nobis donat, ut ea utamur, sicut aliquis alteri donat villam, vel librum, haud dubium, quod prædictas censuras incurrat; sub illis autem terminis explicari communiter à Patribus Societatis est competum; & novissimè à RR. Thyrso, qui disp. 11. de Scientia Dei sect. 3. num. 14. postquam illud decretum inefficax constituit per ordinem ad consensum creatum, habet: *Illud ex se esse efficax ad subjiciendum omnipotentiam arbitrio creato, & num. sequenti docet: Quod ex suppositione, quod Deus voluit producere voluntatem, voluit illi subjicare suam omnipotentiam.* Alij autem, licet exprimat nomine subjectionis, vel donationis non utantur, utriusque tamen definitione utuntur: nempe, Deum per suum decretum indifferens constitutere suam omnipotentiam in manu creaturae, & sub illius libera potestate, ut illa utatur, sive ad consensum, sive ad oppositum. Ita Pater Herrera de prædestinat. quæst. 6. sect. 8. num. 142. & quæst. 5. sect. 2. num. 4. habet suos Doctores communiter hoc docere.

215 Hinc à priori probatur ex decreto illo indifferenti utrumque illud inconveniens sequi: namque aliquem alteri librum donare, ut eo utatur, eumque ipsi subjicere, non est aliud, quam eum sub illius potestate, & dominio constitutere, ut eo utatur, quando, & quomodo voluerit, at decretum illud indifferens, juxta adversarios, est quo Deus suam omnipotentiam constituit sub nostro dominio, & potestate, ut ea utamur, quando, quomodo, & ad quodcum-

que vulnerintius, sive bonum, sive malum: Deus ergo per illud decretum nobis donat suam omnipotentiam, ut ea utamur, sicut aliquis alteri donat villam, vel librum, eamque pariter nobis subjicit. Et quidem ipsi in presenti communiter utuntur exemplo habitus, præcipue supernaturalis, dicendo sic se habere omnipotentiam paratam per decretum illud indifferens respectu nostri liberi arbitrij, sicut respectu illius se habet habitus, ut potè sicut iste à Deo constitutus sub nostro dominio, & potestate, ut eo utamur, quando voluerimus; pariter omnipotentia per decretum indifferens ita ponitur à Deo sub nostro dominio, & potestate, ut ea uti possimus pro nutu nostri liberi arbitrij; sed Deum habitum charitatis sub nostro dominio, & potestate constituere, ut eo utamur ad nostrum placitum, est eum nobis donare, nobisque subjicere: pariter ergo de omnipotencia.

216 Quod & adhuc exemplificari potest in Religioso, qui per votum solemne se subjicit prælato; etenim hæc subjectio non in alio consistit, quam in offerre ei propriam voluntatem; ita ut velle, & operari ex ejus nutu, & voluntate dependeat, neque sibi aliquam electionem, vel determinationem relinquit præter electionem, & determinationem prælati; at hoc pari modo, dicunt Jesuitæ; Deum per decretum indifferens nobis offerre suam omnipotentiam, ita ut in operari consensum, vel disensem ex nutu nostri liberi arbitrij dependeat, neque sibi in eo aliquam electionem, vel determinationem relinquit, præter electionem, & determinationem voluntatis: quid ergo deest, ut dicitur, Deum per illud decretum indifferens nobis subjicere suam omnipotentiam?

217 Dupli via possunt adversarij huic occurrere argumento. Primò, dicendo, ipsos nomine omnipotentie non eam intelligere in se, & entitativè; sed in illius concursu, & auxilio concursum autem Divinæ omnipotentie, vel ejus auxilium Deum nobis donare, vel subjicere, ut eo utamur, neque inconveniens est, neque prohibitum, vel damnatum est. Sed contra est: nam in præsenti non intendimus sensum illarum propositionum explorare, sed solum eas, ut jacent, sustineri non posse, vel edoceri: unde cum per idem sit affirmare, Deum nobis subjicere suam omnipotentiam, ac Deum eam sub nostro dominio, & libertate constitutere; hæc enim constitutio definitio est illius subjectionis, sicut absolute, & ut jacet, hæc est prohibita, & damnata: *Deus nobis subjicit suam omnipotentiam*, videtur ex consequenti damnata esse alteram, qua asseritur Deum suam om-

omnipotentiam sub nostro dominio , & libertate constituere , etiam absolutè , & ut jacer , quidquid sit de intelligentia illius , dum hæc non exprimitur ex vi verborum .

218 Deinde : si semel est verum , Deum sub nostro dominio , & potestate constituere concursum suæ omnipotentie , non potest non esse verum Deum sub nostro dominio , & potestate constituere suam omnipotentiam ; namque potentiam exequitivam constitui sub dominio , & potestate voluntatis , non est aliud quam sub ea constitui , quo ad ipsius concursum , vel operationem , ita ut ex se sit parata , immò ligata cum voluntate concurrere cum ipsa voluerit , & ad quod voluerit . Hinc per idem est nostram potentiam exequitivam constitui sub dominio nostræ voluntatis quo ad proprium concursum , & operationem , ac sub eo constitui absolutè , & prout in se . Immò Doctores Societas nomine concursus , quem Deus ponit in manu creaturæ , & sub ejus libertate constituit , ut eo utatur , non intelligunt concursum ut exhibitum , nempè , identificatum cum concusso creaturæ ; hoc enim non potest ut voluntas nostra ad quocumque voluerit , namque si est identificatus cum consensu , non potest eo uti ad dissensum : Intelligunt ergo concursum ut oblatum ; at concursus sic acceptus non distinguitur ab ipsa omnipotentia , ut parata per decretem indifferens concurrere cum volentate ad quocumque ipsa voluerit : per idem ergo est Divinum concursum constitui sub dominio , & potestate nostræ voluntatis , ac sub eo constitui omnipotentiam absolutè , & in se .

219 Alia via potest occurri huic fundamento dicendo , quod licet Deus suam omnipotentiam , suum vè concursum constituat sub dominio nostræ voluntatis , non inde sequitur eam nobis donare propriè loquendo , nec consequenter eam nobis subjecere , ut potè ad donationem , & subjectionem propriè acceptam ulterius requiritur , quod donans abdicet à se dominium rei donatae , quod Deus à se abdicare non potest erga suam omnipotentiam , vel concursum . Sed contra est , quod ad verificandam donationem verè , & propriè talem , & consequenter subjectionem verè , & propriè talem , non opus est , quod donans abdicet à se dominium rei donatae , sed vel quod abdicet , si sit dominium inferius , quale est inter privatas personas , vel si dominium sit superiorius , quale est in principe , illo retento conferat dominium inferius his , quibus donat , ut contingit cum elargitur bona sua in fædum , vel emphytem , vel cum donat usumfructum , quo in cas-

su retinet dominium superiorius , & confert inferius , nempè utile erga hujusmodi bona . Et tale dominium Deus confert creaturæ , ita ut bona illius faciat merita hominis , ut asserit Tridentinum Sess. 6. cap. 16. ex quo ergo Deus non possit à se abdicare dominium erga suam omnipotentiam , illiusvè concursum , non licet inferre eam Deum cum proprietate nobis non posse donare , vel subjecere . Immò Deum per decretem indifferens à se abdicare dominium electivum erga concursum suæ omnipotentie , est concors illorum sententia : aliter non eum relinqueret sola electioni , & determinationi voluntatis , nec sibi necessitatem imponeret sequendi nutum illius . Ac tandem Deum suam omnipotentiam , vel concursum constituere sub dominio nostræ voluntatis , est voluntati præbere dominium super eam , & consequenter eam propriè donare , & ei subjecere .

#### FUNDAMENTUM XIV.

*Ex quo cum tali decreto indifferenti discretio consentientis à non consentiente reducetur non in voluntatem Divinam , sed in Humanam .*

220 **H**oc fundamentum idem est prorsus cum fundamento 11. quo probavimus per decretem indifferens tolli à Deo rationem primæ cause , seu primi liberi . Sub his tamen verbis iterum eum proponimus proper verba Apostoli primi ad Corinth. 4. ubi sic habet : Ut supra quam scriptum est unus contra alterum infletur præ alio . Quis enim te discernit ? quid autem babes quod non acceperisti ? si autem acceperisti quid gloriaris , quasi non acceperis ? Quo testimonio Aug. de prædest. Sanctorum , cap. 3. fatetur se convictum fuisse , cum antea errasset . Et cap. 4. iterum hoc repetit sic : Ecce quare dixi superioris , hoc Apostolico præcipue testimonio etiam me ipsum fuisse convictum , cum de hac re aliter saperem , quam mihi Deus in hac questione solvenda , cum ad Episcopum Simplicianum scriberem , revelavit . Nunc jam audiamus August. sententiam cap. 5. sequenti , sic enim habet : In hac autem Apostoli evidentissima intentione , qua contra humanam sententiam loquitur , ne quisquam in homine , sed in domino glorietur , dona Dei naturalia suspicari , sive ipsam totam , perfectamque naturam , qualis in primæ conditione donata est , sive virtutæ nature , qualemcumque reliquias , nimis quantum existimo , absurdum est . Namquid enim per haec dona , que omnibus communia sunt hominibus ,

*discernuntur homines ab hominibus?* Et infra: *Illa itaque natura in qua nobis data est possiblitas abendi fidem, id est arbitrij libertas, non discernit hominem ab homine.* Omnesque supponunt tam Apostolum, quam Augustinum loqui de discretione in negotio salutis, i.e. consentientis salutariter à non consentiente. Hæc fuit sententia Augustino à Deo revelata, quæ in summa est, discretionem consentientis à non consentiente reduci non debere in naturam, sed in Deum, scilicet non in vires naturæ, sed in vires Divinæ gratiæ. Rationemque assignat, quia hæc discretio salutis reduci non potest in dona, quæ omnibus communia sunt hominibus, qualia sunt naturalia.

221 Quo suppicio fit ad præteris urgentissimum argumentum sic: si Deus ad actus nostros liberos concurrat solum per decretum ex se, & ab intrinseco indifferens, proindeque conferendo gratiam, scilicet auxilium de se, & ab intrinseco non determinans; sed tota determinatio, sive decreti, sive auxilii fit ex libero arbitrio creato, sequitur discretionem consentientis à non consentiente reduci in liberum arbitrium, & non in Deum; at hoc contradicit Apostolo, juxta interpretationem Augustini: ergo. Probat sequela in qua est difficultas: in id debet reduci discretio consentientis à non consentiente, unde habet potius quod contentiat, quam quod dissentiat; at hoc habet non ex determinatione Dei, scilicet gratiæ auxiliantis, sed ex sola determinatione liberi arbitrij: ergo in liberum arbitrium, & non in Deum, sive ejus gratiam auxiliarem reduci debet discretio consentientis à non consentiente. Minor est propriissima adversariorum sententia, consequentiaque legitima est, major autem probatur. Nam in id debet reduci discretio consentientis à non consentiente, unde habet hoc ipsum, per quod consentiens distinguuntur à non consentiente; at consentiens distinguuntur à non consentiente per hoc quod potius contentit, quam dissentit: ergo in id unde habet, quod potius contentiat, quam dissentiat, reduci debet discretio consentientis à non consentiente.

222 Confirmatur: juxta prædictam sententiam, duobus hominibus aequaliter tentatis, & equali gratia auxiliante preventis, stat unum consentire Divine gratiæ, altero non consentiente, & hoc quia pro suo libero arbitrio unus consentire vult, alter vero non: Ergo verum est quod non consentit potius quam dissentit vi, & efficacia gratiæ, sed sola vi, & efficacia liberi arbitrij: ab hoc ergo solum habet, quod potius contentiat, quam dissentiat, & consequenter in solum liberum arbitrium debet talis discretio reduci.

223 Pro eius intelligentia est notandum, quod cum inquirimus de eo, unde habet consentiens discepti à non consentiente, non inquirimus de causa formalis, scilicet de eo, unde habet consentiens formaliter distingui à non consentiente; supponimus namque sic discerni, scilicet distingui per ipsum contentum, sicut & per consensum formaliter constitutur consentiens; cum constitutivum, & distinctum idem sit. Sed sermo procedit de principio effectivo, unde hec provenit discretio; ut enim ait Augustinus lib. 2. contra duas epistolæ Pelagij: *Ille discernit, qui unde homines discernantur, imparitur.* Pariter cum certissimum etiam sit, liberum arbitrium esse principium effectivum consensus, aliter merè passim se haberet; etiam non dubitamus hominem discerni effectivè per liberum arbitrium; attamen quia hoc potest considerari secundum vires proprias, vel secundum vires gratiæ auxiliantis, procedit questio, an talis discretio effectivè debeat reduci in vires proprias liberi arbitrij; an in vires Divinæ gratiæ auxiliantis. Et vera sententia affirmat debere reduci in vires gratiæ auxiliantis, non in proprias liberi arbitrij. Cujus oppositum contendimus deduci, si decretum Dei, ejusque gratia auxilians non fit ab intrinseco efficax, & determinata, sed inefficax, & indifferens.

224 Varijs modis huic fundamento satisfacere connantur adversarij. Et quidem pater Lessius convictus difficultati succumbit opusculo de gratia efficaci cap. 8. num. 7. his verbis: *Quod ex duabus similiiter vocatis, alter oblatam gratiam acceptet, reble dicitur ex sola libertate provenire, non quod is, qui acceptat, sola libertate sua acceptat, sed quia ex sola libertate illud discrimen oriatur, ita ut non ex diversitate auxilij prævenientis: Ubi illud, sola non excludat cooperationem, quasi illud discrimen fieri posse absque cooperatione gratie ex parte ejus, qui venit sive solum diversitatem auxilij prævenientis. Cum enim integrata causa consensus consistat duabus partibus, libero arbitrio, & gratia prævenienti; quod iste sit, non contentiat, potius quam ille referendum est non in diversitatem gratiæ, sed in libertatem arbitrij, quæ immediatè potest in opposita utendo gratia, vel non utendo prout libuerit.* Hæc iste Author, & conformiter ad sua principia; sed contra eum sicut Apostoli sententia juxta interpretationem à Deo Augustino revelatam. Et in super sequitor in sententia istius Authoris discretionem consentientis à non consentiente reduci in voluntatem humanam, ut in primam causam, namque si in eam, ut in unicam causam reducitur, necesse est in eam redu-

ci ut in primam causam: hac enim ratione peccatum reducitur in voluntatem humanam, ut in primam causam. Et insuper sequitur quod aliquid sit bonum, quod non sit homini à Deo omnium bonorum largitore; namque illa discretio formaliter ut talis bona est homini, & non est ei à Deo. Unde tandem potest homo contra Apostolum in se ipso gloriari, & non in Domino de illa discretione; & Apostolo interroganti *quid habes, quod non acceperisti?* Respondere habeo discretionem salutarem, quam propria determinatione liberi arbitrij, & non gratia Dei adquisivi, quamvis sine illa acquirere non possem.

225 Hinc alij Authores cautius procedendo cum indifferentia, & inefficacia intrinseca Divini decreti, Divinaque gratiae auxiliantis salvare intendant, discretionem prædictam debere reduci in Divinam voluntatem. Et quidem Antonius Perez distinguit ipsam gratiam auxiliantem prout operativam per modum actus primi, quod per idem est, ac secundum se, & entitativè accepta, & prout sic fatetur quod eadem est in consentiente, & non consentiente: & prout in actu secundo est operans, scilicet cooperans cum libero arbitrio; & prout sic, ait non esse indissidente, sed tantum in consentiente, & in eam prout sic, ait reduci prædictam discretionem.

226 Sed contra est manifestè: namque si gratia Dei auxilians, prout operativa, & per modum actus primi, eadem est in consentiente, & non consentiente: ergo quod ut operans, scilicet cooperans cum libero arbitrio non sit in non consentiente, habet non ex se, sed ex determinatione liberi arbitrij consentientis, licet semper sit verum, quod tamen gratia, quam liberum arbitrium cooperetur simul, & immediatè salutarem consensum: ex libero ergo arbitrio potius habet gratia, quod cooperetur consensum præ dissensu, quam liberum arbitrium ex gratia: non ergo gratia, sed liberum arbitrium est unde habet consentiens, quod potius consentiat, quam dissentiat, & consequenter hoc, & non gratia est, in quod debet reduci discretio consentientis à non consentiente.

227 Pater Herrera de Prædestin. quæst. 15. sect. 3. conclus. 2. salvat Deum perfectè, & integrè discernere prædestinatum à reprobo, & consentientem à non consentiente: non verò prædestinatum, vel consentiens integrè, & perfectè discernere se ipsum, ex quo discernere prædestinatum à reprobo perfectè, & integrè est esse cui debentur omnia, quæ in prædestinatione interveniunt; Deo autem, non gutem

prædestinato debentur omnia, quæ in negotio prædestinationis interveniunt; nam licet creatura sit causa consensus, attamen preparatio omnipotentiae, & auxilij collatio, solum Deo tribuenda sunt. Deinde ipse consensus Deo eriam tribui debet, licet non ut determinati, bene tamen ut simul concurrenti, & ut preparanti omnia requisita, prout scit congruere ad consensum absolutum.

228 Sed illo verbo, *non ut determinanti*, refellitur hæc responsio: namque discretio non reducitur in quamlibet causam consensus, sed in causam solum determinantem ad illum; cum enim discretio sit præcenes potius consentire, quam dissentire, in eam causam debet reduci discretio, unde habet prædestinatus, vel consentiens, quod potius consentiat, quam dissentiat: si ergo quamvis Deus præpararet omnipotentiam, & conferat auxilium, non hæc præstat, ut determinata ad consensum præ dissensu, sed cum indifferentia ad utrumque; & pariter licet concomitanter concurrat ad consensum præ dissensu, hoc non habet ex vi illius præparationis, neque pariter ex efficacia auxilij collati, sed ex libero arbitrio determinante, tamen auxilium, quam omnipotentiam, scilicet illius concursum; consequenter licet hæc, & ipse consensus sint Deo tribuenda, adhuc non sequitur Deo tribuendam esse discretionem. Unde negandum est quod omnia, quæ in negotio prædestinationis interveniunt, tribuenda sint Deo; namque ultra illa enumerata restat determinatio ad consensum, quæ soli libero arbitrio formaliter ut tali tribuitur juxta sententiam contrariam. Unde non valet, quod supra dictum est, nempe, quod adhuc illa determinatio est à Deo effectivè: namque præter quamquod implicat esse à Deo effectivè, si non sit ab eo ut determinante, ut fundamento 11. arguebamus; sufficit, quod non sit à Deo ut determinante, scilicet determinative, ut non sit à Deo discrete, scilicet ut à discernente, utpote esse à Deo ut discernente, est esse ab eo ut principio consensus præ dissensu, quod non stat quin sit ab eo determinative, scilicet ut determinante.

229 Et per hoc evanescit communis aliorum responsio, quæ salvat discretionem esse à Deo, quamvis gratia ex se non sit efficax, & determinans ad consensum; ex quo nihil est in consentiente, per quod se discernat à non consentiente, quod non sit à gratia, & per consequens nihil habet unde possit adversus alterum gloriari; ipse enim consensus non sit à libero arbitrio, nisi dependenter à gratia tamen prævenienti, quæ illi communicat vires ad prædictum consensum, quam concomitante, & si-  
mul-

multanea ; quæ prædictum assensum immediate attingit. Ad quid ergo adstruenda est major gratia necessitas , cum per relatas salvetur adæquata dependentia consensus , & discretio- nis à gratia ?

230 Sed omitto de consensu , & nego de discretione : nam ex quo consentus adequate dependeat à gratia, non indè infertur ab ea de pendere, ut à principio discretivo , ut potè si ab ea non dépendet, ut à principio determinativo , implicat, quod ab ea dependeat, ut à principio discretivo , cum in eo consistat esse principium discretionis, quod sit principium consensus præ dissensu , quod est esse principium determinationis, quo modo gratia in consensum non influit. Hinc negandum est etiam , quod nihil sit in consentiente , per quod discernatur à non consentiente , quod non sit à gratia , quippè licet consensus sit à gratia ; non tamen determinatio ad consensum formaliter ut determinatio est: nam prout sic petit esse à determinante , licet detur quod ab ea procedat effectivè , sù in esse entis, & materialiter. Hinc etiam est falsum , quod nihil eo ipso habet undè possit adversus alterum gloriari , ut potè habet determinationem , quam ad minus formaliter ut talem , non habet à gratia ; sed ex proprio libero arbitrio , undè potest gloriari , quod cum fuerit eadem , sù æquali gratia præventus , ac alter præventus fuit , ipse se formaliter determinavit , alter vero non.

231 Sed respondet RR. Thyrus disp. 17. de gratia efficaci sect. 13. num. 143. quod licet consensus non sit à gratia, ut determinante, sed ut sic sit solum à libero arbitrio , adhuc tamen gratia principaliter discernit hominem , quia prædictus consensus principalius est à gratia, quam ab arbitrio , quia ut inquit D. Thomas quest. 1. de potentia art. 4. ad 3. *Licet causa prima maximè influat in effectum , ejus tamen influentia per causam proximam determinatur , & specificatur.* Ratio autem à priori est quia voluntatem nostram concurrens determinando, non est plus concurrens , sed aliter , nec spectat ad quantitatem influxus, sed ad modum. Rursus voluntatem nostram determinare ad existentiam actus salutaris , est concurrens per modum causæ eligentis , sù per modum causæ proximè potentis eligere actum oppositum malum ; & per modum causæ efficientis , & recipientis simul , & cum in hoc manifesta involvatur imperfectio , non sequitur gratiam hoc modo concurrentem , non concurrens , ut causam principaliem.

232 Sed in primis D. Thom. ab hoc Autore citatus , loquitur ibi de influxu causæ pri-

mæ in effectus naturales , vel ad minus loquitur indifferenter de illa, ut influxiva in effectus na- turales , vel liberos ; inquit enim ex professo , an aliiquid dicatur possibile , vel impossibile secundum causas inferiores , vel superiores ? Et res pondet , quod secundum causas inferiores , & reddit rationem: *Quia actio causarum remotarum secundum causas proximas determinatur , quas præcipue effectus imitantur.* Undè infertur manifestè , cum ibi loqui de determinatione causæ primæ per secundam , non quidem applicativa , sù motiva , aliter nec causæ naturales agerent ut præviè motæ , & applicatæ à Deo , quod ipsi negant , sed effectiva , sù elicitive , & simultanea , qua nimirum Deus simul cum crea- tura elicit , sù efficit effectum per concursum simultaneum. Sic enim Deus effectum producit sub universalissima ratione entis ; ignis verò sub particularissima ratione ignis ; & in hoc sen- su dicitur Deum per ignem determinari ad pro- duendum ignem. Attamen adhuc ad ipsam combustionem , sù generationem ignis secun- dum propriam rationem , nec ignis concurrit quin præviè applicetur , & prædeterminetur à Deo ; undè effectus quo ad speciem etiam pro- cedit à Deo motivè , & applicativè , licet non elicitive , & idem est à fortiori de actibus libe- ris , ut alibi ponderavimus.

233 Deinde id , quod addit: voluntatem nostram concurrens determinando , non esse plus concurrens , sed aliter; neque pertinere ad quantitatem influxus , sed ad modum , patet esse falsum: nam concurrens determinando , est effi- cere determinationem formaliter; sed hanc for- maliter non efficit Deus : Ergo. Et quidem si Deus nedium cum voluntate efficeret conser- sum , verum & voluntatem ad consensum de- terminaret , plus efficeret , quam modo facit , illaque determinatio ad quantitatem spectaret influxus : pariter ergo in nostro casu. Ac tan- dem ex quo voluntas concurrat per modum causæ eligentis , & determinantis , Deus verò ut causa indifferens , & determinabilis per eam , manifestè sequitur creaturam concurrens ut causam principaliem , sicut & Deum concur- rare , ut causam creaturæ subordinatam , & sub-jectam , ut ipsi passim affirmant. Quod verò ex hoc habeat posse eligere actum oppositum ma- lum argueret Deum esse causam principalio- rem , si Deus simul cum creatura non posset concurrens ad illum actum malum , quod ipsa pro suo arbitrio eligit , & determinat; at suppo- sito , quod Deus per ipsam electionem creatu- ræ trahit , ut ad actum malum simul cum ea cooperetur , ex ipso segerit , ac si esset causa ei subordinata , & subjecta.

234 Attamen quidquid sit de hoc argumentum in suo robore permanere ostenditur manifeste: namque licet ita sit, quod Deus, ut causa principalior influat in consensum, non inde sequitur principalius, immo ullo modo discernere consentientem à non consentiente, ut potè licet sit causa principalior, non inde sequitur esse principium consensus præ dissensu, juxta ipsorum principia: ergò cum hic sit formalissimus conceptus principij discretivi, neque sequitur Deum esse principium discretivum. Simile argumentum fit in materia de Beatitudine: dicunt Thomista hanc consistere essentialiter in actu intellectus, quia essentialiter est acquisitionis ultimi finis, & solus intellectus assequitivus est, voluntas vero supponit objectum assequutam. Sed argumentantur Scotistæ, quod beatitudo consistit in actu principalior erga Deum visum; hic non est actus intellectus, sed voluntatis, quod latè probare contendunt; & Thomista primò respondet negando actu voluntatis esse perfectionem: secundò verò, ut facilius ab hoc argumento se expellant, respondent distinguendo majorem beatitudinē debet consistere in actu principaliori, qui assequitio sit ultimi finis, concedo: qui assequitio non sit, nego; undè quod actus voluntatis perfectior, & principalior sit actus intellectus, non est ad rem, dum non probatur eum esse assequitionem, ultimi finis, quia iste est beatitudinis formalissimus conceptus. Juxta hunc ergo modum respondendi, omittendo Deum in consensum influere ut causam principaliorē, nego inde sequi esse causam discretivam consentientis à non consentiente, nam principium discretivum consistit in causa principaliori consensus, cui convenit formalissimus conceptus principij discretivi, nempe, esse principium consensus præ dissensu, fecis vero cui non convenit. Unde dum adversarij non probant Deum esse principium consensus præ dissensu, non probant neque probare possunt esse principium discretivum, quamvis detur, quod sit causa principalior.

235 Et quam longe sint ab ista probatione, præter dicta, constat ex illorum communī doctrina: Nempè quod gratia solum influit in consensum, quatenus supernaturalis est, non vero quatenus liber est, sed iste prout sic solum reducitur in voluntatem creatam. Si hoc ita est, quomodo componi potest discretionem consentientis à non consentiente reduci in Divinam gratiam? Namque consentire præ dissentire non potest non reduci in principium consensus, quatenus liberi, ut potè non potest non reduci in principium electivum, quia consentire præ dissentire eligere est.

236 Jam vero ad ultimum, & præcipuum modum dicendi accedendo, quem etiam sequitur Herrera loco citato conclus. 3. alij salvare intendent discretionem prædictam reduci in Deum constituendo in Deo, præter decretum indifferens, aliud decretum, quod dicitur decretum de collatione auxilij, seu de purificanda conditione, sub qua Deus per scientiam medianam prævidit voluntatem consensuram. Hoc enim decretum est determinatum, & non nisi ex libera, gratuita, & misericordi determinatione Dei, qui cum potuerit auxilium, quod inefficax prævidit in hac, vel illa occasione, ei conferre non vult, nisi auxilium conferre, quod prævidit efficax in illa, vel in alia occasione; proindeque ratiō decretum est efficax, & infallibiliter inferens consensum præ dissensu, & in eum dicunt reduci discretionem consentientis à non consentiente.

237 Hinc consequenter docent, quod licet auxilium illud in sua intrinseca vi, & entitativè maius non sit, quam si conferatur in alia occasione, in qua prævidetur inefficax; est tamen maius in ratione gratiae, & beneficii: namque major gratia, maiusque beneficium est Petrus præstare illud auxilium in ea occasione, in qua prævidetur ei consensurus, quam in ea, in qua prævidetur dissensurus. Et pariter licet Petrus consentiens, & Paulus dissentiens æquale auxilium entitativè, & intrinsecè à Deo recipiant, sed non æqualem gratiam, nec æquale beneficium. Hinc Petrus consentit, non quia auxilium ei à Deo præstitum sit ab intrinseco efficax, sed quia eum præstat Deus in ea occasione, in qua pro suo libero arbitrio eum consensurum prævidit; è contra vero Paulus dissentit, quia licet æquale sit auxilium ei à Deo præstitum; eum tamen ei præstat in occasione, in qua eum dissensurum prævidit. Unde tandem quod Petrus consentiat, & non dissentiat, reducitur in Dei libertatem, qui pro suo libito quin alteri iroget injuriam, uni præbet auxilium prævisum efficax, alteri vero auxilium inefficax prævisum.

238 Sed hic modus dicendi multipliciter impugnatur: tum quia cum prædicto decreto non componitur decretum alterum ex se, & ab intrinseco indifferens, quod impugnare intendimus, ut latè suprà fundam. 4. tum quia vel tale decretum est consequens libertatem, vel non? Si hoc secundum, ut affirmant Suarez, Bazquez, Fassollus, Arriaga, & alij, tale decretum opponitur libertati creatæ, eadem ratione, qua ipsi probant ei opponi decretum prædeterminatum Thomisticum: namque cum ille decretum infallibiliter iasferat consensum, ut potè

ut potè decretum de conferendo auxilium prævisum efficax per scientiam mediā, jām est necessitas simpliciter, & antecedens consensum, & inevitabilis à voluntate creata. Si verò dicatur primum, ut affirmant Riva de Neyra, & Herrera, quia sicut in manu voluntatis creata est impedire scientiā mediā, qua dirigitur illud decretum, etiā in illius manu est impedire decretum illud per eā regulā. Tunc sic: ergò jam illud decretū, collatioque illius auxiliij reducitur ultimō in libertā electionē, & determinationē voluntatis creatae: unde tandem in eam reducetur consensus præ dissensu, scilicet quod potius voluntas consentiat, quam dissentiat, & consequenter discretio consentientis à non consentiente.

239 Tandem dato illo decreto, collatoq; per illud auxilio præviso efficaci per scientiam medium, inquiror: cū Petrus eo auxilio præventus consentit? vel consentit ex sui sola electione, & determinatione, vel ex electione, & determinatione Dei? Si hoc 2. habemus intentum. Si 1. manet arg. in sua vi, nempè, in liberū arbitrium reduci consensum præ dilectioni, & consequenter discretionem consentientis à non consentiente.

240 Dices: quod Petrus consentit ex electione, & determinatione Dei, non qua prædeterminet liberum arbitrium ad consensum, sed qua eligit, & confert auxilium prævisum efficax per scientiam medium, nempè, in ea occasione, in qua prævidetur Petrus consensurus. Benè: Ergò illud decretum supponit pro aliquo priori consensum Petri conditionatè prævisum per scientiam medium. Tunc sic: Ergò & supponit pro aliquo priori Petrum prævisum conditionatè discretum à non consentiente sub eadem conditione, scilicet auxilio. Patet consequentia: nā sicut Petrus absolutè consentiens est Petrus absolutè discretus à Paulo non consentiente absolute; pariter Petrus conditionatè consentiens, est conditionatè discretus à Paulo non consentiente conditionatè. Tunc vtrà: ergò per scientiam medium non prævidetur conditionatè discretus ex aliqua electione, & determinatione Dei, nemus applicativa, scilicet prædeterminativa arbitrij, quæ non datur; verum nec electiva auxiliij, quæ non supponitur: Prævidetur ergò conditionatè discretus ex sola electione, & determinatione liberi arbitrij. Sed iuxta ipsorum doctrinam, ab eisdem causis, à quibus pender futurum in sui absoluta existentia, dependet in sua existentia conditionata, aliter non esset futurum sub conditione omnium causarum, quæ simpliciter requiruntur ad existentiam ejus absolutam: decretum ergò illud de conferendo auxilium prævisum efficax per scientiam medium, non est, quod discernit absolutè Petrum consentientem à Paulo dissentiente.

M. Carrasco.

241 Dices: quod illud idem decretum, licet absolutè sit posterius scientia media, est tamen ea priùs conditionatè, & ingreditur illius objectum. Sed contra evidenter: nam vel ingreditur ex parte conditionis, vel ex parte conditionati, scilicet consensus? Si ex parte conditionis? Ergò obiectum scientiæ mediae est hoc: Si decrevero dare Petro auxilium prævisum efficax per scientiam medium, consentiet; quod objectum est necessarium, nam decretum illud, ut ipsi sarentur infert infallibiliter consensum, & sic non potest specificare scientiam medium, quæ objectivè libera, & contingens est. Si autem ponatur ex parte conditionati, nempè, consensus, vel ponitur ut priùs illo, vel ut posterius illo, vel ut simul cū illo? Non ut simul, nec ut posterius: tum quia cū principium discretivū non possit non præcedere discretionē, jam illud decretum non esset conditionatè discretivū, si ex parte conditionati ingrediatur, ut simul, vel ut ipso posterius: tum quia tale decretum in statu absoluto non est simul, neque posterius consensu, sed eum pro priori antecedit: ergò pariter in statu conditionato. Ingreditur ergò ex parte cōditionati, ut priùs illo: objectū ergo scientiæ mediæ erit hoc: Si dedero Petro auxiliū A. in occasione B. Et prævidero eū consensū sub tali auxilio. Et in tali occasione, decernā illud met auxiliū in eadē occasione cōferre. Tunc cōsentiet: At neq; hęc cōditionalis potest esse obiectū sciētiæ mediæ: tū quia ex parte cōditionis importatur sciētia media infallibiliter cōnexa cū cōsensu, undē ex hac parte cōditionalis illa est necessaria: tū quia prædicta propositio multoties falsificatur, cū cōtingat Deū plures videre cōsensuros sub tali auxilio, & in tali occasione, quibus nō decernat prædictū auxiliū conferre; cū tamē objectū scientiæ mediæ debeat cōstitui infallibile, sicut & ipsa scientia media infallibilis est.

#### FUNDAMENTUM XV.

*Ex quo supposito illo decreto non esset necessarium orare pro gratia efficaci obtinenda ad consensum.*

242 **N**amque si Deus ad nostros actus liberos concurreret per decretū indifferens, sequitur nos omniū stulte, immo & irrisoriè orare pro gratia efficaci obtinenda ad consensum; at hoc est absurdum: ergò. Prob. se- quela: in eo casu Deus per decretum indifferens constituit sub libera potestate voluntatis, tam suum concursum, quam suum auxilium determinare ad consensum; at eo ipso sequitur nos stulte, & irrisoriè orare pro gratia efficaci obtinenda ad consensum: Ergò. Major est illorum sententia, quam impugnamus, minor probatur: eo ipso determinatio, & effica-

cia illius auxiliij, quod dicitur gratia præveniens, & illius concursus, qui dicitur gratia concomitans, est constituta sub-libera potestate nostræ voluntatis; sed stulte, & irrisoriè quis orat pro eo, quod habet in sua libera potestate: ergò sequitur nos stulte orare pro gratia efficaci obtinenda ad consensum. Minor videtur nota ex terminis, & expressa Augustini, lib. 1. de natura, & gratia contra Pelagianos, cap. 19. ubi sic habet: *Quid stultius, quam orare, ut facias, quod in potestate habes?* Et de dono perseverantie, cap. 2. etiam habet: *Nonnè, O ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur, quod sequitur ipsum non dare, sed ipso non donante esse in hominis potestate?*

243 Confirmatur: nam illa efficacia non addit suprà gratiam entitativè, & intrinsecè sumptam, nisi illius conjunctionem cum effectu, juxta principia scientie medie; at homo ea gratia entitativè, & intrinsecè preventus, quæ prout sic dicitur sufficiens, est potens sine novo alio superaddito eam conjungere cum effectu, sicut & consensum elicere: habet ergò in sua potestate efficaciam Divinæ gratiæ. Explicatur: illudmet auxilium sufficiens præveniens consensum, ille quæmet concursus indifferenter oblatus, ut de inefficacibus, & indifferentibus transiant inefficacia, & determinata, non alio indigent in hac sententia præter determinatione voluntatis ad consensum; sed supposito illo auxilio, & concursu cum sua intrinseca indifferentia, voluntas nihil aliud à Deo expectat, ut se determinet ad consensum, sed prout sic, ut dicunt, est proximè constituta potens, & expedita, ut pro suo libero arbitrio se determinet, sive ad consensum, sive ad disensem: habet ergò in sua potestate efficaciam, sicut & determinationem illius auxiliij, & concursus, & consequenter efficaciam tam gratiæ prævenientis, quam concomitantis.

244 Explicatur amplius: qui gratiam efficacem petet ad obtinendum consensum, aliquid petit, sine quo non potest obtineri consensus: ergò supponit carentiam alicujus requisiti ad obtinendum consensum: qui ergò habet omnia requisita ad obtinendum consensum, stulte petit aliquid ad obtinendum consensum; at cum gratia illa entitativè, & intrinsecè sumpta, quæ prout sic dicitur sufficiens, habet homo, in hoc modo dicendi, omnia requisita ad obtinendum consensum: stulte ergò aliud petit, nempe, gratiam efficacem ad illū obtinendum. Præterea confirmatur: stulte quis peteret cōsensū ad obtinendū cōsensū, ut de se patet; sed gratia efficax, in hoc modo dicendi, suprà auxiliū sufficiens nihil addit preter consensum, quem

eligit, & cui adjungitur: ergò supposito auxilio sufficienti, stulte petet gratiam efficacem ad obtinendum consensum. Patet consequentia: nām petet id, quod gratia efficax superaddit ad auxiliū sufficiens; si ergò ad auxilium sufficiens solū superaddit consensum, peteret consensum ad obtinendum consensum.

244 Tandem: nam vel cum dicitur hominem sine gratia efficaci non posse obtinere consensum, proindeque teneri orare pro ea, dicitur gratiam illam intrinsecè acceptam non sufficere ad consensum, vel non? Si hoc secundum ergò gratia illa intrinsecè accepta, secluso quolibet alio, est sufficiens ad obtinendum consensum: supposita ergò gratia sic intrinsecè accepta, homo alio non indiget ad obtinendū consensum: stulte ergò orat pro gratia efficaci, nām tunc non orat pro aliquo distinto à gratia intrinsecè accepta. Deinde eam intrinsecè acceptam jam habet: ergò pro nihilo orat, & consequenter stultissime. Si vero dicatur primum: nempe, gratiam intrinsecè acceptam non sufficere ad consensum: ergò gratia intrinsecè accepta non est auxilium sufficiens ad consensum, & sic eo ipso per gratiam efficacem destruant naturam auxiliij sufficiens: nam ut ipsi argumentantur contra nos, si præter auxilium sufficiens requiratur prædeterminatio voluntatis ad consensum, eo ipso sine ea, scū ante eam auxilium sufficiens salvari non potest; unde idem argumentum, quo urgent nos, ipsos pariter urgere necesse est, de quo in resolutione sequenti.

245 Si autem fortè aliquis his convictus, dicat nos non orare pro efficacia illius gratiæ, sed pro ea entitativè, & intrinsecè accepta, qua sola ratione est præveniens, & omnino requisita ad posse obtinere consensum, in contra est primo, quod nos loquimur de homine in actu primo proximè, & expeditè potente elicere consensum; & in sententia contrariorum, homo sic potens constituitur per decretum indifferens, & auxilium sufficiens, concursumque indifferenter oblatum, in quibus gratia entitativè, & intrinsecè accepta consistit; proindeque homo sic jam constitutus pro ea orare non potest, nisi stulte: si quidem oraret pro eo, quod jam habet. Immò eadem, sufficientia requiritur ex parte liberi arbitrij ad orandum, atque ad consentiendum; namque etiam orare non potest sine auxilio sufficiens: sicut ergò sine gratia illa entitativè accepta consentire non potest, neque sine ea orare potest: semper ergò orat stulte, nempe, pro eo, quod jam habet, vel ad consentiendum non indiget orare pro gratia illa entitativè accepta.

cepta. Tandem si oratio ad hoc solum tendat, quod Deus ei conferat auxilium sufficiens, seu gratiam intrinsecè acceptam, cum hanc Deus conferat, nedum consentienti, sed & non consentienti, sequitur, consentientem, & non consentientem æque teneri Deo gratias agere, nam cum gratiarum actio sit pro beneficio collato, illi æquale beneficium à Deo receperunt.

246 Nec valet, si his omnibus occurras constituendo efficaciam gratiæ, non ut Molinistæ in consensu, cui adjungitur, sed in congruitate quadam defumpta, vel ex habitudine ad dispositionem subiecti, & circumstantias loci, & temporis, ut tenet Vazquez, vel ex prævisione consensus sub auxilio per scientiam medium; ut communiter tenent recentiores. Non inquam valet, & quidem primus modus constituendi gratiam efficacem in intelligibilis est, etiam apud Doctores Societatis: nam præcindendo à scientia media, gratia collata adhuc cum illa habitudine ad dispositionem subiecti, & circumstantias loci, & temporis potest conjungi cum dissensu, sicut & in earum sensu composito potest homo non consentire: aliter non libere consentiret, juxta ipsorum principia: non ergo ex illa habitudine potest efficaciam constitui, cum de hujus ratione sit infallibiliter inferre, vel habere adjunctum esse, ut omnes supponunt. Immò talis efficacia, sicut & congruitas esset antecedens consensum, quem infallibiliter inferret, & sic opponeretur libertati. Ac tandem illa efficacia non ei conveniret à Deo per decretum indifferens, quod solum impugnare contendimus, cum per decretum indifferens paretur omnipotenti ad concurrentium cum voluntate indifferenter ad consensum, vel dissensum; cum tamen Deus media illa vocatione congrua, seu efficaci, esset paratus determinate, & infallibiliter concurrere solum ad consensum. Unde credo sententiam Bazquezij in hoc sensu opponi principijs scientiæ mediae. Quod si non opponitur, in alio sensu intelligenda est, summando nempe illam dispositionem, seu attemperamentum, non pro naturali, nempe pro complexione, docilitate, vel alia simili, sed pro eo, quod est sub illis circumstantijs loci, & temporis ex se moraliter alicientibus, & inclinantibus obtemperare gratiæ, & consentire, cum adhuc sub illis potuerit eam respuere, & repugnare. Quo in casu jam illa congruitas efficaciam constitvens, reducitur in consensum, & est in manu, seu potestate voluntatis creatæ.

247 Secundus autem modus constituen- di efficaciam gratiæ, vocibus solum distin-

guitur à modo Molinæ; aliter nec decretum Dei, ejusvè concursus, vel auxilium determinaretur per consentium voluntatis, sed antecedenter essent omnia illa determinata. Hinc, ut ipsi dicunt, decretum Dei de conferendo auxilium præsum efficax per scientiam medium, est in manu, & potestate libertatis creatæ, quia in manu ejus est illa scientia media, qua auxilium efficax prævideatur; quod & probant, quia in manu, & potestate ejus est consensus, à quo efficax redditur auxilium; illud enim auxilium prævideri efficax, non est aliud, quam prævideri, ut conjunctionem consensu casu quod purificetur conditionis, seu ex suppositione hypothesis voluntatem consentire.

248 Nec valet: quod adhuc suppositz scientia media de prævisione consensus sub illo auxilio, est Deo omnino liberum illud auxilium conferre, vel non: undè in sensu composito illius potest illud non conferre. Et sic ex quo in potestate voluntatis sit illa scientia media, & prævisio consensus sub auxilio, consequenterque præviso auxiliij, ut efficaciam ex coniunctione consensus, non sequitur hominem non debere apud Deum orare ad illud auxilium consequendum: nempe, ut ei conferat illud auxilium in ea occasione, in qua ipsum prævidet consensum. Non inquam valet: nám hinc nos probamus, & re vera convincitur decretum illud de collatione auxiliij non esse in potestate voluntatis creatæ; undè cum ex alia parte sit antecedens, eumque infallibiliter inferat, non potest non libertati opponi, juxta ipsorum principia: Vel ergo prædictum decretum absolutum, efficax decollatione auxiliij, seu purificatione conditionis, debent negare, vel tenentur fateri, vel illud libertati opponi, vel esse in manu, & potestate voluntatis creatæ; & consequenter non oppertere hominem pro orare.

249 Præterea ipsi fatentur hoc decretum esse de collatione auxiliij conditionatè efficaciam per consensum conditionatum: ergo hoc decretum supponit efficaciam conditionatam auxiliij per consensum conditionatum; illa ergo efficacia conditionata non est ex decreto conferendi illud auxilium, sed ex consensu, cui conditionatè adjungitur. Cum ergo ex eodem principio proveniat, quod auxilium sit efficax in statu conditionato, ac in statu absoluto, quia ut plures dictum est, & fatentur contrarij, ab eisdem causis conditionatè existentibus dependet futurum conditionatum, à quibus absolute existentibus dependet futurum absolutum;

videtur sequi, adhuc in statu absoluto, auxilium efficax constitui per absolutum consensum.

250 Neque tandem valet nostro fundamento occurrere distinguendo cum Suarez lib. 5. de auxiliis, cap. 18. num. 11. illam duplum efficiam, aliam virtutis effectivæ, & aliam infallibilis connexionis; quarum prima in eo consistit, quod præstet vires ad eliciendum consensum; secunda vero in eo, quod infallibiliter cum consensu connectatur. Et licet hæc secunda sit in potestate voluntatis, secus vero prima: unde pro hac potest homo orare ad obtinendum consensum. Sed quis non videat his vocibus non aliud significari, quam auxilium, alterum esse sufficiens, & alterum efficax, illudque non esse in manu voluntatis creatæ, secus vero hoc. Namque virtus præstans vires ad eliciendum consensum, secundum ipsos, est auxilium sufficiens; quod vero infallibiliter connectitur cum consensu est auxilium efficax: solum ergo inserat hominem posse orare pro auxilio sufficienti ad consensum, non vero pro auxilio efficaci ad cundem. Quod etiam evidenter demonstratur: quippe efficacia virtutis effectivæ, vel est efficacia immediate ad consensum, quatenus efficaciter ex se inserit consensum, & tunc erit efficacia infallibilis connexionis: vel est efficacia solum immediate per ordinem ad potentiam quatenus eam actu ex se proximè potentem, & expeditam constituit ad eliciendum consensum, & tunc est auxilium pure sufficiens; namque hoc etiam efficaciter se gerit in constituendo potentiam proximam, & expeditam ad consensum: si quidem actu, & efficaciter ei præstat vires, ut consensum elicere queat; in præsenti autem non loquimur de oratione pro obtainendis efficaciter viribus sufficientibus ad eliciendum consensum, sed pro obtainenda illa gratia, qua infallibiliter consentiemus.

#### FUNDAMENTUM XVI.

*Ex quo cum prædictio decreto non componeatur Deum esse omnipotentem in prædestinando, & reprobando.*

251 **N**amque supposito illo decreto ex se, & ab intrinseco indifferenti, non repugnat, metaphysicè loquendo, esse hominem aliquem, quem Deus prædestinare non posset, vel reprobare: Non ergo esset omnipotens in præ-

destinando, & reprobando. Consequentia patet ex se, & antecedens probatur: supposito illo decreto ex se, & ab intrinseco indifferenti, quodlibet Dei auxilium esset ex se, & ab intrinseco indiferens, & inefficax; at eo ipso non repugnat, metaphysicè loquendo, esse hominem aliquem, quem Deus prædestinare non posset, vel reprobare: Ergo. Major patet: quia ex decreto ab intrinseco indifferenti, & inefficaci oriri non potest auxilium ab intrinseco efficax, & determinatum. Minor vero probatur: Nam casu quod quodlibet Dei auxilium ab intrinseco indiferens, & inefficax sit, non repugnat metaphysicè esse aliquem hominem, qui vel omni auxilio consentiat, vel omni ei dissentiat, quique sic prævideatur omni consentire, vel omni dissentire; sed casu quod sic prævideatur omni auxilio consentire, Deus illum hominem reprobare non potest, sicut & casu quod prævidetur omni auxilio dissentire, cum non potest prædestinare: sequitur ergo non repugnare, metaphysicè loquendo, esse aliquem hominem, quem Deus prædestinare non posset, vel reprobare: Minor & consequentia patent: Major autem etiam videtur nota: namque propterea non repugnat hominem huic, vel illi auxilio consentire, vel dissentire, quia illud ab intrinseco indiferens, & inefficax est; sed eadem ratio est de ceteris auxiliis, omnia enim ab intrinseco sunt indifferentia; & inefficacia, si semel Deus ea præbet per decretum ab intrinseco indiferens, & inefficax: Ergo.

252 Huic fundamento varie respondent adversarij; & quidem aliqui dicunt casum esse metaphysicè possibilem, loquendo de auxiliis ordinariis gratiæ; quia tamen præter hæc auxilia potest Deus hominem infinitis alijs modis adjubare, & vocare, ideo simpliciter fieri non potest, quin præcognoscatur Deus plures gratias, seu auxilia, quibus defacto converteret hominem, si vellet illa præstare. Sed contra est: nam ex illis infinitis modis, quibus Deus specialissime potest hominem auxiliari, solum sequitur non posse hominem, moraliter loquendo, omnibus Dei auxiliis resistere, seu dissentire, secus vero metaphysicè; si quidem licet specialissima sint auxilia, omnia tamen sunt ab intrinseco indifferentia, & inefficacia, neque infallibiliter inferunt consensum, seu cum eo connectuntur: Non ergo est unde metaphysicè repugnet hominem aliquem omnibus illis auxiliis etiam specialissimis resistere, seu dissentire.

253 Hinc alij dicunt: casum esse solum mora-

moraliter impossibilem, quatenus tanta potest esse energia motionum, seu auxiliorum gratiae, ut Deus in illis certo sciat futurum consensum, & videat nunquam esse ponendum dissensum; hocque sufficere, ut Deus sit omnipotens in predestinando. Sed contra est primum, nam vel illa energia motionum gratiae, seu auxiliorum est tanta, quod inferat infallibiliter consensum voluntatis creatarum, vel non? Si primum: Non erunt auxilia ab intrinseco indifferentia, sed efficacia. Si secundum: Unde potest Deus certò scire, & infallibiliter in vi illius auxilij fore ponendum consensum, & non potius dissensum? Secundò: quia ad minus non potest esse tanta illa alicentia moralis, illaque energia Divinorum auxiliorum, ut saitem per breve tempus voluntas humana eis resistere, vel dissentire non posset: ad minus ergo infertur, Deum non posse hominem illum in illo brevi intervallo convertere, & salvare. Cujus pone exemplum in peccatis venialibus, quorum objecta, quia solum movent moraliter aliciendo, & invitando, licet voluntas propter suam veritatem, & defectibilitatem omnia peccata venialia vitare possit per longum tempus, seu per totam vitam, bene tamen per breve tempus: ergo à simili. Immò illa energia motionum gratiae similis est ei, qua in temptationibus urgentibus ad malum experitur; at his, licet homo lapsus per multum tempus resistere non possit, bene tamen per breve tempus: Ergo.

254 Deinde: namque vel cum dicitur tantam esse, seu posse esse energiam motionum gratiae, procedit sermo de omnibus eis collectivè sumptis, vel divisivè: Si primum? Non est ad rem, utpotè voluntas non potest simul omnibus gratiae auxilijs moveri, & excitari, cum sint syncategorematicè infinita. Si secundum: patet quod, cuilibet auxilio gratiae divisivè sumpto quantumvis intenso potest voluntas moraliter resistere, & dissentire; ex collectione enim moraliter impossibili non sequitur singula esse moraliter impossibilia, ut patet exemplo peccatorum venialium: Ergo. Ac tandem si casus ille physice, & metaphysice possibilis est, eo ipso salvari non potest Dei omnipotentia, nam hæc repugnat, ubi potentia aliqua viget, ut per se notum est.

255 Qua ratione alii negant casum esse metaphysice possibilem, variant tamen in principio hujus impossibilitatis. Aliqui enim eam reducant in collectionem omnium auxiliorum; itaque dicunt, hominem singulis vocationibus divisivè sumptis, utpotè in-

trinsecè inefficacibus resistere, seu dissentire posse, secus tamen simul acceptis; ac proinde ratione collectionis omnium auxiliorum intrinsecè inefficacium, & indifferentium efficitur catus ille metaphysice impossibilis.

256 Sed contra hunc modum est primum ex dictis in impugnatione præcedenti: quod homo non potest simul omnibus gratiae auxilijs moveri, & excitari: ergo quamvis homo toti collectioni auxiliorum resistere non possit, si semel potest omnibus divisivè acceptis, absolutè erit potens metaphysice omnibus resistere. Secundò: nam ex collectione plurium, quorum singula sunt possibilia, licet possit resultare moralis impossibilitas, secus tamen metaphysica, ut patet exemplo, quo ipsi utuntur, nempè peccatorum venialium: nam quia singulorum divisivè vitatio possibilis est, illorum collectivè vitatio licet moraliter impossibilis sit, non tamen metaphysice.

257 Tertiò: nam nedum singula auxilia, verum, & collectio omnium auxiliorum nequit infallibiliter inferre consensum voluntatis: Ergo & toti collectioni auxiliorum voluntas dissentire potest. Probat. anteced. quia prædicta collectio solum potest moveare voluntatem objectivè, nempè, aliciendo, & invitando, ut ipsi dicunt; at hoc ipso nequit inferre consensum infallibiliter: Ergo. Probat. minor: Tum quia eo ipso solum movet moraliter, qua ratione singula auxilia divisivè accepta non inferunt infallibiliter consensum: tum, quia ut ait D. Thomas I. 2. quæst. 10. art. 2. & 3. solum objectum, quod est bonum infinitum, & capacitatem voluntatis adæquat, seu ejus appetitum satiat, potest voluntatem necessitare, seu eam necessariò ad amorem alicere.

258 Quartò, & urgentius impugnatur hic modus dicendi: namque vel in illa collectione auxiliorum est metaphysica infallibilis, seu connexio metaphysice infallibilis cum consensu voluntatis, vel non? Si hoc secundum: ad summum erit connexio moraliter infallibilis, unde casus solum redditur impossibilis moraliter, ut dicebant Authores præcedentis solutionis. Si vero primum: Sequitur scientiam medium omnino esse superfluam, ut Deus illum consensum efficaciter decernat, quod sic ostenditur: nam scientia media, qua Deus prævidat conditionatè consensum liberum voluntatis, ad hoc ponitur à contrarijs: primo ne Deus exponat se periculo frustrandi suum decretum, vel auxilium: secundò ne lèdat libertatem

tatem nostram; at in eo casu ad id scientia media omnino superflueret, & quidem ad primum constat: nam tunc decerneret consentium certum sciens per scientiam simplicis intelligentiae collectionem illam auxiliorum metaphysicè infallibiliter connecti cum consensu: Ergò absque periculo frustrandi suum decretum. Secundum quidem non minus liquet, utpote in sententia horum Authorum, infallibilis connexio hujus collectionis cum consensu voluntatis non latit illius libertatem: Ergò.

259 Sed dices hinc probari scientiam medium necessariam non esse ad existentiam praedicti decreti, non tamen necessariam non esse ad ejus exequitionem: namque cum singula auxilia efficacia non sint, & tota collectio non sit simul applicanda, si Deus non sciret per scientiam medium hoc auxilium in particulari concessum conjungendum esse cum consensu, exponeret se periculo frustrandi suum auxilium, immo cæco, & ignorant modo illud præberet ignorans effectum, quem est habitum.

260 Sed contra est: nam si scientia media ad existentiam praedicti decreti necessaria non est, nec potest esse necessaria ad illius exequitionem: Etenim decretum illud, utpote efficax, est de consensu hic, & nunc infallibiliter exequendo: ergò implicat Deum independenter à scientia media decernere efficaciter illum consensum, quin sciat infallibiliter illum consensum hic, & nunc extiturum, at hoc scire non potest, quin sciat infallibiliter auxilium pro eo instanti concessum, conjungendum esse cum consensu; nam sine tali coniunctione consensus infallibiliter extiturus non est, & consequenter independenter à scientia media Deus cognoscit auxilium illud frustandum non esse: Ergò.

261 Actandem, ut in principio arguebamus, si singula auxilia efficacia non sunt, sed inefficacia, & tota collectio non est simul applicanda, unde provenit metaphysica impossibilitas, ut homo omnibus Dei auxilijs resistere, aut dissentire possit? Sanè non ex efficacia collectionis, quæ simul applicanda non est, neque applicari potest; non ex efficacia singulorum auxiliorum: Ergò ex nullo capite. Dices: provenire ex efficacia alicujus auxiliij non determinatè considerati, sed vagè: sed hoc auxilium vagum, merito chimericum appellari potest; namque chimericum est auxilium, quod per determinatum probari non potest, sicut chimericus est homo vagus, nullo homine determinato existente: verum quidem est quod ut verificetur, hominem aliquem currere, necesse

non est Petrum, vel Paulum determinatè currere: Si tamen verum sit nullum esse hominem in particulari, & determinatè currentem, falsum est aliquem hominem currere. Si ergò juxta hunc modum dicendi nullum est auxilium determinatum efficax; & infallibiliter conexum cum consensu, falsum erit aliquid esse auxilium, id est vagum, efficax, & cum consensu infallibiliter conexum.

262 His convictus Ripalda impossibilitatem illam metaphysicam reducit in media necessaria, per quæ Deus hominem illum prædestinare potest: itaque ait Deum dupliciter posse hominem ad gloriam prædestinare: Primum per media libera, & meritoria: Secundum non ita, sed extorquendo ab homine actus necessarios, & primo modo inconveniens non est, quod in aliquo casu metaphysicè possibili Deus nequeat prædestinare hominem. Neque inde auferatur ab illo omnipotentia; secus tamen, si nullatenus cum prædestinare posset: nempè, propter actus necessarios. Quod probat, quia Deus potest illustrationes, & affectiones à Deo intensas homini communinare, ut eis obliuctari non valeat, sed necessario physicè consentiat. Quod & fundat, ex quo theologi mystici communiter docent, eximiè Sanctos in altissima contemplatione patientes esse, & non agentes Divinæ dilectionis, quod nequit intelligi excludendo activitatem physicam, cum Divina dilectio sit actus vitalis, sed quia supposita intensissima contemplatione, non liberè, sed necessario diligunt Deum.

263 Sed esse inconveniens Deum in aliquo casu metaphysicè possibili non posse prædestinare hominem per media libera, & meritoria, ostendemus impugnando ultimum modum dicendi. Quo ad id verò, quod afferit Deum posse hominem illum prædestinare ad gloriam propter actus necessarios, in dubium non vertimus: namque tunc non erit prædestination ad gloriam, ut præmium, & coronam, de qua solum sermo procedit. Displicet tamen in eo, quod colligit ex theologis mysticis, nempè, viros Sanctos in altissima contemplatione diligere Deum non liberè, sed necessario; nam si hoc ita est, talis altissima contemplatio eis potius foret impeditiva meriti, & augmenti gratiæ; meliusque illis fuisset tali contemplatione, & dilectione privari, & alia minori potiri, quod dico non potest: immo in hoc contradicit Augustino, qui de correctione, & gratia, cap. 2. explicans illa verba Apostoli ad Romanos 8. Qui spiritu Dei aguntur, bi filij Dei sunt, sic habet: Aguntur, ut agant, non ut ipsi nihil agant. Hinc cum theologi mystici docent, hominem

minem, in altissima contemplatione non agere, sed pati Divinam dilectionem, non excludunt libertatem absolutè, nempè, indifferen-tem, & potentiam ad oppositum, sed tantum studium, & negotiationem propriam, quibus eorum discutus laboret venando motiva ad divinam dilectionem.

264 Nunc jàm novissimè RR. Thyrus Salmant. prædictam impossibilitatem reducit in subordinationem voluntatis creatæ respectu divinæ: *Quia sicut adversarij ad salvandam subordinationem voluntatis creatæ respectu aivining, dicunt illam nihil posse eligere, quin præterminetur ab ista; ita nos dicimus propter illum subordinationem essentialiter postulare, ut detur in Deo aliqua scientia media de efficacia alicujus auxilij, esseque essentialiter incapacem, ut de illa videat, neque convertendam sub auxilio A. quamvis detur neque cum B. neque cum aliquo alio ex infinitis diversis, & inæqualibus, quibus seorsim, & divisi pro quolibet instanti pulsari potest. Ac proinde illam necessitatem voluntatis, ut videatur pro statu conditionato convertenda sub aliquo auxilio, esse vagam, que nequeat componi cum carentia omnium scientiarum mediarum de efficacia auxiliarum, & tamen cum illa determinatè connexionem habeat: Unde ad modum quo, supposito decreto efficaci producendi creaturam aliquam, Deus est necessitatus, ut producat, vel A. vel B. & tamen neque est necessitatus ad A. neque ad B. sed cum plena libertate ad singula; ita voluntas creatæ ex terminis suis est necessitata, ut circa ejus conversionem liberam; vel Deus habeat scientiæ medium A. representantem scilicet illam sub auxilio A. vel scientiam B. & tamen neque ex necessitate ad A. neque ad aliquam aliam in particulari, sed respectu singularum seorsim est indifferens. Hec RR. Thyrus.*

265 Sed iste modus dicendi impugnatur primo, ex quo necessitatem illam, ut detur in Deo aliqua scientia media de conversione libera illius hominis sub aliquo auxilio, reducit in subordinationem voluntatis creatæ respectu divinæ; quod, stando suis principijs, difficile suaderi potest: namque ipsi dicunt; voluntatem creatam non subordinari voluntatem divinæ in eligendo, & determinando; sed potius è contra voluntas divina in eligendo, & determinando subditur voluntati creatæ: & in eo ergò, quod est auxilio consentire, vel dissentire, voluntas creatæ non subordinatur divinæ: malè ergò ex hac subordinatione probatur voluntatem creatam vagè necessitari ad assentiendum alicui auxilio.

266 Explicatur: voluntatem vagè nec-

sitari ad consentiendum sub aliquo auxilio, est ea vagè necessariò determinari ad consensum sub aliquo auxilio: vel ergò hanc vagam necessariam determinationem habet ex propria electione independenter ab electione divina, vel non? Si hoc secundum: ergò in eligendo, & determinando saltèm vagè sub aliquo auxilio subditur divinæ electioni, & determinationi, quod stare non potest cum solo decreto indifferenti, quod impugnare intendimus: namque hoc nec determinate, neque vagè determinat voluntatem creatam ad consentiendum, sed ipsam relinquit in manu arbitrij sui, ut consentiat, vel dissentiat, vel non consentiat, nec dissentiat. Si verò dicatur primum: ergò vagè necessariò determinari ad consentiendum sub aliquo auxilio, non habet ex subordinatione ad voluntatem divinam, in eo enim, in quo independens est à voluntate divina, ei non subordinatur.

267 Deinde adhuc urgentius impugnatur hic modus: nàm, juxta illum, voluntas essentia-liter postulat, ut detur in Deo aliqua scientia media de efficacia alicujus auxilij, ub quo conditionatè prævideatur convertenda: tunc sic; illa scientia non potest non esse determinata: ergò habet objectum determinatum, ut potè scientiæ mediæ determinativum est illius objectum: ergò scientia illa nequit non esse de efficacia alicujus auxilij determinata: implicat ergò in terminis, dari in Deo illam scientiam medium, & eam non esse de efficacia alicujus auxilij determinata, quod stare non potest, si cuilibet auxilio determinato voluntas dissentire potest.

268 Explicatur: scientia illa media, quæ necessariò inducitur in Deo ex subordinatione voluntatis creatæ ad divinam, vel est scientia media A. vel scientia media B. vel D. vel C. &c. Vel neque est scientia media A. neque B. &c. Si hoc secundum: ergò non est scientia aliqua determinata. Si primum: ergò est scientia media de conversione voluntatis sub auxilio A. vel sub auxilio B. &c. Ergò sub auxilio determinato, & non indeterminato, & vago.

269 Dices: quod est determinata, quia est scientia de libera conversione creature, licet non sit sub hoc auxilio determinato, neque sub illo, sed sub aliquo. Sed contra est: nàm conversio creature non est objectum scientiæ mediæ, nisi ut sit conditionatè sub auxilio: ergò neque eam potest determinare, nisi ut sit conditionatè sub auxilio determinato: Non ergò sit eam esse determinatam, quin auxilium determinatum sit.

270 Fortè iterum dices: illam scientiam non esse determinatam; sed vagam, sicut & induciam in Deo ex necessitate vaga voluntatis: sed

sed præterquamquod cognitio vaga, & indeterminata dedecet infinitam Dei sapientiam, ut potè quæ ex visceribus imperfectionem importat; difficileque apprehenditur, quod in Deo sit necessariò aliquod prædicatum non determinatum, sed vagum; præter hoc inquam, expungitur hæc evalio ad hominem ex doctrina ejus relata: ergò deest Deo scientia determinata de efficacia auxilij, sub quo conditionatè previdet voluntatem convertendam. Hæc conseq. patet: Tunc sic: ergò illa necessitas vaga voluntatis componitur cum caretia omnium scientiarum medianarum de efficacia auxiliorum, sub quibus voluntas conditionatè convertenda est: namque, juxta hunc modum dicendi, nulla datur scientia media determinata de prædicta efficacia.

271 Item impugnatur hic modus dicendi: quia illa necessitas voluntatis, ut Deus circa ejus liberam conversionem habeat scientiam medianam A. vel B. non potest oriri, scùi inferri ex voluntate creata prout in actu primo, utpotè sic prævidetur ut omnino indiferens, unde nec sic prævidetur per scientiam medium, sed per scientiam simplicis intelligentiæ. Nec potest oriri ex voluntate creata prout in actu 2. nàm sicut actus secundus non est necessarius, sed liber, sic non potest necessariò ex ea ut sic oriri scientia aliqua media, sed contingentè, & liberè, sicut & actus secundus contingens, & liber est. Dices: quod oritur ex voluntate creata in actu 2. non determinato, sed vago, benè: nunc inquirō; ille actus secundus sic vagus, & indeterminatus, vel est liber, vel necessarius? Si liber: ergò idem quod prius. Si necessarius: ergò nequit esse objectum scientiæ mediæ, cum ictus contingens, & liberum sit, sicut & ipsa scientia media objectivè est libera, & contingens.

272 Confirmatur. Si voluntas creata es-sentialiter, & necessariò postulat scientiam medium de illius conversione sub aliquo auxilio, hæc erit in Deo respectu cuiuslibet voluntatis creata: vel ergò præter hanc scientiam medium datur alia in Deo de illius conversione sub determinato auxilio, vel non? Hoc secundum asseri non potest: aliter Deus nullam præsciret voluntatem conditionatè convertendam sub determinato auxilio. Si dicatur primum: sequitur Deum de conversione alicujus voluntatis simul habere duplēm scientiam medium, aliam vagam, & indeterminatam, ortam ex necessitate illa vaga voluntatis; & aliam determinatam, ortam ex illius conditionato consensu sub determinato auxilio, quod ridiculum est.

273 Tandem pro majori intelligentia hu-

rus modi dicédi notanda est doctrina hujus Authoris n. 12. sequenti, quæ sic se habet: Unde licet singula auxilia possint seorsim apparere inefficacia per scientiam medium, quatenus nullam potest assignari, de quo non sit verum dicere: hoc auxilium potest apparere inefficax; non tamen possunt apparere singula simul simultate efficiente exercitum apparenti, ita ut de singulis sit verum dicere: hoc auxilium appetit inefficax; sed tantum possunt simul apparere simultate sufficiente possibilitatem apparenti. A singulis enim apparentibus sub inefficacia valet consequentia ad apparentiam omnium; à singulis autem ut potentibus apparere, non valet consequentia ad potentiam ut appareant omnia simul, quia ex simultate potestatum non licet inferre potestatem simultatis.

274 Ex quibus sic ad hominem argumentor: ipse concedit, quod nullum potest assignari auxilium, de quo non sit verum dicere: hoc auxiliū potest apparere inefficax: ergò nulla est repugnantia, quod de singulis sit verum dicere: hoc auxilium appetit inefficax. Conseq. pat. nàm cum non repugnantia, ut de singulis sit verum dicere: hoc auxilium appetit inefficax, sit potentia, ut de singulis dicatur: hoc auxilium potest apparere inefficax, vel debet negari, quod de singulis sit verum dicere: hoc auxilium potest apparere inefficax, vel debet concedi nullam esse repugnantiam, ut de singulis sit verum dicere: hoc auxilium appetit inefficax; sed hoc solum intendimus in praesenti: nempe, juxta principia scientiæ mediae, non repugnare omnia auxilia gratiæ reddi inefficacia per dissensum voluntatis creatæ: ergò.

275 Confirmat. 1. de auxilio, de quo verè affirmari non potest, quod appetit inefficax, neque verè affirmari potest apparere inefficax: nàm cui repugnat actus, potentia ad actum convenire non potest: si ergò de singulis auxilijs non repugnat verè affirmari: hoc auxilium potest apparere inefficax, neque repugnabit verè affirmari: hoc auxilium appetit inefficax. Confirmat. 2. ut repugnet de singulis dicere: hoc auxilium appetit inefficax, debet assignari aliud principium, unde proveniat talis repugnantia, aliter ea repugnantia asseverabitur omnino voluntariè, & sine fundamento; at tale principium assignari non potest: ergò. Probat. min. tale principium non potest esse voluntas creata, etiam ut subordinata Deo, quia adhuc prout sic manet libera, ut sicut singulis auxilijs assentiri potest, etiam possit dissentire, immò neque consentire, neque dissentire; neque potest esse auxilium, ut potè supponitur intrinsecè inefficax; neque potest esse scientia media de-

efficacia auxiliij: nām cum hāc supponat suum objectum, debet etiam supponere efficaciam auxiliij, & consequētē principium, undē repugnat illius ineffacia: immō cum efficacia auxiliij consistat in consensu voluntatis, per idem est repugnare ineffaciam auxiliij, ac repugnare nō consernum voluntatis: non ergō est alſignare principium illius repugnantiae; & consequētē omnino voluntariē aſſeritur de singulis auxilijs repugnare verē dici: hoc auxilium appetet inefficax. Undē tandem infertur posse omnia per scientiam medianam apparere ineffacia ſimūl, id est, ſimultate, nēdum afficiēte poffibilitatem appetendi, ſed etiam exercitūm apparendi.

176 Tandēm extra rem eſſe, conſequētiam non valere à ſimultate potentia ad potentiā ſimultatis patet: nām hoc eſt verum loquendo de ſimultate exiſtentia à parte rei, ut patet ab exemplo creaturarum; omnes enim ſimūl ſunt potentes exiſtere, non tamen omnes ſunt potentes exiſtere ſimūl, quia cum ſint infinita syncathegorematice, ſimūl ad aētum reduci non poſſunt. Pariter in noſtra voluntate eſt ſimultas potentia ad amorem, & odiūm; non tamen potentia ſimultatis, quia amor cum odio circa idem ſimūl exiſtere non poſſet, utpote privatiue oppoſita. Ex hoc autem quid ad propositum? Sane quod licet omnia auxilia ſimul poſſint exiſtere, non tamen poſſint exiſtere ſimūl, utpote infinita syncathegorematice; attamen quod omnia conditionate appareant ſimūl coram divino conſpectu, ſicut & omnes creature ſic ſimūl apparent ſimultate exiſtentia objectivę in divina ſcientia, & de illis, ut ſic, Deus aſſermet omnia apparere conditionatē ineffacia reſpectu voluntatis alicujus hominis ita protervi, ut nulli aſſensurus conditionatē prævideatur, non eſt undē hāc repugnantia probetur, neque probari poſſet, ſi ſemel eſt verum Deum conditionatē per ſcientiam medianam prævidere voluntatem singulis auxilijs aſſentiri non neceſſario, ſed liberē.

177 Hinc jām aliqui media via procedunt aſſerentes caſum illum eſt metaphysicē poſſibilem; negant tamēn eſt methaphysicē poſſibilem hominem, quem Deus prædestinare non poſſet: namque P. Quiros, traſt. 6. de prædest. disp. 1 t. ſect. 3 n. 13. ait in eo caſu Deum neceſſitari ad non producendum illum hominem, quem prævidit omnibus auxilijs diſſenſurum, ne ſit verum exiſtere hominem, quem Deus prædestinare non poſſit.

178 Sed ſanē Omnipotentia Dei nēdum conſiftit in salvare, ſeū prædestinare homines exiſtentes, vel extiuros, verum, & in poſſe salvare omnes poſſibiles homines: ille ergō homo,

vel eſt poſſibilis, vel non? Si hoc ſecundum: caſus non admittitur. Si prium: quomodo Deus omnipotens relinquitur, cum cum hominem non poſſit diſponere, ut ad aēternam vitam perducatur? Sed quid non poſſet diſponere, verum neque poſſet producere; homo enim, qui à Deo produci non poſſet, poſſibilis non eſt; quod ſi poſſibilis eſt, undē efficitur Deus impotens illum producere: aequidem, juxta hunc modum dicendi, efficitur impotens illum producere ex ſuppoſitione ſibi non libera; id eſt, ex previſo diſſenſu illius hominis: Deum autem impotentem effici producere effectum ex ſe poſſibilem ex ſuppoſitione ſibi non libera, implicitorum eſt: immō licet hoc poſſit admitti loquendo de operatione creature libera, ſecūs tamen de productione hominis: namque propter ea, in adverſariorum ſententia, operatio libera creature alias poſſibilis, & non repugnans, poſſet Deo fieri impoſſibilis, & repugnans, quia erga eam Deus non exerceſt ſuam libertatem, niſi dependenter à determinatione creature; led erga productionem hominis Deus ſuam libertatem exerceſt poſſet independenter à determinatione creature, ut de ſe notum eſt: ergō.

179 Item ſequitur, Deum per ſcientiam ſimplicis intelligentia non poſſe cognoscere ſe poſſe hominem illum producere: namque non poſſet cognoscere ſe poſſe illum hominem producere, quin conditionatē prævideat ipsum Dei auxilio conſenſurum, quia ex hujus deſectu Deus efficitur impotens illum producere; at illud Deus cognoscere non poſſet per ſcientiam ſimplicis intelligentia, cum ſit contingens, & librum: ergō.

180 Ultra: cum operari ſequatur ad eſſe, ſeū exiſtere, implicat hominem prævideri conditionatē diſſenſurum, quin prævideatur conditionatē extiuros; quomodo ergō ex illo diſſenſu conditionatē præviſo inferri poſſet impotentia ad exiſtendum? Nām conditionata exiſtentia petet poſſibilitatem abſolutam ad exiſtendum: immō cum operatio petat, ut conditionem exiſtentiam agentis, ſtatus ille conditio- natus diſſenſus eſſet ſub conditione impoſſibili, & eam impoſſibilitatem infeſret. Ac tandem in eo caſu iſte Author, ut ſalvet in Deo omnipotentiam, addit Deo novam impotentiam, namque ſupra non poſſe hominem illum con- vertere, addit neque poſſe illum producere.

181 Alij verō dicunt: quod licet ſit poſſibilis caſus, in quo aliquis prævideatur omnibus Dei auxilijs diſſenſuris ſub auxilio relinquentे potentiam ad peccandum; adhuc tamen non eſt poſſibilis caſus, in quo Deus hominem aliquem prædestinare non poſſit confeſſendo auxilium

auferen potentiā ad peccandum , & ad puram omissionem consensus, seu actus boni ; relinquendo solum indifferentiam ad actus plures honestos, quod sufficit, ut Deus hominem illum prædestinare possit per media libera, & meritoria; namque ad merendum non requiritur libertas ad bonum , & ad malum , sed sufficit indifferentia ad actus honestos, ut patet in confirmatis, in gratia , & in Christo.

282 Sed hic modus ea parte , qua afferit non posse hominem illum convertere sub auxilio relinquente potentiam ad peccandum, impugnabitur contra sequentem modum P. Herrera. Deinde etiam impugnari potest, juxta alia partem afferentem , Deum omnem hominem posse prædestinare per media libera sub auxilio auferenti potentiam ad peccandum ; namque adhuc ille homo, utpote concurrens indifferenter ad omnes actus honestos , posset etiam conditionatè prævideri eliciens solum actum minimum ex illis, vel ei æqualem , non vero illo perfectiorem; neque enim in hoc est aliqua methaphysica repugnantia , scūt neque in altero casu, utpote à Deo tunc per illud auxilium non necessitatur, ut eliciat actum magis perfectum, sed eum relinquat indifferentem ut eliciat, quem voluerit: sic sed in eo casu per illum actum non intrebatur ; cum enim sit communis sententia, quod homo necessitatus ad aliquem ex duabus actibus vagè omnino æqualibus , non habet sufficientem libertatem ad meritum , eo quod nullum ex propria determinatione Deo prestat obsequium, quanto minus mereri poterit si eliciat solum minimum actum inter eos, ad quos necessitatus est. Immò quis dubitet à prædicto homine Deum non posse in illo casu extorquere actum perfectiorem ; manca ergò Dei Omnipotētia relinquitur , cum aliquid ex se possibile, & non repugnans , fiat ei repugnans , & impossibile, ut supra arguebamus.

283 Jam ergò ad sententiam Complutensis Herrerae accedendo, nec tenuit, immò intrepide, ut solet, absolutè afferit , & defendit non repugnare creaturam , que omnibus auxilijs dissensura , vel quæ omnibus consensura prævideatur ; quam proinde Deus non poterit prædestinare, vel reprobare; prædestinare, si omnibus dissensura , & reprobare , si omnibus consensura prævideatur. Ita de prædestinatione q. 16. sect. 4.

284 Hinc cogi plura absurdā , immò , & horribilem devorare pate fit , ex quo cum ei objicitur pariter sequi casum esse methaphysicē possibilem, quod nulla creatura libera, sive Angelus, sive homo consensurus prævideatur omnibus divina gratia auxilijs , ex quo fieret Deū

esse potentem solum ad indurandum , non vero ad faciendum , vel unicam ex his creaturis præceptis divinis obtemperare: Resp. Has illationes esse legitimas, minimè absurdas, sed natura libertatis consentaneas: etenim si Deus vult, quod voluntas creata minime ab ipso determinetur, sed proprio, spontaneo, liberoque plenè procedere arbitrio; & etiam vult, quod arbitrium sit ad faciendum , quod ipsi voluntati placuerit; quid mirum, quod ipsa voluntas posit omnibus resistere auxilijs, cum haec potestas ad plenitudinem arbitrij sibi à Deo collati sit consentanea? Ulterius eo ipso , quod consensus liberè sit exercendus , non pertinet ad divinum dominium illud posse determinare ; quod autem ad divinam non spectat determinationem , minimè impli-est , quod Deus nequeat facere , quod non existat. Et post pauca : Defectus futuritionis conditionatè dominio divino præjuditium non affert ; deficere enim, quod contingens est , & à libertate divina independens , libertati divina officere non valet; quippe solum spectat ad dominium , & jus divinum , quod ipsi subjicitur dominio, non autem quod exira ejus collatur dictionem , & à divina jure suo eximitur libertate. Haec iste Author , ubi aperto ore , & facie detecta affirmat creaturam liberam in suis actibus esse independentem à divina libertate , & omnino extra ejus dominium, & ditionem.

285 Similiter cum ei objicitur, ex terminis videri absurdum quod sit major potestas creaturæ ad indurandum cor suum , quam potestas Dei ad ipsum emoliendum : Respondeat, Ceterum esse , per auxilium de facto efficax posse proxime voluntatem indurare cor suum; & tamen non habet Deus potestatem proximam emoliendi eam voluntatem per illud auxilium ; immò per quodlibet auxilium est potens proxime voluntas se convertere , & se indurare ; Deus vero non habet eam proximam potestatem. Pariter cum ei objicitur, quod potestas resistendi finita , qualis est potestas creaturæ , nequit resistere potentia infinita emoliendi ipsam, qualis est potentia Divina, respondet: Potentiam Dei ad convertenda hominum corda esse infinitam ex parte propria perfectionis, esse etiam infinitam ex parte sive ex parte mediorum , quæ potest adhibere. Potentia ergò , quæ solum est infinita duobus modis prioribus, non vero tertio, optimè potest potentia finita resistere.

286 Sed ubi infinitas perfectionis potentia, cui potentia longè infinitè in perfectione distans resistere potest ? Namque perfectio potentia in activitate consistit ; potentia enim minoris activitatis minoris est perfectionis: Unum,

Unumquodque enim operatur in quantum est in actu. Nec superest, nisi clamemus cum Augustino in Enchiridione, cap. 97. *Ubi est illa Omnipotentia, qua in Cælo, & in terra omnia, qua voluit, fecit?*

287 Ratione verò impugnatur prædicta sententia à nostris Thomistis: primò ex quo; si Deus in aliquo casu non posset ab homine extorquere consensum quo ad substantiam, non esset supremus Dominus illius quo ad substantiam: ergò si in aliquo casu non posset eum ab homine extorquere quo admodum libertatis, neque esset supremus Dominus illius, quo admodum libertatis. Item: si in aliquo casu metaphysicè possibili non posset hominem absolute salvare, non esset absolute supremum liberum in salvando: ergò si in aliquo casu metaphysicè possibili non potest eum salvare per media libera, non esset supremum liberum in salvando per media libera. Rursum sequitur, quod in tali casu negatio libertatis consensus Deo libera non sit; consequens est falsum: ergò. Falsitas consequentis est manifesta ex eo, quod talis negatio esset libera homini, non libertate prima; supponimus namque illam peccaminosam non esse; cum tamen homo solum respectu peccati prima libertate potiatur. Sequela verò probat: nam tunc negatio est libera, quando extrellum positivum est in potestate; at in tali casu libertas consensus in Dei potestate non est: ergò negatio talis libertatis Deo libera non est.

288 Tandem: nam sequitur ex prædicta sententia, quod aliquid ex se non repugnans, constitutatur implicans, & repugnans independenter à voluntate Dei, eaque inconsulta; hoc est absurdum: ergò. Probi sequela: nam priori ad statum conditionatum erat non repugnans libera conversio illius hominis, & supposito illo statu redditur implicans, & repugnans; at statu ille non fit dependenter à voluntate Dei, sed ex solo arbitrio voluntatis creatæ: ergò aliquid ex se non repugnans constitutut implicans, & repugnans independenter à voluntate Dei.

289 Sed planè; his omnibus succumbent adversarij sectatores hujus sententiae; nec reputant inconvenientia; cum appetito ore, ut diximus, facieque detecta asseveret P. Herrera, quod ex suppositione, quod Deus voluit voluntatem creatam minimè ab ipso determinari, sed proprio, spontaneo, liberoque procedere arbitrio; & etiam vult, quod arbitrium sit ad faciendum, quod ipsi voluntati placuerit, eas efficit Deus independentem à sua libertate; & constituit extra ipsum dominum, & ditionem;

Unde à ratione jūdico nos hujus sententiae Se-  
ctatoribus vix aliquid, quod vim eis faciat, pro-  
ponere non possumus, præter loca Sacrae Scri-  
pturæ, & Sancti Patrum in resolutione sequen-  
ti alleganda.

290 Hoc igitur nostræ sententiaz dumta-  
xat restat solatium, quod negari non potest ma-  
gis pro dignitate sentire de Divina Omnipot-  
entia, & supremo Dei dominio, magisque  
conformiter ad Sacram Scripturam, & Sanctos PP. quām opposita. Afferimus namque, Deum  
posse in omni casu, omnemque hominem, quā-  
tumvis obstinatum, & perversum, protivum  
prædestinare, convertere, & efficaciter ad  
se trahere per actus liberos, quia fatemur, jux-  
ta fidem, Deum esse omnipotentem, & supre-  
num Dominum nostri liberi arbitrij, primum  
que liberum sibi subordinans quodlibet crea-  
tum liberum. Sententia verò opposita potius  
libertatem creatam extollit usque ad indepen-  
dentiam à divina libertate; eamque collocat ex-  
tra divinum dominium; immò divinum do-  
minium, divinamque libertatem, libertati crea-  
tæ, ejusque dominio subordinat. Sint illi pro li-  
bertate creatæ cum præjudicio divini dominij;  
nos stamus pro divino dominio absque præju-  
ditio libertatis creatæ, ut patebit ex sequen-  
tibus.

## RESOLUTIO II.

*Deus ad actus nostros liberos concurrit per de-  
cretum ex se, & ab intrinseco efficiat, &  
determinatum.*

## FUNDAMENTUM I.

*Ex locis Sacrae Scripturæ.*

291 **I**nnumeræ sunt loca Sacrae Scri-  
pturæ, quibus hæc veritas vide-  
tur demonstrari. Sapientiæ enim  
i. 1. habetur: *Virtuti brachij tui quis resifit?* Brachij nomine omnipotentia designatur; vir-  
tuti ergò omnipotentiaz nulla virtus finita resi-  
stere potest. Et non nisi quia virtus est infinita,  
& omnipotens, quod habet ex se, & ab intrin-  
seco independenter à determinatione volun-  
tatis creatæ. Pariter cap. 12. sequenti: *Subest  
tibi cum volueris posse.* Id est, potest ex hoc so-  
lo, quod velis, nec ut possis, indiget alio præter  
tuam voluntatem.

292 Proverb. 21. *Sicut divisiones aqua-  
rum, ita ior Regis in manu Domini; quocum-  
que voluerit, inclinabit illum.* Non ait, quo-  
cumque voluerit Rex, neque quocumque vo-  
luerit Dominus determinatus ex voluntate Re-  
gis;

gis; sed absolutè, & simplicitè: *Quocumque voluerit Dominus, ac si ex se, & ex propria potentia, & libertate potuerit cor Regis vertere, & inclinare quocumque voluerit.* Aequiparatus dominum Dei supra res liberas, dominio ejusdem supra res naturales; ita ut sicut aquæ ita in Dei manu sunt, ita ejus potestati, & dominio subduntur, ut independenter à qualibet suppositione contingente, quin & ipse consensuræ Divino Imperio prævideantur, eas dirigere, & dividere potest ad libitum, & quocumque voluerit; pariter cor Regis ita in manu Dei est, ita ejus potestati, & dominio subditur, ut independenter ab illius voluntate, & determinatione per scientiam medium prævisa, eum emollii, vertere, & inclinare posset quocumque voluerit.

293 *Elæther 13. Domine Rex Omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita, non est qui resistere possit voluntati tua, si decreveris salvare Israël.* Si cuncta in ditione Dei sint posita, quis audeat asserere, determinationem liberam creaturæ extra ejus collocari ditionem? Si non est qui resistere possit voluntati ejus, quomodo est, qui possit resistere omnibus auxilijs ejus? Et undè hoc: *Domine Rex omnipotens?* Planè non quia Deus non vult consensum nostrum, nisi per scientiam medium illum præviderit conditionatè futurum, sed quia Rex Omnipotens est. Ex Omnipotentia ergo, & non ex determinatione creaturæ conditionatè prævisa, habet quod infallibiliter salver Israël, si eum salvare decreverit.

294 *Ezechielis 33. Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodatis.* Tunc sic: illud cor, & spiritum novum eattenus dat Deus, quatenus dat illis auxilium efficax, ut in præceptis ejus ambulent, & iudicia ejus custodian: si ergo auxilium illud non est ab intrinseco efficax, sed ex determinatione creaturæ, Deus dat illis non cor, & spiritum novum ab intrinseco; sed cor, & spiritum ab intrinseco conjungibilem cum transgressione præceptorum; & ipsa creatura determinando illud auxillum ad illorum observantium sibi acquirit, & facit illud novum cor, & spiritum, & auferit à se cor lapideum, quo antea divinis præceptis obtemperare repugnabat. Item eo ipso voluntas creata per sui determinationem, ut adversarij dicunt, facit, ut voluntas divina concurrat ad observantium mandatorum; Deus autem solum offert concursum indifferentem, ut voluntas creata ea observet, vel transgrediatur,

prout libuerit: non ergo stat Deum facere, ut homines in præceptis ejus ambulent, & iudicia ejus custodian. Sincrè ergo, & legitimè intellecta hac Ezechielis prophetia, Deus dat hominibus auxilia ex se, & ab intrinseco efficacia, vi quorum faciat, ut ipsi à præceptis ejus non declinent.

295 *Isaïa 14. Dominus exercituum derexit, & quis poterit infirmare? Et manus ejus extenta, & quis avertet illam?* Hæc verba procedere non possunt de decreto indifferenti namque verba sequentia huic decreto adaptari non possunt: Si enim per illud nihil determinat preter voluntatem relinquere in manu consilij sui, ociose Propheta interrogat: quis poterit infirmare, vel manum ejus avertere? Si autem sermo procedat de decreto prædictivo, sive auxilijs, sive consensu dependenti à scientia media: Resp. Jesuitæ voluntatem creatam posse illud impedire, & sic jam erit, qui possit infirmare, & manum ejus quantumvis exentam avertere. Ipse etiam cap. 14. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Ac si dicaret: stabit, quia meum, & fiet quia mea; hæc enim sola est prima omnium rerum causa à nulla alia impedibilis, neque in sui determinatione dependens.

296 *Ipse cap. 10. Numquid gloriabitur securis contra eum, qui fecat in ea? Aut exaltabitur serra contra eum, à quo trahitur? Sed cur non exaltabitur, vel gloriabitur, si secans non potest secare sine securi; si scindens scindere non potest sine serra? Si securis ratione sui acuminis fecat, & pariter serra scindit, secus verò artifex; haud dubium quia securi, vel serræ suum acumen non sufficit ad secandum, vel scindendum, sed cum eo neque secabit, neque scindet, si prius non moveatur, amplietur, & determinetur ab artifice. Sed quid ex hoc? In securi, & serra Spiritum Sanctum homines designare certissimum est. Sine eis, propriaque eorum virtute Deus obtinere consensum non potest, ipsi consentiunt, & propria virtute libera consentiunt; sed tamen adhuc consentire non possunt, quin præviè à Deo moveantur, applicentur, & determinentur, ut sic homines adversus Deum non glorientur, vel exaltentur, cum rectè operantur, sicut illi qui Job 22. blasphemando dicebant: Circa cardines terræ perambulat, neque nostra considerat. Et illi qui apud Regem Vaten Psalm. 11. se magnificabant dicentes: Labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Neque video alium sensum sub prædictis verbis posse latere.*

297 *Jeremias 18. Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, dicit Dominus. Per-*  
pej.

pende ergò quomodo latum est in manu figuli, & sic invenies quomodo creatura sit in manu Dei. Neque enim lumen voluntati figuli resistit, neque resistere potest, sive ex illo faciat vas in honorem, sive vas in contumeliam, ut ait Apostolus. Deo ergò volente facere hominem vas in honorem per bona opera, voluntas humana contradicere, scilicet resistere non potest. Sed quomodo hoc cum eo, quod voluntas Dei efficax sit in manu, & potestate voluntatis creatæ, ut ad veteris contendunt? Si Deus non potest ex massa creaturæ per peccatum coquinata facere vas in honorem per conversionem, si ipsa non velit, & hoc ex propria sui determinatione, sine ulla determinatione Dei, quomodo creatura in manu Dei, scilicet lumen in manu figuli? Crediderim potius Deum scilicet lumen in manu figuli esse in manu hominis, cum Dei concursus ita sit in manu hominis, ut voluntas illo utatur prout libuerit, sive in honorem merendo, sive in contumeliam peccando.

298 Joannis 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Si solum Pater ei parat concursum indifferenter, ut veniat, vel non veniat, quomodo dicitur illum trahere? Quod si trahit illum quatenus ei confert auxilium prævisum efficax, unde prævisum efficax nisi per consensum, supponit ergò eum jam conditionate venisse, quoniam fuerit conditionate tractus à Patre.

299 Prima ad Corinth. 4. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Neque potest negari consensum esse tam Dei misericordis, quam liberi arbitrij volentis; cur ergò, potius absolute non liberi arbitrij volentis, sed Dei misericordis? Planè, iuxta sententiam contrariarum potius dici deberet liberi arbitrij volentis; namque nescimus concurrere ad consensum effectivè, verum & determinativè, cum tamen Deus solum effectivè ad illum concurrit. Dices, Deum etiam præstare vires, quibus liberum arbitriam est potens proximè consentire. Sed quid interest, si has vires præstat subordinatas ipsi libero arbitrio? Quando enim duo ad effectum aliquem concurrunt cum subordinatione inter se, præcipue effectus attribuitur subordinanti, quam subordinato; haec ratione effectus præcipue attribuitur voluntati sibi subordinanti potentiam exequitativam, quam ipsi potentiam exequitativam subordinantem.

300 Et ad Galatas 1. *Cum placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam.* Ergò gratia efficax Apostolo concessa fuit ex divino beneplacito. Sed quomodo ex divino beneplacito, si ex divino beneplacito efficax non est? Nemo enim dat pro

beneplacito suo, quod in sua potestate non habet. Dices habere in sua potestate præbere gratiam illam prævisam efficacem per scientiam mediæ, sed quomodo in sua potestate si hæc sciencia media immediate, & ea mediæ collatio illius gratiae prævisa potestate creature impedibilis est?

301 Et ad Ephesios 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.* Non quatenus consilium importat inquisitionem, quia hæc dubitationem supponit, quæ in Deo locum non habet; sed quatenus importat iudicium determinatum, ad quod consiliantes post inquisitionem pervenient, ut docet D. Thom. infra q. 22. art. 2, ad 1. unde ibi voluntas est voluntas sequens iudicium determinatum, quæ deliberata dicitur. Et si est deliberata ex proprio iudicio divino determinata, deliberata est ab intrinseco, & non est consilio voluntatis creatæ, & consequenter nec ex ejus electione non ergo est ab intrinseco indifferens, & inefficax, sed ab intrinseco efficax, & determinata.

302 Et ad Philipenses hortatur fideles, ut in timore, & tremore salutem operentur, sed unde iste timor, & tremor? prosequitur Apostolus: *Deus est enim qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Quid pro bona voluntate, nisi quatenus in nobis operatur velle, & perficere motus ex sua misericordia. Sed quomodo motus ex sua misericordia, si motus solum ex determinatione creatæ voluntatis? Si ejus concursus est solum simultaneus, & iste ex sola determinatione creature operatur quidem in nobis velle, & perficere pro bona voluntate creatæ, non pro sua bona voluntate Divina, quæ indifferens est ad velle, & non velle, ad mereri, & ad peccare. Cestat ergò illius timoris, seu tremoris fundamentum, cum per hanc indifferenter voluntatem Deus potius suum concursum sub nostra potestate constitutus; unde & in manu nostra relinquitur, quod Deus in nobis operetur nostrum velle, & nostrum perficere, neque poterit cum non operari, si nos non velimus.

303 Innumeraque sunt alia loca Sacra Scriptura, quibus hoc idem significari videtur, ut Regu 10. *Immutavit ei Deus cor aliud.* Et Esther 14. *transfert cor illius in odium gentis nostra.* Et Ecclesiastici 33. *In multitudine discipline separavit eos, & immutans vias eorum.* Et Isaie 26. *Omnia opera nostra operatus est in nobis Dominus.* Et ad Ephesios 2. *Ipsius enim factura sumus, crevi in operibus bonis, quæ preparavit Deus.* Et Actorum 16. *Cujus Dominus apperuit cor.* Et Joann. 6. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Omittoque adhuc alia plura, quæ commodiug in tractatu de prædestinatione inseremus.

## FUNDAMENTUM II.

Ex autoritate Div. Augustini.

304

**Q**uis Summus Pontifex in di-  
spusat. Rome habita inter  
Thologos Dominic. & So-  
cietatis circa presentem materiam ; decrevit,  
ut totam disputationum pondus , & utriusque  
partis fundamenta , ad investigandam D. Aug.  
& D. Thom. mentem reducerentur insinuans  
eam partem à Sede Apostolica pro Catholica  
definiendam fore , pro qua starent August. &  
Thom. ideo in horum doctorum duorum mé-  
te invētiganda p̄cipue , & specialiter incum-  
bemus.

305 Igitur in Euchiridione cap. 97. sic  
habet : *Quis tam impiè despiciat, ut dicat Deum  
malas hominum voluntates, quas voluerit, quā-  
do voluerit, quomodo voluerit, ubi voluerit, in  
bonum non posse convertere?* Desipientes ergo  
sunt , im no impiè desipientes , qui ajunt non  
repagnare hominem , qui omib⁹ Dei auxilijs  
refutare , desentirevè possit. Heus enim ho-  
minis voluntatem in bonum Deus convertere  
non posset , quando voluerit , quomodo voluerit ,  
& ubi voluerit . Et quidem si Deus non  
potest in bonum convertere voluntatem , nisi  
per scientiam medium eam prævideat salutari-  
tē conseiluram ex propria sui electione , & de-  
terminatione , quomodo verificatur eam con-  
vertere posse quando voluerit , quomodo vo-  
luerit , & ubi voluerit ? Convertet quidem eam  
quando ipsa voluerit , quomodo ipsa voluerit ,  
& ubi ipsa converti voluerit . Et quid conve-  
rget illam ? Dabit quidem ei auxilium , sine quo  
ipsa converti non posset , non tamen vi cuius  
convertere eam posset .

306 Idem repetit de gratia , & libero ar-  
bitrio cap. 2. & cap. 14. conversionis causam  
ait esse omnipotentiam illis verbis : *Rectissimè  
credimus etiam perversas , & fidei contrarias  
voluntates omnipotentem Deum posse conver-  
tere.* Idem tenet de gratia Christi cap. 14. Intel-  
ligant posse Deum mirabili , & ineffabili pote-  
stestate operari in cordibus omnium , non solum  
veras revelationes , sed etiam boenas voluntates .  
Si solum potest divina voluntas conversionem  
operari ex suppositione determinationis crea-  
turæ ad consensum per scientiam medium præ-  
vise , non mirabili , & ineffabili potestate , sed po-  
testate subiecta voluntati creaturæ , cique , subor-  
dinata , & ab ea dependenti eam operaretur .

307 Et epistola 107.n. 9.loquens de per-  
versis viris ait : *Bos ad se ipsum omnipotentissi-  
ma facilitate convertit , ac volentes ex nolenti-*

*bus facit.* Si eos converteret quia eos converti  
conditionatē præyideret sub auxilio communī,  
non eos omnipotētissima facilitate , sed ad su-  
mum communissima facilitate converteret . Et  
lib. 11.de Geneti ad litteram cap. 10. ait : *Sed  
posset ipsorum voluntatem in bonum converte-  
re , quoniam omnipotens est.* Sed quid interest , si  
enipotētia non sufficit , sed aliunde determi-  
natio prævisa voluntatis desideratur ? Quæ talis  
esse potest , ut omnipotētis resistat , vel ad mi-  
nus ea ut p̄sit , ut libuerit , sive ad bonum , si-  
vè ad malum .

308 Et de correctione , & gratia cap. 2. ex-  
pliicans illa verba ad Romanos 8. *Qui spiritu  
Dei aguntur , hi Filii Dei sunt , sic habet : Agun-  
tar enim , ut agant , non ut ipsi nihil agant . Non  
ait , agūt ut possint agere , ac si voluntas jam  
à Deo supernaturaliter acta per gratiam auxili-  
iantem , indifferens maneat ad agendum , & non  
agendum ; sed ut agant , ac si gratia illa infallibili-  
tē inferat voluntatis actionem , & quidem in  
eo , quod dicitur , aguntur , ut agant , aetio divina  
designatur , ut movens , & applicans volunta-  
tem ad agendum ; namque per concursum si-  
multaneum Dei , utpote identificatum cum ip-  
so agere creaturæ , non potest voluntas creata  
à Deo agi , ut agat .*

309 Et de correctione , & gratia cap. 14. sic  
habet : *Volenti salvum facere , nullum hanc  
nis resistit arbitrium .* Sic enim velle , vel nolle in  
volentis aut nolentis est potestate , ut divinam  
voluntatem non impedit , neque supponit po-  
testate , sed quomodo ? Si per quodlibet auxiliū  
est potens proximè voluntas se convertere , &  
Deus per quodlibet similem non haber potes-  
tatem , ut eam convertere possit ? Quomodo ? Si  
ita est in potestate hominis consentire , vel dis-  
sentire , quod si prævideatur dissentire , impedia-  
tur divina voluntas eam facere consentire ? Et  
addit August. *Habens humanorum cordium quo  
placet inclinandorum omnipotentissimam po-  
tatem , & adversarij contendunt esse solum  
omnipotentissimam in perfectione , secus vero  
ad inclinandum , & movendum corda , utpote  
cui finita potentia resistere potest .*

310 Et lib. 1.ad simplicianum q. 2.inquit :  
*Quis dicas defuisse Deo modū vocādi , quo etiam  
Esa ad eam fidem mentem applicaret , volunta-  
temq; conjungere , in qua Jacob justificatus est ?*  
Concursus applicativus , & conjunctivus mētis  
ad fidē , prævius , & non simultaneus est ; & quo  
sic applicavit mentē Jacob non iuſſicax , sed  
efficax fuit : colligitur ergo mentem Jacob ad  
fidem Deum applicasse , & conjunxit concur-  
su prævio efficaci , & neclum efficaci simulta-  
neo , nempe , ex consensu Jacob .

311 Et ibi addic: Effectus misericordia Dei non potest esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit: Si enim Deus miseretur: ergo jam volumus, ad eandem quippe misericordiam pertinet, ut vellimus; Deus est enim, qui operatur in nobis velle, & perficere. Nunc sic argumentor, iste effectus non existens in potestate hominis est gratia supernaturalis auxilians, quam solus Deus motus ex sua misericordia praetat; sed ista non potest non esse ab intrinseco efficax juxta ment. Aug. ergo. Prob. min. si illa non esset ab intrinseco efficax, cum ea posset homo non consentire: ergo Deus conferendo illam gratiam, exponeret te periculo frustrandi suam misericordiam in collatione illius: at Aug. ad hoc illam gratiam extra hominis potestatem constituit, ne Deus frustra misereatur homine nolente ei consentire: sentit ergo illam gratiam esse ab intrinseco efficacem, ita ut verum sit, quod si Deus miseretur, jam volumus, & ad eandem misericordiam pertineat, & gratiam illâ largiri, & hominem tibi ea contineat.

312 Dices: ad illum periculum evitandum esse inducitam scientiam medium, qua Deus prius videt an voluntas sub ea consensura sit; hoc enim consensu praevio sub conditione talis auxilij, Deus frustra non miserebitur conferendo illud auxilium, sed infallibiliter homo consentiet. Sed sanè hoc foret etiam si illud auxilium esset in hominis potestate: ad quid ergo August. ut illud periculum vitet, recurrat ad hoc, quod tale auxilium in hominis potestate non est? Deinde ipsi dicunt, quod collatio auxilij praevisi efficacis per scientiam medium, non minus est in potestate hominis, quam ipsa scientia media; sed prout sic esset effectus divina misericordia, in hoc enim splendet, ut dicunt, misericordia Dei, quod Deus illud auxilium praestat, quod efficax praevidetur per scientiam medium: ergo. Ac tandem, nec verificaretur ad eandem Dei misericordiam pertinere illud auxilium conferre, & nos velle, nam ad hoc oportet prae dictum auxilium ex se inferre, vel efficere nos velle, nam si hoc non haberet, illud habet ex determinatione liberi arbitrij, & non ex misericordia Dei.

313 Et de prae dictum. Sanctorum. cap. 10. sic habet: Quando promisit Deus Abrabe in semine ejus fidem gentium, dicens: Patrem multarum gentium se constitui, non de nostra voluntatis potestate, sed de sua praedestinatione promisit; promisit enim quod ipse facturus fuerat, non quod homines, quia & si faciunt homines bona, quae pertinent ad colendum Deum, ipse facit, ut illi faciant, quae praecepit; non illi faciunt, ut ipse faciat, quod premisit, alioquin

ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate, & quod a Domino promisum est, ab ipsis redditur Abrabe. Perpende quod haec promissio fuit efficax: si ergo efficax ex determinatione nostri liberi arbitrij: Ergo de nostrâ voluntatis potestate promisit, vel saltu de sua praedestinatione quantu ad collationem gratiae, quae solum est in potestate Dei, & de nostra voluntatis potestate quantum ad efficaciam illius, quae solum ex libero arbitrio oritur. Deinde si promisit, quod ipse facturus erat, non quod homines: ergo nedum consensum, quem Deus, & homo simul efficiunt eodem concursu, sed & gratiam prævenientem, quam Deus solus confert: Cum ergo hujus reddit rationem, quia Deus facit, ut homines faciant, loquitur de gratia præveniente, quae nedum prestat vires, ut homo consentire possit, sed & facit hominem consentire; hec autem est ab intrinseco efficax, ut potè sic prævenit hominis consensum, & illu causat: immo si per hominis consensum esset efficax, jam homo faceret, ut Deus faceret, & adimplatio divine promissionis, non in Dei, sed in hominis esset potestate, nam haec non sit per gratiam, nisi efficacem.

314 Et de gratia, & libero arbitrio, cap. 16. ponderans verba illa Ezechielis jam relata: Faciam, ut in præceptis meis ambuletis, sic habet: Ille facit, ut faciamus prævendo vires efficacissimas voluntati nostræ. Nescio quae interpretatione his verbis adhiberi possit? Namque adversarij affirmant Deum homini tribuere gratiam ex se, & ab intrinseco inefficacem; gratia, quae ab intrinseco efficax non est, sed solum ab extrinseco, neque efficacissima est. Dices dicū efficacissimam efficacia componibili cum libertate, quae eo ipso non potest esse efficacia ab intrinseco, sed solum ab extrinseco: sed inquiritur Aug. efficacia utitur in superlativo gradu? Cum in hoc sensu sufficeret eas vires appellare efficaces, ad quid ergo eas dicit efficacissimas? Sadè quia, ut infra ex D. Th. ponderabimus, efficacia divine gratiae non solum se extendit ad substantiam actus, sed etiam admodum illius; in hoc enim consistit, quod si efficacissima, quia substantia, & modus actus pertingit: potius ergo quia efficacissima cum libertate componitur.

315 Et de dono perseverantie, cap. 12. Sic habet: Itemq ipsa adjutoria distinguenda sunt; aliud est adjutorium, sine quo aliquid non sit, & aliud est adjutorium, quo aliquid sit. Primo itaq homini, qui in bono, in quo factus fuerat rectus, accepérat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deferrere; datum est adjutorium perseverantie, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nuc vero Sanctis in Regnum Dei per gratiam

prædestinantis, non tantum tale adjutorium perseverantie datur sed tale; ut perseverantia ipsa donetur; non solum, ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam, ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. Hec Augustinus ex diametro opponi contraria sententia est notissimum; namque sententia opposita non aliam recognoscit gratiam auxiliante, quam eam, sine qua homo actum liberum exercere non potest; quae, nempè, præstat vires voluntati, ut possit ad agendum, unde & dicitur sufficiens; hac enim ipsa, dicunt, utendo voluntas pro suo arbitrio, agit, consentit, & perseverat, neque alia indiget gratia; unde & illa, quæ antea erat pure sufficiens, per consensum efficitur efficax. Div. autem Aug. præter illam gratiam, quæ dat posse, & sine qua homo non potest agere, aliam assignat gratiam, qua sit voluntas agens, consentiens, & perseverans, quæ eo ipso nedum sufficiens, sed efficax est, & consequenter non ab extrinseco, nam sic etiam sit efficax 1. gratia, sed ab intrinseco, & ex se. Hinc 1. solum fuit donata Adamo in statu innocentiae, non vero 2. qua ratione, licet in eo statu perseverare potuisse, non tamen perseveravit; secundum tamen prædestinatis, quibus datur etiam secunda gratia, qua nedum perseverare possit, verum & perseverantes fiant.

316 Ecudem loco sic pro sequitur Aug. Si in tanta infirmitate vita hujus ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent, si vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent; inter totas tentationes voluntas ipsa succumberet. Contrariaque sententia docet, quod in tanta infirmitate vita hujus homini relinquuntur voluntas sua cum auxilio sufficienti, ut eo utatur si velit, & licet Deus in eo operetur, ut velit, sed non per gratiam quæ faciat ipsum velle, sed quæ ipse utendo pro sua libera determinatione vult: succumberet ergo voluntas in tanta infirmitate; cuius oppositum restantur experientiae. Unde concludit: Subcentum est ergo infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter, & inseparabiliter ageretur; & ideo quamvis infirma, non desiceret, neque adversitate aliqua vinceretur. Fortissimo quippe, nempè Adamo, cui dedit auxilium sufficiens, dimisit, atque permisit facere, quod vellit: infirmus, scilicet prædestinatis, quibus confert auxilium efficax, servavit, ut ipso donante invictissime, quod bonum est, vellent, nec hoc deserere invictissime nollent. In sententia opposita Deus non subvenit infirmitati humanae alia gratia, quam sufficienti; si enim temptationibus homo resistit, vi solius istius gratiae resistit, & resistit pure, quia

vult, non quia à Deo agatur indeclinabilitè, insuperabilitè, & invictissimè resistere, quia jam non liberè resisteret, sed necessario. D. Aug. exprimit illud sufficiens, quo homo suo relinquitur arbitrio, undè & illud dedit Adamo, ut faceret, quod vellat, & præter hoc assignat aliud auxilium efficax, quod Deus dat prædestinatis, ut invictissimè velint, quod bonum est, neque hoc deserere invictissimè nollint. Ex diametro ergo mens Augustini opponitur sententia Societatis.

317 Et lib. 1. de Grat. Christi contra Pelag. explicans illa verba Joan. 6. Omnis qui audivit à Patre, & dicit, venit ad me; sic habet: Isto divino dicendi modo ipsa etiam voluntas, & ipsa operatio, non solum volendi, & operandi naturalis possibilitas adjuvatur. Si enim solum posse nostrum hac gratia juvaretur, ita diceret Dñs. Omnis, qui audivit à P. & dicit, potest venire ad me. Non autē ita dixit; sed omnis, qui audivit à P. & dicit, venit ad me. Ergo secundum Augustinum, per solam gratiam juvantem naturalem possibilitem, seu posse liberi arbitrij, quæ dicitur auxilium sufficiens, solum potest dici hominem, qui sic audit, & discit à Deo, posse ad eum venire, non autem venire, nisi præter sufficiens detur auxilium efficax.

318 Et lib. 1. contra duas Epist. Pelag. cap. 19. Explicans illa verba Christi Dñi. Nemo venit ad me, nisi P. qui misit me, traxerit eum; sic habet: Non ait traxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem ejus, qui trahitur, si jam volebat, & tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis, ut vellit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari. Non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiat. Cōponit ergo Aug. quod nemo veniat nisi velit, cum eo quod veniat trahitus à Deo. Et quomodo trahitus? Operando intus in ipsis hominum cordibus; & quomodo operando? Non solum præstando, quod possint velle, sed gratiam elargiendo, quæ volentes fiant. Hac ergo ab intrinseco est efficax, & nedum sufficiens.

319 Tandem tom. 2. Epist. 105. Sic habet: Quod enim diligebat in Jacob, ante quam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum misericordia sue donum? Et quid oderat in Esau, ante quam fecisset aliquid mali, nisi originale peccatum? Nam neque in illo diligenter iustitiam, quæ nullam ille fecerat, nec in isto odierat naturam, quam bonam ipse perfecerat. Et quia adversarij ei respondebant Deum Jacob dilexisse, & odisse Esau propter eorum opera prævisa; quomodo etiam respondebunt nostri adversarij, qui dicunt amorem illum regulari scientia media, qua Deus prævidit opera bona unius,

& mala alterius; pro sequitur Augustinus: *Mirum autem cum his coartantur angustijs, in quanta se obrupta præcipit, metuentes retia veritatis, ideo, inquit, nondum natorum alia oderat, alium diligebat, quia eorum futura opera prævidebat. Quis istum accutissimum sensum defuisse Apostolo non miretur? Hoc quippe non vidit, quando sibi velut adversantis objecta questione, non id potius tam breve, tam apertū, tam, scilicet isti putant, verum, absolutumque respondit; cum enim rem stipendiam propusset, quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni, vel mali rebus dici potuerit, quod unū Deus dilexerit, aliam odio habuerit, ipse sibi obiecta questione motum exprimens auditoris, quid ergo dicemas, inquit, numquid iniquitas apud Deum Abst. Hic ergo erat locus, ut diceret, quod isti sentiunt. Futura enim Deus prævidebat, quando minori majorem servitum esse dicebat. Non autem Apostolus hoc dicit, sed potius ne quisquam de suorum operum meritis audeat gloriari, ad Dei gratiam, & gloriam commendandam voluit valere, quod dixit.*

320 Et pro fine nota Molinistas interpretari non posse August. in favorem suæ sententiae, vel contradicunt ipsi Molinæ: namque iste in sua concordia Olyspipone impressa fol. 489. §. *Nos pro nostra tenuitate, fatetur modū efficaciam, gratiam, & concordiam cum libero arbitrio à se inventum, non solum non fuisse ab August. explicatum, sed neque fuisse ei propositum. Et sanè non abs re erit verba relata Aug. contra eum objicere: Quis istam sententiam accutissimam Moline defuisse August. non miretur? Hoc quippe ille non vidit, qui in controversijs cum Pelagio libertatem cum efficacia gratiae pro viribus concordare laboravit? Hoc quippe ille non vidit ad quem Clem. VIII. in controversijs de auxiliis inter Domin. & Jesuitas præcepit, ut omnes recurrerent pro legitima efficacia gratiae declaratione, insinuans eam partem à Sede Apostolica pro catholica desiniendam fore, pro qua statisset August. hoc quippe ille non vidit, unde omnes theologi divisionem gratiae in sufficiendum, & efficacem deßumpserunt? Novit sanè ille, & cuius reprobasse constat ex dictis, & latè ostendit nostri Vives ad disp. 4. usq. ad 7. inclusi.*

### FUNDAMENTUM III.

*Ex Consilio Arausicano, Milevitano, Tridentino, & Senonensi.*

321 **C**oncilium Arausic. sub Leone I. ad versus Pelagian. reliquias congregatum, Can. 4. sic habet: *Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari*

*velimus per Sancti Spiritus infusionem, & operationem in nos fieri confitetur; ressuscit ipse Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: preparatur voluntas à Dño. & Apost. jalubriter prædicanti: Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. Ubi in primis Concilium damnat eos, qui dixerint Deum expectare voluntates nostras, ut à peccato purgemur; haec autem expectatio necessario sequitur ex decreto illo indifferenti, quo Deus non determinat, nos à peccato purgare, sed offert concursum creature ut ipsa pro suo libito eo utatur, sive ad bonum, sive ad malum; undè & concursus ille oblatus manet anceps, & veluti suspensus, antequam creatura se determinet; & sic propriè per illam oblationem potest dici Deum expectare voluntatem nostram, id est, ipsius determinationem ut cum ea concurrat ad peccati purgationem. Deinde Concilium eam efficaciam gratiae concedit, qua sit, ut nos purgari vellimus; qua non potest non esse ab intrinseco efficax: namque efficacia ab extrinseco convenit gratiae ex ipso consensu, cui adjungitur, & sic non potest esse, qua fiat nos consentire, quin potius vi nostræ determinationis fieret tunc gratiam in consensum influere. Et quidem efficacia ab extrinseco solum convenienter potest auxilio sufficienti; auxilium autem sufficientis, ut potè conjungibile cum dissensu, non facit nos velle, licet nos faciat posse velle. Neque potest recurri ad gratiam concomitantem: quia haec est, quia Deus nobiscum operatur velle, non quia nos faciat velle; hoc enim ex terminis significat gratiam prævenientem, scilicet causativam nostræ velle, eumque pro priori præcedere; cum tamè gratia concomitans, scilicet concurses Dei simultaneus cum nostro velle identificetur. Eadem se ferre ad verbum habentur in Concilio Milevitano Canonе 4.*

322 Concilium Trident. sessi. 6. cap. 5. sic habet: *Declarat præterea ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Jesum prævenienti gratia summendum esse; hoc est, ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur. Ut qui per peccata à Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjvantem gratiam ad convertendum se ad suarum ipsorum justificationem, eidem gratiae liberè assentiendo, & cooperando, disponantur. Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse, nihil omnino agat, in spirationem illam recipiens; quippe qui illam, & objicere potest, neque tamen sine gratia Dei se movere ad justitiam coram illo liberis sua potestate posse. Unde & deducitur Canon 4. sic dicens: Si quis dixerit, liberum ho-*

minis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet, neque posse dissentire si vellit, sed veluti inanime quoddam nūc omnino agere. Mereque passio se habere, anathema sit.

323 Utriusque sententia AA. supponunt Concilium in praesenti loqui de gratia prævenienti efficaci, ut potè qua actu disponuntur adulti ad iustificationem, eidem liberè assentiendo, & cooperando. Dubium est, an Concilium sit intelligendum de gratia prævenienti efficaci ab extrinseco, nempe, ex consensu adjuncto; an ab intrinseco, nempe, qua causali-  
ter inferat consentiū. Adversarij docent, intel-  
ligendum esse in primo sentu, quod & probant: tunc quia Concilium gratiam hanc ex-  
pli-  
cat per vocacionem illis verbis: *Hoc est à vocazione*; vocatio autem solum potest ex se  
movere suadendo, inspirando, excitando, &  
illuminando, qua est motio nō alia tantum, &  
objectiva: tunc quia Concilium loquitur de  
gratia, quam à se voluntas abdicere potest, &  
qui potest dissentire si vellit; gratiam autem ab  
intrinseco efficacem homo à se abdicere non  
potest, neque ei potest dissentire si vellit; cum  
infallibiliter inferat effectum. Thomistæ verò  
dicunt, Concilium necessariò intelligendum  
esse de gratia prævenienti efficaci ab intrinseco;  
quod probant: tūn ex contextu, qui nomine  
gratia prævenientis nedum intelligit vocacio-  
nem purè excitantem, verum etiam adjuvantem,  
ut patet ex illis verbis: *Ut per ejus, excitantem, atque adjuvantem gratiam, &c.* & illis:  
*Motum, & excitatum.* Hæc autem est dif-  
ferentia inter gratiam purè excitantem; & ex-  
citantem, & adjuvantem simul, quod illa reci-  
pitur solum in intellectu, & purè objectivè ex-  
trinsecè se haber ad voluntatem, nempe, per  
modum objecti alicientis, & invitantis; hæc  
verò in voluntate recipitur, eique intrinseca  
est, nempe, per modum applicantis, moventis;  
& determinantis. Quod & videtur etiam ex-  
ponere Concilium illis verbis: *Ut tangentे Deo  
cor hominis, &c.* Deinde, & præcipue hoc pro-  
bant ex quo Concilium de illa gratia loquitur,  
respectu cuius afferebat Calvinus voluntatem  
merè passivè se habere, & veluti inanime quod  
dam; & de qua afferebat Luterus libero arbitrio  
omnino prejudicare. Omnes enim sup-  
ponunt Concilium ibi hos duos errores dam-  
nasse: primum illis verbis: *Nihil cooperari Deo  
excitante, atque vocante;* contra Calvinum;  
sed secundum illis verbis: *Neque posse dissen-  
tire,* &c. Contra Luterum. At neque Calvinus,

neque Luterus adstruebant ex parte voluntatis  
solam gratiam moraliter, & purè excitantem,  
sed efficacem ab intrinseco: neque enim credi-  
bile est, eos ita allucinatos fuisse, ut crederent  
gratia purè ex parte intellectus excitanti, non  
posse voluntatem liberè assentire, pariterque  
cum ea non posse dissentire: Concilium ergò  
loquitur de gratia prævenienti ab intrinseco  
efficaci.

324 Hinc Concilium non anathematizat  
eos, qui dixerint liberum hominis arbitrium  
moveri, & excitari gratia prævenienti ab in-  
trinseco efficaci; sed hanc supponit, ut pañim  
in Scriptura, & Patribus prædicatam. Anathe-  
matizat ergò eos, qui dixerint cum tali gratia  
everti libertatem, seu voluntatem dissentire  
non posse; quia licet voluntas cum ea conjunc-  
gere dissensum non possit, adhuc tamen relin-  
quitur potens ad dissensum ab solutè, & in sen-  
su diviso, quod ad salvandam libertatem crea-  
tam, secundam, & participatam sufficit, immo  
aliter salvari non potest. Hinc etiam cum ad-  
versarij adversus nos objiciunt, prædictam gra-  
tiam non esse ab intrinseco efficacem, quia  
aliter cum ea voluntas dissentire non posset,  
videtur confirmare errorem, quem Concilium  
damnat, cum hoc solo fundamento hæ-  
retici libertatem creatam denegarent: quia,  
nempè, Dei gratia præveniens ab intrinseco  
efficax est, unde ea semel collata voluntas non  
potest non consentire, & sic necessariò, & non  
liberè consentit; cum tamen Concilium con-  
cessio antecedenti, nempè, concessa illa gracia  
ab intrinseco efficaci, neget consequentiam,  
nempè, voluntatem cum ea dissentire non  
posse.

325 Hæc dixi disputando, non definien-  
do. Unde & consequenter dico, quod sicut Je-  
suitæ docent Concilium in eo, quod damnavit  
eos, qui dixerint voluntatem cum gratia præ-  
venienti efficaci non posse dissentire, virtualiter  
eius sententiam de efficacia ab intrinseco  
definivit; ita nos dicimus Concilium in eo,  
quod non damnavit efficaciam, quam adstrue-  
bant Calvinus, & Luterus, sed solum conse-  
quentiam præ ab eis illatam: nempè, cum ea  
voluntatem non posse dissentire, virtualiter de-  
finivit nostram sententiam qua, & gratiam can-  
dem quam adstruebant illi hæretici componi-  
mus cum libertate afferendo adhuc cum ea vo-  
luntatem dissentire posse. Hinc tandem judico  
totam controversiam inter Dominicanos, &  
Jesuitas sitam esse in salvando illam proposi-  
tionem Concilij: *Neque posse dissentire:* Si enim  
ad hanc salvandam necesse sit, posse cum gra-  
tia efficaci conjungere dissensum, Concilium

habit pro Jesuitis, si verò sufficiat voluntatem posse ad disensem absolutè, & in sensu diviso, Concilium stat pro Dominicanis, de quo in solutione argumentorum.

326 Concilium Senonense Luteriæ Parvissorum congregatum anno Domini 1528. ab Archiepiscopo Senonensi adversus Luterenum, & Luteranos, cuius authoritatem, licet Provinciale fuerit, supponimus cum adversariis; decreto 15. sic habet: *Fuxta Sacram Scripturam eo extendimus, ut voluntas humana misericordia prævenientis auxilio suffulta, O' occulto secreti oris inspirationis afflatu contraria, se se convertat in Deum, Deo appropinquat, O' ad illam veram gratiam se præparet, qua tandem accepta sit ad vitam æternam, O'.*

327 Hæc verba haud dubium, quod significant gratiam prævenientem, nedum pure excitantem, & efficacem ab extrinseco, verum & ab intrinseco. Illa enim, ut diximus, est in intellectu, pureque objectivè extrinsecè se habet ad voluntatem; cum tamen Concilium assertat, prædicto misericordiæ auxilio voluntatem ipsam fulciri, & contingi. Quod etiam probatur ex dictis, namque Concilium hoc etiam damnat errorem Luteri, & contendit, ut gratia, quæ à Lutero ponebantur efficax, non præjudicet libero arbitrio, ut ipse asseverabat. Luterus autem non ajebat gratiam solum moraliter excitantem, vel efficacem ab extrinseco præjudicare libero arbitrio, sed hoc solum sentiebat de gratia efficaci ab intrinseco; huic enim dicebat voluntatem dissentire non posse, & sic necessario assentiri: Concilium ergò hanc efficaciam non negat, licet neget pravam consequentiam ab eo educatam de destructione libertatis.

328 Sed opportunt adversarij verba immediate sequentia, quibus confidentissimè videtur suam sententiam confirmare: *Neque tantum tanta gratia necessitas libero præjudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu, neque momentum quidem prætereat, quo non stet ad ostium, O' pulset, cui si quis apperuit januam, intrabit ad illum, O' venabit cum illo; neque denique tale sit hujusmodi auxilium, cui resisti non possit.* Hæc verba, licet sic scorsim sumpta videantur favere sententia oppositorum tamen cum præcedentibus adjuncta; undè notanter adversarij horum solum verborum mentionem faciunt, primaque tacere student, quasi sua sententia expressè adversantia.

329 Sed ipsos teneri interpretari Concilium est certum; namque non possunt negare nomine illius gratia voluntatem fulcientis, & contingentis, Concilium intelligere gratiam ef-

ficacem, ut potè qua actu voluntas in Deum convertitur, Deo appropinquat, & se præparat ad gratiam, sive hanc efficaciam habeat ab intrinseco, sive ab extrinseco; gratia autem efficaci, etiam ab extrinseco voluntas resistere non potest, cum eo ipso, quod ei resisteret, efficax non eset, utpote efficax per ipsum consensum, & non aliter: Non ergò in illis verbis potest Concilium loqui de gratia efficaci, sed de sufficienti solum. Item ipsi locis Scripturæ, in quibus habetur voluntatem creatam Divinæ non posse resistere, explicant de voluntate efficaci; immò ad hoc salvandum prater decretum indifferens ponunt in Deo decretum prædefinitivum, & efficax consensus prævisi per scientiam medium, immò & de purificanda conditione auxiliij; hoc autem decreto supposito, quomodo stare potest Deum conferre illud auxilium stando ad ostium pulsando, & veluti expectando, ut voluntas januam appetiat, ut intret ad Dominum, & canet cum illo? Hoc enim erit in sensu composito illius decreti, & efficaci illius auxiliij, posse voluntatem non respondere, & dissentire, quod ipsi negare tenentur, sicut & negare per auxilium sufficiens Deum expectare consensum nostræ voluntatis, ut cum ea concurrat, quia aliter consensus voluntatis pro aliquo priori Divinum concursum præcederet, & sic neque eset à Deo. Ipsi ergò decretum Concilij cum sui sententia concordent. Nos verò dicimus: quod in posterioribus verbis, vel loquitur Concilium de gratia solum sufficiente, vel illa verba: *Nec denique tale sit hujusmodi auxilium, cui resisti non possit:* Procedunt in eodem sensu, in quo Concilium Tridentinum post eum congregatum, eundem errorem Luteri damnavit, dicendo cum gratia adhuc efficaci posse hominem dissentire, ita ut resistentia non ibi summatur pro potentia ad conjungendum disensem cum gratia efficaci, sed pro potentia ad eliciendum disensem ab solute, & in sensu diviso.

#### FUNDAMENTUM IV.

*Ex alijs Sanctis Patribus, ex Summis Pontificibus, ex orationibus Ecclesiæ, O' ex Cathechismo Romano.*

330 **P**ro nostra sententia præter Augustinum, & Thomam, sunt Ireneus aduersus Valentimum cap. 76. ad illa verba: *Non enim tu Deum facis, O'.* Fulgentius lib. de Incarnatione, & gratia Christi, cap. 8. ad illa verba: *Deus ergò qui boni pœnitentiam dat, O'.* Dionysius, cap. 5. de

de divinis nominibus. Sanctus Ephren. serm. de Vita Religiosa post medium, & serm. 3. de compunctione cordis. Damascenus serm. 1. de sacris imaginibus, paulopost principium. Chrysostomus, & Theodoretus ad illa verba Apostoli ad Ephesios 10. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Cirillus Alexandrinus lib. 2. contra Julianum. Auselius lib. de concordia praescientiarum, & praedestinationis, cap. 10. Athanasius Beda, Thicophilatus ad illa verba Pauli ad Ephesios, secundò: *Creati in operibus bonis, quae preparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Gregorius lib. 1. moralium, cap. 1. ad illa verba Apostoli: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.* Ambrosius lib. 6. in Lucam, cuius verba refert Augustinus de Gratia Christi, cap. 46. Nazianzenus orat. 31. ad illa verba Apostoli ad Romanos 9. *Non est volentis,* &c. Hyeronimus lib. 3. contra Pelagium paulopost medium. Quorum Doctorum verba non referimus ob vitandam prolixitatem, ea tamen referunt, & transcribunt Zumel Alvarez, Estuis, & Navarrete.

331 nostram sententiam etiam expressè tenet Celestinus Papa, qui scribens quibusdam Galliae Episcopis, sic habet: *Non dubitemus ab ipsis gratia omnia hominis merita præveniunt; per quam si sit, ut aliqui boni, & velle incipiamus, & facere. Quæ verba gratiam ab intrinseco efficacem exprimunt, ut patet ex dictis, & patebit ex dicendis.* Clemens VIII. cum materiali de auxiliis resolvere decrevisset, licet morte præventus, non potuerit librum, ut particularis Doctor conscripsit in quindecim capitula distributum, in quorum 5. sic habet. *Hæc gratia habet suam efficaciam ab omnipotentia Dei, & à domino, quod sua Divina Majestas habet in voluntates hominum, sicut & in cetera omnia, que sub caelo sunt secundum Augustinum.* Quæ verba expressiora esse non possunt in favorem nostræ sententia, cum eam efficaciam præstet divinitas gratia erga nostros actus liberos, qua Deus operetur circa cetera ordinis naturalis. Quibus adde Gelasium, & Leonem I. Epistol. 84. serm. de Passione Domini, & serm. 1. de Jenunio, & serm. 29. & Joannem XI. qui pro nostra videtur stare sententia, dum approbavit; & amplexus fuit doctrinam Sancti Augustini circa auxilia gratiæ contra Pelagianos, & eorum reliquias.

332 Orationes Ecclesiæ efficaciam divinitatis gratiæ in omnipotentiam Dei reduci, manifeste ostendunt: Tunc quia sic communiter incipiunt: *Omnipotens sempiterne Deus, &c. Omnipotens, & misericors Deus, &c. Quæsumus omnipotens Deus, &c.* Tum quia terminis utun-

tur significantibus nos petere, non quod Deus tribuat gratiam, quam nos pro nostra libertate determinemus, & faciamus in nostros actus influere; sed potius, quæ nos faciat salutariter operari, faciendo de repugnantibus consentientes, & denolentibus volentes; ut præcipue innoscit ex illa oratione, in qua petimus: *Ut nostras etiam rebelles ad se compellat voluntates.* Quibus junge antiquam illam, & gravem orationem, quam Ecclesia Hispanie in Concilijs Toletanis præmittebat, ut refert noster Gratia de Loaifa, qua post alia sic habet: *Veni ad nos, adesto nobis, & dignare illabi cordibus nostris. Doce nos quid agamus, quo grediamur ostende, quid efficiamus operari; esto solus, & iugestor, & effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre, & Filio nomen possides gloriosum.* Necnon orationem illam Basilij apud Ecclesiam Orientalem communem, quam refert Petrus Diaconus de Incarnatione, & gratia, cap. 8. quæ sic se habet: *Malos, quæsumus bonos facito, bonos in bonitate conserva, omnia enim potest, quem enim volueris, salvas, & non est qui resistat tibi.*

333 Ac tandem Cathechismus Romanus 1. p. Simboli primi fidei articulo, num. 20. ita habet. *Non solum autem Deus universa, quæ sunt providentia sua tuetur, atque administrat, verum etiam, quæ moventur, & agunt, aliquid intima virtute ad motum, atque actionem ita impellit, ut quamvis causarum secundadarum efficientiam non impedit, præveniat tamen; cum ejus occultissima vis ad singula pertineat, & quemadmodum sapiens testatur: attingat à fine, usque ad finem fortiter, & disponat omnia suaviter.* Ubi non solum affirmat divinam gratiam nostram efficientiam prævenire, neque ei solum virtutem ad operandum præstare; verum & hanc virtutem ad operationem impellere, qui impulsus in concursu simultaneo consistere non potest, cum hic operationem non proveniat. Relinquitur ergo esse efficacem ab intrinseco juxta Cathechismum Romanum, cuius authoritas, licet Canonica non sit, ut magna apud Catholicos reputari debet, ut potè edictus iussu Concilij Tridentini, à doctissimis viris compositus, & à Pio V. & Gregorio XIII. approbatus.

#### FUNDAMENTUM V. Ex Authoritate Divi Thomæ.

334 **N**ostram sententiam nedum tradit D. Thomas, verum & fundat, insuperque argumentis in contrarium satisfact. Et in primis eam

eam tradit, & fundat 3. contra Gentes cap. 67. num. 4. dum probat, quod Deus est causa operandi omnibus operatibus sic: *Quidquid applicat virtutem activam ad agendum, dicitur esse causa illius actionis.* Artifex enim applicans virtutem rei naturalis ad aliquam actionem dicitur esse causa illius actionis; sed omnis applicatio virtutis ad operationem est principali-  
ter, & primò à Deo; applicantur enim virtutes operatrices ad proprias operationes per aliquem motum, vel corporis, vel animae; primum autem principium utriusque motus est Deus, est enim primum movens, omnino immobile: Et similiter omnis motus voluntatis, quo applicantur aliqua virtutes ad operandum, reducitur in Deum, sicut in primum appetibile, & pri-  
mum volentem: omnis igitur operatio debet attribui Deo, sicut primò, & principali agenti. Unde datur omni motu voluntatis secundum D. Thomam attribui Deo, ut primò moventi, & applicanti. In sententia contraria, licet attribuatur Deo, sed effectivè solum; non tamen determinativè, id est, ipsi ut efficienti, non tamen ut determinanti, cum potius ejus concursus, vel auxilium determininetur ex de-  
terminatione liberi arbitrij. Deo autem attri-  
bui, ut applicanti, est Deo attribui, ut de-  
terminanti; neque enim per decretum in-  
differens voluntas applicatur ad operandum,  
cum in eo consistat illius indifferentia, quod  
voluntas se determinet si voluerit; unde & in  
sensu composito illius potest voluntas non  
operari; neque similiter applicatur per concur-  
sum simultaneum, cum ille sit motus, ad quem  
applicatur, utpote identificatus cum motu vo-  
luntatis. Quod & exemplificatur in causis natu-  
ralibus, quarum applicatio ad operandum est  
determinatio; & pariter in instrumento quod  
ab artifice applicari est ab eo determinari sal-  
tem quoad exercitium; & ex terminis, quia  
causam applicari, est ex statu indifferentiae, &  
in actu primo reduci ad actum secundum.

335 Hoc ipsum tradit, & docet cap. 70.  
seq. ubi probat, quod idem effectus est à Deo,  
& ab agente inferiori: *Et in quantum Deus dat  
virtutem inferiori, & in quantum eam conser-  
vat, & in quantum eam applicat ad agendum,*  
*sicut artifex applicat instrumentum ad pro-  
prium effectum.* Nec in hoc relinquitur locus  
alteri explicationi de motione morali, utpote  
loquitur D. Thom. indifferenter de effectibus  
naturalibus, & liberis; quod exemplificat in ap-  
plicatione; & motione instrumenti ab artifice,  
qua physica, & subjectiva est.

336 Et cap. 89. ubi probat, quod motus  
voluntatis causatur à Deo, & non solum à vo-

luntate, sic incipit: *Quidam vero non intelligen-  
tes qualiter motum voluntatis Deus in nobis  
causare possit absque praeditio, libertatis vo-  
luntatis conati sunt has autoritates malè ex-  
ponere, ut dicentes, quod Deus causat in nobis  
velle, & persicere, in quantum dat nobis virtu-  
tem volendi, non autem sic quod faciat nos velle  
hoc, vel illud, sicut Origines exponit, liberum  
arbitrium defendens contra autoritates præ-  
dictas.* Unde patet opinionem, quam hic reji-  
cit D. Thom. esse illam, quæ ait Deum non fa-  
cere nos velle hoc, vel illud. Fateor nostros  
adversarios discedere à sententia Originis, qua-  
tenus docent motum nostræ voluntatis cau-  
sari à Deo, nedum mediata in quantum dat vir-  
tutem, sed etiam immediate; sed non nisi per  
concursum ex se inefficacem, & indetermina-  
tum; licet efficacem, & determinatum per con-  
cursum creaturæ, qui cum sit ipsum velle, jam  
per eum non potest verificari Deum facere nos  
velle, & pro priori ad velle, non facit nos vel-  
le, cum sit inefficax, & indifferens ad velle, &  
non velle, de quo latè infra. Ergo secundum  
D. Thom. etiam adversarij nostrum liberum  
arbitrium defendunt contra autoritates præ-  
dictas. Quod & magis explanatur ex probatio-  
ne ipsius, quæ est hujusmodi: *Homo non potest  
virtute voluntatis sibi data uti, nisi in quan-  
tum agit in virtute Dei; illud autem in cuius  
virtute agens agit, est causa non solum virtutis,  
sed etiam actus: quod in artifice appetit, in  
cuius virtute agit instrumentum etiam, quod  
ab hoc artifice propriam formam non accipit,  
sed solum ab ipso applicatur ad actum. Quæ ra-  
tio ponderanda est, distinguunt enim D. Thom.  
virtutem voluntati à Deo communicatam,  
nempè, quæ dat posse expeditem, & proximum,  
& usum talis virtutis: sicut in instrumento est  
distinguere formam sibi communicatam ab ar-  
tifice, qua redditur proximè aptum, & expe-  
ditum, ut ab eo assumatur ad proprium effe-  
ctum agendum; & usum illius formæ, & ait pre-  
ter prædicam virtutem voluntati à Deo com-  
municatam, puta auxilium sufficiens, necessa-  
riò requiri aliam virtutem, vi cuius homo uta-  
tur prima virtute; quæ dicitur virtus applicati-  
va, namque adhuc ille usus est in virtute Dei,  
quod & exemplificat instrumento, quod ab  
uno artifice accipit formam, & ab alio appli-  
catur ad actum; quo in casu præter formam,  
quam accepit ab artifice, indiget alia virtute  
applicativa ad usum talis formæ. Indiget ergo  
secundum D. Thom. voluntas, ut utatur virtu-  
te sibi à Deo communicata, alia virtute appli-  
cativa, quæ est motio prævia efficax, quam  
propugnare in presenti intendimus.*

Quod

337 Quod & evidenter etiam demonstrat in ultima ratione, quæ sic procedit: *Hujus quod aliquis intelligat, consuetur, & eligat, & vellit, oportet aliquid esse causam, quia omne novum oportet, quod habeat aliquam causam; si autem est causa ejus aliud consilium, & alia voluntas, puta alter actus voluntatis, cum non sit procedere in his in infinitum, oportet devenire ad aliquid primum: Est igitur Deus primum principium nostrorum consiliorum, & voluntatum.* Ubi notandum est, quod cum ait oportere esse aliquam causam hujus, quod est eligere, & velle, loquitur de causa distinta ab ipsa voluntate, & nescio effectiva, sed determinativa illius, patet ex illis verbis: *Si autem est causa ejus aliud consilium, & alia voluntas præcedens:* Supponit enim D. Thom. voluntatem ex uno acta determinari ad alium, ut ex intentione finis ad electionem mediorum, & non nisi medio consilio, & ratione. Cum ergo concludit D. Thom. ex quo in his non esse procedere in infinitum, oportere devenire ad aliquid primum, nempè, ad Deum, qui causa sit electionis voluntatis, intelligendus est de Deo, ut causa nescio simultanea effectiva, sed etiam præviè determinativa.

338 Quod & latè prosequitur D. Thom. quæst. 6. de malo, art. unico in corpore, ubi distinguit duplarem motionem nostræ voluntatis aliam subjectivam, & quo ad exercitium; & aliam objectivam, & quantum ad specificationem, de prima loquendo ait: *Quod moveatur à se ipso, sicut enim moveat alias potentias, sic & se ipsum movet. Quia tamen videtur hinc sequi, quod voluntas secundum idem sit in potentia, & in actu, dicitur, quod sicut intellectus ex uno noto, venit in aliquid ignotum, quod erat in potentia notum, ita per hoc, quod homo aliquid vult in actu, moveat se ad volendum aliquid aliud in actu, sicut per hoc, quod vult sanitatem moveat se ad volendum sumere portionem.* Et cum hoc in infinitum procedere non possit, necesse est ponere, quod quantum ad primum motum voluntatis, moveatur voluntas ab aliquo exteriori, cuius instinctu voluntas velle incipiat, quod est Deus. Quibus verbis explicatur, quomodo Deus moveat voluntatem ad primam ejus motum: Nempè, eo modo, quo voluntas ex intentione finis, scilicet sanitatis, moveatur ad electionem medijs, quod est potio; quæ motio efficax ab intrinseco est. Et licet in hoc dupli loco solam loquatur D. Thom. de motu primo nostræ voluntatis, adhuc tamen adverfatur sententiaz contrarie, utpote, quæ adhuc in primo motu docet esse liberam, & posse peccare, ut affirmant de Angelis in pri-

mo instanti; unde apud eos eadem est ratio de-negandi motionem intrinsecè efficacem ad pri-mum actum, atque ad ceteros actus; in senten-tia tamen Thomistica voluntas in illo primo motu peccare non potest, non quia à Deo mo-vetur motione intrinsecè efficaci, sed quia ab eo moveatur specialiter, & unicè, ita ut in pri-mo illo motu voluntas se applicative non mo-veat, sed solum elicitive, hac enim ratione pec-catum in primo simpliciter motu attribueretur Deo, de quo in tractatu de Angelis.

339 Quod & adhuc expræsius traditur à D. Thom. 1.2. quæst. 9. art. 4. ubi inquirit: utrum voluntas moveatur ab aliquo exteriori principio; supponendoque ita esse de motione objeciva, & quo ad specificationem, de subje-ctiva, & quo ad exercitium loquendo, sic pro-bat: *Omne enim quod quandoque est agens in potentia, & quandoque in actu, indiget move-ri ab aliquo movente; manifestum est autem, quod voluntas incipit velle aliquid, cum hoc prius non vellet: Necesse est ergo, quod ab ali-quo moveatur ad volendum: & quidem sicut dictum est, ipsa moveat se ipsam in quantum per hoc, quod vult finem, reducit se ipsam ad volendum ea, quæ sunt ad finem: Hoc autem non potest facere, nisi consilio mediante: Cum enim aliquis vult sanari, incipit cogitare quo modo hoc consequi posit, & per talen cogita-tionem percusat ad hoc, quod potest sanari per Medicum: Sed quia non semper sanitatem actus voluit, necesse est, quod inciperet, velle sanari ab aliquo movente: & si quidem ipsa moveret se ipsam ad volendum, oportuisset, quod median-te consilio hoc ageret ex aliqua voluntate pre-supposita.* Hoc autem non est precedere in infinitum: Unde necesse est ponere, quod in primum motum voluntas prodeat ex instinctu alicuius exterioris moventis. Hæc ibi clarissimè D. Th. Hinc cum objicitur, quod de ratione principij voluntarij est, quod sit à principio intrinseco: respondet ita esse, sed non ita, quod hoc prin-cipium sit primum principium non motum ab alio, unde primum principium est ad extra. Pariter cum objicitur, quod violentum est, cuius principium est ad extra, responderet illud non sufficere, sed aliud esse exigit patiens nullum conferre vim, cum tamen voluntas ipsa velit, licet ab alio mota. Pariter cum objicitur, quod voluntas sufficienter moveat se ipsam: respon-det, quod voluntas quantum ad aliquid suffi-cienter se moveret, & in suo ordine, scilicet, sicut agens proximum; sed non potest se ipsam mo vere quantum ad omnia: unde indiget moveri ab alio, sicut à primo movente.

340 Sed universaliter loquendo, Deum movere

movere voluntatem creatam efficaciter, ex professo probat D. Thom. infra quest. 105. art. 4. ubi hoc inquit: *An Deus posset movere voluntatem creatam?* Ubi in corpore etiam distinguit duplē motionem, aliam objectivam, id est, ab objecto; & aliam subjectivam, id est, ab eo, qui dedit virtutem volendi. Et de prima loquendo concludit, quod solum à Deo, quod est bonum infinitum, moveatur voluntas nostra sufficienter, & efficaciter. De secunda vero loquendo sic habet. *Velle autem nihil aliud est, quam inclinatio quedam in objectum voluntatis, quod est bonum universale; inclinare autem in bonum universale est primi moventis, cui proportionatur ultimus finis; sicut in rebus humanis dirigere ad bonum commune est ejus, qui praeest multitudini; unde utroque modo proprium est Dei movere voluntatem, sed maximè secundo modo interiori eam inclinando.* Ubi in primis in his ultimis verbis interpretari non potest de motione morali, & objectiva, cum eam ab objectiva discernat. Deinde expressè habet utroque modo esse proprium Dei movere voluntatem, sed maximè secundo modo. Cum ergo loquendo de motione primo modo dixerit eam esse efficacem, à fortiori hæc secunda motio à D. Thom. ponitur efficax, immò maximè efficax; & cum sit subjectiva ab objectiva distincta, non potest non esse efficax ab intrinseco: namque sola motio moralis, & objectiva est, quæ in sententia contraria efficax constituitur ab extrinseco, nempè, ex consensu, vel prævisione illius.

341. Et ut magis appareat mentem Div. Thom. in hoc articulo omnino opponi sententias contrarie; est notandum illud principium, quod quasi per se notum ab omnibus adversariis habetur: nempè, nullum agens liberum iure libertatis permittore ab alio agente determinari, namque de ratione agentis liberi est, quod moveatur à se, & non ab alio; hinc si ab alio moveretur, ab eo cogeretur, nec se moveret voluntariè, neque ei attribueretur opus; unde neque ei opus imputaretur ad meritum, vel demeritum. Quibus omnibus respondet in praesenti articulo D. Thom. & ad primum: *Quod illud quod moveatur ab alio, dicitur cogi, si moveatur contra inclinationem propriam; sed si moveatur ab alio quod sibi dat propriam inclinationem, non dicitur cogi, sicut grave cum moveatur deorsum à generante, non cogitur; sic igitur Deus movendo voluntatem non cogit ipsum, quia dat ei ejus propriam inclinationem.* Pariter ad secundum ait: *Quod moveri voluntariè, est moveri ex se, id est, à principio intrinseco; sed illud principium intrinsecum potest*

*esse ab alio principio extrinseco, & sic moveri ex se non repugnat ei, quod moveatur ab alio. Ac tandem ad tertium respondet: Quod si voluntas ita moveretur ab alio, quod ex se nullatenus moveretur, opera voluntati non imputarentur ad meritum, vel demeritum; sed quia per hoc, quod moveatur ex se, ut dictum est, ideo per consequens non tollitur ratio meriti, vel demeriti. Non ergo secundum D. Thom. de ratione agentis liberi creati est, quod ita moveatur à se, ut non possit ab altero moveri, & determinari.*

342. Quod etiam docet D. Thom. infra q. 83. artic. 1. ad 3. quod procedebat ad probandum hominem non esse liberi arbitrij, quia liberum est, quod sui causa est, ut dicitur in primo methaphysicæ: *Quod ergo moveatur ab alio non est liberum; sed Deus moveat voluntatem: Ergo. Et respondet: Quod liberum arbitrium est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium se ipsum moveat ad agendum. Non tamen hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id quod liberum est; sicut nec ad hoc, quod aliquid sit causa alterius, requiritur, quod sit prima causa ejus: Deus igitur est prima causa movens, & naturales causas, & voluntarias, &c. Voluntas ergo secundum D. Thom. se moveat, sed non ut prima causa, sic enim solum moveatur à Deo; sed ut causa secunda, sicut & ipsa moveat ceteras potentias. Moveat ergo se, ut mota à Deo, & aliter non se moveret ut causa secunda, & creata, sed in creata, & prima.*

343. Quod pariter docet primo contra Gentes cap. 68. his verbis: *Dominiū, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam causa exterioris agentis; non autem excludit influentiam superioris causa, à qua est ei esse, & operari, & sic remanet causalitas in causa prima, respectu motuum voluntatis. Secundum adversarios aliud præter illa duo excludit, nempè, motionem prævisam efficacem primæ causæ; quam D. Thom. respectu voluntatis coicidit, illa enim influentia Dei, à qua nostra voluntas habet esse, & operari, efficax est, & quia efficax est per modum causalitatis primæ causæ, est præviè efficax, & nedum simultaneè, aliter esset causalitas sui ipsius, cum concursus Dei simultaneus, & concursus voluntatis identificantur.*

344. Secunda secundæ quest. 34. art. 1. expressè etiam nostram confirmat sententiam, sic enim habet in corpore: *Tripletter ergo possumus considerare charitatem: Uno modo ex parte*

parte Spiritus Sancti moventis animam ad diligendum Deum. Et ex hac parte charitas impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti, qui infallibiliter operatur quocumque voluerit: Unde impossibile est haec duo simul esse vera: quod Spiritus Sanctus velit aliquem movere ad actum charitatis, & quod ipse charitatem amittat peccando. Ubi ex tripli parte motionem Spiritus Sancti ab intrinseco efficacem designat, & quia infallibiliter operatur quocumque vult, & quia impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus Sancti, & quia cum ea, seu in sensu composito illius voluntas peccare non potest. Cum tamen adversarij doceant cum Divina motione Deum infallibiliter non operari, cuius hæc motio sit per auxilium, cui voluntas in sensu composito dissentire potest; & pariter quod Divina motio efficaciam habet ex nostro consensu, saltem conditionaliter præviso, non ex virtute ipsius Dei, quæ potius nostro libero arbitrio subordinatur, ut ea utatur ad quocumque voluerit. Ac tandem, quod cum Divina motione necesse est compati potentiam ad peccandum, nendum in sensu diviso, sed etiam in sensu composito, quia aliter libertas destruitur. Ex dimetro ergo relata doctrina D. Thom. opponitur doctrinae Societatis.

345. Et Quodlibeto 12. art. 3. habet: Prædestinationis habet certitudinem ex parte voluntatis Divinæ, cui non potest aliquis resistere. Certitudo prædestinationis in efficacia Divinæ voluntatis fundatur: Si ergo certitudinem habet ex parte voluntatis Divinæ, ex ea etiam habet efficaciam, & consequenter non ex prævisione consensu, sed ab intrinseco. Immò propterea, secundum D. Thom. certitudinem, & efficaciam habet ex parte voluntatis Divinæ, quia ei voluntas creata resistere non potest, non quidem ei, quatenus confert auxilium præsum efficax per scientiam medium, quia jām prædestinationis habet efficaciam ex efficacia illa conditionata auxiliij, & cum hæc auxilio conveniat, ex consensu libero voluntatis creata, cui conditionate adjungitur, jām eset verum, quod prædestinationis habet efficaciam ex parte voluntatis creata, & nendum ex parte voluntatis Divinæ immò ex parte voluntatis creata primo, & per se, & ex parte voluntatis Divine secundario, & per accidens; quod menti D. Thom. contradicere haud dubium est.

346. Quod etiam expressè docet infra quæ l. 23. art. 3. ubi ex professo inquirit: Utrum præscientia meritorum sit causa prædestinationis; & refert sententiam illorum, qui dixerunt, quod merita sunt ratio prædestinationis: Ut intelligatur, quod ideo Deus dat gratiam alicui,

Op̄raordinavit se ei daturum, quia prescivit eum bene usurum gratia: Quam sententiam impugnat, quia jām prædestinationis habet aliquam causam ex parte nostra, quod est impossibile: Quia quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem, comprehenditur totum sub prædestinationis effectu, etiam preparatio ad gratiam: Neque enim hoc fit, nisi per auxilium Divinum secundum illud Thren. ultimo, converte nos Domine ad te, & convertemur. Habet tamen hoc modo prædestinationis ex parte effectus pro ratione Divinam voluntatem, ad quam totas effectus prædestinationis ordinatur, ut in finem, & ex quo procedit, sicut ex principio primo movente. En efficaciam Divinæ prædestinationis ex parte effectus, qui est gratia auxilians, reducit D. Thom. in Divinam voluntatem, ut in principium primum movens, excludendo causam illius ex parte nostræ voluntatis.

347. Uidimus D. Thom. nostram sententiam tenere, & fundare; videamus jām cum argumentis in contrarium satisfacere. Et quidem omnia argumenta contrariorum reducuntur ad unum, nempe, per decretum Dei ab intrinseco efficax, pariterque per gratiam ejus auxiliantem ab intrinseco efficacem, destrui libertatem creatam: Quod tam longè abesse docet D. Thom. quod potius ex summa Divinæ voluntatis efficacia probat voluntatem creatam liberè consentire. Sit in primis in præsenti, art. 8. ubi inquirit: Utrum Divina voluntas rebus volitis necessitatem imponat, refert sententiam illorum, qui dixerunt effectus esse necessarios, vel contingentes, non propter causam primam, sed propter causas medias, & secundas: Nempe, ea quæ producit Deus esse necessaria, quia ea producit per causas necessarias; esse verò contingentia, quia producit ea per causas contingentes. Sic autem nostros adversarios assertere, est notum, qui contingentiam actus liberi reducunt in ipsam voluntatem creatam, prorsus impossibile judicando actum reduci in voluntatem Divinam, & esse liberum, eo quod voluntati Divinæ creata voluntas resistere non potest. Hinc dicunt, voluntatem creatam elicere consensum præ disensu, quia vult, non quia Deus vult; sed Deus solum vult indifferenter concurrere ad quod voluntas creata voluerit se determinare. Hanc ergo sententiam rejicit D. Thom. sic: Sed hoc non videtur sufficienter dictum propter duo: Primo quidem quia effectus alicujus primæ cause est contingens propter causam secundam ex eo, quod impeditur effectus causa prima propter defectum causæ secundæ, sicut effectus virtutis Solis per defectum

*fectum plantę impeditur; nullus autem defectus cause secundae impedire potest, quin voluntas Dei effectum suum producat.*

348 En D. Thom. non recognoscit effectum causę primę posse esse contingentem propter causam secundam, nisi cum per hujus defectum effectus causę primę impediri potest: ergo consentus noster à causa prima procedēs eatenus solum potest esse contingens propter voluntatem nostram, quatenus Deus per eam impediri potest, ne producat consensum. Ita factentur adversarij; at secundum D. Thom. nullus defectus causæ secundæ impediri potest, quia voluntas Dei effectum suum producat; hanc minorem negant adversarij: ergo contra D. Thom. negant.

349 Deinde prosequitur D. Tho. Secundò, quia si distinctio contingentium à necessariis referatur solum in causas secundas, sequitur hoc esse præter intentionem, & voluntatem Dei, quod est inconveniens. Ac si diceret: si effectum esse contingentem refertur in causam secundam, non imprimam, non ideo effectus contingentē evenit, quia Deus vult eum contingentē evenire, sed quia eum media causa contingente producit: Est ergo ille effectus contingentē præter intentionem, & voluntatem Dei. In fententia opposita voluntas nostra non elicit liberē consensum, quia Deus vult, cum Deus non potius velit consensum, quam dissensum, sed quia ipsi voluntati placet: exsilit ergo consensus præter intentionem, & voluntatem Dei; quod D. Th. reputat inconveniens.

350 Concludit ergo effectus esse necessarios, vel contingentes, reduci in solum efficaciam divinę voluntatis, quod probat sic: *Cum enim aliqua causa efficax fuerit ad agendum, effectus consequitur causam non tantum secundum id, quod sit; sed etiam secundum modum fieri, vel effendi. Ex debilitate enim virtutis activae in semine contingit, quod filius nascitur dissimilis patri in accidentibus, que pertinent ad modum effendi. Cum igitur voluntas divina sit efficacissima non solum sequitur, quod fiant ea, quia Deus vult fieri; sed quod eo modo fiant quo Deus ea vult fieri. Vult autem Deus quedam fieri necessariō, quedam contingentē, ut sit ordo in rebus ad complementum universi; & ideo quibusdam effectibus aptavit causas necessarias, quae deficere non possunt, ex quibus effectus de necessitate proveniunt: quibusdam autem aptavit causas contingentes defecitibiles, ex quibus effectus contingentē eveniuntur non igitur propterea effectus voliti à Deo eveniunt contingentē, quia causæ proxime sunt contingentes, sed propterea quia Deus vult eos con-*

M. Carrasco,

*tingenter evenire, contingentes causas ad eos preparavit. Hac Div. Thom.*

351 Nota exemplum Patris, qui vult, & intendit generare filium sibi similem, nedum quo ad substantiam, & speciem, verū & quo ad modum individualem, nempe, quo ad accidentia; non tamen sic illum producit, & hoc propter debilitatem virtutis activae in semine. Hinc declaratur, quod cum Dei voluntas efficacissima, & fortissima sit, non solum fient, quæ Deus vult fieri; verū & fient eo modo, quo Deus vult fieri: si ergo Deus vult aliquid fieri contingentē, & libere, infallibiliter illud fieri contingentē, & libere: non ergo hēc conseq. est bona in doctrina D. Th. Id, quod Deus decernit efficaciter, non potest non fieri: ergo non libere, & contingentē sit: Utpotē si Deus illud decernit efficaciter eventurū contingentē, non potest nō evenire contingentē. Unde tam longè abest non evenire contingentē, quod potius nec. sse sit eū evenire contingentē, quia Deus efficaciter vult eum sic, & non aliter evenire.

352 Hinc etiam pat. hanc conseq. non valere: Voluntas prædefinita, seu prædeterminata ad consensum, non potest non consentire: ergo liberē non consentit; namque eatenus non potest non consentire, quatenus non potest non fieri id, quod Deus prædefinivit, seu prædeterminavit faciendū; Deus autem non solum prædefinivit, & prædeterminavit voluntatem consensuram, verum & consensurā liberē: ergo tam longè abest eam non liberē consentire, ex quo non potest non consentire, supposita Dei prædefinitione, quod potius interfert eam non posse non consentire liberē, quia sic consensuram Deus prædefinivit. Ac tandem si consensus noster volitus à Deo non propterea est liberē, & contingens, quia voluntas nostra contingens, & libera est, sed potius ad cum preparabit causam contingentem, & liberam, quia Deus vult cum contingēt, & libere evenire, quomodo ex hac Dei voluntate efficaci potest impediti voluntas, ne eum libere, & contingentē eliciat?

353 Et hinc resp. D. Tho. ad argumenta, quibus contrarij perluaderē intendunt prædicam efficaciam nostram destruere libertatem; & quidem ad illud, quod necesse est fieri id, quod Deus vult fieri, respond. hoc esse intelligendum non de necessitate absoluta, sed conditionali: *Necesse est enim hanc conditionalem veram esse: si Deus hoc vult, necesse est hoc esse. Pariter ad illud, quod voluntati divinae nihil resistere potest, respond. Quod ex hoc ipso, quod nihil voluntati divinae resistit, sequitur quod non solum fiant ea, quae Deus vult fieri; sed quod fiant contingentē, vel necessario, quia si fieri*

KK

20-

voluit. Tandem ad illud, quod necessitas ex priori, est necessitas absolute, responderet: *Quod posteriora habent necessitatem à prioribus secundum modum priorum; unde & ea que sunt à voluntate divina, talem necessitatem habent, qualis Deus vult ea habere, scilicet, vel absolute, vel contingentem tantum, & sic non omnia sunt necessaria absolute.*

354 Hanc eandem doctrinam confirmat Div. Thom. pluribus alijs in locis; namque in primò per Hyerm. lect. 14. reddit rationem hujus, quod est necessitatem, vel contingentiam effectuum reduci in divinam voluntatem: nempe: *Quia haec est intelligenda, ut extra ordinem entium existens, & veluti causa quadam profundens totum ens, & omnes ejus indifferencias; sunt autem differentiae entis possibile, & necessarium, & ideo ex ipsa voluntate divina originatur necessitas, & contingentia in rebus.*

355 Et quæst. 23. de verit. art. 5. ubi ex professio etiam in examen vocat, an divina voluntas necessitatem rebus imponat? Etiam respondet negative: *Quia voluntas divina est agens fortissimum, unde oportet ejus effectum ei omnibus modis assimilari, ut non solum fiat, quod est, quasi assimilari secundum speciem. Sed ut fiat eo modo quo Deus vult illud fieri, ut necessario, vel contingenter, cito, vel tarde, quod est quasi quedam assimilatio, quoad accidentia.* Pariter hoc ipsum inquirit primò ad Anibaldum dist. 47. q. unica art. 4. & respond. negativè, & probat: *Quia voluntate Dei non solum res in esse producuntur, sed etiam rebus producendis modum, quo producantur, prædeterminavit. Unde cum voluntas Dei efficaciter impletur, oportet, quod res sicut eo modo, sicut divina voluntas disposita. Disposuit autem Deus ad complementum universi, ut quedam fierent contingenter, & his præparavit causas secundas contingentes; & ideo divina voluntas rebus necessitatem non imponit.*

356 Et ponit secund. argum. quod stante voluntate Dei, non potest deficiere suum voluntum, & resp. *Quod quamvis contrarium ejus, quod est voluntum à Deo, non possit stare cum voluntate divina; possibilitas tamen ad contrarium potest stare cum ea, propter contingentia causæ mediae, & hoc sufficit, ut effectus sit contingens, & non necessarius.* En distinctionem Thomisticam de sensu composito, & diviso, namque, supposta Dei prædefinitione, & prædeterminatione ad consensum, voluntatem non posse dissentire in sensu composito, est non posse cum illa componere, seu conjugere dissensum; posse vero in sensu diviso, est solum cum ea componere, & conjugere, non dissensum, sed

potentiam ad illum; & hanc, ait D. Thom. posse cum ea componi propter contingentiam causæ mediae, id est, quia est ex se, & ab intrinseco indifferens ad utrumque; ex hoc enim habet, quod sicut prædeterminata ad consensum, cōsentit, ita prædeterminata ad dissensum, dissentit. Ponit etiam tertium argum. Quod in omni conditionali vera, cuius antecedens est necessarium absolute, etiam consequens est necessarium absolute, sed hæc conditionalis: Si Deus vult aliquid, illud est, vel erit; cum ergo antecedens sit necessarium absolute, & consequens est necessarium absolute. Et responderet: *Quod ex hoc antecedenti: Deus vult aliquid: sequitur non solum illud esse, sed eo modo, quo Deus vult, & ideo contingenter, quandoque, & quandoque necessario.*

357 Idem docet, & confirmat in locis, in quibus loquitur de voluntate humana, ut mota, vel præordinata à Divina. Namque prima 2. quæst. 10. art. 4. ubi ex professo inquirit, utrum voluntas moveatur de necessitate ab exteriori motivo, quod est Deus, in corpore articuli sic habet. Dicendum, quod sicut Dionysius dicit, ad providentiam Divinam non pertinet naturas rerum corrumpere, sed conservare; unde omnia movet secundum eorum conditionem, ita quod ex causis necessariis per motionem Divinam sequatur effectus ex necessitate; ex causis autem contingentibus sequatur effectus contingenter. Quia igitur voluntas est activum principiū non determinatum ad unū, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinetur, sed remanet motus ejus contingens, & non necessarius. En D. Th. ut certum supponit voluntatem nostram à Deo moveri, & non purè objectivè, seu moraliter: De hoc enim egerat jām art. 2. sed physicè, sicut & movet causas necessarias. Et cum hoc componit non eam movere necessariò, sed liberè, quia eam movet secundum modum suum.

358 Ubi etiam objicit argumentum: quod omne agens, cui resisti non potest, ex necessitate movet, & responderet: *Quod voluntas divina non solum se extendit, ut aliquid fiat per rem, quam movet, sed etiam, ut eo modo fiat, quo congruit natura ipsius; & ideo magis repugnat Divina motioni, si voluntas ex necessitate moveretur, quod sua natura non competit, qua si moveretur liberè, proit competit sua natura.* Pariter objicit hoc ipsum alijs terminis: *Possible est, quo posito non sequitur impossibile, sequitur autem impossibile, si ponatur, quod voluntas non velit hoc, ad quod Deus eā movet, quia in hoc casu operatio Dei effet inefficax.*

non ergo est possibile voluntatem non velle hoc, ad quod Deus eam movet: ergo necesse est eam hoc velle. Secundum adversarios non est impossibile, quod voluntas non velit hoc, ad quod Deus eam movet, neque consequenter, quod ejus operatio sit inefficax, cum solum teneant hanc motionem esse moralem, cui voluntas adhuc in sensu composito resistere potest. Attamen D. Thom. utrumque illud judicat impossibile, & resp. *Quod si Deus movet voluntatem ad aliquid, impossibile est huic positioni, quod voluntas ad illud non moveatur; non tamen est impossibile simpliciter, unde non sequitur, quod voluntas a Deo ex necessitate moveatur.* Supponit ergo D. Thom. inter motionem Dei, & determinationem voluntatis dari infallibilem connexionem, qua non obstante, voluntas non moveretur de necessitate simpliciter, quia solum necessariò moveretur ex suppositione divinae motionis, quæ est motio voluntatis secundum proprium modum.

359 Eadem 1. 2. q. 112. art. 3. ubi inquit, an necessariò detur gratia se præparanti ad illam, vel facienti, quod est in se in corpore habet: *Quod preparatio ad gratiam duplicitè considerari potest: uno quidem modo secundum quod est a libero arbitrio, & secundum hoc nullam necessitatem habet ad gratię consequitionem, quia donum gratiae excedit omnem præparationem virtutis humanæ: alio modo secundum quod est a Deo movente, & tunc habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio Dei desidere non potest.* Enclarissime D. Thom. constituit in Deo necessitatem collationis gratiæ, non ortam ex libero arbitrio creature, sicut ex ejus præparatione, ut a libero arbitrio procedit etiam prævisa per scientiam medianam, sed ortam ex ipsis divinæ voluntatis efficaci intentione. Ubi jam duplē efficaciam ex parte Dei designat, unam ex altera ortam: nempè, efficaciam divini auxilij moventis ortam ex efficacia divinae intentionis præordinantis. Deinde distinguit duplē necessitatem, aliam coactionis, quæ sola opponitur libertati, & hanc denegat nostræ voluntati, quippè a Deo procedens juxta modum suum, scilicet liberè. Aliam infallibilitatis, quæ cum libertate componitur: Inepte ergo, & contra D. Thom. adversarij ex infallibili connexione divinitate prædefinitionis, sicut gratia efficacis cum nostris actibus liberis, inferunt eorum everti libertatem.

360 Et 3. contra Gent. cap. 71. cum proposuisset præviā Dei applicationem erga causas secundas ad suos effectus, t. citè respondens objectioni probat, ea non obstante divi-

nam providentiam non excludere malum à nobis: *Quia optimum in gubernatione qualibet est, ut rebus gubernatis secundum modum suum provideatur; in hoc enim regiminis justitia consistit. Sicut igitur esset contra rationem humani regiminis, si impediretur a gubernatore civitatis, homines agere secundum sua officia, ita esset contra rationem adivini regiminis, si non sineret creature agere secundum proprium modum suæ nature;* & ex hoc, quod creatura sic agunt, sequitur malum in rebus. Idem docet cap. 73. sequenti probans divinam providentiam non excludere arbitrij libertatem.

361 Et cap. 90. probat, quod electiones, & voluntates humanæ subduntur divinae providentiae, sibique objicit argumentum de destructione libertatis, sic: *Dicitur enim Ecclesiastici 15. Deus ab initio constituit hominem, & relinquit eum in manus consilij sui. Et infra: apposui tibi aquam, & ignem, ad quod velutoris porrige manum tuam; ante hominem vita, & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur ille:* Et respond. D. Thom. *Hec autem verba ad hoc inducuntur, ut homines esse liberi arbitrij ostendant, non ut corum electiones a divina providentia subtrahantur.* Et similiter quod Gregorius Nissenus dicit in libro, quem de hoc fecit: *providentia est eorum, quæ non sunt in nobis, non autem corum, quæ sunt in nobis.* Et Damascenus eum sequens dicit in secundo libro, quod ea, quæ sunt in nobis, Deus prænoscit, sed non prædeterminat. *Exponenda sunt, ut intelligantur ea, quæ sunt in nobis divinae determinationi non esse subjecta, quasi ab ea necessitatem accipientia.* En secundum Div. Thom, divina providentia est determinativa & ex quo homo a Deo relinquatur in manus consilij sui, ait, non inferri, ut adversarij inferunt, nostras electiones, & determinationes non esse subjectas prædictæ divinae determinationi, quia, nempè, ab ea non accipiunt necessitatem.

362 Et cap. 94. sequenti certitudinem in infallibilem divinæ providentiae cum contingentia effectuum sic componit: *Deus, qui est universi gubernator intendit, quod effectus ejus, hic quidem stabilatur per modum necessitatis, hic autem contingentè; & secundum hoc diversas causas eis adaptat; his quidem necessariis, his autem contingentibus, cadit igitur sub ordine divinæ providentie, non solum hunc effectum esse, sed hunc effectum esse contingentem, alium autem necessarium, sibique objicit argumentum: si aliquid est provisum a Deo, passa quod talis sit regnaturus; aut est possibile, quod non regnet, aut non; si hoc secundum: ergo*

necessarium est eum regnare. Si primus sequitur divinam providentiam decipere posse. Et respondet: Quod hoc, quod ponitur provisum esse à Deo, ut sit futurum, si sit de genere contingentium, poterit non esse secundum se; si enim provisum est, ut sit contingens potens non esse; non tamen est possibile, quod ordo providentiae deficit, quin contingentēr eveniat. Unde potest poni, quod iste non sit regnaturus, si secundum se consideretur; non autem consideretur, ut provisum. En distinctionem Thomisticam, quod homo prædeterminatus ad consensum, potest ad non consensum, secundū se, non verò, ut conjungendum cum prædeterminatione, quod idem est ac posse ad non consensum in sensu diviso, secūs tamē in sensu composito.

363 Objicit etiam ex Tullio in lib. de divinatione: Si omnia à Deo provisa sunt, certus est ordo causarum; si autem hoc verum est, omnia fato attinguntur; quod si omnia fato attингuntur, nihil est in nostra potestate: Nullum ergo est voluntatis arbitriū. Sequitur ergo, quod tollitur liberum arbitrium, si divina providentia sit certa, & eodem modo, quod omnes causae contingentēs toluntur. Et respondet: Illud assrem, quod Tullius objicit secundum præmissa frivolum apparet; cum enim divinae providentie non solum subdat effectus, sed etiam causa, & modi effendi, non sequitur, quod si omnia Dei providentia agantur, quod nihil sit in nobis. Sic enim sunt à Deo provisa, ut per nos liberè siant.

364 Ac tandem loco cit. de malo, cum ostenderit voluntatem ad primū motum moveri à Deo, prosequitur: Qui cum omnia moveat secundū rationem mobiliū, ut levia sursum, & gravia deorsum, etiam voluntatem moveat secundum ejus conditionē, non ut ex necessitate sed ut indeterminatē se habet ad multa. Ponit tamē argum. Quod alia animalia ab homine non habeat liberam electionem, quia eorum appetitus à quodam exteriori moveantur: Si ergo voluntas hominis immobilitè moveatur à Deo, sequitur, quod homo non habeat liberam electionē suorum actuum. Et resp. Quod animalia bruta moveantur per instinctum superioris agentis ad aliquid determinatum secundum modum formae particularis, cuius cognitio ne sequitur appetitus sensitivus; sed Deus moveat quidem voluntatem immutabilitè, propter efficaciam virtutis moventis, qua deficere non potest: Sed propter naturam voluntatis motæ, indifferenter se habet ad diversa, non induxitur necessitas, sed manet libertas, scilicet etiam in omnibus providentiā divina infallibilitè operatur. Quod tandem à causis contingentibus prove-

nunt effectus contingentēr, in quantum Deus omnia moveat proportionabilitè unumquodque secundum suum modum. Ubi valde notanda sunt illa verba: Deus moveat voluntatem immutabilitè propter efficaciam virtutis moventis. Deinde facit paritatem de effectibus contingentib; naturalibus ad actus nostros liberos, cum tamē effectus contingentēs naturales divina providentia infallibilitè operetur. Omitto plura alia loca D. Thom. quæ in idem incident, & aliqua objicitur relata fuerant in fundamentis pro prima resolutione.

## FUNDAMENTUM VI.

## A ratione.

Ex illo communissimo principio: omne quod moveatur, ab alio moveatur.

365 **A** Ratione præcipue nost. resolutio fundatur fundamentis resolutio precedingi objectis, præcipue eis, quæ desumuntur ex incomponibilitate decreti indifferentis cum divina providentia, suppremo Dei dominio, ratione prima cause, priusque agentis liberi, omnipotentia in prædestinando, & reprobaendo, discretione prædestinatōrum à reprobis, & oratione pro gratia efficaci obtinenda ad consensum. Hæc enim ex terminis probant Deum decernere nostros actus liberos antecedenter ad determinationem creature, omninoque independenter ab illa, sive absolute exercita, sive conditionate prævisa. Præter ista tamē fundamenta fundatur nostra resolutio alijs pluribus fundamentis, & præcipue ex illo communissimo principio: omne quod moveatur, ab alio moveatur, quo & utitur D. Thom. communiter, ut patet ex locis præallegatis. Est hoc principium Philosophi lib. 7. Phisicorum cap. 1. & lib. 8. cap. 8. quo ipse, & D. Thom. t. p. q. 2. art. 3. demonstrat Deum esse: immò cum D. Thom. quinque rationibus ostendat, & probet Deum esse, ait, manifestiorēm viam esse, quæ sumitur ex hoc principio. Hoc ergo idem principium assumimus, ut probemus voluntatem nostram præviè à Deo moveri, & applicari ad suam operationem liberā, proindeque eam non posse non præcedere ex parte Dei decretum ex se, & ab intus seco efficax, utpote ex se inferens, & derivans prædictam motionem, & applicationem.

366 Sic ergo formatur ratio: voluntas nequit moveri ad suam operationem libertam, quin efficaciter à Deo præmoveatur ad illam: Ergo & quin Deus efficaciter decernat cum ea

ad illam concurrere. Conseq. patet, & anteced. probat. omne, quod movetur, ab alio moveatur, usque dum deveniamus ad aliquod movens immobile, quod nempè, moveat, quin moveatur ab alio; cum in hoc non sit procedere in infinitum, quod non potest esse, nisi solus Deus: voluntas ergò nostra ad suam operationem moveri nequit, quin à Deo præmoveatur ad illam. Antecedens licet expræsum Philosophi probat D. Thom. sic: implicat aliquid idem movere se ipsum: Ergò quidquid inovetur, ab alio movetur. Probat. anteced. implicat aliquid idem movens, & motum: Ergò implicat aliquid idem movere se ipsum. Probat. anteced. implicat aliquid secundum idem esse movens, & motum: Ergò implicat aliquid idem esse movens, & motum. Conseq. patet: nam idem est aliquid idem esse movens, & motum, ac esse movens, & motum secundum idem: namque quod secundum diversa est movens, & motum, jam ut movens, & ut motum idem non est. Anteced. autem probat: motum in quantum tale est in potentia, è contra verò movens in quantum tale est in actu; sed implicat aliquid secundum idem esse in actu, & in potentia: Ergò implicat aliquid secundum idem esse movens, & motum. Conseq. est bona, minor etiam est certa: namque esse in actu, & esse in potentia secundum idem, comparatur ut actus, & privatio actus. Major vero quo ad primam partem probatur à D. Thom. ex definitione motus; nempè, est actus entis in potentia, secundum quod in potentia, quo ad secundam partem probatur à D. Thom. quia movere est agere; nihil autem agit, nisi in quantum est in actu: tum quia movere est educere aliquid de potentia ad actum; de potentia autem non potest aliquid, nisi per aliquid ens in actu. Cujus ponit exemplum D. Thom. quia ignis eatenus facit lignum calidum, in quantum est actu calidum, & è contra lignum eatenus fit calidum, in quantum est in potentia calidum, & implicat aliquid esse actu calidum.

367. Est tamen valde notandum pro intelligentia hujus demonstrationis, quod notanter D. Thom. apponit illud additum *secundum idem*, nam negari non potest aliqua se ipsa movere: namque viventia se ipsa movent, in hoc enim distinguuntur à non viventibus, unde vita definitur: *Est motus à principio intrinseco se movente per illum*. Non tamen sunt viventia, & motu secundum idem; namque viventia naturalia habent partes æthereogenes, seu diverse rationis, & secundum unam partem movent, secundum aliam vero moven-

tur. Viventia atfem spiritualia habent diversos actus, ex quorum uno moventur ad aliun, ut intellectus ex assensu præmissarum movetur ad assensum conclusionis; & voluntas ex intentione finis se movet ad electionem medium. Et sic jàm non verificatur, quod secundum idem se movent, & moventur, sed secundum diversa nedium ratione, sed realiter, & consequenter nunquam est verum, quod aliquid idem realiter se ipsum moveat, sed quod movetur ab alio. Hinc Philosophus in 9. metaphysicę lect. 11. definit potentiam passivam, quod est principium ab alio, prout aliud est. Et explicat D. Thom. *Hoc dicit, quia & si idem patiatur à se ipso, non tamen secundum idem, sed secundum aliud*. Similiter Philosophus definit potentiam activam: *Quod est principium transmutationis in alio, prout aliud est*, & explicat D. Thom. *Hoc dicit, quia possibile est, quod principium actuum sit simile in ipso mobili, vel passo, sicut cum aliquis movet se ipsum, non tamen secundum idem est movens, & motum, agens, & patiens*. Et ex hac doctrina D. Thom. locis citatis fundamento 5. demonstrationem Philosophi ad præsens intentum applicat; namque cum voluntas non possit se mouere ad unum actum, nisi per alium, & in hoc non sit procedere in infinitum, probat ad pri- mū illius actum voluntatē moveri à solo Deo.

368. Nihilominus nostri adversarij multipliciter huic fundamento satisfacere cohanuntur. Et primò aliqui negant absolute, quod omne, quod movetur, ab alio movetur, lieèt ita expræsse tradatur à Philosopho, & D. Thom. Ad probationem, quod unumquodque móvet in quantum est in actu, distinguunt: in quantum est in actu virtuali, concedo: formalis, nego. Discunt enim voluntatem sufficienter constitutam, ut possit se mouere ad actum, per actuā virtualiter in ea pracontentum, quin necesse sit esse in actu formalis, seu formaliter.

369. Sed contra hanc evasiōrem est primò: quod cum dicitur unumquodque móvet in quantum est in actu, per actuū intelligitur actus condistinctus à potentia, allèr non est necesse distinguere illam propositionē, sed absolute poterit negari; actus ut virtualiter precontentus non est distinctus ab ipsa potentia; actus enim prout in virtute est ipsa virtus: ergo. Deinde stando experientię oppositum sit manifestum; namque non viventia, cujus partes sunt homogeneæ, prouindeque non possunt secundum unam partem mouere, & secundum aliam moveri, mouentur à generante; viventia autem ut diximus, cujus partes æthereogenes sunt, secundum unam partem se mouent,

& secundum aliam moventur; non tamen secundum eandem sunt moventia, & mota; cor autem, quod ab alia parte moveri non potest, ut potè ex cuius motu, motus aliarum partium dependet, etiam movetur à generante. Videntia tandem spiritualia, ut etiam diximus, secundum unum actum moventur ad alium actum, non tamen secundum eundem actum movent se, & moventur. Hoc autem non esset necessarium, si ad se moveandum sufficit virtualis continentia actus, quia tunc adhuc secundum eam rationem, secundum quam est in potentia ad actum, esset potens se mouere ad illum; undé voluntas quatenus in potentia ad electionem mediorum, posset se mouere ad illam, quin ad hoc necessaria sit intentio finis, & pariter intellectus quatenus in potentia ad assensum conclusionis, posset se ad illum mouere, quin ad hoc necessarius esset assensus præmissarum. Deinde, ut diximus, actu mouere, est actu agere; nullus autem actu agit per actum virtualiter contentum, sed per actum formaliter elicitem; præterea, ut etiam diximus, mouere, est educere aliquid de potentia ad actum; non autem potest aliquid de potentia ad actum educi per solum actum virtualem, sed per formalem.

370. Huic modo dicendi affinis est modus dicendi Patris Peinado Primarij Complutensis, qui secundo physicor. disp. 5. sect. 3. §. 5. sibi objiciens, quod si voluntas moveret se ipsam, secundum eandem rationem esset movens, & mota: negat antecedens, nam est movens, ait, prout potens agere, quod ipsi competit per suam entitatem, & est mota prout actu agit, quod ipsi convenit per actionem à se distinctionem. Sed statim se offert indissolubilis objectio ad hominem: ergo est mota prout actu agit; at prout actu agit est movens: ergo secundum eandem rationem est movens, & mota. Probo minorem: prout actu agit est agens, prout agens est movens, nam agere est mouere, ut ex terminis patet: ergo. Deinde etiam ad hominem: ergo prout potens agere est movens; sed prout potens agere est mota: ergo secundum eandem rationem est movens, & mota. Probo minorem: prout potens agere est in potentia; sed prout est in potentia est mota: ergo prout potens agere est mota. Minor est principium, nempè, quod unumquodque patitur, & moveatur, in quantum est in potentia. Quod etiam expressè traditur à Phylosopho, & D. Thom. locis citatis.

371. Sed forte dices, ita esse de potentia passiva; secus verò de activa. Sed contra est: nam potentia, quia voluntas est potens agere, nedum est potentia activa, verum, & passiva;

namque est potentia ad actionem, ut in se recipiendam, ut potè immanentem, quidquid sit de transcendi. Et ex his tertio rejicitur prædicta solutio; nam juxta eam voluntas eatenus solum est movens, in quantum est potens agere; at hoc est falsum: Ergo. Probat. min. Nam posse agere pro priori præcedit operationem; sed pro priori ad operationem voluntas nequit esse movens: Ergo. Major patet, & minor probatur. Voluntas pro priori ad operationem nequit esse agens: Ergo nec movens. Antecedens pater, namque agens, ut tale per operationem constituitur, loquimur enim de agente in actu secundo, sicut & de movente in actu secundo. Conseq. verò prob. Movere est agere: si ergo pro priori ad operationem nequit esse agens, nec pro priori ad operationem potest esse movens. Anteced. patet: nam ex terminis, & juxta D. Thom. mouere est educere aliquid de potentia ad actum; educere autem aliquid de potentia ad actum est agere, aliter educatio non erit actio: Ergo.

372. Tertio alij respondent, quod dato illo principio, omne, quod movetur, ab alio moventur, non inde sequitur esse devenire ad primum motorem, qui immotus omnia moveat. Et ad probationem, quod in his non est procedere in infinitum, dicunt non repugnare processum in infinitum inter moventia, & mota, præcipue in sententia Aristotelis afferentis mundum à parte ante fuisse aeternum. Sed contra hunc modum dicendi est evidenter, quod id, à quo aliud moventur, debet existere, namque sine existentia in effectum influere non potest; quæ verò existunt, non sunt infinita, sed finita: Ergo est devenire ad aliquod agens existens, quod ita movet, ut non moveatur ab alio. Unde licet in eo casu non esset assignare aliquam causam, quam alia non antecederet usque in infinitum, sed non causam existentem, & moventem, sed præteritam, & motam, aliter mundus esset aeternus etiam à parte post. Explicatur: in unum effectum causæ infinitæ influere non possunt; namque sicut in eo casu influxus earum numquam finiretur, cum infinitum exhausti non possit, numquam etiam ponetur effectus: causæ ergo influentes in effectum sunt finitæ: Ergo in eis non est procedere in infinitum: dato ergo, quod omne, quod moveatur, ab alio moventur, necesse est devenire, etiam in sententia Aristotelis, ad aliquam causam, quæ immota moveat, quæ solus est Deus.

373. Quartò alij respondent, quod licet omne, quod movetur, ab alio moveatur, & in his non sit procedere in infinitum, adhuc non sequitur esse deveniendum ad aliquem primum moto-

motorem, qui immotus omnia moveat, namque non repugnat circulus inter moventia, ut se vicisim moveant, sicut nec repugnat, quod cause invicem sint causa. Hinc poterit unum ab alio moveri, & rursus illud aliud moveri ab isto. Sed contra est: inde sequi duo aliqua posse invicem se producere; quod si non, ideo est, quia producens eo ipso est jam in actu ante productum, & si rursus ab hoc producto produceretur, jam non esset in actu, sed in potentia; ergo pariter in nostro casu, cum movens eo ipso sit in actu ante motum, & si rursus ab hoc moveretur, jam non esset in actu, sed in potentia. Item licet non repugnet, quod causa invicem sint causa in diverso genere, sicut autem in eodem, in nostro autem casu essent invicem causa in eodem genere causa, nempe, efficientis, & moventis.

374 Quinto alij respondent, quod cum D. Thom. & Phylosophus afferunt: quod omne, quod movetur, ab alio movetur: non aliud intendunt, quam ab alio habere virtutem movendi, namque cum in hoc etiam non sit procedere in infinitum, sequitur deveniendum esse ad aliquem motorem, qui ab alio virtutem movendi non accipiat, qui solus est Deus. Sed contra hanc interpretationem est expressum D. Thom. loco fundamento praecedenti allegato ex tertio contra Gentes cap. 89. illis verbis: *Quidam vero non intelligentes qualiter motum voluntatis Deus in nobis causare possit absque praejudicio libertatis voluntatis, conati sunt has authoritates male exponere, ut dicarent, quod Deus causat in nobis velle, & perficere in quantum dat nobis virtutem volendi, non autem sic quod faciat nos velle.* Quam doctrinam ibi refellit D. Thom. Deinde haec interpretatio refellitur ex ipso contextu: nam quod omne, quod movetur, ab alio moveatur, probatur a Phylosopho, & D. Thom: ex quo idem non potest esse movens, & motum, sicut neque secundum idem potest esse in actu, & in potentia; in eo autem casu idem esset movens, & motum in actu, & in potentia; neque enim, ut diximus, per actum intelligi potest actus solum virtutalis, & a virtute indistinctus. Præterea ex illo principio deducitur Deum omnia moveare immediate, & nendum mediate, & remotè, ut assertabat Durandus, cui etiam adversarij contradicunt; at si solum procedit de motu ab alio, a quo habet virtutem movendi, solum deduci potest ex illo principio Deum omnia moveare remote, & mediate, in quantum omnibus dat virtutem movendi: Ergo. Tandem, nam in praesenti loquimur de causa completere constituta per suam virtutem ad operandum, quæ per

operationem movetur, & non a se, sed ab alio: ergo non per hoc, quod ab alio accipiat virtutem; sed per hoc, quod ab alio virtus reducatur de actu primo ad actum secundum; quod & exprimit D. Thom. illis verbis: *Movere autem est aliquid reducere de potentia ad actum.*

375 Sexto alij recurrent ad concursum simultaneum, quo dicunt salvari immediate omnia, & ipsam voluntatem a Deo moveri. Sed contra est evidenter: quod concursus simultaneus Dei non distinguitur a concursu creaturae; concursus autem creaturae est, ad quem creatura movetur; sed concursus, quo Deus movet, juxta Phylosophum, non est concursus ad quem movet, cum ille non possit non pro priori natura praecedere motum: ergo. Deinde: concursus, de quo procedit principium illud, est concursus, quo Deus movet causam, hæc enim cum movetur, ab alio movetur; sed concursus Dei simultaneus, non est concursus Dei in causam, sed solum in effectum, sicut & concursus creaturae, cum quo identificatur: Ergo.

376 Septimo alij dicunt: sufficienter salvari principium Phylosophi per hoc quod voluntas nostra moveatur a Deo objectivè, nempe, medio objecto attrahente, & aliciente ad suum amorem; sed hæc evasio est frivola, quia potius utimur illo principio, ut probemus Deum nendum objectivè, & quoad specificacionem; verum, & subjectivè, & quoad exercitium movere nostram voluntatem; eo quod principium illud est universale, & procedit tam de causis liberis, quam necessarijs, & sic intelligi non potest de sola motione objectiva, quæ solum locum tenet in causis liberis, non vero in necessarijs: Ergo.

377 Tandem Pater Herrera licet principiū Phylosophi nullam mentionem faciat, apponit tamen primum argumentum, quod causa secunda agit ut mota a prima, & respondet: ita esse de motione indifferenti, sicut vero determinata, & connexa cum uno extremo. Sed principium Phylosophi non posse intelligi de motione indifferenti constat: Tum quia, ut nuper diximus, illud universaliter procedit de omnibus causis etiam non liberis: Tum quia ibi per mouere intelligit idem ac reducere aliquid de potentia ad actu, quod fieri non potest per solum motionem indifferentem: tandem, quia motio indifferentis, est motio solum per modum dantis virtutem, quæ non sufficit ad salvandum predictum principium, ut patet ex dictis.

## FUNDAMENTUM VII.

*Ex indifferentia intrinseca nostræ voluntatis.*

378 **S**I Deus ad actus nostros liberos non concurreret decreto ex se, & ab intrinseco efficaci, non esset unde voluntas creata determinaretur ad consensum, potius quam ad dissensum; at est certum ipsam determinari ad consensum, potius quam ad dissensum: Ergo. Probat. major: voluntas creata non potest determinari ex propria, & intrinseca sui libertate, sub qua etiam comprehendimus auxilium sufficiens, & concursum indifferenter oblatum; sed eo ipso non est unde determinatur, nisi ex decreto ex se, & ab intrinseco efficaci, sive immediate, sive media sui physica præmotione: Ergo. Probat. anteced. libertas creata etiam ut includit auxilium sufficiens, & concursum indifferenter oblatum, est omnino indifferens ad consensum, & dissensum, immo in hac indifferentia libertas creata consistit: Ergo ex ea determinari non potest voluntas ad consensum, potius quam ad dissensum. Prob. conseq. nam ex terminis principium determinans ad consensum, potius quam ad dissensum, est principium consensus præ dissensu; sed principium indifferens ad consensum, & dissensum non est principium consensus præ dissensu: Non ergo ex illo potest voluntas determinari ad consensum, potius quam ad dissensum; hinc est commune axioma, quod ab indifferenti ut tali, nequit exire actus determinatus.

379 Quod fundamentum non leviter raboratur ad hominem ex advertiorum doctrina; namque, dicunt Deum per suum decretum, & concursum non producere actum determinatum librum ante ipsius determinationem per concursum creature, & hoc idco, quia pro signo antecedenti concursum creaturæ, omnino indifferens est divinum decretum, sicut & divinus concursus, & ab indifferenti ut tali exire nequit actus determinatus; sed etiam voluntas nostra pro signo antecedenti consensum, omnino indifferens est ad consensum, & dissensum: Ergo ab ea prout sic nequit exire potius consensus, quam dissensus. Explicatur: libertas Divina longè major est, quam libertas creata; sed in adversiorum doctrina, Deus per principium indifferens, quale est suum divinum decretum, nequit esse principium consensus præ dissensu quia prius ab alio, tempore, à creatura determinetur: Ergo major ratione creatura per principium indifferens, quale est propria, & intrinseca sui libertas, nequit esse

principium consensus præ dissensu, quia prius ab alio determinetur, quod alter præter Deum esse non potest.

380 Pro cuius majori intelligentia notanda est doctrina complutensis Peinado lib. 2. physice disp. 5. sect. 4. §. 2. ubi loquendo de determinatione cause libere, probat se ipsam immediate determinare ad speciem amoris, vel odij, & ad maiorem, & minorem utriusque intentionem: *Quia quodvis aliud, sive creatum, sive increatum, vel est indifferens ad amorem, vel est connexum cum amore: Si indifferens ad amorem: quomodo determinabit ad amorem? Si connexum, tollet libertatem amoris.* Tunc sic: ergo tanquam principium certum supponit, quod indifferens ad amorem, & odium, nequit determinare ad amorem; at voluntas creata, divinumque decretum, concursusque divinus, quibus voluntas compleetur in actu primo proximo, conjunctum, inquam, ex omnibus his principium est indifferens ad amorem, & odium: Ergo ex illo nequit provenire determinatio voluntatis ad amorem præ odio.

381 Sed responderet Pater Herrera de Prædestinat. quæst. 6. sect. 7. quod ab indifferenti, ut indifferenti indifferentia incompletionis, & insufficientia virtutis, non potest oriiri actio determinata, secus tamen ab indifferenti indifferentia dominij, & libertatis. Eodemmodo respondet Pater Peinado loc. cit. sect. 3. §. 3. num. 80. his verbis: *Respondeo potentiam liberam habere indifferentiam libertatis ad operandum, & non operandum, non vero indifferentiam incompleimenti, quale habet materia ad formas, ut per quamlibet compleatur. Quod autem habet indifferentiam libertatis, non eget alio determinante, sed a se determinatur pro suo libito: nam indifferentia libertatis est dominium, vi cuius voluntas habet in sua manu eligere pro sola sua libera determinatione.* Quod confirmat ex D. Thom. in secund. distinet. 39. quæst. 1. art. 2. ajente: *Hoc autem scilicet dominium libertatis, est in homine secundum illam potentiam, quæ ad pluram habet, neque ad aliquod eorum determinatur, nisi ex se ipsa, quod tantum voluntati convenit.*

382 Sed argumentum manet in suo robore: namque principium indifferens etiam indifferentia dominij, & libertatis ad consensum, & dissensum, nequit esse principium consensus præ dissensu, quod ex terminis notum est, namque si ex se indifferens, quodmodo unius præ alio? Deinde licet voluntas non sit indifferens indifferentia incompletionis, sicut materia pri-

*Ez eadem intrinseca indifferentia, juxta doctrinam adversariorum.*

ma, ut potè supponimus voluntatem completam, & perfectam esse in actu primo ad elicendum actum; hoc tamen ipso, quod adhuc ut sic est indifferens ad consensum, & dissensum, non potest non esse indifferens indifferentia incompletionis, & insufficientia ad se mouendum, applicandum, seu determinandum ad unum præ alio; hac enim incompletio, & insufficientia sita est in ipsa indifferentia principij adhuc in actu primo completi, & perfecti. Quod patet ex eorum doctrina: namque eatus decretum divinum, divinusque concursus egent determinatione creature ad producendum consensum præ dissensu, quia ex se indifferentia sunt: Quod si dicant: scilicet indifferentia, indifferentia incompletionis, & insufficientia, inquirō, unde hoc? Respondebunt, quia egent alio determinante, ut concurrant ad consensum præ dissensu. Tunc iterum inquirō, cur egent alio determinante? Planè non alia ratione, nisi quia indifferentia sunt, quia ab indifferenti ut tali exire non potest actus determinatus: Tandem; ergo sicut in indifferentia, vel in soluzione committitur circulus.

383. Secundò alij respondent voluntatem sufficienter determinari ad consensum præ dissensu per auxilium gratiæ prævenientis, quo excitatur, & illuminatur ad bene agendum. Sed hoc esse falsum patet: nam hoc auxilium, si semel est ab intrinseco inefficax, conjungibile est cum dissensu, multotiesque voluntas cum eo dissentit. Ergo æque indifferens manet cum eo auxilio, ac sine illo. Neque valet si dicas cum Patre Anato disp. 1. cap. 2. & cap. 3. §. 1. voluntatem in occasione A. cum auxilio B: semper esse volitaram consensum, & nunquam esse nolitaram non consensum, nisi occasione mutata: non inquam valet; nam vel occasio A. & auxilium B. connectuntur cum consensu, vel non? Si primum: erunt efficacia ab intrinseco, & tollent libertatem juxta eorum principia; namque turc non poterit voluntas pro suo libito dissentire. Si verò dicatur secundum: ergo adhuc cum eo auxilio, & in ea occasione voluntas manet indifferens ad consensum, & dissensu, neque est sufficienter determinata, ut sit principium unius præ alio. Quibus addé ea determinativa esse solum ex parte objecti, subiectivè autem indifferentia, ut potè intrinseca indifferentia non tollitur per determinationem objectivam, quæ omnino extrinseca est.

384. E St doctrina Jesuitarum voluntatem taliter proximè indiferentem, & potenter constituti per auxilium indifferens, quod cuilibet auxilio essentialiter sit alligata, & correspondeat sua actio, quæ ab alio auxilio quamvis robustiori provenire nequeat. Quo supposito sic confirmatur fundamentum præcedens: namque juxta hanc doctrinam, voluntas ad eliciendum consensum A. præ consensu B. non aliud requirit, præter auxilium indifferens A. at hoc sustineri non potest: Ergo præter prædictum auxilium requiritur auxilium ex se, & ab intrinseco efficax: Minor prob: nam inde sequitur esse absolute possibles infinitas actiones, & tamen Deum in Thesauris suæ Omnipotentiæ non habere medium ad faciendum eas ponere à parte rei; at hoc sustineri non potest: Ergo. Hac minor patet: cum talis impotentia deroger Divinæ Omnipotentiæ, supremoque Dei dominio, sequela autem probatur: Nam infinita sunt auxilia indifferentia: cum quibus Deus prævidet voluntatem non consensuram; cuilibet autem ex his auxilijs correspondet suus consensus determinatus; nempe, auxilio A. consensus A. & auxilio B. consensus B. sed hoc ipso Deus in Thesauris suæ omnipotentiæ non habet medium ad faciendum prædictos consensus ponere à parte rei, cum tale medium sit solum auxilium indifferens, voluntasque creata omnibus illis auxilijs dissensura prævideatur: Ergo:

385. Hanc difficultatem, ait RR. Thyrifus, ei videti omnium optimam; refertque solutionem illorum, qui dicunt, quod sicut non obstante scientia media representante inefficaciam auxiliij A. nihilominus nostra voluntas eo præventa potest facere, ut existat actio A. illi correspondens, ita hoc ipsum posse facere Deum: quia in eodem signo, in quo voluntas nostra potest se convertere, potest Deus ipsam convertere. Sed contra ipse objicit, & bene, quod scientia media est libera nobis, non auctem Deo; undè licet supposita indifferentia proxima ad utrumque possit voluntas nostra libere facere, ut existat actio, cujus carentiam representat scientia media, & eam consequenter impedit; hoc tamen nequit facere Deus pro suo libero, quia supposita illa indifferentia, iam ipse non exercet libertatem, nec modo libero concurrit ad nostrum actum; undè quam-

vis cum scientia media de inefficacia auxilij componatur in voluntate nostra potestas antecedens libera ad se convertendum cum illo; non tamen componitur potestas libera Dei ad faciendum; ut voluntas convertatur cum ipso; ac proinde falso est existere potentiam liberam ex parte Dei in eodem signo, in quo existit ex parte voluntatis.

386 Quæ impugnatio est legitima juxta sua principia. Sed quidem non renuit; immo aperto ore dicit, salvari liberam potestatem voluntatis creatæ respectu alicujus actus in aliquo signo, in quo respectu ejusdem non salvatur potestas libera Dei. Quod est aperte fateri in eo signo voluntatem creatam esse primum liberum respectu illius actus, Deumque respectu illius nullum habere dominium, quod & absurdum videtur ex terminis. Nunc jam audiamus solutionem istius authoris, & quidem primo responder sequelam non esse absurdam, si semel actio libera habeat essentialiter alligationem ad determinatam indifferentiæ potentiaz, nempe determinatum auxilium, ita ut hac variata, varietur & illa: Quia ad perfectionem Dei spectat, quod possit relinquere causas liberas in manu consilij sui; implicat autem eas sic relinquiri, & tamen adhuc indigere decreto prædeterminante; ut enim sapienter inquit Belarmius lib. 4. de gratia, & libero arbitrio: *Quomodo relinquitur in manu consilij sui, qui in omnibus actionibus suis determinatur ab alio, cui resistere nullo modo potest?* Adducitque testimonium D. Thom. in secunda distin<sup>t</sup>. 39. quest. 1. art. 1. in corpore, ubi habet: *Ipsa potentia voluntatis indifferens est ad plura, sed quod determinatè exceat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.*

387 Sed D. Thom. excludere solùm aliud secundum determinans, non tamen primum, patet ex ipsius doctrina pluribus in locis supra citatis, præcipue 1. part. quest. 83. art. 1. ad 3. recteque componi Deum relinquere hominem in manu consilij sui cum eo, quod in omnibus actionibus suis determinetur à Deo, cui voluntas resistere non potest, docet etiam varijs in locis supra citatis; argumentumque defumptum ex prædictis verbis solvit. 3. contra Gentes, cap. 9. & licet ad perfectionem Dei spectet, quod possit relinquere causas liberas in manu consilij sui; sed non ita, ut in suis operationibus subtrantur a divina providentia, supremoque dominio, a quo substrahi, in hoc modo dicendi, ipsi re administrantur, quidquid sit de voce. Ac tandem hæc solutio manet impugnata ferè per omnia fundamenta

resolutionis præcedentis, & ex locis præallegatis Sacre Scripturæ, D. August. & Thom.

388 Quia tamen adhuc eum premit absurditas illius lequelæ, respondet 2. postle defendi actionem liberam in creatis non esse essentialiter liberam, quia ex hac essentiali libertate videtur inferri illa alligation actionis. Et ex hac colligitur possibilem esse actionem honestam, cujus existentiam nequeat Deus infallibiliter obtinere. Sed nos loqui in sententia alligate cuilibet auxilio suam actionem, patet ex dictis in principio fundamenti. Negareque actionem voluntatis, quæ ab ipsa elicivè, & immediate provenit, quatenus libera, esse essentialiter liberam, est negare omnino voluntariæ, & sine fundamento; licet hoc ita sit de actione, quæ à voluntate solùm procedit imperativè, vel motivè elicivè verò ab alia potentia, ut est actio exterior potentiaz exequitiva. Namque actio cum consistat essentialiter in egressione à principio, & per ordinem ad illud constituantur, aliquod debet babere principium à quo, & per ordinem ad quod essentialiter denominetur, quod non potest esse aliud, quam illud, à quo immediate, & elicivè procedit. Licet ergò, juxta suam sententiam, possit Deus facere voluntatem necessariò ponere aliquam actionem, sed non eam, quæ ejus subditur potentiaz, ut libera, ipsa difensura prævisa, nisi Deus possit eam præterminare, & de nolente facere volentem.

#### FUNDAMENTUM IX.

*Ex intrinseca efficacia Divina Gratiæ auxiliantis.*

389 **N**amque Deus concurrit ad nostros actus liberos meo auxilio ex se, & ab intrinseco efficaci: Ergò & per decretum ex se, & ab intrinseco efficax. Conseq. patet, & antecedens probat, nam Deus concurrit ad nostros actus liberos per auxilium efficax, sed non ab extrinseco: Ergò ex se, & ab intrinseco. Major patet, ut potè auxilium conjunctum operationi efficax est. Minor probatur: Deus concurrit ad nostros actus liberos per auxilium efficax pro priori ad nostram operationem; sed eo ipso ad nostros actus liberos concurrit per auxilium efficax non ab extrinseco, sed ex se, & ab intrinseco: Ergò. Minor patet: nam pro priori ad nostram operationem non est, unde auxilium ex se inefficax possit reddi efficax, ut pote non potest reddi efficax per voluntatem in actu primo, neque per auxilium sufficiens,

namque ista duo ex se inefficacia sunt, & inefficax per inefficax non potest reddi efficax, & claritatis gratia suppono cum adversatijs; quod auxilium ex eodem principio, ex quo haber efficaciam in statu absoluto, habet efficaciam in statu conditionato, cum etficacia auxilij eadem sit in utroque statu, sola distinctione penes esse conditionatam, vel absolutam. Unde in praesenti recurri non potest ad efficaciam auxilij prævisi per scientiam medium: Si enim per eam prævidetur conditionate efficax ex sola operatione, cui conditionate adjungitur pariter in statu absoluto ex sola operatione, cui conditionate adjungitur, debet reddi efficax; & è contra, si in statu absoluto pro priori ad operationem, cui absolute adjungitur, & non ex ea est efficax, pariter in statu conditionato pro priori ad operationem, cui conditio- nate adjungitur, & non ex ea debet esse efficax.

390 Nunc ergò probatur illa major: auxilium, quod ratione efficaciaz causat nostram operationem, est auxilium efficax pro priori ad nostram operationem; sed Deus concurrit ad nostros actus liberos per auxilium causans nostram operationem ratione efficacia: Ergò concurrit ad nostros actus liberos per auxilium efficax pro priori ad nostram operationem. Major est nota: namque id ratione cuius causat, est virtus causa; virtus autem causa est talis pro priori ad effectum, & si fiat vis in verbo *causa ut actu causans*, licet prout sic non possit intelligi effectu non intellecto, semper tamen intelligitur, ut prior effectu prioritate causalitatis, & independentia; nam causa, & effectus non sunt correlativa prædicamentalia, & secundum esse, sed transcendentalia, & secundum dicitur; unde adhuc per causam, ut actu causantem connotatur effectus, ut posterior, & à causa dependens. Si ergò est verum, quod auxilium ratione efficaciaz causat nostram libera operationem evidenter sequitur non ex operatione, sed pro priori ad illam esse efficax.

391 Minor vero, in qua est difficultas, sic ostenditur: namque in omni sententia in eo distinguitur auxilium sufficiens ab efficaci, quod illud præstat solum vires ad operandum; hoc vero facit nos actu operari, unde in omnium sententia quamdiu auxilium non facit nos actu operari, remanet intra limites auxilij pure sufficientis: Ergò auxilium efficax ceterus causat nostram operationem, quatenus efficax, & consequenter ratione efficacia. Explicatur: hæc propositio est falsa, auxilium ceterus nos facit velle, quatenus nostræ voluntati præstat vires, & posse expeditum ad velle; aliter omnes illos, quibus præstat tales vires,

faceret velle, cuius oppositum experientia comprobatur: Ergò pariter hæc propositio est falsa, eatenus auxilium nos facit velle, quatenus pure sufficiens. Patet conseq. cum esse auxilium pure sufficiens consistat in eo, quod est solum præstare vires, & posse ad velle. Relinquitur ergò, quod faciat nos velle quatenus efficax, & consequenter ratione efficacia.

392 Dices quod ipsum idem auxilium sufficiens, ex se solum præstans vires, & posse ad velle, facit nos velle iupposita determinatione voluntatis ad velle, unde per hanc constituitur efficax, neque est necessarium aliud auxilium ad faciendum nos velle. Sed contra est: nam auxilium efficax faciens nos velle, est auxilium efficax faciens nos determinare ad velle; sed auxilium efficax faciens nos determinari ad velle, est auxilium efficax pro priori ad determinationem nostræ voluntatis ad velle: Ergò auxilium efficax non est determinatione voluntatis, sed ex se, & ab intrinseco facit nos velle. Major probatur: nam determinatio voluntatis ad velle est ipsum velle, adhuc in eorum sententia, qui nihil pro priori ad velle admittunt per modum determinantis voluntatem ad velle: auxilium ergò efficax faciens nos velle, est auxilium efficax faciens nos determinari ad velle.

393 Dices: quod auxilium efficax facit nos determinari ad velle effectivè, id est causando ipsam determinationem ad velle, non vero determinativè, id est, nos determinando ad velle. Sed contra 1. Ergò facit nos determinari ad velle, effectivè causando ipsam determinationem ad velle; sed eo ipso est efficax pro priori ad determinationem ad velle, sicut causa prior est suo effectu: Ergò. Deinde auxilium efficax facere nos determinari ad velle determinativè, seu nos determinando ad velle, non est aliud, quam facere nos determinari ad velle, effectivè causando nostram determinationem ad velle; neque enim aliter voluntas nostras potentias sibi subjectas determinat ad suos actus, quam effectivè causando illarum determinationem. Tandem, ut supra resolut. 1. fundam. 1. arguebamus, determinatio, ut formaliter determinatio est, non est nisi à determinante, sicut actio, ut actio formaliter, non est nisi ab agente: Uel ergò determinatio nostræ voluntatis est à Deo medio auxilio determinante, vel non est ab eo, ut formaliter determinatio est, quod est maximum inconveniens, nempe, aliquod bonum formaliter ut tale, non est à Deo, sed in voluntatem creatam, ut in primam causam reduci, ut loco citato ponderavimus.

394 Propter hoc alij à principio negant auxilium efficax ideo esse tale, quia facit nos actu operari, seu velle; sed solum dicunt esse efficax ex hoc, quod operationi adjungitur. Sed quidquid sit de vocibus, sic argumentor: Ergo est auxilium efficax ex quo operationi adjungitur; sed non adjungitur operationi, nisi ut causa in actu secundo operationis: Ergo est auxilium efficax, ut causa in actu secundo operationis; sed quatenus causa in actu secundo operationis pro priori praeedit ipsam operationem, prioritate saltem causalitatis, & independentie: manet ergo argumentum in suo robore. Deinde vel auxilium efficax, quo Deus concurrit ad nostros actus liberos facit nos velle, & operari, vel non? Si primum: ergo in eo, quod est facere nos velle, consistit etiaca illius: Tum quia in eo dicitur ab auxilio sufficienti; tum quia si auxilium est efficax quatenus operationi adjungitur, & ei adjungitur, nedom ut causa nolite operationis, sed ut causa faciens nos velle, & operari, erit ex consequenti auxilium efficax, quatenus faciens nos velle, & operari. Si vero dicatur secundum: inde sequitur, quod neque Deus faciat nos velle, & operari: namque Deus hoc non faceret, nisi medio suo auxilio, ut supponimus; hoc autem expressè est contra Apostolum, August. & Thom. qui his loquutionibus communiter utuntur, ut patet ex locis praæ allegatis.

395 Propter hoc argumentum alij ex recentioribus præter auxilium communicans vires voluntati, aliud adstruunt auxilium, quo Deus facit nos velle, & operari; dicunt tamen hoc auxilium non esse præmium, sed indistinctum ab ipso concursu simultaneo, hoc enim Deus simil cum nostra voluntate facit nos velle, & operari. Sed hæc evasio est expressè contra mentem Apostoli, August. & Thom. ut patet ex dictis; sufficitque ad hoc convincendum locus ille præallegatus, num. 9. ad illa verba: *Ille facit, ut faciamus prebendo vires efficacissimas nostræ voluntati*, id est, vires nostræ voluntatis efficacissimè reducendo de actu primo ad actu secundum; quæ verificari non possunt de concursu simultaneo, qui nec vires præstat voluntati ad faciendum, sed eas supponit, sicut & eas supponit reductas de actu primo ad actu secundum. Rursum extermenis: facere, ut faciamus, importat causalitatem divini concursus erga nostrum facere; concursus autem simultaneus non est causa, vel causalitas erga nostrum facere, cum potius identificetur cum eo. Tandem: si Deus dicitur nos facere, ut faciamus, in quantum facit suum

concursum simultaneum, qui est nostrum facere: pariter posset dici voluntatem creatam facere Deum facere, quia facit suum concursum, qui est facere Dei.

396 Tandem alij recurrent ad illam duplificem efficaciam, de qua egimus resolut. precedentem fundam. 15. nempe, aliam esse efficaciam virtutis effectivæ, quæ dicitur talis in actu primo; & aliam infallibilis connexionis, quæ est talis in actu secundo; dicuntque auxilium pro priori ad operationem esse efficax primo modo, secus verò secundò modo. Sed præter ibi dicta in contra est, quod nullus est, qui negat, vel negare possit divisionem auxiliij insufficientis, & efficax; auxilium ergo efficax dicitur tale contra positivè ad sufficientis; sic autem sumi non potest, si non sit efficax efficacia infallibilis connexionis; namque etiam auxilium purè sufficientis est in eo sensu efficax, nempe, in actu primo, seu efficacia virtutis effectivæ, licet enim non præstet vires efficaces, efficaciter tamen præstat vires: relinquitur ergo quod auxilium efficax, ut à pure sufficienti conditum, semper est auxilium infallibilis connexionis; hacque præcissa purè potest vocari, & esse auxilium sufficientis. Deinde argumentum nostrum procedit de auxilio efficaci, quod operationi adjungitur; hoc autem ab eis vocatur auxilium efficax in actu secundo. Difficultas autem est, an hanc efficaciam habeat ex ipsa operatione, cui adjungitur, quod ipsi affirmant; an verò pro priori ad illam, quod nos probamus.

## FUNDAMENTUM X.

*Quo instatur fundamentum sententiae contrarie.*

397 **V**NICUM fundamentum oppositæ sententiae est, decretum divinum ex se, & ab intrinseco efficax, proindeque prædefinitivum consensus nostri liberi independenter à scientia media nostram tollere libertatem. Quod in præsentí instare intendimus. Pro cuius intelligentia notandum est ex resolutione præcedenti fundamento 5. Authores scientiæ mediæ convenire in eo, quod postquam Deus per scientiam medium ab æterno prævidit voluntatem consensuram sub hoc, vel illo auxilio, in ista, vel illa occasione, sub his, vel alijs circumstantijs; statim pro posteriori ad scientiam medium decrevit purificare, vel non purificare illam conditionem, nempe, illud auxilium in illa occasione, & sub talibus circumstantijs

con-

conferre, vel non conferre. Supposito ergò tali decreto de purificanda conditione consensus, dicimus hoc decretum habere similes proprietates, ac decretum prædeterminativum Thomisticum; cumque illud decretum, in adversariorum sententia, libertatem creatam minime lèdat, nec illam evertet nostrum Thomisticum decretum.

398 Quod sic ostenditur: namque hoc decretum de purificanda conditione consensus prævisi per scientiam mediā est in primis simpliciter requisitum ad existentiam absolutam consensus, eamque infallibiliter, & necessariò infert; aliunde hæc necessitas est omnino antecedens libertatem creatam, & nullo modo eam consequens: Si ergò non his non obstantibus, liberté creatá non lèdit, neque eam lèdet decretū prædeterminativū Thomisticū ob easdem similes proprietates: nempe, quia simpliciter requiritum, quia interens infallibiliter consensum, & quia omnino, antecedens, & nullo modo consequens libertatem creatam. Minor, & consequentia patent, sola major indiget probatio, & probatur per singulas partes.

399 Et quidem decretum illud de purificanda conditione esse simpliciter necessarium ad existentiam absolutam consensus, haud dubium est; sicut & scientia media est simpliciter requisita ad ipsam: namque hæc non affimat consensum extérū, nisi sub conditione à Deo ponenda, & exequenda, ut patet ex objecto illius: *Si dedero, vel decrevero dare Petro auxiliū A. in occasione B. consentiet*: Ergò dum Deus non decernit dare Petro simile auxilium in occasione simili, impossibile est existere consensum Petri prævisum per scientiam medium, neque in hoc adversarij dubitant.

400 Secunda verò pars, nempè, prædictum decretum inferre infallibilitè, & necessariò existentiam absolutam consensus, probavimus latè suprà resol. præced. Tum quia aliter conditioinalis illa, quæ est objectum scientiæ medie, non esset infallibilitè vera, utpotè adhuc purificata conditione, non poneretur infallibilitè consensus: Tum quia per illud decretum, ut potè regulatum scientia media, non vult Deus conferre illud auxilium, nisi ut per eam prævisum efficax, &c.

401 Tora ergò controversia stat in probatione ultimæ partis, nempè, talem infallibilitatem, & necessitatem esse omnino antecedentem, & nullo modo conseq. libertatē creatam, quod tenentur fateri contrarij, qui hoc decreto in Deo constituto salvant discretionem consentientis à non consentiente reduci non in voluntatem humanam, sed Divinam, ut patet ex dict. resolut. præced. fundam. 14. pariterque

hac via docent, hominem necessitati ad orandum pro gratia obtinenda ad consensum, ut patet etiam ex dictis fundam. 15. leggent.

402 Deinde ostenditur primò, ex co[n]cessis hæc, & infallibitas eset consequens libertatem creatam, quia tale decretum sequitur determinationem liberam voluntatis creatæ ad consensum præ dissensu prævisum per scientiam medium; at hoc est fallum, adhuc admista scientia media: Ergò Major est adversariorum doctrina, qua ratione ajunt, decretum prædefinitivum consensus, & nendum auxiliij, libertati creatæ non opponi, ut videre est in P. Herrera de prædict. q. 10. sect. 2. minor autem probatur sic: Deus ante tale decretum per scientiam medium non prævidet voluntatem creatam magis determinatā ad consensum, quam ad dissensum: Ergò prædictum decretum non sequitur determinationem liberam voluntatis creatæ ad consensum præ dissensu. Conseq. patet, & anteced. probat, sicut Deus per scientiam medium prævidet voluntatem contenturam in hac occasione, & sub hoc auxilio, sub eodem auxilio prævidet eam dissensuram in alia occasione; & si mille dantur auxilia, sub quibus voluntas prævidetur consensura, tot idem dantur alia auxilia, sub quibus prævidetur dissensura. Ergò Deus ante decretum illud de purificanda conditione non prævidet per scientiam medium voluntatem magis determinatam ad consensum, quam ad dissensum. Conseq. patet, & anteced. negari non potest, vel ad minus non potest non supponi, ut potè in eo non est aliqua repugnantia, quinimò, ut ait P. Arriaga de scientia Dei disp. 2. 1. sect. 6. n. 35. in statu conditionato videtur prædestinatus, & reprobis forte esse æquales, immò & aliquando reprobum sub conditione consensurum pluriès, quam prædestinatus: v.g. antequam Petrum prædestinaret, & Iude auxilia congrua denegare decrevisset, vidit Petrum sub quatuor auxilijs consensurum, dissensurum verò alijs quatuor, & idem vidit de Iuda. Vnde infertur Deum per scientiam medium non videre unum ab altero discretū, sed utrumque æqualem. Et quidem si voluntas prævidetur consentire, vel dissentire pro suo liberò arbitrio; unde deducuntur aliqui ex adversarijs, ut suprà vidimus, non repugnare hominē, qui omnibus auxilijs prævideatur consensurus, vel dissensurus, cur eadem ratione repugnabit aliquem hominem tot auxilijs prævideri consensurum, ac prævidetur dissensurus?

403 Hinc aperte deducitur nullam rationem ab adversarijs assignari posse, cur voluntas per scientia med. prævideatur magis determinata ad consensum, quam ad dissensum? Nāque solū possit afferere, prævideri magis deter-

minatam ad consensum, quia prævidetur in tali ordine, & sub tali auxilio consensura; que ratio non convicit, cum etiam ipsi teneant, quod in alio ordine, & sub alio auxilio, immo sub eodem in alia occasione prævidetur dissensuræ, & quod sicut in uno ordine pro tua libertate conditionatè consentit, in alio pro sua libertate conditionatè dissentit; & quod sicut sub his circumstatijs moraliter trahitur ad consensum, sub alijs moraliter trahitur ad dissensum; ita ut forte, vel ad minus non repugnanter, tot sint auxilia, tot ordines, tot circumstatiæ, sub quibus prævidetur consensura, ac sub quibus prævidetur dissensura: quod planè ostendit voluntatem absolutè ex se non prævideri à Deo per scientiam medium determinatam potius ad consensum, quam ad dissensum.

404 Quod non leviter confirmatur, si ponamus casum, quod voluntas simul è Deo ponatur in duplice illo ordine: nempe, in quorum uno prævidetur consensura, & in alio dissensura; licet enim casus sit impossibilis, illū supponere possumus, ut ex eo melius innotescat status conditionatus. Hoc ergo casu dato, licet voluntas in uno ordine consentiat, non tamen propterea erit verum absolutè magis consentire, quam dissentire; & hoc ideo quia simul in alio ordine dissentit: ergo pariter in statu conditionato, si quamvis voluntas conditionatè consentiat sub hoc auxilio, & in hoc ordine, simul sub alio auxilio, & in alio ordine conditionatè dissentit, verè affirmari non potest ipsam absolutè conditionatè magis consentire, quam dissentire.

405 Quod exemplificatur à nostro Sap. Vives in statu, quæ ex se est in æquilibrio, ita ut nèc magis inclinet in unam partem, quam in aliam; si tamen addatur pondus uni parti, statim in eam incipit inclinare, magis quam in aliam, sed si contingat pôdos æquale addi utriusque parti, jàm reddijt adesse in æquilibrio, nec potest dici magis inclinata in unam partem, quam in aliam, proindequè perinde se habet ac erat antea, antequam pondus ei aliquod adhæretur. Ad hunc ergo modum, voluntas ex se, & in actu primo est quasi in æquilibrio, nèc magis inclinatur ad consensum, quam ad dissensum; si verò ei superaddatur consensus, & non dissensus, sive absolutus, sive conditionatus, tunc jàm definit esse in æquilibrio, sicut & magis inclinat in unam partem, quam in aliam; sed si ponatur queque consentire, & dissentire, iterum reddit adesse in æquilibrio, quia tunc non est magis inclinata in unam partem, quam in aliam, cum sit queque inclinata in utramque, & sic tunc se habet veluti in statu indiferentia, in quo erat

in actu 1. quatenus, licet sit jàm in actu 2. inclinata, sed non magis in unā partē, quam in aliā.

406 Unde deducitur consentum præ dissensu solū posse verificari supposito divino decreto, quo Dens cum posset purificare conditionem consensus, & purificare conditionem dissensus, determinate decernit purificare conditionem consensus, & omittere conditionem dissensus. Unde tandem infertur, quod pro veritate consensus conditionati præ dissensu ante decretum, recurrī non potest ad suppositionem eventus, ut adversarij recurrent; namque sicut supponunt consensum extitum, si ponatur auxilium A. in hoc ordine, etiam debent supponere, & supponunt dissensum extitum, si ponatur auxilium B. & in alio ordine. Et sicut supponitur, quod purificata conditione consensus, hæc est vera: *Dissensus existit*, etiam supponitur, quod purificata conditione consensus, hæc est vera: *Consensus existit*; ergo ante purificationem unius præ altero auxilio, uniusque præ altero ordine solū ponendam per divinum decretum, non potest supponi consensus præ dissensu; unde tandem destruitur objectum scientiæ mediæ.

407 Secundò probatur minor principalis: nempe, prædictam necessitatem non esse consequentem libertatem creatam; namque in eo casu illud decretum purificandi conditionem esset in manu voluntatis creatæ, nempe, illud acquirere, vel illud repellere; at hoc dici non potest: Ergo. Major est certa, immo quia in potestate voluntatis creatæ est tale decretum acquirere, vel repellere, probant ipsi tale decretum esse consequens nostrum liberum arbitrium, & ab illo dependere. Minorverò probat, namque propterea tale decretum posset dici in manu, & potestate voluntatis creatæ, quia sequitur proximè scientiam mediæ, quæ etiam proximè sequitur consensum liberū; at inde non sequitur prædictum decretum esse in potestate voluntatis creatæ: Ergo. Major est ipsorum ratio, ut videre est in Complutensi Herrera de Prædestinat. q. 10. sect. 2. n. 12. qua etiā ratione utitur, q. 3. sect. 2. ubi probat ad libertatem cum auxilio efficaci servandam, necessarium non esse, quod auxilium per decretum indifferens conferatur. Qua etiam ratione utitur ad idem Riva de Neira de Prædest. disp. 13. n. 13. & quidam Valentinus ex Societate. Minor ergo in qua est difficultas probatur primò; nam licet decretum illud supponat scientiam mediæ, qua Deus prævidet voluntatem consensuram sub tali auxilio, & in tali occasione, non tamen ita, ut Deus ex illa determinatione voluntatis mox veatur ad confundendū illud auxilium in ea oc-

catione, sed ita ut ad hoc solum moveatur ex sua bonitate, & misericordia, licet semper scientia media necessaria sit, ut Deus cognoscat medium aptum ad obtinendum consensum a voluntate, prævidendo, scilicet, quod sit auxilium, quævè occasio, in qua consensu, & restituta non sit; at hoc ipso, quamvis illud decretum quantum ad hoc sequatur scientiam medium, inde non sequitur esse in potestate voluntatis creatæ illud acquirere: Ergo. Minor patet: nam eo ipso tale decretum est Deo omnino liberum, voluntatique creatæ omnino gratuitum, ut potè proveniens solum ex Dei benignitate, & liberalitate. Major verò est communissima apud Doctores Societatis, quam nedum tradunt, verum, & probant.

408 Et quidem Pater Suarez, lib. 5. de Gratiæ, cap. 6. n. 6. eam tradit, & probat his verbis: *Quod si nostra libera operatio comparetur ad voluntatem Dei, seu propositum aeternum, quod Deus habuit dandi talem vocationem, tunc nostra libera cooperatio non est ratio, ob quam vult Deus illam dare; nam si operatio illa arbitrii expedietur, ut præcognita per scientiam absolutam, quæ futura prævidetur, talis præscientia supponit in Deo voluntatem, seu propositum dandi homini talem vocationem: Ergo non potest esse ratio talis vocationis. Si autem sit sermo de præscientia conditionata, sic licet secundum rationem antecedat propositum Dei, non tamen potest esse ratio talis propositi, quia illa cooperatio in illo signo nondum cognoscitur, ut simpliciter futura, nam conditionalis nihil ponit in esse, neque homo est dignus premio, vel pena propter actionem tantum sub conditione futurâ, ut Aug. lib. 2. de dono perseverant. cap. 9. & 10. & alibi frequentè docet contra semi Pelagianos. Ecce majorem nostri argumenti ab Eximio inter Doctores Societatis traditam, & legitimè fundatam.*

409 Dixerat etiam, lib. 4. anteced. cap. 6. n. 11. Attentè considerandum est aliud esse, quod in potestate hominis sit facere, ut Deus illi tribuat vocationem, quam prævidet futuram, congruam; aliud esse, quod in potestate hominis sit facere, ut vocationis sufficiens, quæ illi datur, sit congrua: nam secundum dicimus esse in potestate hominis, idque sufficit, ac necessarium est, ut auxilium sit verè sufficiens; primum autem vera non est in hominis potestate, sed in sola Divina dispositione, & libertate.

410 Bazquez etiam hanc eandem sententiam tenet, & fundat, 1. p. disp. 98. tot. cap. 6. & disp. 89. cap. 10. n. 96. his verbis: *Suppositio illa electionis absolute facta non fuit ex eo, quod prævisa fuit sub conditione mea libertas, ut omnes cedere debent, alioquin, & reprobi eligeretur,*

*quia quilibet eorum sub conditione cognoscitur aliis perseveraturus, si tali vocatione præveniatur.*

411 Falsus etiam, 1. p. q. 14. att. 13. n. 4. & 3. eandem majorem docet, & probat his verbis: *Unde fit, ut Deus ex cooperatione, vel non cooperatione conditionaliter prævisa moveri non posset ad prædestinandum unum, potius quam alium; quia quem prædestinat prævijum conditionaliter cooperaturum bis medijs, prævidet etiam non cooperaturum alijs medijs, & è contra quem non prædestinat prævijum, ut non cooperaturum bis medijs, prævidet etiam cooperaturum alijs medijs.*

412 P. Arriaga, loco supra citato in prima probatione, etiam nostram majorem expressè docet, & confirmat; postquam enim ex verbis ibi relatis deducit per scientiam med. noua vide ri unum ab altero discreturn, sed utrumque aqualem, sic subiungit: *Tunc Deus ex speciali amore erga Petrum selegit unum ex quatuor auxilijs, quibus videbat ipsum responsurum; pro Iuda vero selegit unum ex illis quatuor, quibus eum videbat restinendum: hoc est, Deum discernere, & facere speciale beneficium Petro praefixa. Pro quo beneficio futuritio conditionata, & scientia media requiruntur quidem in Deo; præcisè tamen, ut sciat modum, quo possit unum ab altero discernere, tam Petrum a Iuda, quam Iudam à Petro. Ita autem formalis prælatio, seu discretio in ea voluntate dandi Petro auxilium, quod sciebat congruum, si daretur, a solo Deo provenit. Hæc ibi, & nota, quod hanc doctrinam isti AA. commendant, ut communem, & necessariam in Schola Societatis.*

413 Ex recentissimis etiam tenet hanc sententiam R.R. Thyrlus, disp. 17. de efficacia gratiae, sect. 14. n. 158. ubi sic habet: *Duplex est questio: prima cur Deus uni, potius quam alteri tribuit vocationem congruam, seu quam per scientiam, prævidet fore efficacem; & ad hanc questionem solum resp. possumus: O altitudo divitiarum, &c. Secunda, cur supposita existentia auxilij sufficientis, & proxima indifferentia ad utrumque, unus consentit, & alius resistit gratie, & huic responderi debet, quia unus vult & alius non vult. Quæ est ipsissima P. Suarez doctrina supra relata.*

414 Et quidem Pater Herrera, ut videatur à suis non recordare tenet, quæst. citata, de prædestinat. sect. 1. conclus. 1. quod Deus non necessario movetur ad collationem auxilij ex efficacia illius. Sed tamen attentè considerando ejus mentem, non sic eam fundat, ut cum suis convenire videatur. Namque hoc solum intendit, & probat, quod cum in auxilio præter efficaciam sint aliae rationes, quæ ipsum movere

possunt ad collationem auxilij, ut constituere hominem liberum esse ex se utile ad consensum, & etiam constitutere hominem indifferentem in vitam æternam, consequenter non necessariò moveretur ex efficacia auxilij, sed potest etiam moveri ex prædictis rationibus ab efficacia auxilij præscindendibus. Unde ceteris authoribus societatis tenentibus collationem auxilij efficacis unicè stare pro sola Dei misericordia, non pro efficacia auxilij prevista, iste ita ab eis discordat, ut dicat Deus moveri posse ad collationem auxilij efficacis pure ex quo hominem liberum constituit, vel utile est ad consensum, præscindendo adhuc ab illius efficacia.

415 Immò conclus. 3. tenet probabilius esse Deum quodlibet auxilium efficax conferre, quia efficax est: nam cum conclus. 2. probasset, quod licet Deus non teneatur ab solutè ad decernendum auxilium efficax propter ejus efficaciam, tamen, ut sit specialis benefactor conferendo auxilium efficax, quia nempe, non est benefactor, nisi quatenus coaserit, ut conducens ad consensum: Ergò non est specialis benefactor, nisi quatenus coaserit auxilium, ut specialiter conducens ad consensum, conductus tamen specialiter quatenus efficax: Infert, quod quia Deus non coaserit auxiliū, nisi ex intentione salutaris consensus, quia sicut vult omnes homines salvos fieri, etiam vult omnes homines rectè operari; consequenter quamvis non teneatur necessariò ad ponendum auxilium quia efficax, connaturalius tamè est semel polita intentione feria finis, & prævisione efficaci medij, quod si ex tali intentione ponatur medium, illud ponatur propter maximam, & præcipuam utilitatem, nempe, quia est, & prævidetur efficax ad prædictam finem consequendum.

416 Sed attentè considerate illa verba: *Semel posita intentione feria finis, & illa: Quod si ex tali intentione ponatur medium:* Unde videatur hunc authorem loqui de collatione auxilij supposita intentione feria; nempe, de consensu salutari, de quo est quæstio in præsenti: unde, nempe, Deus moveatur, ut potius huic, quam alteri intendat consensum salutarem? Namque si ad hoc moveatur pure ex sua misericordia, ex eadem saltē primariò, & radicaliter debet moveri ad collationem medij, scù auxilij apti ad talem finem conseq. hac autem intentione supposita potest dici divinam voluntatem moveri ex auxilio, quia efficax est; sed tunc ly quia non importat genus aliquod causalitatis respectu voluntatis divine, sed vel solum dicit conditionem, vel causalitatem pure respectivè ad consensum, namque divina voluntatis non

est assignare aliquam causam.

417 Deinde ratione probatur prædicta major, & ne dicant recentiores, ut tolent, argumenta nostra procedere, vel ex ignorantia terminorum, vel ex nunquam satis perspecta sua doctrina de scientia media, placet eam probare rationibus à prædictis suis authoribus insinuatim. Et quidē ratione Pat. Suarez, probat. primò: nam ju illa determinatio ad consensum prævisa per scientiam medium, ut potè conditionalis, neque est si implicitè futura, neque aliquid ponit in esse: Ergò non est digna premio: non ergo ex illa moveri potest Deus, ut purificet conditionem auxilij.

418 Ratione etiam Bazquezij probatur: nā si illa determinatio voluntatis ad consensū præ dissensu sub conditione auxilij in tali ordine prævisa per scientiam medium esset ratio, unde Deus moveretur ad purificandā illam conditionem, cum nullus sit homo, cuius voluntas non prævideatur determinata ad consensū sub aliquo auxilio, & in aliquo ordine: pariter Deus moveretur ad purificandas omnes illas conditiones, sub quibus adhuc reprobri prævidentur consensuri. Et addo, quod adhuc unus homo prævidetur consensurus sub pluribus auxilijs, & circumstantijs: Ergò pariter Deus moveretur cum ponere sub omnibus illis auxilijs, & circumstantijs, quod esse falsum constat.

419 Ratione etiam Fassoli non minus urgenter prob. & est ipsissima prima nostra probatione: namque sicut Deus prævidet Petru conditionate consensurum sub uno auxilio, & in uno ordine, etiam eum prævidet dissensurum sub alio auxilio, & in alio ordine: Ergo non est unde Deus magis moveatur ad purificandam conditionē consensus, quam dissensus; nam ad hoc esset necesse, vel unicè prævideri determinatum ad consensum, vel prævideri magis determinatum ad consensum, quam ad dissensum.

420 Ratio etiam Patris Arriaga, dupliciti via urget, primò: nam supposito, quod Petrus prævideatur sub quatuor auxilijs consensurus, & sub alijs quatuor dissensurus, sicut Deus selegit unum ex quatuor auxilijs, quibus prævideatur consensurus, poterat etiam eligere alterum ex quatuor, quibus prævidebatur dissentire adhuc in sensu composito scientiae mediæ consensus sub alijs quatuor auxilijs; alter teneatur Deus omnes homines salvare, cum nullus sit, qui sub aliquibus auxilijs consensurus non prævideatur: Ergo non eligere auxilium ex quatuor dissensibus, sed ex quatuor consensibus, fuit non ex prævisione consensus, sed ex sua misericordia, qua pro sua libertate voluit uti, cum posset non uti. Alia via adhuc

adhuc urgentius probatur ab isto authore: nam discretio unius ab alio est a solo Deo juxta illud primae ad Chorinthios 4. *Quis te discerit;* at hoc in eorum doctrina salvatur praevisse ex eo, quod licet Deus Petrum, & Judam praevideat sub quatuor auxilijs consensuros, & sub alijs dissensuros, proindeque illos in statu conditionato praevideat aequales, Deus conferat Petro auxilia, sub quibus eum praevidet consensurum, & Judae potius conferat auxilia, sub quibus eum praevidet dissensurum: haec ergo collatio, seu purificatio sit a solo Deo pro suo solo libero arbitrio, & indepedenter a voluntate creata.

421 Tandem probatur ratione RR. Thyrfi: namque si praevisio consensus sub auxilio est unde Deus movetur auxilium illud conferre, interroganti: cur Deus uni potius, quam alteri tribuat auxilium, quod praevidit conditionate per scientiam medium? Recte responderet, quia eum sic praevidit conditio-  
nate efficax per scientiam medium; quo in responso se doctorem Augustino, sed presumptuorem ostenderet, qui de spiritu, & littera, cap. 33. huic questioni respondendo, si habet: *Duo solum occurruunt, que respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum, & numquid ini-  
quitas est apud Deum. Cui haec responsio non  
placet querat Augustino doctiores, sed caveat,  
ne inveniat presumptiores.* Ita RR. Thyrfus.

422 Secundum probatur illa minor, nempe, quod quamvis decretum de purificanda conditione sequatur scientiam medium de libero consensu, non inde infertur praedictum decretum esse in manu voluntatis creata: nam hoc vel catenus esset, quatenus per scientiam medium representatur illud decretum, ut ponendum dependenter a consensu voluntatis creata: & hoc est falsissimum, utpotem ad hanc scientiam verificandam offerteret consensum voluntatis creatae in executione precedere illud decretum, si quidem sine predicto consensu Deus illud non haberet; unde objectum scientiae medium esset hoc: *Si voluntas vellit me decernere dare ei tale auxilium in tali occasione, ego de-  
cernam illud dare, & ipsa sub illo consentiet.* Quod objectum nullus imaginavit, neque imagine cum fundamento potest, quia in eo casu evidentissime constaret discretionem unius ab alio ultimo resolvi in voluntatem humanam.

423 Vel catenus esset, quatenus per scientiam medium representatur decretum illud, ut offerens voluntati auxilium, sub quo praevidetur consensura, non absolute, & efficaciter, sed sub conditione, quod ipsis voluntati placuerit, eo uti ad consensum; & hoc contradictionem involvit: nam si est scientia, qua voluntas pra-

videtur consensura sub decreto talis auxilij, unde tam decretum, quam auxilium praevidetur efficax, utpotem coniunctum cum consensu, quomodo stat per eam representari decretum, ut offerens illud auxilium sub conditione, quod voluntati placuerit eo uti ad consensum? Hoc enim esset representare decretum, & auxilium cum indifferentia ad consensum, & dissensum; & consequenter scientia illa non esset determinata de consensu, cum non sit de consensu, nisi sub conditione decreti, & auxilij.

424 Vel tandem catenus illud esset, quatenus decretum illud est directum per scientiam medium de libero consensu sub illo auxilio: unde sicut scientia media est in manu, & potestate voluntatis creatae, pariter & illud decretum, quae ratione utuntur Riva de Neira, Herra, & quidam recentior Valentinus; sed hanc rationem non probare praedictum decretum esse in manu, & potestate voluntatis creatae, ad hominem ex eodem principio comprobatur: Nam si potestas ad scientiam medium adstruendam sufficeret ad acquirendum praedictum decretum de purificanda conditione, sequitur, quod sicut homo per liberum consensum sub conditione auxilij infallibiliter inferat scientiam medium de consensu libero, pariter per liberum consensum sub conditione auxilij inferret infallibiliter, & necessariò decretum de purificanda conditione auxilij; at hoc est falsissimum, ut omnes tenentur facili, cum multos Deus praevideat consensuros sub conditione auxilij, quibus non decernit dare illud auxilium: Ergo potestas ad adstruendam, seu acquirendam scientiam medium de consensu libero sub conditione auxilij, non est sufficiens ad acquirendum decretum de purificatione talis auxilij.

425 Hinc detegitur fallacia argumenti adversariorum, qui contendentes probare decretum illud esse in manu voluntatis creatae, probant ex quo in manu ejus est, quod tale decretum non existat in Deo, quod est esse in manu ejus illud repellere; non tamen ex quo in manu ejus sit, quod tale decretum in Deo existat, quod est esse in manu ejus illud acquirere. Probant enim sic: *Positio voluntatis sub hoc auxilio, & in hoc ordine supponit scientiam conditionatam consensus sub illo auxilio, & in illo ordine: Ergo si voluntas potest favere, quod Deus non sciverit ipsam consensuram sub illo auxilio, & in illo ordine, utpotem quia sub illo, & in illo potuit non consentire; potest etiam facere, quod Deus eam non ponat sub illo au-  
xilio, & in illo ordine.* Ita recentior Valentinius. Pater Riva de Neira sic probat: *Quia hoc ipso, quod voluntas creata habeat in manu sua, non existere scientiam medium dirigentem con-*

*sensum in occasione A. potest etiam facere non dirigere ad conferendam, sēcū purificandam vocationem A. ergo etiam potest facere non existere illam collationem, aut decretum purificandi conditionem illam.* Tandem Pater Hetera sic probat: *Prædefinitio consequitur proxime scientiam medium, remoteque consequitur consensum, ad quem scientia media consequitur proximè: Ergo prædefinitio, & necessitas cum illa identificata, adeo subditur libero arbitrio, ac subditur scientia media; sed scientia media consequitur consensum liberum, ut liberum, ita ut per diffensum impeditibilis sit: Ergo etiam prædefinitio huic scientiae media innitens, consequitur eundem liberum consensum, & per diffensum potuit impediri.*

426 Et quidem vellem ipsos probare in manu voluntatis esse facere, quod decretum illud existat in Deo, sicut probant esse in manu illius facere, quod in illo non existat. Et enim secundum facillimè videtur probari: Namque juxta ipsos bene valet: non est scientia media: Ergo non est decretum directum per scientiam medium: unde infertur, quod potestas ad impedientium scientiam mediā sit potestas ad impedientū decretum directū per scientiam medium. Hoc tamen consequentia etiam juxta eorum principia non valet: est scientia media: Ergo est decretum directum per scientiam medium; stante enim scientia media de consensu libero Judge sub conditione aliquoj auxiliij, stat in Deo non existere decretum de collatione illius: Ergo hac via non potest probari ex potestate, ut in Deo existat scientia media, consensus sub conditione auxiliij potestas, ut in Deo existat decretum de collatione illius; proindeque licet rectè probent juxta sua principia in manu voluntatis creatæ esse repellere, sēcū impedire illud decretum, non tamen illud acquirere.

427 Disparitasque est clarissima: tum quia ex potestate ad impedientium existentiam rei, non infertur potestas ad positionem illius, quia ad impedientium sufficit, quod in manu illius sit aliquod requisitum, sine quo res existere non valet; cum tamen ad positionem illius plura alia desiderentur. Hinc homo per peccatum potest impedire infusionem gratiæ, non tamen potest facere Deum eam sibi infundere. Et juxta subjectam materiam, & adversariorum principia, in potestate libera Dei est impedire consensum liberum voluntatis creatæ, quatenus in ejus libera potestate est decretum indiferens, sine quo voluntas consentire liberè non potest; cum tamen, etiam juxta ipsorum principia, non sit in libera Dei potesta-

re facere voluntatem liberè consentire, quia ut dicunt, liberè consentire, est consentire ex propria determinatione, & non ex determinatione Dei; hinc fatentur esse possibilem hominem, quem Deus convertere non posse.

428 Tum etiam, quia in potentia libera licet à destructione potentia ad destructionem actus valeat consequentia; non tamen valet à positione potentie ad positionem actus. Quamvis ergo scientia media sit requisitum ex parte actus primi, qua nempè, Deus constituitur proximè potens prædefinire nostros actus liberos, & indè rectè inferatur, quod destructa scientia media non sit, neque posse est in Deo prædefinitio actus; non tamen licebit inferre ex existentia, & positione talis scientiae mediae, existentiam, & positionem prædefinitionis; quia cum potentia prædefinitiva libera sit, potest adhuc proximè, & expedite constituta ad prædefiniendum existentiam consensus, eam actu non prædefinire. Pariter ergo licet ex potestate hominis ad destruendum scientiam, rectè inferatur potentia ad destruendum, vel impediendum decretum prædefinitivum, quia siue potentia proxima ad prædefiniendum existere non potest decretum prædefinitivum, tamen ex potestate hominis ad adstruendum scientiam medium inferri non potest potestas ad adquirendum, sēcū faciendum decretum prædefinitivum existere, quia cum potestate libera ad actum existere potest carentia actus.

429 Quod maximè exemplificatur in adversariorum doctrina nuper præallegata; dicunt enim hominem constitui proximè potentem consentire liberè per decretum Dei indiferens, consequenterque sine illo libero consentire non posse: unde ex potestate Dei ad illud decretum rectè infertur potestas ad non existentiam consensus liberi; sed non potestas ad illius existentiam, quia cum per illud decretum constituantur voluntas creata potens proximè liberè consentire, adhuc illo posito, potest voluntas pro suo arbitrio consentire, vel non consentire. Pariter ergo cum per scientiam medium Deus constituitur proximè potens non necessariò, sed liberè prædefinire nostrum consensum; quod negare non possunt adversarij, aliter ut non semel dixi, supposita scientia media consensus sub aliquo auxilio, necessitatibus Deus illud auxilium conferre; cum tamen plura sint auxilia, sub quibus Deus homines prævidet consensuros per scientiam medium, quorum nec alterum confert, planè pro sua libertate, sicut & quæ confert, pro sua misericordia confert.

430 Sed statim se offert sophisma quo forte

forte adversarij occurrit huic doctrinæ: nempe, quod potestas libera consistit in indifferencia ad opposita: si ergo in homine est potestas libera ad non existentiam decreti prædefinitionis, seu purificandi conditionem, etiam erit in eo potestas ad existentiam illius, aliter erit potestas determinata ad unum extreum, quæ libera esse non potest. Sed distingue de potestate immediata, & mediata; potestas libera immediata semper est indifferens ad opposita, nempe, existentiam, & non existentiam actus: Mediata vero est indifferens quando medium, quo liberè se exercet in remotius, connectitur determinatè, vel cum existentia actus, vel cum carentia talis existentia; secus vero quando tale medium est indifferens ad actum, & non actum; tunc enim ex potestate immediata libera ad medium, quod immediatè attingit, liberè se extendit solum ad non actum, quem attingit mediata, seu remotè, non vero ad actum. Explicatur: quia voluntas hominis libera est immediatè erga existentiam consensus, liberè etiam se extendit ad non existentiam illius; & vice versa, quia libera est immediatè ad non existentiam consensus, libera etiam est ad existentiam illius. Et pariter, quia libera est mediata erga existentiam scientiæ mediae consensus medio ipso consensu infallibiliter, & determinatè connexo cum illa, ex libertate immediata ad consensum habet, quod sit etiam libera mediata erga non existentiam scientiæ mediae consensus, sicut è contra, quia libera est mediata erga non existentiam scientiæ mediae consensus medio dissensu, seu non consensu infallibiliter, & determinatè connexo cum illa, pariter ex libertate immediata ad dissensum habet etiam, quod liberè se habeat erga existentiam scientiæ mediae consensus.

431 Attamen secus contingit quando medium, quo liberè se exercet in remotius, non est connexum determinatè cum existentia actus, vel non existentiam actus, sed indifferens ad actum, & non actum; ut patet in exemplo allato juxta adversariorum doctrinam, quia enim Divina voluntas libera est erga nostros actus liberos media voluntate creata non conexa cum consensu, sed indifferenti ad consensum, & dissensum, ex libertate, qua immediatè exercetur erga voluntatem creatam per decretam indifferens, solum infertur in divinæ voluntatis potestate esse non consensum voluntatis creatæ, quatenus potest Deus illud decretum non habere, eique negare concursum indifferentem; non tamen quod in ejus potestate sit existentia consensus, quia ad hoc oppor-

teret voluntatem in actu primo constitutam per decretum indifferens connecti immediatè cum consensu. Cum ergo pariter divina voluntas in actu primo constituta per Scientiam medium, qua mediante voluntas creata suam libertatem exercet, non sit connecta cum prædefinitione nostri actus liberi, ut potest libera, licet ex potestate, quam exercet erga existentiam scientiæ mediae, habeat in sua potestate non existentiam prædefinitionis, sicut & non existentiam scientiæ mediae, non inde sequitur habere in sua potestate existentiam illius, proindeque est potestas libera mediata ad extreum duntaxat negativum.

## FUNDAMENTUM XI.

*Quo etiam ex prefata doctrina instatur aliud fundamentum contraria sententia.*

432 **A** Liud, & non minus præcipuum fundamentum contraria sententia est, quod si semel decretum ab intrinseco efficax, ejusque prædeterminatio ad extra requisitum sit simplicitè necessarium, ut voluntas operetur; eo ipso sine prædicto decreto, ejusque prædeterminatione non salvatur auxilium verè sufficiens; & consequenter neque potestas, ut voluntas adimpleat præceptum, unde neque ei poterit non adimplatio præcepti imputari: namque auxilium verè sufficiens ideo sic appellatur, quia sufficit, ut cum illo possit voluntas adimplere præceptum; unde & debet præcontinere omnia necessaria ad opus, ita ut alio auxilio non indigeat, si enim alio indiget, illud insufficiens est. Et infertur, quod quia nec decretum Dei ab intrinseco efficax, neque ejus physica prædeterminatio in hominis potestate non est, neque unum, vel alterum possit acquirere, seu facere, quod existat, cum utrumque solum ex libera Dei potestate dependeat; Deus nullam possit habere causam juste puniendi peccata, quin immò homo potest justè contra Deum conqueri.

433 Neque ei satisfit dicendo, quod tam decretum ab intrinseco efficax, quam prædeterminatio ex eo derivata, solum est simplicitè requisitum ex parte applicationis voluntatis libere de actu primo ad actum secundum; proinde que non est requisitum simpliciter ex parte actus primi; & sic sine eo salvatur auxilium verè sufficiens, & consequenter sine illo potest voluntas adimplere præceptum. Non inquam eis satisfit, namque Eximus illorum Doctor

Doctoř P. Suarez lib. 3. de gratia, cap. 10. docet, quod etiam si daretur auxilium efficax non dare potentiam agendi, eo ipso, quod simpliciter necessarium dicitur ad volendum quocumque modo singatur necessarium, sive ex parte principij, sive ex parte actus, sive ex parte Dei, sive ex parte hominis, si tale auxilium non offertur illi, ita ut in potestate ejus activa constituantur, non potest homo in tali statu constitutus dici habere auxilium sufficiens.

434 Hoc inquam fundatum instatur expressè ex praefata doctrina Authorum scientiarum mediarum, nempe, admittentium decretum illud absolutum, & efficax purificandi conditionem, seu præbendi auxilium in ea occasione, in qua sub illo per scientiam medium prævidetur voluntas consensura. Namque in hac sententia, ut voluntas eliciat consensum prædiffensu, necessariò requiritur hoc decretum, quod etiam acquirere non est in potestate voluntatis: ergo sine eo non salvatur auxilium verè sufficiens, aliter illo non indigeret. Unde neque consequenter homini potest ad calpam imputari non adimpleti precepti, neque Deus potest justè ejus peccatum punire, immo justè homo potest contra Deum conqueri. Ecce expressè instatur praefatum fundatum.

435 Quid si reliquo Suarez', sicut in pluribus alijs eum deserunt recentiores Societatis, dicat (neque aliud suspicor posse dici) prædictum decretum, quia supponit scientiam medium de libero consensu conditionato, est solùm simpliciter requisitum, ut voluntas operetur, non ex parte actus primi, sed solùm ex parte actus secundi; proindeque sine illo salvare auxilium verè sufficiens, sicut & salvator auxilium verè sufficiens sine concursu concordantem, quamvis hic simpliciter necessarius sit, ut voluntas consentiat, ut tenent Rivadeneyra, & RR. Thyrus supra relati fundam. 6. qua ratione tenent tam concursum concomitantem, quam decretum de purificanda conditione non debere ponere in objecto conditionato scientiarum mediæ ex parte conditionis, sed ex parte conditionati, nempe, consensus, quia ille solùm, & non actus primus, vel potentia ad illum indiget illo utroque: si hoc inquam dicatur, idem nos dicimus de decreto thomistico, seu prædeterminativo independenter ab scientia media, namque istud à nobis constituitur purè ut applicatio voluntatis de actu primo ad secundum, non vero per modum actus primi: Sine illo ergo salvator auxilium verè sufficiens, sicut & potentia completa, & expedita ad elicendum propriam operationem.

436 Hinc sine fundamento P. Lefsius magnificat illud argumentum contra prædeterminantes: sequi, nempe, nullum dari auxilium sufficiens, quod non sit efficax; quod est contra fidem; ut potè sequitur non dari omnibus auxiliis sufficiens contra Concilium Arausicanum cap. 25. & Trident. ses. 6. cap. 13. quod sequi probat, quia illud solùm auxilium est sufficiens ad aliquod opus, per quod homo est potens operari, ita ut jam in sua potestate habeat illud facere; si enim non potest illud facere, nisi accesserit novum auxilium, quod non sit in ejus potestate, non dum habet auxilium sufficiens; at qui per nullum auxilium præveniens homo est potens bene operari in ipsorum sententia, nisi accesserit decretum illud ab intrinseco efficax: ergo. Sine fundamento, inquam, P. Lefsius hoc argumentum magnificat; namque etiam in ipsorum sententia per nullum auxilium præveniens homo est potens bene operari, nisi accesserit decretum illud purificandi conditionem, quod acquirere non est in sua potestate.

437 Unde etiam instatur aliud ejusdem Authoris fundatum, quod est hujusmodi: sequitur ex nostro decreto neminem posse converti, nisi qui re ipsa convertitur, neminem posse bene operari, nisi qui bene operatur, neminem posse salvare, nisi qui re ipsa salvatur; quia nemo potest converti, bene operari, & salvare sine decreto efficaci, & prædeterminativo, quod nemo habet, neque in potestate ejus est habere, nisi qui re ipsa convertitur, bene operatur, & salvatur. Instatur, inquam, cum nec decretum illud de purificanda conditione, quod etiam necessarium est, ut homo convertatur, bene operetur, & salvetur, immo habeat, neque in potestate ejus sit habere, nisi qui re ipsa convertitur, bene operatur, & salvatur.

438 Dices cum hoc Authore: Ora, ut Deus te ponat in ordine, & occasione bene agendi, & volendi, bene operari. Dico & ego: Ora, ut Deus decernat, & prædiffiniat efficaciter tuum consensum salutarem. Dices: neque orare possum, nisi per decretum suum efficax, & prædeterminativum Deus decernat me orare. Dicam & ego: neque orare possum, nisi per decretum purificandi conditionem Deus decernat me ponere in ordine, & occasione orandi. In nullius ergo potestate est converti sine decreto purificandi conditionem, si semel in nullius potestate est converti sine decreto efficaci, & prædeterminativo.

439 Similis formæ est argumentum cuiusdam recentis Valentini apud Magistrum Vi-

ves, lib. 1. de scientia media disp. 11. dist. 6. §. ait enim ex nostro decreto prædeterminativo sequi homines, qui re ipsa non convertuntur, & mandata non servant, non habere auxilium sufficiens ad conversionem, & observationem mandatorum, & consequenter non stare per ipsos, quod non convertantur, & mandata non observent, neque posse hoc illis ad culpam imputari; sed hoc est absurdum: ergo. Major prob. auxilium sufficiens ad conversionem, & observationem mandatorum est illud, cum quo possunt homines converti, & observare mandata, ideo enim appellatur sufficiens; sed homines, qui re ipsa non convertuntur, & mandata non observant, non habent auxilium ab intrinseco efficax, cum quo possint converti, & observare mandata: ergo non habent ad id auxilium sufficiens.

440 Neque in terminis istud argumentum distinguitur à præcedenti P. Lefij; & simil modo instatur, ut potè dicti homines non possunt converti, & observare mandata sine decreto ponente eos in ordine se convertendi, & observandi mandata: cuius loc, juxta ipsos, dicitur ad id simplicitè nec narium, unde nec stare poterit per ipsos non converti, neque hoc poterit illis ad culpam imputari. Resp. merito imputari illis defectum conversionis, quia culpabilitè noluerunt se disponere ad obtinendum decretum illud, quo à Deo ponerentur in ordine se convertendi, cum facile possent se disponere. Sed quomodo facile, si decretum adhuc, quo ponantur in ordine se disponendi ad obtinendum decretum illud, non est in sua potestate? Eadem enim ratione, qua non est in sua potestate decretum, ut se ponat in ordine bene agendi, nè est in sua potestate decretum, ut se ponant in ordine se disponendi ad bene agendum. Cum enim se disponere ad bene agendum, vel ad non incurriendum culpam, nolendo se disponere ad bene agendum, sit bene agere, eadem propterea difficultas est, cur eis imputetur ad culpam non bene agere, seù non converti, vel non observare mandata, at cur eis imputetur ad culpam non se disponere ad hujusmodi.

441 Quod si respondeatur secundò: homines, qui non convertuntur, habere auxilium sufficiens ad posse converti, non verò ad actu converti: quia ad actualem conversionem est necessarium decretum ponendi eos in ordine se convertendi, non verò ad posse converti; illud enim se tenet ex parte actus secundi, non ex parte actus primi, & non dat posse agere; sed actu agere: idem dicunt thomistæ de decreto suo prædeterminativo; & sic argu-

mentum vim aliquam non infert adversus decretum thomisticum. De quo magis late in sequenti resolutione respondendo ad ultimum argumentum Complutensis Herrera.

## FUNDAMENTUM XII.

*Quo etiam ex eadem doctrina ad hominem revertentur alia argumenta oppositæ sententie.*

442

**A** Lind argumentum oppositæ tentientiæ desumitur ex Concilio Trident. fet. 6. cap. 11. illis verbis: *Deus namque sua gratia femei iustificatos non deserit, nisi ab eis prius deratur.* Cuin tamè si homo indigeat ad consensum salutarem decreto Dei ab intrinseco efficaci, & inducente physicam prædeterminationem, videatur potius Deo non sic concurrente, hominem per prius deseriri à Deo, quam Deum ipsum deserere. Quod argumentum ex doctrina relata decreti purificantis conditionem retorquetur manifestè. Pro cujus intelligentia notetur, vel potius supponatur, ut & ipsi supponunt, Deum per scientiam medium prævidere Petrum non magis determinatum, seù inclinatum ad consensum, quam ad dissensum: v.g. cum prævidere consensurum, si ponetur in occasione A. sub vocatione B. & dissensorum, si ponetur in occasione C. sub vocatione D. In hoc enim casu non prævidetur Petrus in statu conditionato magis determinatus, seù inclinatus ad consensum, quam ad dissensum, ut potè si in una hypothesi prævidetur consensurus, in alia prævidetur dissensurus; proindeque neque prævidetur magis deserens Deum, quam ei adhærens: Tunc Deus pro posteriori ad scientiam illam medium decernit non ponere Petrum in occasione, & sub vocatione, sub qua illum prævidet consensum, sed potius in occasione, & sub vocatione, sub qua illum prævidet dissensum. In hoc enim casu, qui est ipsorum doctrina, inquirō: *Quis prius deserit alium, Petrus ne Deum, vel Deus Petrum?* Sanè si Petrus adhærebit Deo absolute non potest, quin Deus decernat eum ponere in occasione, & sub vocatione, sub qua eum prævidet salutariter consensurum; Deo decernente eum non ponere in tali occasione, & sub tali vocatione, sed sub opposita, Deus prius deserit Petrum, quam Petrus deserat Deum ob eandem rationem, ob quam ipsi dicunt per prius Deum deserere iustificatos, quam deseratur ab eis, si ipsi consentire non possunt non prævio decreto Dei ab intrinseco efficaci.

Ne

443 Neque valet disparitas, decretum illud purificandi conditionem supponere voluntate conditionate dissensurā ex propria determinatione: namque licet ita sit, non tamen, ut diximus, eam magis supponit dissensurā, quam consensurā, utpote si in una occasione eam supponit dissensurā, in alia eam supponit consensurā; immo potest contingere, quod in pluribus occasionibus eam praevideat consensuram, quam dissensuram; & sic attenta determinatione illa conditionata creaturæ, non magis potest dici deserere Deum, quam Deo adhærere, immo magis Deo adhærere, quam Deum deserere. Quod ergo in statu absoluto potius dissentiat, quod est, Deum deserere, quam consentiat, quod est, Deo adhærere, attribuendam est non creaturæ, sed Deo, qui cum tam prævidisset æque propensam ad dissensum, & consensum, vel forte magis propensam ad consensum, quam ad dissensum, pro sua libertate voluit non eam ponere in occasione consensus, sed dissensus. Instatur ergo manifestè argumentum desumptum ex relatis verbis Concilij Tridentini.

444 Aliud argumentum desumunt ad verlarij ex alijs verbis supra relatis Concilij Trident. Can. 4. ubi loquens de gratia efficaci, docet, hominem posse cum illa dissentire. Dicunt autem Thomistæ debere intelligi non in sensu composito, sed in sensu divito: sed contra argumentum, debere intelligi de posse dissentire in sensu composito; quia Concilium cap. 5. pernaserat hominem posse illam abjecere, quod pertinet ad potentiam in sensu composito. Quod argumentum planè etiam retorquetur, & instatur in praedicto decreto purificandi conditionem consensus, utpote cum eo in sensu composito dissentire non potest; connectitur namque infallibiliter cum consensu, aliter neque esset ab intrinseco efficax; quinimmò neque cum gratia efficaci, ut ab ipsis ponitur, nempe efficaci ab extrinseco, & ex coniunctione ad consensum, potest in sensu composito dissentire, sicut neque eam à se abjecere, utpote implicat in terminis, quod sit efficax ex coniunctione ad consensum, & quod adjungatur dissensu; tunc enim definiret esse efficax; & ut ipsi dicunt, Concilium loquitur de gratia efficaci: tum quia loquitur de illa gratia, cui liberum arbitrium cooperatur assentiendo: tum quia loquitur de illa gratia, de qua ajebat Calvinus, quod ei voluntas humana dissentire non poterat, quod non contendebat de auxilio purè sufficienti, & inefficaci, ut de se pater.

445 Aliud argumentum oppositæ sen-

tentiæ est, ex nostra sequi estimabiliorem esse homini, magisque eligibilem parentiam auxiliij sufficientis ad bonum, quam ipsum auxilium sufficiens, casu quod Deus nobis denegat prædeterminationem ad bonum, & præster prædeterminationem ad malum, utpote sine auxilio sufficienti ad bonum homo non potest peccare, cum eo verò peccare potest, & denegata prædeterminatione ad bonum, infallibiliter peccabit. Quod etiam argumentum planè retorquetur, & instatur in decreto purificandi conditionem: namque etiam esset estimabilior magisque ab homine eligibilis parentia auxiliij sufficientis ad bonum, quam ipsum auxilium sufficiens, dato, quod Deus decernat non purificare conditionem, sub qua prævidet hominem consensurum, sed solum eam, in qua cum prævidet dissensurum; utpote sine auxilio sufficienti nequè peccabit, neque peccare potest; cum eo verò potest peccare; & posito decreto de conferendo auxilium illud in occasione, in qua eum prævidet dissensurum, infallibiliter peccabit.

446 Sed resp. P. Ribadeneyra disp. 2. de prædestin. num. 15. quod non est magis estimabilis illa necessitas non peccandi, quam potestas antecedens ad observationem præcepti cum periculo peccandi, si necessitas non peccandi sit talis, quæ relinquat in manu voluntatis observationem præcepti, quæ est magis estimabilis, quam necessitas non peccandi. Attamen si necessitas illa adeò urget, ut non permittat potestatē implendi præceptū, tunc est magis estimabilis necessitas illa. Ratio est: quia in primo casu já potest homo sua libertate observare meritorie præceptum, & excludere infallibiliter transgressionem præcepti, in quo magnum fænus bonorum adquireret tum actus observationis præcepti, tum bonorum procedentium ab ipso; pluris verò estimanda sunt bona ista, quam necessitas non transgrediendi præceptum, quia bona ista non solum auferunt transgressionem demeritoriam præcepti, sicut auferunt necessitas non peccandi, sed etiam bonorum incrementum adducunt.

447 Qua simili forma, & nos respondeamus negando esse estimabiliorem parentiam auxiliij sufficientis ad bonum, quam ipsum auxilium sufficiens, casu quod Deus denegat prædeterminationem ad bonum, & præster prædeterminationem ad malum: namque licet potentia peccandi, quæ non relinquat in manu voluntatis observationem præcepti, estimabilior non sit, quam potentia non peccandi; secùs tamè, quæ non adeò urget, quod non permittat potestatē implendi præceptum. Et sic

sic contingit in nostro casu, ut potè est potentia peccandi cum potentia ad oppositum in sentiū diviso; & sic hoc verum non est, quia prædeterminatio ad malum, seu entitatem peccati, tollit libertatem ad oppositum; hoc ipsum dicimus nos de decreto purificandi conditionem, ut patet ex dictis.

448 Aliud argumentum oppositæ sententiaz, quod efficacissimum appellat Rivadeneyra ad scientiam medium suadendam, sic ab eo proponitur: Stat in sacra pagina increpatio comparativa unius cum alio, ut illa Matthæi 11. & Lucæ 10. *Vè tibi Corozain, vè tibi Bethsaïda!* &c. Sed ea ne sit innanis, ac delusoria, postulat bene operaturum, & non bene operaturum, inæquales non esse in illis, quæ independenter ab usu sive libertatis existunt, & de se plurimum juvant ad bonam operationem; alias comparatio magis tegit, quam manifestat malitiam peccantis: Ergo talis inæqualitas adesse non debet, ut increpatio comparativa frustranea non sit; at ea inæqualitas adest admissis decretis efficacibus omnino antecedentibus usum libertatis: ergò talia decreta rejicienda sunt. Prob. min. primi syllog. Nam juxta Aristotel. lib. 3. & 6. ethicor. argumentum à comparatione inefficax est, ubi datur disparitatis ratio valde conducens, ut diversitatem sorciantur extrema, inter quæ instituitur comparatio, aut ad tegendam magis, quam detegendam malitiam peccantis, unde comparatio ridicula est; quomodo non amas vehementissimè regem, à quo nihil boni acceperisti, cùm ita Petrus amet summis honoribus ab eodem cumulatus? At hujusmodi comparationis idè sunt innanes, quia ex parte operantium datur ante ipsorum actiones ratio valde potens, ut disformiter operentur: Ergo ut comparationes, de quibus loquimur, non sint innanes, requiritur, ut antecedenter ad actiones, in quibus comparatio institutor, non sit ratio magnopere conducens, ut talem diversitatem sorciantur.

449 Jàm verò prædictam inæqualitatem adesse juxta sententiam admittentium decreta quæ independenter ab usu nostræ voluntatis sint efficacia ab intrinseco, manifestum est: nam respectu bene operantium datur antecedenter ad usum sive libertatis decretum ab intrinseco efficax, adeò conducens ad bonam operationem, ut connectatur infallibilitè cum illa; at verò respectu non bene operantis non datur hoc decretum, sed potius vel ejus decreti defectus, vel decretum oppositum, quæ duo conseruent adeò ad non operandum bene, ut connectantur infallibilitè cum omissione bona operationis: Ergo ex parte bene, & non bene

operantis datur antecedenter ad bonam operationem, & ipsius omissionem ingens discriminis ratio magnopere conducens, ut quoad operationem bonam diversitatem magnam sorciantur; immò verò, ut peccatum male operantis occultetur. Unde non apparet, quomodo Iudei non repellerent sufficientissimè comparationem increpativam, sic dicentes: Quid nobis exemplo Tyriorum improsperas? Nā si ipsi viderent eadem signa, quæ nos, haberent decretum efficax prærequisitum, ut pœnitentiam agerent, quo tamen nos caremus, nequè pro nostra libertate comparare valemus; quid ergò mirum, quod in tanta terum disparitate non agamus pœnitentiam, quam illi agerent?

450 Hoc argumentum apud Soc. DD. efficacissimum posse retorqueri ad hominem, supposito decreto illo efficaci de purificanda conditione, notissimum est: namquæ supponamus, ut & ipsi supponunt, Deum prævidere conditionatè Petrum, & Paulum æquales in bonis, & in malis operibus: v. g. Petrum bene operaturum in tot occasionibus, sub tot auxilijs, & male in tot occasionibus, & sub tot auxilijs, & pariter Paulum in eisdem occasionibus, & sub eisdem auxilijs bene operaturum, & in alijs, & sub auxilijs operaturum male. Sic ergò æqualiter se habentibus in statu conditionato decernat Deus dare Petro auxilia illa in illis occasionibus, in quibus eum prævidet bene operaturum; Paulo verò denegat prædicta auxilia in eisdem occasionibus, eique conferat auxilia alia, quæ in alijs occasionibus prævidet inefficacia. Quis dubitet in eo catu intervenire ingentem discriminis rationem magnopere conducentem, ut quoad bonam operationem diversitatem magnam sorciantur, immò verò ut peccatum Pauli occultetur. Datur enim tunc in Petro, alias in statu conditionato æquali cum Paulo decretum illud de purificanda conditione, sub qua prævidetur bene operatus, secùs vero in Paulo, quod decretum adeò conductit ad operationem bonam, ut cum ea infallibilitè connectatur: respectu verò Pauli non datur hoc decretum, sed potius, vel ejus decreti defectus, vel decretum oppositum, quæ duo conferunt adeò ad non operandum bene, ut connectantur infallibilitè cum omissione bona operationis. Indignus ergò eset increpatio Paulus comparative ad Petrum. Et si increparetur, sufficientissime repelleret increpatiōnem comparativam sic dicens: quid mihi exemplo Petri improsperas? Namque Petrus habet decretum efficax prærequisitum, ut bene operetur, quo & ego ca-

reō, nēc pro mea libertate eum acq̄uisitare possum. Quid ergō mirū, quod in tanta rerum disparitate Pāulus non agat p̄onitētiam, quam Petrus agit? Quod & eīl verū, si semel aduersariorum argumentū urget, quamvis Petrus, & Paulus non pr̄videantur aequales in statu conditionato quoad benē, vel malē operari, utpote semper est verū in nullius manu esse decretū illud comparare, illudque habet Deus purē motus ex sua misericordia, & non ex pr̄eūsis operibus, ut patet ex dictis. Cum ergō maximē conduceat ad benē operandum in statu absoluto, illud habere, vel non habere est disparitatis ratio valde conducens, ut diversitatē fortiantur extrema, inter qua insitutur comparatio; proindeque efficax esse non potest, sed potius ridicula, si semel ridicula, & inefficax esset increpatio Judorum p̄z Tyris, & Sidoneis, suppositis decretis pr̄determinantibus. Et per hunc modum possunt cetera fundamenta oppositae sententiae instari, & retorqueri, ut patebit in solutione argumentorum.

## FUNDAMENTUM XIII.

*Ex quo firmius constituitur spes nostra circa æternę glorię consequationem, Deo concurrente ad nostros actus liberos per decretum ab intrinseco efficax, quam ab intrinseco indifferens.*

451 **N**amque Deo concurrente ad nostros actus liberos per decretum ab intrinseco efficax, toram spem nostram ultimo, & radicaliter reducimus in bonitatem Dei; Deo autem concurrente solum per decretum ab intrinseco indifferens, spem nostram ultimo, & radicaliter reducimus in nostram propriam voluntatem; sed firmius constituitur spes nostra eam ultimo, & radicaliter reducendo in Dei bonitatem, quam in propriam voluntatem: ergo firmius constituitur spes nostra circa æternę glorię consequationem, Deo concurrente ad nostros actus liberos per decretum ab intrinseco efficax, quam ab intrinseco indifferens. Major supponitur, minor vero prob. nam spem nostram reducendo ultimo, & radicaliter in bonitatem Dei considero, & cogito infinitam Dei bonitatem, desiderium ingens, quod habet de salvacione hominum, dicente Paulo: *Deus uult omnes homines salvos fieri;* quod ejus magis proprium est misereri, & parcere, canente Ecclesia: *Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere;* pariter quod ejus om-

nipotentiam, quam semper intendit manifestare, maximē ostendit parcendo, & miserendo, canente etiam Ecclesia: *Deus, qui omnipotētiam tuam parcendo maximē, & miserendo manifestas.* Cujus plena est Scriptura Deum paſſim appellans misericordem, clementem, patientem, & multe miserationis; & maximē cum ait: *Homines, & jumenta salvabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.* Ac tandem miseretur timentibus se, quemadmodum Pater miseretur Filiorum. Omnia enim hæc cogitatiū meo se offerunt, cum spem meam ultimo in bonitatem Dei reduco. E contra verò spem meam in propriam voluntatem reducendo, incipio cogitare naturaē creat̄e imbecillitatem, meamque fortē inter omnes esse majorem; & quod si Deus mea opera conditionatē pr̄videat, plures fortē erunt occasions, in quibus me pr̄videat peccatum, quam bene operaturum, consequenterque plures esse occasions me reprobandi, quam pr̄destinandi; unde crescit timor, pusilanimitas augetur, ac tandem spes minuitur: firmius ergō constituitur spes nostra circa æternę glorię consequationem, eam ultimō, & radicaliter reducendo in Dei bonitatem, quam in nostram propriam voluntatem.

452 Quod fundamentum judico apertum August. qui de pr̄dest. Sanct. cap. 11. sic relata in summa concludit: *Sanè cum Apost. dicat, ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio, miror homines infirmitati sua se male commitere, quam infirmitati promissionis Dei.* Sed incerta est mihi, inquis, de me ipso voluntas Dei: *Quid ergō Tuā ne tibi voluntas in ipso certa est, nēc times? Qui videtur flare, videat ne cadat.* Cum igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori, quam infirmiori fidem faciat, spem, charitatemque contrahit? Quibus addit cap. 12. *Az verò timendum est, ne tunc de se homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo; non autem desperet, si eam in se ipso superbissimus, & felicissimus ponere.*

453 Quæ doctrina contradicit adversariorum sententiae; dicunt enim nullum desperationis motivum homini unquam occurtere, si videat Deum quasi sequutum esse ipsius hominis voluntatem, relinquendo illum in ea electione, vel bona, vel mala, quam ipse esset volitus. Tunc enim sicut homo considerat ab initio usque ad finem, ab æterno, & in tempore, tam in statu conditionato, quam absoluto, positum esse in manu ejus vias suas bonas, aut malas facere, idque Deum pr̄considerasse

ab aeterno, ita non habet rationem aliquam desperandi de salute consequenda, cuius consequentiam habet in manu sua. Ita adversarij, qui se magis volunt committere imbecillitati, seu infirmitati sua voluntatis, quam firmitati, seu efficaciae divinae gratiae. Unde & adidunt, quod si contigisset ab aeterno Deum decreuisse Petro non dare gloriam, jam tolleretur Petro omnis ratio sperandi gloriam, multumque minueretur spes, si conseqüi gloriam non in nostra potestate positum esset, sed in Dei decreto. Speramus enim facilius ea, quae in nostra sunt potestate, quam quae pendent omnino ex voluntate alterius. Ita adversarij: quem modum sperandi, ut potest non in Deo, sed in nobis metipsis, forte superbissimum, & infelicitissimum vocat August. Cum enim utraque determinatio, sive nostre voluntatis, sive divinae gloriae, nobis incerta sit, cum non firmiori, quam infirmiori determinationi spem committimus. Porro timendum est magis ne desperemus, cum spem constituimus in nobis metipsis, quam quando ponenda demonstratur in Deo.

454 Quibus adde Thomistis non ita asseverare spem nostram debere ultimò, & radicaliter reduci in Dei bonitatem, quod ejus consequentia non sit in potestate nostra, sicut & docent Deum in exequatione non conferre gloriam, nisi praevisis meritis, licet intentive ab eis non moveatur, sed ex sola sua bonitate, & misericordia, de quo in tractatu de praedest. Immò, & adversarij docere tenentur, quod licet Deus non praedestinet nisi praeviendo per scientiam medium opera bona in statu conditionato, non tamen ex hoc movetur ad praedestinandum; aliter omnes praedestinaret, cum nullus sit homo, quem Deus non praevideat bene operaturum in pluribus occasionibus, immò & reprobum bene operaturum in pluribus, quam praedestinatum. Movetur ergo ex sola sua bonitate, ex hac enim solùm procedere potest, quod Petro conferat auxilia, quibus praevidetur bene operaturum, & perseveratum usque in finem; que tamen alijs negat, cum posset conferre. Tandem ergo, & ipsi reducunt spem suam in Dei bonitatem, non in voluntatem propriam. Adhuc nihilominus thomistæ firmius constituunt spem in Dei bonitatem antecedenter ad opera conditionate praevita, quam ipsi in bonitatem Dei praevisis operibus utpotè, ut diximus, Deus forte praevidebit plura opera mala, quam bona, quibus si attenderet, potius reprobaret, quam eligeret; divina tamen bonitas ex se, & independenter ab operibus conditionate praevisis infinita est, & po-

M. Carrafo.

tiùs movens ad salvandum, quam ad condemnandum, potius admiserendum, quam ad puniendum.

#### FUNDAMENTUM XIV.

*Ex quo aliter praedestinatio solum esset certa certitudine præscientie, secùs vero certitudine ordinis, & causalitatis.*

455 **E**st compertum apud omnes recentiores, etiam societatis, quidquid sit de Molina, prædestinationem esse certam, nedum certitudinem præscientie, sed etiam certitudinem ordinis, & causalitatis. Hoc non salvari, si Deus non concurredit ad actus nostros liberos per decretum ex se, & ab intrinseco efficax, intendimus in præsenti fundamento. Pro cuius intelligentia, ne in verbis allucinemur, notanda maximè est doctrina D. Thom. q. 6. de verit. art. 3. in corp. ubi sic incipit: *Duplex est certitudo, scilicet cognitionis, & ordinis. Cognitionis quidem certitudo est, quando cognitio non declinat in aliquo ab eo, quod in re invenitur, sed hoc modo existimat de re, sicut est; & quia existimatio habetur de re præcipue per causam rei, ideo tractum est nomen certitudinis ad ordinem causæ ad effectum, ut dicatur ordo causæ ex se ad effectum certus, quando causa infallibiliter effectum producit. Præscientia ergo Dei, quia non importat universaliter habitudinem cause respectu horum, quorum est, non consideratur in ea, nisi certitudo cognitionis tantum. Sed prædestinatio, quia præscientiam includit, & habitudinem causæ ad ea, quorum est, addit in quantum est directio, sive preparatio quedam, & sic potest in ea considerari supra certitudinem cognitionis, certitudo ordinis, de qua solum certitudine prædestinationis hic querimus. Ita D. Thom.*

456 Ex quibus in primis habetur nomine certitudinis ordinis, & nomine certitudinis causalitatis, idem prorsus in præsenti intelligi; utpotè certa existimatio habetur de re, præcipue per causam rei; & sic tractum est nomen certitudinis ad ordinem causæ ad effectum, ut dicatur ordo causæ ex se ad effectum certus. Deinde habetur, quod ordo causæ ad effectum est certus, quando causa effectum infallibiliter producit: & cum sit ordo causæ ex se ad effectum certus, erit certus, cum ex se infallibiliter producit effectum. Hinc cum præscientia non importat habitudinem causæ ad effectum, si tamen in aliquo non declinat ab eo, quod res est, solum importat certitudinem

Mm

cog-

cognitionis, non tamen ordinis, seu causalitatis. Quia tamen prædestinationis præscientiam includit habitudinem causæ ad ea, quorum est, quia nedit est præscientia, verum & præparatio beneficiorum Dei, potest in ea considerari supra certitudinem cognitionis, certitudo ordinis, & causalitatis.

457 Ex quibus sic argumentor: prædestinationem esse certam certitudine ordinis, & causalitatis, est ordinem illius ad effectum, nempè salutem, esse ex se certum, & infallibilem; est aliter iste ordo ex se certus, & infallibilis, cum ex se certo, & infallibilitate producit effectum; at si decretum non sit ex se, & ab intrinseco efficax; non producit ex se certo, & infallibilitate effectum, quippe decretum ex se, & ab intrinseco inefficax propterea si dicitur, quia ex se non potius infert consensum salutarem, quam disensem: non ergo salvatur, quod prædestinationis sit certa certitudine ordinis, seu causalitatis, si Deus ad actus nostros liberos non concurredat per decretum ex se, & ab intrinseco efficax.

458 Hinc impugnata manet solutio aliquorum dicentium, quod licet decretum illud sit ex se, & ab intrinseco inefficax, adhuc tamen infert infallibilitatem effectum ex consilio scientiae mediae, per quam Deus videt fore, ut si dentur talia media, seu auxilia, infallibilitate exerceatur meritum. Qui Autographes decretum prædestinationis consequenter constituant in complexo decreti indifferentis, & scientiae mediae representantis congruentiam auxiliorum. Quem modum dicendi in favorem Molinæ approbat RR. Thysfus, tom. I. disp. 20. num. 9. & Pater Rivadeneyra de prædestinationis disp. 10. cap. I. num. 2. sed hunc modum dicendi procedere aperite contra doctrinam relatam Div. Thom. liquet ex terminis: namque constituit prædestinationem certam, & infallibilem ea solum parte, qua præscientia est; non ea parte, qua causa est: neque enim complexum illud est causa qua parte includit scientiam medium: ut pote hæc, juxta adversarios, est pure speculativa, non practica, sed solum ea parte, qua includit decretum, quod ex se nullam importat certitudinem, & infallibilitatem, si ex se, & ab intrinseco efficax non est, ut ipsi sententur.

459 Et quidem juxta predictum modum, tota certitudo prædestinationis reducitur ad id, quod Deus per scientiam medium videt fore, quod si conseruantur talia auxilia, creatura infallibiliter mæribitur, & consequetur salutem; hec autem certitudo est cog-

nitionis tantum, quatenus hec scientia non declinat in aliquo ab eo, quod in re invenitur, sed hoc modo existimat de re, sicut est; nullam ergo, præter hanc certitudinem, includit complexum illud.

460 Neque valet, quod licet decretum illud ex se, & ab intrinseco efficax non sit, sit tamen efficax ex consilio scientiae mediae; & sic jam prædestinationis ea parte, qua includit decretum, est etiam certa, & infallibilis, & consequenter certa certitudine ordinis, & causalitatis. Non inquam valet: primo, quia solum infertur, quod sit efficax ab extrinseco, non ex se; at D. Thom. expressè tenet, prædestinationem esse certam certitudine ordinis, esse ordinem ipsius ad effectum ex se esse certum, & infallibilem: ergo. Deinde: nam scientia illa media, utpote pure speculativa non auget ordinem prædestinationis in ratione cause ad effectum, sicut neque movet efficaciter voluntatem divinam ad præstanda auxilia congrua, ut ipsi sententur, & patet ex dictis; unde & RR. Thysfus loco citato, num. anteced. docet, quod licet Deus non prædestinet sine illa, non tamen secundum illam: ergo adhuc ab intrinseco prædestinationis non sit efficax ex consilio scientiae mediae, si semel Deus prædestinat per decretum ex se, & ab intrinseco inefficax.

461 Deinde impugnatur hic modus, ex quo prædestinationem constituit in providentia generali ordinis supernaturalis, adjuncta scientia media, nepte constituit eam in decreto ex se, & ab intrinseco inefficaci, decernensque auxilia ex se, & ab intrinseco inefficacia, proindeque communia reprobis, & prædestinationis, adjuncta tamen scientia media de congruitate auxiliorum. Unde infertur prædestinationem non distingui à providentia generali ordinis supernaturalis ex parte divinae voluntatis, sed solum ex parte divini intellectus; cum tamen prædestinationis, utpote specialis benevolentia erga electos, debeat in omnium sententia, distingui à providentia generali ex parte divinae voluntatis.

462 Neque valet: quod illa providentia generalis sit specialis ex adjuncta scientia media de congruitate auxiliorum; namque adhuc ea, quæ Deus decernit per providentiam generalis cōdistinctam ab speciali, decernit multo tias adjuncta scientia media de congruitate auxiliorum; utpote non potest non prævidere statum conditionatum de eo, quod voluntas consentient in talibus occasionibus, & sub talibus auxilijs. Neque valet, quod licet tunc decernat adjuncta scientia media, non tamen

regulatus scientia media; quippe non decernit dare illa auxilia quatenus sic prævisa congrua, sed præscindendo ab illorum congruitate. Sed hoc bene percipio in sententia afferente preter decretum ex se, & ab intrinseco indifferens collativum auxiliorum, dari in Deo decretum aliud prædinitivum, quo vult efficaciter, & determinatè dare ea auxilia, quæ prævidet efficacia ex determinatione creature in statu conditionato, ut plutes ex societate fatentur, de quo infra. Tuic enim nedum Deus decernit præsciendo congruitatem auxiliorum, quæ confert, verum & regulatus tali scientia ea decernit, seu prædestinat conferre. Tunc tamèn Deus decernit decreto ex se, & ab intrinseco efficaci supponenti essentialiter scientiam medium de congruitate auxiliorum. In nostro tamèn casu hoc non contingit; namque decretum illud est ex se, & ab intrinseco indifferens, neque per eum vult dare media, seu auxilia, nisi quatenus intrinsecè indifferentia, & inefficacia, & sic licet ea decernat adjuncta scientia media, non tamèn ea decernit, ut regulatus scientia media, & hinc eam essentialiter non supponit, sed veluti concomitanter, & peraccidens adjungitur; quod patiter contingit, cum Deus decernit per providentiam generalem.

463 Tandem inquirò, quid aliud est Deum prædestinare per decretum ex se, & ab intrinseco inefficax, seu indifferens, regulatum tamèn scientia media de congruitate auxiliorum quam Deum ordinate prædestinatum ad salutem, sicut & quemlibet alium, sciendo tamèn de prædestinato, quod non deficit à salute? Namque juxta dicta non aliud addit prædestinationis supra providentiam generalem, nisi scientiam de congruitate auxiliorum, quæ non est alia præter Deum videre, quod si conferantur talia auxilia, prædestinatus non deficit à salute. At sic constituta prædestinatione, non differt à providentia generali, neque prædestinatus à non prædestinato ex parte ordinis, & causalitatis, sed tantum ex parte præscientie eventus: ergo adhuc illa scientia præunte, seu Deo regulato per eam, prædestinatione non est certa, & infallibilis certitudine, & infallibilitate ordinis, & causalitatis. Minor in qua potest esse difficultas est expressa Div. Thom. loco citato in dimidio corporis, in quo potest relata sic subjungit: *Non enim potest dici, quod prædestinationis supra certitudinem providentie nihil aliud addit, nisi certitudinem præscientie, ut si dicatur, quod Deus ordinat prædestinationem ad salutem, sicut & quemlibet alterum; sed hoc de prædestinato scit, quod non deficit à sa-*

*lute. Sic enim dicendo, non diceretur prædestinatus differre a non prædestinato ex parte ordinis, sed tantum ex parte præscientie eventus; & sic præscientia effet causa prædestinationis, neque prædestinationis effet per electionem prædestinantis, quod est contra authoritatem scripturae, & dicta Sanctorum. Unde præter certitudinem præscientie, ipse ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem. Hæc ibi opposita contradictoriè doctrinæ relate adversariorum.*

464 Et præterea arguitur: nam si decretum illud ex se non est prædestinatum, ex consortio tamèn scientie mediae prædestinatum constituitur: ergo scientia media est causa prædestinationis, neque prædestination fit per electionem prædestinantis. Ulterius Div. Thom. expressè docet, quod præter certitudinem præscientie, ipse ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem: ergo supponit, quod ordo prædestinationis est infallibilis, & certus certitudine distincta à certitudine præscientie; at hæc certudo distincta præcipi non potest, si ordo prædestinationis, qua parte includit decretum, non sit ex se certus, & infallibilis, sed tota certudo, & infallibilitas ei conveniat ex scientia media: ergo,

465 Sed respond. P. Rivadeneyra cap. 2: sequenti n. 6. sententia D. Thom. non esse dari determinationem ad meritum ex parte causarum, quæ precedunt ad meritum; sed sensus est in divina prædestinatione, prout defacto datur, ex benevolentia speciali Dei, dari certitudinem non solum ex præscientia, sed etiam ex parte modi causandi, & decernendi media efficacia ad meritum, & salutem, quod liberter faretur, quia defacto non solum decernit prædestinatis media, quæ sunt efficacia ad gloriam, & salutem, sed formalissimè, quia sic efficacia. Qui modus decernendi, & causandi media importat infallibilitatem meriti exercendi, & salutis obtinendæ: ita iste Doctor.

466 Sed mihi obscurissimè, & in primis sententia D. Tho. esse, dari determinationem ex parte causarum, liquidò constat, ex quo concludit prædestinationem esse certam; nedum certitudine præscientie, sed etiam causalitatis; certitudo autem causalitatis, ait D. Thom. est ordinem causæ ad effectum esse certum; est autem certus, ait etiam D. Thom. cum infallibilitate infert effectum; non est autem major determinatio causæ ad effectum, quam cum eo infallibilitate connecti: iuncte ergo Div. Thom. in negotio prædestinationis dari determinationem ex parte causarum, quæ precedunt ad meritum. Deinde ipse faretur, & veris-

fimè , prædestinationem procedere ex speciali benevolentia Dei ; quomodo autem ex speciali benevolentia Dei , si decernat decreto non determinato ad salutem , vel meritum , sed indifferenti , quod proinde commune est reprobis , & prædestinatis , pertinensque ad providentiam generalem?

467 Dicere autem , quod procedit ex speciali benevolentia Dei ex modo causandi , & decernendi media efficacia , ut efficacia , est dicere , quod procedit ex speciali benevolentia Dei , quatenus decernit media decreto ex inefficaci , & indifferenti , prævisa tamen efficacia per scientiam medium; unde jam totam efficaciam reducit in scientiam medium; nisi forte , ut diximus , præter decretum indifferens constituit in Deo decretum aliud prædefinitum mortiti , & salutis ex se ; & ab intrinseco efficax , supponensque essentialiter scientiam medium ; tunc enim solum verificatur , quod decernit prædestinatis media , quæ sunt efficacia , quatenus formalissime efficacia : igitur tunc solum decernit auxilia regulatus scientia media , aliter solum illa decernit ea concomitantia ad juncta , seu in consortio illius , unde tamen decernat media , quæ prævidet efficacia , sed non ut efficacia .

468 Nancjam R.R. Thysus , tom. i. disp. 20. sect. 2. n. 10. respond. D. Thom. loqui de præscientia absoluta , solumque intendere non posse prædestinatum à non prædestinato penes illam præcisè differre , quasi Deus in signo decreti conferens auxilia , quibus obtinetur salus non penetrer eorum efficaciam , sed ex parte debuerit eventum in se , ut per decretum supponens merita jam absolute existentia , hos potius , quam illos efficaciter ordinaverit in salutem : ista iste Doctor .

469 Sed hec etiam interpretatio extorti omniò videtur , illa enī in verba D. Thom. Usū dicatur , quod Deus ordinat prædestinatum ad salutem , sicut & quemlibet alium , sed cum hoc de prædestinato sit , quod non deficiet à salute : clare denotant D. Thom. loqui de scientia in signo decreti ordinativi , seu prædestinativi . Solumque intendit , quod si prædestinatio supra providentiam generalem solum superaddit hanc scientiam , non differat prædestinatus à non prædestinato , nisi ex parte illius , non ex parte ordinis .

470 Deinde D. Thom. loquitur de providentia , qua Deus ordinat prædestinatum ad salutem , sicut & quemlibet alium ; adjuncta tamen scientia de efficacia auxiliorum : quippe hoc est simile de prædestinato scire , quod non deficiet à salute : loquitur ergo de scientia , qua

pro signo decreti ordinativi penetrat efficacia auxiliorum : non ergo loquitur de scientia supponente merita ab solute existentia , quasi antecedenter efficaciam auxiliorum non penetrer , sed veluti expectet eventum in se , ut per decretum hos potius , quam illos ordinet ad salutem .

471 Tandem Div. Thom. loquitur de præscientia , quæ est prædestinatio , ut patet ex primis verbis : namque prædestinatio est præscientia , & præparatio , &c. At præscientia , quæ est prædestinatio , est præscientia pro signo decreti , & juxta ipsum est sola scientia media , & non scientia aliqua absoluta : de hac ergo loquitur D. Thom. cum ait , quod si Deus ordinet prædestinatum ad salutem , sicut & quemlibet alium , sciendo tamen , quod prædestinus non deficiet à salute , solum differret prædestinatus à non prædestinato ex parte præscientia , non ex parte ordinis . Vel dicatur , quod D. Thom. loquitur solum de illa scientia , quæ adjungitur decreto ordinativo , quelibet illa sit ; si enim semel solum ex parte illius stat certitudo , & non ex parte decreti , prædestinatio erit certa ea parte , qua includit præscientiam , non ea parte , qua includit decretum ; & sic erit certa solum certitudine præscientia , non vero ordinis , & causalitatis .

472 Sed ex dictis subinfert iste Doctor Deum verè , & propriè præfinire efficaciter nostra opera libera , & consequenter verè , & propriè præfinire efficaciter perseverantiam finalem , sive id præster per decretum ex se , & ab intrinseco efficax , atque essentialiter supponens scientiam medium , sive id præstet per ipsum decretum collatum auxiliij congruū regulatum per scientiam medium de congruitate auxiliij . Hoc enī decretum ex se est conditionatè efficax , nimur sub conditione , quod ante ipsum præcedat scientia de congruitate auxiliij ; undē posita illa scientia , redditur absolute efficax ; & Deus conferens auxilium congruum ad perseverandum , verè , & propriè vult efficaciter , ut homo perseveret finaliter , sicut verè , & propriè movet efficaciter ad illam perseverantiam . Deus autem efficaciter præfiniens perseverantiam finalem , hoc ipso efficaciter ordinat hominem illum ad salutem eternam ante præscientiam absolutam meritorum ; ac proinde prædestinatus differt à non prædestinato ex parte ordinis . Hæc sic subjuncta , & illata .

473 Quæ omnia ex dictis impugnata manent ; & præterea relicto decreto ex se , & ab intrinseco efficaci essentialiter supponenti scientiam medium , de quo statim ; per de-

cretum collativum auxilij Deum verè, & propriè non præfinire opera nostra libera, tam conspicuum est, sicut & quod tale decretum est ex se, & ab intrinseco inefficax, namque hoc supposito, tota illius efficacia est ab extrinseco ex scientia media; efficacia ab extrinseco sicut non est simpliciter talis, neque est verè, & propriè talis: Immo jam esset verè, & propriè efficax, & verè, & propriè inefficax: efficax verè, & propriè, ut supponitur, & verè, & propriè inefficax, quia ex se, & ab intrinseco inefficax, adhuc ut regulatum scientia media; quæ tamen de eodem secundum idem additum verificari non possunt, ut potè privative opposita.

474 Deinde: cum voluntas sit primum movens quoad exercitium, efficacia verè, & propriè talis est, quæ ortum habet à voluntate decernentis; efficacia autem illa non ortum habet à voluntate Dei decernentis, aliter illud decretum, quatenus à divina voluntate esset efficax, & determinatum, proindeque non ab extrinseco, sed ab intrinseco: Immo esset decretum illud prædefinitivum supponens essentialiter scientiam medium, quod magis communiter defendit Schola Societ. Solùm ergò decretum illud collativum auxilij condiscimus ab altero prædefinitivo efficaci, est efficax denominativè extrinsecè ex scientia de efficacia auxilij; vel, ut melius dicam, ex efficacia voluntatis creatæ conditionatè prævila; ipsa enim scientia media ex se nullam efficaciam præstat divino decreto, ut potè pure speculativa, ut diximus, neque ab ea Deus movetur, ut potius hos, quam illos ordinet ad salutem, ut etiam ille Doctor fatetur.

475 Præterea dato, quod Deus per illud decretum collativum auxilij præfiniat verè, & propriè efficaciter opera nostra libera, sive efficaciter ordinet hominem ad salutem; si tamen efficacia illa non est ab intrinseco, adhuc non verificari prædestinatum differre à non prædestinato ex parte ordinis, convincitur ex verbis D. Thom. namque loquitur de decretó ex se, & ab intrinseco inefficaci, adjuncta tamen scientia de congruitate auxilij: ergò si per hanc decretum illud constituitur verè, & propriè efficax, loquitur de illo decreto jam ab intrinseco constituto efficaci verè, & proprie; & tamen adhuc juxta D. Thom. prædestinatus pon differt à non prædestinato ex parte ordinis: ergo. Ac tandem si juxta hunc Authorem decretum collativum auxilij est ex se conditionate efficax, nempe, sub conditione, quod ante ipsum præcedat scientia media de congruitate auxilij, unde posita illa scientia red-

ditur absolute efficax: ergò posita illa scientia redditur absolute efficax ex se, si semel antea erat ex se conditionate efficax, & consequenter non ex scientia media, licet dependet ab illa.

476 Propter hęc, & alia alij AA. convicti sunt præter decretum collativum auxilij ab intrinseco inefficax, & indeterminatum, quod & exequutivum vocant, aliud decretum in Deo constituere, quod vocant prædefinitivum, seu intentivum ab intrinseco determinatum, & efficax, supponens tamen essentialiter scientiam medium, qua parte inquiunt, libertatem non laudit. Hoc enim decreto prævisis auxilijs congruis ad obtainendam salutem in statu conditionato, Deus vult determinate, & efficaciter ex sua misericordia ea conferre potius istis, quam illis; immo & salutem ipsam prætendit, & prædefines; namque, ut dicunt, qui habet aptum medium ad finem, potest intendere finem efficaciter ante positionem medij. Quo decreto posito, ajunt, decretum prædestinatum infallibiliter ex se, quamvis dependenter à scientia media, inferre, & auxilia congrua ad salutem, & salutem ipsam; consequenterque prædestinationem esse certam, nedum certitudine præscientiae, sed etiam ordinis, & causalitatis.

477 Sed hoc decretum prædefinitivum, seu intentivum non componi cum decreto collativo auxilij, seu exequutivo consensus ex se, & ab intrinseco inefficaci, & indiffereti probavimus resol. 1. fundam. 4. & 5. contra P. Herrera, & alios. Deinde hoc decretum pariter laudare libertatem docuimus resol. 2. fund. 10. & sequent. Nūnc verò aliter impugnatur, & primò ad hominem: namque ad salutem obtinendam non minus requiritur decretum exequutivum, quam intentivum; neque enim intentivum influit immediatè in meritum, sed mediante exequutivo; immo hoc principalius, ut potè physicè, & in genere causæ efficientis, cum tamen intentivum influat solùm intentionaliter, & in genere causæ finalis: Si ergò semel est verum, quod solùm decretum ex se, & ab intrinseco efficax infert infallibilitè effectum, & ob hanc rationem, ut prædestinatio sit certa, & infallibilis certitudine ordinis, & causalitatis, congitur in Deo constituere decretum illud prædefinitivum, seu intentivum ex se, & ab intrinseco efficax, à fortiori videntur teneri in Deo etiam constituere decretum exequutivum ex se, & ab intrinseco efficax.

478 Et quidem in intelligibile appetet decretum intentivum infallibiliter inferre effectum, si illud inferre non potest nisi medio decreto exequutivo, quod ex se, & ab intrin-

seco potest carere effectu prædefinito, sù præ-intento; sicut neque causa mediata, & remota potest infallibiliter cum effectu connecti, si causa immediata cum eo infallibiliter non connectitur. Hinc Sol, quamvis causa ex se necessaria, non infallibiliter connectitur cum effectu, quem causat media causa contingenti. Cujus etiam potest apponi exemplum in intellectu, & voluntate respectu amoris, cuius mediata causa est intellectus, voluntas vero immediata ponatur ergo intellectum influere in amorem medio iuditio necessario, voluntas tunc non potest non amare necessario, ut ipsi adversarij sententur de amore beatifico. Vel si ponatur voluntatem non necessario, sed liberè amare, à posteriori colligatur iuditium de amore esse liberum, & non necessarium. Immò stando proprijs terminis in sententia probabiliori, si ponatur ex parte intellectus iuditium efficax de amore, voluntas etiam efficaciter amat, ita ut in sensu composito illius non possit non amare, licet adhuc tunc non necessario, sed liberè amet, & hujus ratio adæquata est: quia intellectus non influere in amorem, nisi mediante voluntate; & sic vel voluntas necessario, & efficaciter amat, vel iuditium non est necessarium, & efficax.

479 Immò in adversariorum doctrina, quia Deus sic intendit, sicut & sequitur, inferunt contra Thomistas, quod sicut Deus in exequitione confert gloriam post merita prævisa, sic intentio conferendi gloriam est post merita prævisa: ergo pariter ad hominem si Deus intendit salutem conferre decreto ex se, & ab intrinseco efficaci, pariter, & in exequitione confert salutem decreto ex se, & ab intrinseco efficaci: vel è contra, si salutem in exequitione confert decreto ex se, & ab intrinseco indifferenti, pariter & eam intendit confere decreto ex se, & ab intrinseco indifferenti, aliter non sic Deus intendit, sicut exequitur.

480 Deinde est contra prædictum decreto, quod illud in Deo constituant, ut cum rigore, & proprietate verificantur loca scripturar, & Sanct. Patrum, in quibus habetur voluntatem creatam non posse resistere voluntati divina, ut videre est in P. Herrera de prædicto. q. 10. sect. 4. tunc ergo inquiero, vel posito illo decreto prædefinitivo salutis, simùl cum indifferenti collativo auxiliorum, auxilijsque ipsius ex se, & ab intrinseco indifferentibus, sù inefficacibus, potest voluntas creata resistere voluntati divina, non consentiendo, vel non potest? Si non potest: ergo decretum collatum auxiliorum, ipsaque auxilia non sunt ab

intrinseco inefficacia, & indifferentia; quippe tam decreto, quam auxilio ex se, & ab intrinseco indifferenti resistere potest voluntas creata; immò propter hoc ponantur inefficacia, ut voluntas creata non cogatur eis consentire, & sic non necessario, sed liberè consentiet. Si autem potest resistere voluntati divina: ergo non præcedit ex parte Dei decretum aliquod prædefinitivum salutis ex se, & ab intrinseco efficax, nam cum hoc infallibiliter connectatur cum salute, eam infallibiliter infert, & consequenter in sensu composito illius voluntas creata dissentire non potest.

481 Dices cum P. Herrera loco cit. rectè cohērere voluntatem creatam posse resistere voluntati divina exequitivæ; licet non intentivæ; & sic rectè cohēret illud duplex decretum ex parte Dei, alterum intentivum ex se efficax de salute, & alterum exequitivum ex se inefficax de eadem. Sed contra est: namque, ut diximus, decretum intentivum non influere in salutem nisi medio exequitivo: si ergo decreto exequitivo voluntas creata resistere potest, etiam poterit resistere decreto intentivo. Dices cum eodem ita esse, si decretum intentivum esset de salute, ut obtainenda ex ipsa determinatione divina; secùs vero si sit de salute, ut obtainenda solum ex determinatione humana. Sed contra est: nam indè sequitur decretum illud non influere determinativè in ipsam salutem, & consequenter, neque prædefinitivè: prædefinire namque ex terminis prorsus est idem, ac determinare: posito ergo illo decreto prædefinitivo, dicendum est esse de salute, ut obtainenda nedum ex determinatione humana, sed etiam ex divina.

482 Dices ita esse loquendo de determinatione divina consequenti ipsam determinationem humanam: namque illud decretum prædefinitivum habet Deus regulatus scientia media de determinatione libera creature sub illis auxilijs in statu conditionato. Sed contra est: ergo decretum illud prædefinitivum non est antecedens determinationem creatam, & consequenter neque est antecedens consensum ipsum salutarem. Undè evidentè infertur neque influere per modum cause in illum; & consequenter neque ex infallibilitate ipsius inferri potest certitudo ordinis, & causalitatis respectu consensus, sù salutis.

483 Dices: quod est consequens determinationem creaturæ in statu conditionato, est tamen antecedens in statu absoluto, & sic in hoc statu influere in consensum, sù salutem infallibiliter per modum causa. Sed tunc urget argumentum à principio: Ergo cum influat

nendum effectivè, sed etiam determinativè, jam decretum illud prædefinitivum est de salute, ut obtainenda in statu absoluto nendum ex determinatione humana, verum & Divina.

484 Immò si semel decretum illud prædefinitivum in statu absoluto influit determinativè ut causa: Ergò ut sic influens conditionatè ingreditur objectum scientiæ mediæ, namque juxta commune principium, quod ut appertum fatetur Pater Herrera, ut patet ex dictis, eadem principia, qua in statu absoluto requiruntur ad existentiam absolutam effectus, importari debent conditionatè in futuro conditionato, quod est objectum scientiæ mediæ: Si autem seim conditionatè ingreditur objectum scientiæ mediæ: Ergò neque in statu conditionato prævidet Deus salutem obtainendam ex sola determinatione creaturæ, sed etiam ex Divina determinatione. Immò cum objectum scientiæ mediæ eam pro priori procedat, utpote supponens suum objectum, & non illud causans, namque est purè speculativa, & non practica, jam decretum illud non ingreditur objectum scientiæ mediæ, ut per eam regulatum, sed ab ea præscindit; & consequenter neque in statu absoluto, utpote decretum est idem, sola distinctione penes si Deus haberet illud, vel penes illud habere defacto.

485 Dices cum Patre Herrera de prædestin. quæst. 2. sect. 4. quod etiam in futuro conditionato, quod est objectum scientiæ mediæ, ingreditur ipsa scientia media conditionatè, & sic adhuc decretum illud prædefinitivum, sicut ingreditur conditionatè objectum scientiæ mediæ, ingreditur etiam ut regulatum ipsa scientia media, licet non absolute, sed conditionatè. Sed contra hanc evasionem latè diximus, resolut. 1. fundam. 6.

486 Si autem dicatur: decretum illud prædefinitivum salutis ingredi objectum scientiæ mediæ non ex parte conditionis, sed ex parte conditionati, nempe, consensus, seu salutis; & ex parte conditionis solum ingredi decretum indifferens, ipsaque auxilia per eum collata, quia ut ait Pater Riva de Neira disp. 17. num. 28. & disp. 10. num. 13. in objecto conditionato nequit numerari ex parte conditionis aliquid inferens eventum infallibilitè, quia eo ipso implicat objectum illud esse contingens: Urget tunc argumentum juxta substantiam materiam, quod jam ex parte conditionis non est ordo aliquis conditionatus ad effectum certus certitudine ordinis, & causalitatis, quippe iste ordo solum potest considerari in statu conditionato ex parte conditionis ad conditionatum ipsum. Quod si in statu condi-

tionato non consideratur ordo ille sic certus, & infallibilis, neque potest intervenire in statu absoluto; aliter certitudo ordinis, & causalitatis prædestinationis in statu absoluto non importaretur conditionatè in statu conditionato. Plura alia possunt contra prædictum decretum objici, sed ne eadem repetamus, lectorum remittimus ad loca in principio citata.

### RESOLUTIO III.

*In qua concordatur libertas creata cum efficacia intrinseca divini decreti.*

487 **D** Ivis Thomas juxta loca præallegata resolut. præcedent. fundam. 5. perpetuus est in uno modo conciliandi libertatem creatam cum efficacia divini decreti: nempe, quod Deus decernit, providet, prædefines, prædeterminat nostram voluntatem juxta ipsius proprium modum, propriamque conditionem, seu inclinationem: Tum quia cum aliquid movertur ab eo, à quo habet propriam inclinationem, movetur secundum propriam inclinationem, qua ratione gravia moventur à generante deorsum, & levia sursum: Cum igitur Deus det voluntati propriam ipsius liberam inclinationem, ab eo nequit non juxta illam moveri. Ita infra quæst. 105. art. 4. & alijs in locis.

488 Tum quia ad providentiam divinam non pertinet naturas rerum corrumpere, sed conservare; optimum enim in gubernatore quolibet est, ut rebus gubernatis secundum modum suum provideat, namque in hoc justitia regiminis consistit. Unde sicut esset contrarationem humani regiminis, si impediretur à gubernatore civitatis homines agere secundum sua officia: Ita esset contra rationem divini regiminis non sinere creature agere secundum proprium modum sua naturæ. Ita 1. 2. quæst. 10. art. 4. & 3. contr. Gent. cap. 71. & alijs in locis.

489 Tum etiam, quia divina voluntas efficacissima est, unde habet, quod non possit impediri ex defectu causæ inferioris; quod enim Pater volens, & intendens sibi assimilari filium, nendum quoad substantiam, seu species, sed etiam quoadmodum, seu accidentia, non sic eum sibi assimilet, est quia ejus voluntas impediri potest ex debilitate virtutis activæ in semine, quo modo etiam virtus Solis impeditur per defectum plantæ. Cum ergo voluntas divina efficacissima sit, neque possit ejus virtus ex defectu alterius cause inferioris imper-

impedit, sequitur non solum, quod infallibiliter fiant ea, quæ efficaciter vult fieri, quod est veluti ei assimilari secundum speciem, & substantiam, verum & fieri eo modo, quo ea fieri vult, quod est quasi ei assimilari quoad modum, & accidentia. Deus autem propter completementum universi vult aliqua fieri necessario, alia vero contingenter, & liberè, & sic ea, quæ vult fieri necessario, infallibiliter fient necessariis; quæ vero vult fieri contingentē, & liberè, infallibiliter fient contingenter, & liberē. Et ut sic fiant Deus aliquibus effectibus, scilicet eis, quos vult fieri necessario, aptavit causas necessarias, & alijs quos vult fieri contingenter, & liberè, aptavit causas contingentes, & liberas, nempè, ut non aliter, sed eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Hinc voluntate Dei nedum res in esse producuntur, sed etiam rebus producendis modum, quo producuntur, prædeterminat. Quia ratione sub ordine divina providentia non solum cadit hunc effectum esse, sed hunc effectum esse contingenter, & liberè, aliud autem necessario. Ita D. Thom. communiter, & præcipue in praesenti art. 8. & quest. 23. de verit. art. 5. & 1. ad Anibaldum, disp. 47. q. vnic. art. 4. & 2. cont. Gent. cap. 94.

490 Ac tandem generali ratione: quia voluntas creata secundum proprium sui modum, & conditionem subordinatur Deo, & ab eo dependet; unde ad Deum comparatur ut causa secunda ad primam, ut liberum secundum ad primum, ut secundum movens, & determinans. Ita Div. Thom. ferè omnibus locis supra citatis.

491 Vnde infert Div. Thom. quod quia modus proprius causæ libertè est agere, non ut virtus determinata ad unum, sed ut indifferenter se habens ad plura, consequenter Deus decernit, prouidet, prædefinit, & prædeterminat causam creatam liberam, nempè, voluntatem nostram secundum modum hujus indeterminationis, & indifferentiæ. Unde voluntas nostra adhuc efficaciter à Deo prædefinita, & præmota operatur ut virtus non determinata ad unum, sed indifferenter se habens ad plura, proindeque operatur unum ex extremis cum potentia ad oppositum, nempè, consensum cum potentia ad dissensum.

492 Vnde tandem infert D. Thom. quod licet voluntas à Deo efficaciter prædeterminata ad consensum non possit non consentire, sed non necessario, sed liberè, ita ut illa necessitas sit necessitas infallibiliter, non coactionis, vel libertati opposita, ut potè infallibiliter consentit cum potentia ad oppositum, sicut & ut indeterminatè, & indifferenter se habens ad utrumque.

493 Nunc vero est difficultas, quomodo hæc potentia ad dissensum cohæreat cum illa infallibilitate ad consensum; namque infallibiliter consentire, ex terminis est ita consentire, ut non possit dissentire. Immò hæc est nostra doctrina; & sententia, quod voluntas non potest elicere consensum non prædeterminata ad consensum, neque potest elicere dissensum non prædeterminata ad dissensum: Cum ergo voluntas prædeterminata est ad consensum, & non ad dissensum, poterit quidem consentire, secus vero dissentire. Hoc pondus difficultatis in praesenti, cui succumbunt Authores Societas, ut à D. Thom. in re tam gravi discedant.

494 Pro hujus intelligentia Thomistæ duplarem potentiam distinguunt, aliam in sensu composito, quod alijs terminis dicitur potentia consequens, & alijs terminis potentia ex suppositione: aliam in sensu diviso, quæ alijs terminis dicitur potentia antecedens, & alijs terminis potentia simpliciter talis. Potentia in sensu composito est nedum potentia ad dissensum, sed ad dissensum, ut componendum, seu conjungendum cum prædeterminatione voluntatis ad consensum. Et hec conciliari non potest cum illa infallibilitate ad consensum; si enim voluntas efficaciter præmota ad consensum, infallibiliter consentit; & cum consensu inconjugabilis est dissensus, implicat voluntatem efficaciter præmotam ad consensum posse simus cum ea præmotione conjungere dissensum. Potentia vero in sensu diviso est potentia ad dissensum, non ut sic conjungendum cum præmotione ad consensum, sed ad dissensum divisim, & separatim ab illa præmotione; ita ut licet cum præmotione efficaci ad consensum possit voluntas ad dissensum, sed non ad dissensum sub præmotione ad consensum, sed sub carentia illius, & præmotione ad dissensum, ita ut solum potentia ad dissensum sit componibilis cum præmotione ad consensum, secus verò ipse dissensum.

495 Hujus sunt plura exempla: namque creature possibles in eo statu habent potentiam ad existendum, sed non ad existendum pro eo statu, sicut neque existentia cum eo statu conjugabilis est. Pariter est exemplum summulisti cum de termino, qui extra propositionem componere potest propositionem, cum extra propositionem sit terminus saltē enuntiativus, qui essentialiter compositivus est, sed non pro eo statu: nam actualis compositione termino non potest extra propositionem convenire. Est etiam exemplum vulgare de eo, qui dum sedet, habet potentiam ad standum, sed non ad standum, dum sedet, seu pro statu

statu sessionis, quia stantia cum sessione inconjugibilis est. Ac tandem est exemplum in adversiorum sententia: namque voluntas à se determinata ad consensum, potentiam habet ad dissensum, sed non ad dissensum pro statu determinationis ad consensum. Et pariter cum scientia media de consensu potestatem habet ad dissensum, sed non ad dissensum cum scientia media de consensu, quia esset posse illam falsificare: Stat ergo potentia ad actum in aliquo statu, cum quo inconjugibilis est actus: Non ergo ex quo actus sit inconjugibilis cum aliquo statu, inferre licet cum eo statu conjugibilem non esse potentiam ad illum actum. Ac proinde ex quo cum præmotione efficaci voluntatis ad consensum inconjugibilis sit dissensus, non indè infertur inconjugibilem esse potentiam ad dissensum. Propterea que talis potentia dicitur in sensu diviso, quia est potentia ad dissensum, non ut componendum cum præmotione ad consensum, sed seorsim, & divisim ab illa, nempe, dependenter ab alia præmotione, & carentia prædeterminationis ad consensum.

496 Cujus ratio à priori est: quod per reductionem, & applicationem potentia ad actum, licet destruatur potentialitas in ordine ad actum, secus tamen potentia; ignis enim actu comburens potens est comburere, licet non sit in potentia ad combustionem: Cum ergo potentia est essentialiter indifferens ad plura, licet per reductionem ad unum destruatur potentialitas in ordine ad illud, secus tamen potentia; unde cum hæc sit indifferens, semper remanet potentia ad utrumque, licet non ad utramque simul producendum, sed producendum seorsim, & divisim. Propterea que hæc potentia ad dissensum, dum voluntas est præmota, & prædefinita ad consensum, dicitur potentia antecedens, & simpliciter talis: quia nempe est ipsa potentia secundum se, & essentialiter sumpta, quæ nimirum prævenit ipsam prædeterminationem actualē, sive ad consensum, sive ad dissensum, licet utramque includat ut possibilem, quatenus nata est, & petit ad utrumque determinari, & præmoveri. Hinc distingue inter indifferentiam essentialē voluntatis, & indifferentiam illius accidentalem; cum enim voluntas determinatur ad consensum, sive à se, sive à Deo, hæc determinatio tollit indifferentiam accidentalem, quæ dicitur indifferentia suspensionis, secus verò essentialē; unde adhuc tunc est verū, quod contentit ut potentia essentialiter indifferens, & essentialiter indeterminata ad consensum, & dissensum.

497 Quod etiam potest explicari ex quo, sicut in sententia contrariorum voluntas ex se, & ab intrinseco est indifferens, ut à se determinetur ad consensum, vel dissensum; sic in nostra sententia non solum sic est indifferens, sed etiam ut præmoveatur à Deo, sive ad consensum, sive ad dissensum: sicut ergo per hoc, quod voluntas se determinet ad consensum, non amittit potentiam, ut se determinet ad dissensum, quia simili cum illa determinatione non possit se determinare ad dissensum, secus tamen seorsim ab illa: sic in nostra sententia per hoc, quod voluntas à Deo præmoveatur ad consensum, non amittit potentiam, ut ab eo præmoveatur ad dissensum, quia licet simili cum divina præmotione ad consensum non possit præmoveri ad dissensum, secus tamen seorsim, & divisim ab illa. Juxta hunc ergo sensum, quo cum actuali præmotione ad consensum componitur potentia, ut præmoveatur ad dissensum, componitur etiam potentia, ut eliciat dissensum seorsim ab illa præmotione.

498 Hinc maxime est notandum, ne scholares allucinentur, quod cum nos dicimus potentiam sine prædeterminatione ad dissensum non posse dissentire, ly sine prædeterminatione ad dissensum, non appellat suprà verbum posse, sed suprà verbum dissentire; potentia enim ad dissensum, sine actuali prædeterminatione ad dissensum salvatur, namque prædeterminatione non dat posse, sed supponit; secus tamen actualiter dissentire. Quod patet ex exemplis allatis, cum enim dicitur terminus sine copula potest componere propositionem, est verū, si ly sine copula appellat suprà verbum potest: Namque potentia ad componendam non eget copula; secus tamen est, si appellat suprà verbum componere, namque compositio propositionis fieri non potest sine copula. Et pariter in omnium sententia voluntas sine determinatione ad consensum potest consentire, si ly sine determinatione appellat suprà verbum potest, secus tamen si appellat suprà verbum consentire. Cujus etiam est aptum exemplum in materia de prædestinatione, ubi admittitur hæc propositio: *Deus vult conferre gloriam propter merita*, quia tunc ly propter appellat suprà verbum conferre, & facit sensum, quod Deus in executione non dat gloriam, nisi prævisis meritis, & dependenter ab illis, quod ita est in omnium sententia, secus tamen hæc: *Deus propter merita vult conferre gloriam*, quia tunc ly propter merita appellat suprà verbum vult, & facit sensum, quod Deus ex prævisione meritorum, & non ex sua misericordia

ricordia movetur ad conferendam gloriam, quod Thomistæ negant: In eodem ergo sensu dicimus, quod voluntas non potest dissentire sine prædeterminatione ad dissensum, nempè ly, *sine prædeterminatione* appellante supra verbum *dissentire*, secus tamen suprà verbum *poteſt*. Unde licet verum sit, quod sine prædeterminatione ad dissensum voluntas potest ad dissensum, sed non ad dissensum, ut ponendum in exercitio *sine prædeterminatione* ad ipsum, sed dependenter ab illa; unde hæc necessariò importatur objective, seu ex parte termini, qui est dissensus, licet non subjective, & ex parte potentie, seu voluntatis.

499 Quod ut adversarij percipient, si percipere volunt, recordentur doctrinæ ipsis satis communis, quam retulimus ex Patre Riva de Neyra, & ex R.R. Thyrso, resoluti. fundam. 6. nempè, quod si in conditionato, quod est objectum scientie mediae ex parte conditionis importetur concursus Dei simulantaneus, scù concomitantis, prædictum objectum efficitur necessarium, & definit eis: liberum, & contingens, utpote concursus jam determinatus per consensum, & cum eo identificatus inferat infallibiliter ipsum consensum, convicti, inquam, dicunt, quod & si concursus concomitantis requisitum necessariò simpliciter sit, ut voluntas creata consentiat, non tamen ut possum ex parte conditionis, quæ salvatur cum omnibus requisitis ad libertatem in actu primo; sed ut possum ex parte conditionati, seu eventus, nempè consensus, qui sine concursu Dei concomitanti salvari non potest. Ecce clarissimum exemplum nostræ doctrinæ, sicut enim ibi salvant creaturam habere omnia requisiuta ex parte actus primi cum concurso indifferenti ad consensum, & nihilominus assertant talen potentiam esse ad consentium non independenter, sed dependenter à concursu Dei concomitantis, ita ut hæc dependentia necessariò importetur ex parte termini, scù conditionati, qui est consensus, quia ille sine concursu Dei concomitantis existere non potest; ita & nos dicimus sine actuali prædeterminatione ad dissensum, scù hac actualiter non importata ex parte potentie salvari potentiam ad dissensum, sed non ad dissensum independenter à Dei prædeterminatione ad ipsum, ita ut hæc dependentia importetur necessariò ex parte termini, qui est dissensus, quia ille sine concursu Dei prævio existere non potest, sicut in adversariorum sententia existere non potest sine concursu Dei concomitantis. Unde sicut ipsi sine concursu Dei concomitantis salvant integrè potentiam ad consensum, sed non ad

consensum sine concursu Dei concomitanti, ita nos sine actuali prædeterminatione ad dissensum integrè salvamus potentiam ad dissensum, sed non ad dissensum sine actuali prædeterminatione.

500 Hinc detegitur deceptio adversariorum, qui existimant nos per posse dissentire in sensu composito idem intelligere, ac posse dum adeſt præmotio efficax ad consensum; & per posse dissentire in sensu diviso, idem ac posse cum talis præmotio abeat. Unde sequitur, quod cum voluntas est prædeterminata ad consensum non possit dissentire, licet ea prædeterminatione absente dissentire possit. Falluntur quidem: nam cum præmotione, seu prædeterminatione efficaci ad consensum admittimus, & conjungimus potentiam ad dissensum, sed non ad dissensum sub illa præmotione, sed sub altera, quæ eo ipso est carentia præmotionis ad consensum; hæc enim necessariò importatur ex parte termini, quia licet potentia ad dissensum sine illa salvetur, dissensus tamen sine illa salvari non potest.

*Objiciuntur primò, & solvuntur argumenta ex Primario Complutensi Herrera.*

501 **H**inc ferè omnia argumenta adversariorum soluta apparent, ut tamen eorum vocibus utamur, objicies primò ex Complutensi Herrera loc. citat. de prædestinat. prædictum decretum connexum cum consensu tollit potestatem ad dissensum: Ergò & libertatem ad consensum, si quidem libertas ad unum dicit potestatem ad utrumque. Anteced. probat. necessitas omnino, & simpliciter antecedens ad consensum est carentia potestatis antecedentis ad dissensum; sed hujusmodi decretum est necessitas omnino, & simpliciter antecedens ad consensum: Ergò est carentia potestatis antecedentis ad dissensum. Conseq. est legitima, & major videtur evidens: si quidem eo modo, quo unum contradictorium est necessarium, alterum non est possibile. Minor verò, nempè, hujusmodi decretum esse necessitatem consensus omnino, & simpliciter antecedentem, probatur; hoc decretum ita antecedit consensum, ut nullo modo sequatur consensum, quandoquidem nullo modo juxta Thomistas dicitur Deus dependenter ab opere decreto: Ergò hoc decretum ita antecedit consensum, ut nullo modo sequatur ipsum, neque ab ipso nullo modo dependeat.

502 Difficultas hujus argumenti sita est in

in illa majori, quam ait, videri evidentem, nempe, necessitas omnino, & simpliciter antecedens ad consensum, est carentia potestatis antecedentis ad dissensum; quam juxta dicta sic distinguo: si sit necessitas per modum actus primi, concedo: si sit necessitas per modum applicationis, & reductionis actus primi ad actum secundum, subdistinguo: si sit applicatio juxta proprium modum, & conditionem, scilicet naturam cause liberam, scilicet indifferenter se habentis ad plura, & opposita, nego: Si sit extra, vel contra proprium modum illius, transeat, & nego conseq. Itaque fatemur necessitatem decreti esse omnino, & simpliciter antecedentem consensum nostrae voluntatis, id est, ita antecedens, ut nullo modo sequatur ipsum; sed non per modum actus primi, qualis est necessitas coveniens cause determinatae ad unum, sed per modum applicationis, & reductionis de actu primo ad actum secundum; & cum alias sit applicatio, & premotio illius juxta proprium modum, & conditionem causa indifferentis, consequenter est necessitas non destruens, sed relinquens potentiam ad oppositum. Hinc ad probationem negamus necessitatem illam antecedentem consensum contradictoriè opponi potentiae antecedentis ad dissensum, cum illa necessitas non sit antecedens per modum actus primi, sed per modum applicationis actus primi ad secundum; potentia vero antecedens ad dissensum est antecedens per modum actus primi, quæ proinde cum altera componitur. Unde necessitas illa antecedens ad consensum solum opponitur potentiae consequenti ad dissensum, scilicet in sensu composito decreti de consensu; namque ex illa necessitate solum redditur dissensus inconjugibilis cum decreto de consensu, non vero absoluè impossibilis: nam ad hoc oppoteret decretum ita necessitare voluntatem ad consensum, quod neque in ea relinqueret potentiam, ut sub illius carentia, & alio decreto eum elicere posset, quod falsissimum est. Et maximè nota, quod cum dicimus necessitatem decreti, vel prædeterminationis esse simpliciter necessitatem antecedentem, non appellat ly simpliciter supra necessitatem, sed supra antecedentiam necessitas, namque simpliciter talis est necessitas solum per modum actus primi; necessitas tamen simpliciter antecedens est nondum per modum actus primi, sed etiam per modum applicationis actus primi ad secundum; namque, ut sic dicatur simpliciter, sufficit, quod ita antecedat consensum, quod nullo modo sequatur ad illum.

503. Sed dices: eadem facilitate posset

quis asserere Deum clarè visum non ita necessitare voluntatem ad amorem, quod ab ea tollat potentiam antecedentem ad oculum, quia nempe eam necessitat juxta proprium illius modum, scilicet, ut indifferenter te habentem ad opposita. Sed nego ita eam necessitare; namque voluntas èatenuis operatur ut indifferens ad opposita, quatenus operatur medio iudicio indifferenti, nempe, ex una parte alliente, & ex alia retrahente. Si autem non operatur voluntas in amore beatifico, quem solum praecedit visio Dei solum inclinans, immo necessitans ad Dei amorem, nullo modo retrahens propter infinitam bonitatem objecti. In nostro casu praecedit adhuc ex parte intellectus iuditum indifferens ad consensum, & dissensum; & sub hac indifferencia Deus eam prædefinit, & prædeterminat efficaciter ad consensum præ disensu, & sic adhuc est verum, quod tunc voluntas operatur ut potentia se habens ad opposita, & consequenter quod consentit cum potentia ad dissensum. Immò quia cognitio objecti constituit voluntatem proxime, & expedite potentem operari circa illud, visio beata necessitat per modum actus primi, non vero per modum applicationis illius, necessitas autem actus primi ad unum excludit potentiam antecedentem ad oppositum; secus vero necessitas applicationis juxta dicta.

504. Pater Herrera hanc solutionem non impugnat, sed eam, quæ asserit prædictam necessitatem ex divino decreto, scilicet præmotione derivatam se tenere ex parte actus secundi, proindeque non esse omnino, & simpliciter antecedentem consensum. Crediderim tamen Thomistas, cum sic loquuntur, non intendere prædictam necessitatem non antecedere omnino, & simpliciter consensum, cum asseverent prædictam necessitatem, ut præviam ad illum, sicut & decretum ipsum, divinamque præmotionem, cum qua illa necessitas identificatur. Cum ergo dicunt eam necessitatem se tenere ex parte actus secundi, non hoc intendunt, quod eum non praecedat, sed solum; quod non eum praecedat per modum actus primi, sed solum per modum applicationis actus primi ad secundum; quia enim præmotio non requirit propter actum primum, sed propter actum secundum, & alias eum infallibiliter insert, ideo quamvis mediet inter actum primum, & secundum, potius reducitur ad speciem actus secundi, quam primi: unde dicitur se tenere ex parte ipsius tanquam illius inchoatio.

505. Secundo objicit Pater Herrera: Petrus, existente hoc decreto, non potest ponere dissen-

dissentium in sensu composito hujus decreti, non in sensu diviso: Ergo nullo modo potest ponere dissensum. Probat. min. dividere dissentium ab eo decreto, est facere ne existat decretum; at Petrus nequit facere ne existat decretum de consensu: Ergo non potest dividere dissentium à decreto. Prob. maj. esse divisum dissentium à decreto, est existere dissentium sine decreto de consensu; sed dividere est facere, quod sit divisum: Ergo dividere dissentium ab eo decreto, est facere ne existat decretum existente dissentio.

506 Ad hoc argumentum respond. neg. min. ad ejus probationem distinguitur major: dividere dissentium à decreto, est facere ne existat decretum, secundum id, quod sensus divisus includit ex parte Dei, concedo: secundum id, quod includit ex parte Petri, nego, & concessa min. disting. conseq. eisdem terminis: Ergo non potest dividere dissentium à decreto, Petro faciente ne existat decretum, concedo: Deo faciente ne existat decretum, & Petro elicente dissentium supposita illa carentia, vel sub illa facta à Deo, nego. Nec in stat probatio majoris, nam esse divisum dissentium à decreto, non ex existere dissentium, sine decreto de consensu, carentia posita à creatura, sed à Deo; itaque ad creaturam, sive voluntatem creatam pericet elicere dissentium, decernere vero, sive prædeterminare ad dissentium solum pertinet ad Deum; proindeque ad creaturam non pertinet facere ne existat decretum Dei de consensu, ut eliciat dissentium; sed ad eam solum pertinet elicere dissentium supposita carentia decreti de consensu, & existente decreto de dissentiu ponendo à Deo. Et hoc est posse elicere dissentium in sensu diviso tanquam causa secunda primæ subordinata; unde argumentum solum convincit, quod Petro non potente facere ne existat decretum de consensu, non posse in sensu diviso elicere dissentium se solo, & ut causa prima, à Deo non dependens.

507 Quibus adde juxta ea, quæ diximus, fundam. 9. loquendo de decreto purificandi conditionem, sive conferendi auxilium, sub quo Deus prævidet creaturam consensuram; namque cum hoc fatentur adversarij creaturam liberè consentire, proindeque posse elicere dissentiu; non in sensu composito, ut potè decretum illud infallibiliter infert consensum: Ergo in sensu diviso; & tamen non per hoc, quod creatura possit facere ne existat illud decretum, quia ut ibi ostendimus ex doctorum Societas sententia, illud decretum, sicut & auxilium illud conferre non est in potestate creaturæ, sed solum Dei; nou ergo ut creatura pos-

sit cum decreto efficaciter consensu elicere dissentium in sensu diviso, opportet in ejus potestate esse facere ne existat decretum, vel auxilium de consensu, namque esset posse dissentium elicere in sensu diviso independenter à Deo, quod dicendum non est.

508 Aliter communiter respondent Thomistæ huic argumento; nempe, voluntatem posse dissentire in sensu diviso, non esse intelligendum de sensu diviso positivo, sed præcissivo, quod est idem, atque Petrum dum prædefinitur efficaciter ad consensum, habere virtutem veram; & realem ad ponendum dissentium secundum se, quod sufficit ad veram potestatem dissentendi: quia ad hanc sufficit habere quidquid requiritur ex parte principij, & virtutis, licet non habeat quidquid requiritur ex parte applicationis. Quæ solutio cum nostra coincidit, qua parte simili cum prædefinitione ad consensum ponit potentiam ad dissentium. Deficit tamen in eo, quod ex parte termini assignat dissentium præcissivè à decreto, sive prædefinitione Dei de ipso dissentiu, & pariter à carentia decreti, & prædefinitionis de consensu; namque ut in concordia libertatis cum efficacia divini decreti insinuavimus, licet cum decreto, & prædefinitione de consensu possit voluntas ad dissentium, sed non ad dissentium sub illo decreto, & prædefinitione, sed sub illius carentia, & decreto alio, sive prædefinitione ipsius dissentiu, ita ut hæc necessariò importetur ex parte termini, qui est dissentiu, licet non subjectivè ex parte voluntatis; potentia enim ad dissentium integrè salvatur sine prædefinitione de dissentiu, dissentiu tamen ipse hic, & nunc sine illa subsistere non potest, quod & ibi explicatur pluribus exemplis: Cum ergo dicitur voluntatem prædefinitionem efficaciter ad consensum posse dissentire in sensu diviso, debet intelligi nedum in sensu diviso præcissivo, id est, de dissentiu præscindente à decreto de dissentiu, & carentia decreti de consensu, sed in sensu positivo, nempe, de dissentiu sub decreto ipsius, & carentia alterius decreti de consensu.

509 Hinc quantum ad hoc rectè argumentantur adversarij: nempe, quod voluntas prædefinita, sive prædeterminata ad consensum, non potest elicere dissentium, nisi sub uno ex duobus contradictorijs, quæ sunt, vel prædeterminatio ad consensum, vel carentia prædeterminationis ad consensum. Sed quid ex hoc? Hoc secundum fateimur, sed non sub carentia ponenda à creatura, sed à Deo; sicut enim à Deo juxta sententiam Thomisticam dependet in decreto de dissentiu, sic ab eo dependet

dependet in caretia decreti de consensu: Unde non convincitur non posse elicere dissensum in sensu diviso, quando est præmota ad consensum, sed non posse elicere dissensum se sola, & sine dependentia à Deo.

510 Hoc pariter convincit aliud argumentum, quod communiter objiciunt adversarij: nempè, quod illud posse ad dissensum in sensu diviso, est posse ad dissensum, ut possibilem; est autem possibilis, in quantum est potens existere à parte rei; non autem potest à parte rei existere sine prædeterminatione: ergò potentia ad dissensum necessariò importat ex parte termini prædeterminationem ad ipsum, & consequenter carentiam prædeterminationis ad oppositum, ita ut aliter voluntas dissentire non possit. Ac tandem in omnium thomistarum sententia hæc propositio est vera: *Voluntas non potest consentire, vel dissentire non præmota efficaciter à Deo: vel ergo ly non præmota efficaciter à Deo appellat supra verbum potest, vel supra verbum consentire, vel dissentire?* Non supra verbum potest, quia ut omnes pariter docent, potentia salvatur fine actuali divina præmotione, utpote quia hæc non constituit potentiam, sed eam constitutam reducit, & applicat: ergò appellat supra verbum consentire, vel dissentire: verbum ergò dissentire, vel consentire præscindere non potest à prædeterminatione divina, & consequenter cum est premotio ad dissensum, præscindere non potest à carentia præmotionis ad consensum.

511 Tertiò objicit P. Herrera, & est replica contra præcedentem solutionem; nempè, quod ut Petrus possit ponere suam actionem in sensu diviso impedimenti A. non sufficit habere defactò potestatem per modum principij ad talē actionem, si illi desit potestas expediendi se ab illo impedimentoo, proindeque neque sufficere ad posse ponere dissensum in sensu diviso prædefinitionis, & prædeterminationis, habere Petrum defactò potestatem per modum principij ad dissensum, si desit Petro potestas expediendi se à prædefinitione consensus. Quod multipliciter intendit probare: primò, quia non est aliquis potens ponere actionem in sensu diviso extremi A. nisi sit absolute, & simpliciter loquendo potens ponere suam actionem; sed ut Petrus sit absolute, & simpliciter loquendo potens ponere suam actionem, non sufficit habere defactò potestatem per modum principij ad talē actionem, si illi desit potestas expediendi se ab illo impedimentoo: ergò. Conseq. est bona, & major certa, min. prob. vulgari exemplo, cui nunquam ab adversarijs factum est satis; Petrus vinculis carcere

M. Garraffo.

constrictus, quibus nequit se expedire, non est absolute potens audire Sacrum Templo celebratum, quamvis ad auditionem faci secundum se habeat totam potestatem requisitam per modum principij auditivi, non ob aliam rationem, nisi quia impeditur vinculis, à quibus non potest se expedire, quorum vinculum defectus non requiritur, ut principium auditionis, sed solum ut removens prohibens applicationem, & approximationem requisitam ad auditionem sacri exercendam: ergò non sufficit ad absolutam, & veram potestatem exercendi aliquam actionem dari potestatem in genere principij, nisi vel deficiant impedimenta, vel detur potestas expediendi se ab eis impedimentis.

512 Secundò: quia impedimentum ad aliquid à me inevitabile tollit mihi potestatem ad illud aliquid: ergò eo præcisè, quod phisica prædetermination ad consensum sit impedimentum dissensus, à quo non me possum expedire, tollit mihi potestatem ad dissensum. Anteced. explico hac propositione, qua mihi nihil clarus, & evidenter: qui patitur impedimentum ad aliquid opus, ita ut neque sit in sua manu illud impedimentum non habere, neque possit à se excutere, neque valeat exercere illam actionem simili cum illo impedimentoo, non potest absolute ponere illam actionem, neque illi imputabile est illam non ponere: ergò impedimentum ad aliquid mihi inevitabile, tollit mihi potestatem ad illud aliquid.

513 Tertiò: quia quando adest aliquid extreum non mihi contingens, nulla ratione à me dependens, non possum ponere aliquam actionem nisi insensu composito illius extremi, vel si non possum ponere in sensu composito, absolute non possum eam ponere actionem; sed existente prædefinitione, & prædeterminatione ad consensum adest aliquid extreum mihi non contingens, nullave ratione à me dependens: ergò non possum ponere illam meam actionem, nisi in sensu composito illius prædefinitionis, vel si non possum in sensu composito prædefinitionis ponere, absolute non potero ponere dissensum. Minor est certa, & conseq. bona, major probat. ab inductione ideo non possum ponere meam actionem, nisi in sensu composito Cœli, quia existit Cœlum non contingenter mihi. Ideo etiam non possum ponere meam actionem nisi insensu composito prædeterminationis Petri, quia tametsi prædeterminationis Petri consequatur libertatem divinam, non tamen meam, neque mihi est contingens, aut meo subjicitur dominio, & sic in reliquis alijs casibus: ergò dum adest extreum mihi non contingens, non possum me

Nr

exer-

exercere nisi insensu composito illius extremitati.

514 Quartò: quia ut voluntas sit potens ad dissensum modo sufficiens, ut absolute possit dici de illa posse ponere dissensum, non sufficit habere quidquid requiritur ad dissensum ex parte potestatis, & principij: ergò non tenet adversariorum solutio. Probo anteced. Beatus ex vi visionis beatifice amittit juxta adversarios potestatem peccandi; item humanitas Christi ex vi unionis hypotheticæ est impotens peccare: at neque humanitas Christi, neque Beatus amittunt potestatem, quæ requiritur ex parte principij ad peccandum: ergò posse absolute, & simpliciter peccare non est habere quidquid requiritur ex parte principij ad peccandum. Syllogismus rectus est, & major doctrina adversariorum, minor autem facile probatur: in Beato datur iuditium indifferens, quo cognoscit rationes alientes ad peccatum, & à peccato retrahentes; sed ad consensum, & dissensum nihil aliud requiritur ex parte principij: ergò in Beato datur quidquid requiritur ex parte principij ad peccatum. Idem argumentum sit respectu humanitatis Christi, siquidem in humanitate Christi præter scientiam beatam, dator etiam scientia infusa, & adquisita constituens in humanitate Christi iuditium indifferens circa peccatum.

515 Quintò: quia omissione efficaciter imperata non est in se libera, sed solum in imperio. Item actus imperatus efficaciter non habet immediatam libertatem in actu 2. sed solum mediatam ratione imperij, ut & ipsi thomistæ fatentur: tunc sic, si sufficeret ad veram, & realem potestatem ponendi actum insensu diviso in impedimenti ad illum, habere voluntatem quidquid requiritur ex parte principij, & virtutis immediatae ad ponendum actum, in casu imperij efficacis ad actum A. actus A. esset immediatè liber; sed non est liber immediatè in eo casu: ergò. Conseq. est bona, & minor doctrina thomistarum, probo maj. ad quam revocatur difficultas: in casu imperij efficacis ad actum A. datur quidquid requiritur ex parte principij, & virtutis immediatae, tum ad actum A. tum ad ejus carentiam; sed actum A. esse immediatè liberum, est ponere voluntate habente quidquid requiritur ex parte principij, & virtutis immediatae ad actum, & ad ejus carentiam, nam libertas immediata in hoc juxta thomistas consistit: ergò in casu imperij efficacis ad actum A. actus A. est immediatè, & in actu secundo liber. Probo maj. in casu prædicti imperij datur voluntas, & iuditium indifferens ad utrumlibet; sed in hoc juxta thomistas potestas pro-

xima ad utrumlibet consistit: ergò in eo casu imperij datur potestas proxima ad actum imperatum, & ad ejus carentiam.

516 Tandem supponamus Petrum imperare efficaciter actum A. & Deum pro suo supræmo dominio Petrum prædeterminare ad carentiam hujusmodi actus, in quo nulla est repugnantia; cum enim actus imperans efficaciter solum ex natura rei connectatur cum imperato, non est cur Deus non possit prædetinare ad carentiam actus imperati insensu composito actus imperantis; tum, sic in hoc casu Petrus non posset absolute, & simpliciter loquendo ponere actum imperatum; & tamen in hoc casu haberet quidquid requiritur ex parte principij, & potentie proximæ ad actum imperatum, cum solum illi deesset prædeterminationis ad actum imperatum, sive carentia prædeterminationis ad defectum actus imperati: ergò ad veram, & realem potestatem non sufficit principium, & potentia proxime influixa, sed ulterius requiritur carentia prædeterminationis ad oppositum. Probo major. in qua est difficultas: qui vult efficaciter exequi aliquid, & tamen non cōsequitur, non potest illud exequi. Pariter illi, qui connatur efficaciter, quatenus est ex se ad aliquid, & illud non obtinet, non imputatur non obtinere; sed in hoc casu Petrus vult efficaciter amare: ergò si non amat non ideo est, quia non vult, sed quia non potest.

517 Confirmatur ex Augustino, lib. 1. retractionum, cap. 22. asserente: *Hoc est in potestate, quod cum volumus, facimus: quod ergo cum volumus, non facimus, non est in potestate.* Idem Augustinus, lib. 5. de libero arbitrio, cap. 3. ait: *Non enim possum aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus, facimus: ergo si quod volumus, cum illud volumus, non facimus, quod volumus non est in nostra potestate;* at in eo casu prædicti imperij Petrus non facit, quod vult, videlicet amare: ergò non potest amare.

518 Ad argumentum hoc respond. primum negando suppositum; nempè, divinam prædefinitionem, seu prædeterminationem ad consensum esse impedimentum ad eliciendum dissensum. Quod & fit manifestum: tum ex doctrina, quam argumentum supponit, nempè, Petrum efficaciter prædeffinitum ad consensum simul habere potestatem per modum principij ad dissensum; ubi enim relinquitur potestas per modum principij ad dissensum, non est impedimentum ad eliciendū dissensum. Neque est idem dissensum non posse componi

cum prædefinitione ad consensum, & per prædefinitionem ad consensum voluntatem impediti ad eliciendum dissensum; aliter cum stare incomponibile sit cum sedere, sedens erit impeditum ad standum; & pariter cum odium sit incomponibile cum determinatione ad amorem, voluntas hoc ipso, quod est determinata ad amorem, manebit impedita ad odio habendum. Et hoc ideo, quia voluntas simul cum sui determinatione ad amorem retinet quidquid requiritur per modum principij ad odium, & pariter sedens simul retinet quidquid requiritur per modum principij ad standum. Si ergo, ut argumentum supponit, Petrus prædefinitus, vel prædeterminatus ad consensum, simul retinet quidquid requiritur per modum principij ad dissensum, licet dissensum cum prædefinitione ad consensum conjungere non valeat, non propterea dicetur manere impeditum ad eliciendum dissensum.

519 Tum etiam: quia impedimentum potentie ad proprium actum semper fit per aliquid dissonum, & disconveniens ipsi, eique contrarium; qualiter potentia visiva impeditur videre per tenebras, & lapis impeditur descendere in centrum per detentionem sursum, & pariter potentia deambulativa impeditur ambulare per ligamen pedum. Determinatio autem potentiae liberæ ad proprium actum, sive à se, sive à Deo prædeterminante, est ei consona, conveniens, & juxta propriam illius naturam, conditionem, & modum, quæ sic petit determinari ad unum, ut simul retineat potentiam ad oppositum: Quamvis ergo cum determinatione ad unum non possit conjungere oppositum, semper manet expedita ad illud. Neque valet, quod prædefinitione de consensu contrariatur dissensiui, quatenus infert infallibiliter consensum, qui privativè, vel contrarie dissensiui opponitur; non inquam valet, cum potius contrarietas, & oppositio, quæ est inter consensum, & dissensum, sit juxta naturam, essentialis, & modum ipsius potentiae; ut potè ex se, & essentialiter indifferenter se habens ad opposita.

520 Tandem hoc sit perspicuum ex doctrina D. Thom. in tract. de præscientia, & prædestinatione. Qui habetur in fine primæ partis editæ Antverpiæ; ubi sibi objicit argumentum: *Voluntas ligata, vel impedita ad eliciendum proprium actum non est libera, sed coacta; sed voluntas humana per prædestinationem ligatur, & impeditur ad eliciendum proprium actum, qui est velle, ut videtur dicere Apost. ad Rom. 9. dum dicit: non est volentis, neque currentis, sed misericordis Dei, ubi interlineatis: non*

*est volentis, scilicet velle, neque currentis, scilicet currere: ergo voluntas humana per prædestinationem cogitur. Ecce idem argum. cui resp. D. Tho. Quod voluntas humana per prædestinationem non ligatur, neque impeditur ad eliciendum proprium actum, sed juvatur. Cujus assignat rationem, sicut in alijs locis: quia licet voluntas humana libera sit, tamen hanc libertatem non habet nisi à Deo, qui est causa efficiens hujusmodi libertatis; & sic dicitur in libro de causis: omnis causa primaria plus est influens super actum, quam causa 2. Et per hunc modum dicit Apost. quod Deus operatur in nobis velle, & perficere. Ergo secundum D. Tho. per prærium influxum Dei in actum voluntatis nostræ hæc non ligatur ad illum, sed potius ad illum adjuvatur. Non ergo per illum impeditur ad eliciendum proprium actum, scilicet dissensum; eatenus enim potentia impeditur ad unum actum, quatenus ligatur ad oppositum, ut patet exemplo illius, qui est vinculis carcerem constrictus, qui eatenus impeditur ambulare usque ad templum, quatenus ligatur ad non ambulare extra carcerem. Juvatur ergo voluntas per prædestinationem, seu efficacem prædefinitionem ad consensum, sed non ligatur ad illum, proindeque neque impeditur ad oppositum, nempè dissensum. Et quomodo potest impeditri per prærium influxum Dei, qui est causa hujusmodi libertatis, quod millies Div. Thom. repetit ferè locis omnibus citatis.*

521 Secundò respond. ad argum. neg. maj. ad prim. probat. conced. major. & neg. min. Ad probationem desumptam ex exemplo Petri vinculis carcere constricti, concedo, quod Petrus non est absolutè potens audire Sacrum Templo celebratum; nego tamen, quod ad auditionem Sacri secundum se habeat totam potestatem requisitam per modum principij auditivi. Quod sit evidens, ex quo potentia cognoscitiva non est proximè completa, & potens sine specie objecti, quæ est forma illius in genere cognoscibili; quam speciem recipere non potest potentia auditiva, sicut neque visiva sine proportionata approximatione ad objectum cognoscibile, seu audibile, vel visibile, quam approximationem habere non potest Petrus casu, quod vinculis carcere constrictus sit. Non ergo Petrus tunc habet totam potestatem requisitam per modum principij auditivi Sacri Templo celebrati: Benè tamen in nostro casu, namque potentia ad dissensum absolute non aliud complementum petit præter ipsam voluntatem, & indifferentiam iuditij, quod præcedit adhuc ipsa efficaciter prædefinita, & prædeterminata ad

consensum, ut patet ex dictis ad primum argumentum. Hinc licet vinculum defectus non requiritur, ut principium auditionis, requiritur tamen ut præviæ necessarius ad principium auditionis; namque requiritur, ut præviæ necessarius ad acquisitionem speciei, sine qua principium auditionis completum non est. Eo fere modo, quo intellectus requiritur ad actum voluntatis, namque licet non sit principium illius, sine illo tamen non est cognitio objecti, qua voluntas proximè potens constituitur ad actum circa illud, cum nihil volitum, quin præcognitum. Ac tandem dicimus, quod illa impotentia ad audiendum sacrum provenit quidem ab impedimentoo vinculum, à quibus non potest se expeditre, non ex ratione communi impedimenti inevitabilis, sed quia tale impedimentum est, nempè alicujus præviæ requisiti ex parte principij auditivi, scilicet speciei. Tertiò potest respond. ad argumentum juxta dicenda ad sequentem probationem.

522 Ad secundam probationem resp. ex dictis ad secund. argum. distinguendo primum anteced. impedimentum ad aliquid à me inevitabile tollit mihi potestatem ad illud aliquid: si sit impedimentum ortum ex aliqua causa secunda cogente, concedo: si ortum sit ex subordinatione causæ secundæ ad primam, subdistinguo: tollit mihi potestatem primam, & à nullo dependentem, neque Deo subordinatam, concedo: secundam, & Deo subordinatam, ab eoque dependentem, nego. Quæ solutio patet ex dictis ad secundum argumentum juxta loca relata D. Thom. Quod enim Petrus à se excutere non possit prædefinitionem ad consensum, ut dissentiat, provenit ex quo est causa secunda libera à Deo dependens in operari, se movere, & determinare; proindeque cum dependentia à Deo præmovente, & prædeterminante efficaciter tali efficacia, ut ei voluntas resistere non possit. Unde sic ad Deum solum pertinet creaturam prædeterminare, ut dissentiat, solum ad ipsum pertinet facere, ne existat prædetermination ad consensum, ut creatura dissentiat; proindeque neque ut Petrus, tanquam causa secunda dissentiat, est necesse, quod in manu ejus habeat acquirere prædeterminationem ad dissensum, sed sufficit, quod in ejus manu sit dissentire, supposita divina prædeterminatione ad dissensum, & carentia divinæ prædeterminationis ad consensum; aliter dissentire ut causa prima, primum movens, primum se determinans, primum liberum sine subordinatione aliqua ad Deum. Et hoc mihi nihil clarus, & evidentius, præcipue stando locis præallegatis

D. Thom. Et autem, sicut & nobis nihil clarus, & evidentius, quando impedimentum provenit ex causa secunda cogente, ut in exemplo ab eo allato, & alijs plurimis, quæ possent adduci.

523 Quod & amplius declaratur exemplo potentia exequitativa respectivè ad voluntatem creatam, cui subordinatur, & subditur, sicut & voluntas nostra subditur, & subordinatur voluntati divina. Nostra enim voluntate nolente potentiam exequitativam ambulare, hec impeditur ambulare; nec tale impedimentum à potentia deambulativa evitabile est: Et nihil minus eo in casu adhuc potest absolutè, & simpliciter ambulare. Dices: quod licet illud impedimentum inevitabile sit ab ipsa potentia deambulativa, est tamen evitabile ab ipsa voluntate creata. Benè: nunc inquirro, quid interest, quod sit evitabile à voluntate creata, si ab ipsa exequitativa potentia evitabile nō est, ut adhuc, voluntate nolente, eam ambulare, ipsa possit absolutè, & simpliciter ambulare? Respond. quia illud impedimentum ortum habet ex ipsius subordinatione ad voluntatem, cui juxta suam naturam nata est obedire; & sic quod moveri non possit, voluntate renuente, si ipsa volente, moveri possit, absolutè, & simpliciter adhuc cum voluntas non vult eam ambulare, dicitur posse simpliciter ambulare, licet motum cum nolitione voluntatis conjungere non possit. Hinc ergo patefit nostra doctrina: multo enim magis nostra voluntas divinæ voluntati subjicitur, quam potentia exequitativa nostræ subjicitur voluntati: impedimentum ergo nostra voluntatis ad dissensum ex hac subordinatione derivatum, nempè, voluntate divina nolente, eam ad dissensum determinare, sed ad consensum, non potest esse tale, quod voluntas adhuc sic determinata absolutè, & simpliciter dissentire non possit, licet cum illa volitione dissensum conjungere non valeat, neque illud impedimentum à se excutere, vel vitare possit: Poteat enim illud vitare voluntas divina, cui nata est obedire voluntas creata: unde sic adhuc, Deo volente, nostram voluntatem determinare ad consensum, est verum, quod eam potest determinare ad dissensum; etiam est verum quod adhuc prædeterminata ad consensum potest elicere dissensum.

524 Ad tertiam probationem distinguo majorem: quando extrellum mihi non contingens est præviæ requisitum ad primum actum, concedo: quando non est sic requisitum, sed solum applicatio, & determinatio actus primi, nego. Hinc concedo, quod non possum ponere meam actionem, nisi in sensu composito Cœli, non eo præcisè, quia Cœ-

Cœlum existit non contingentè mihi , sed quia Cœlum existit , ut præviè requisitum ad actum primum causæ , sive meæ potentiaz operativæ ; nam si loquamur de potentiaz sensitivis , illæ in eis , & conservari dependent à motu corporis Cœlestis , unde non existente corpore Cœlesti , vires sensitivæ deficiunt. Loquendo verò de voluntate , licet in esse , & conservari à motu corporis Cœlestis non dependeat , neque etiam ab eo dependeat in movere quoad exercitum , quia nullum corpus agere potest in rem incorpoream ; ab eo tamen dependet saltem indirectè in moveri quoad specificationem erga exteriora corpora , quatenus omnia ea , quæ sensui sunt propensa , & etiam ipsa organa potentiarum sensitivarum à quibus intellectus in cognoscendo dependet , subjacent motibus Cœletium corporum , neque sine eis esse , vel conservari possunt ; quæ est doctrina D. Thom. 1. 2. quælt. 9. art. 5. est ergo existentia Cœli mihi non concingens , ut præviè requilita ad aëtum primum meæ potentiaz , sive sensitivæ , sive spiritualis pro hoc statu . Et sic quid mirum , quod quælibet istarum potentiarum , vel non operetur , vel operetur in sensu composito Cœli . Ad secundum exemplum pariter nego , quod non possum ponere meam actionem nisi in sensu composito prædeterminationis Petri , quia prædeterminationis Petri non consequitur meam libertatem , neque est mihi contingens , sed quia in eo casu in me non est virtus sufficiens ex parte actus primi ad illam actionem ; ut patet in duobus portantibus lapidem , quem nullus sine altero est sufficiens portare ; proindeque quilibet illorum est causa solùm partialis , & non totalis .

525 Ad quartam probationem negatur anteced. ad ejus probationem concedo major. & nego minorem : Ad ejus probationem pro primi parte nego anteced. aliud est enim , quod Beatus speculativè cognoscat rationes allicientes ad peccatum , & à peccato retrahentes ; & aliud , quod eas cognoscat practicè , & per juditium indifferens . Primum est verum , secundum autem falsum , namque hoc juditium practicum in eo consistit , quod proponatur voluntati objectum , ut indifferenter amandum , vel odiendum ; per visionem autem beatificam non sic proponitur Deus , sed ut determinatè , immò necessariò amandus , quia proponitur ut in se infinitè bonus , quin ex aliqua parte in eo splendeat aliquid , unde retrahere possit ab illius amore , ut contingit , cum proponitur bonum finitum , vel propter insufficienciam , vel

propèr incommodum adjunctum in sui acquisitione . Cum tamen Deus clarè virtus faciet voluntatem juxta illud Psalmi 16. Satiabor cum apparuerit gloria tua ; neque ejus clarè contemplationi incommodum aliquod annexum sit , juxta illud sapientiæ 8. Non habet amaritudinem conversatio illius , nec tedium convictus ejus : non ergò in beato est locus ad juditium illud indifferens , quamvis alias speculativè cognoscat rationes allicientes ad peccatum , & à peccato retrahentes ; quas etiam cognoscit Deus , cuius cognitionem nihil latet , cognoscit enim tam Beatus , quam Deus delectationem veneream nos allicere ad peccatum , ejusque malitiam , vel penitentiam illi debitam nos retrahere ab illo , sicut & honestatem virtutis , vel premium illi debitum nos allicere ad prosequitionem illius , incommodaque illi annexa nos ab illa retrahere .

526 Pro secunda verò parte etiam negatur anteced. licet enim in Christo ratione scientiæ acquisitæ , vel infusa detur juditium indifferens , sed non circa peccatum . Hinc in eo admittimus juditium indifferens circa mortem , & omissionem mortis , sed non circa omissionem mortis , ut conjungibilem cum præcepto , quia ut sic peccatum est , sed præcisivè à præcepto , vel secundum se , quæ ratione mala non est . Ratio autem hujus defumitur ex vi unionis hypostaticæ , ratione cujus humanitatis Christi immobilitè adharet primæ regulæ usus rationis , summeque sapientiæ , immò magis quam per visionem beatificam , cum hæc unio sit accidentalis , & illa substantialis ; & sic intellectus illius non potest indifferenter proponere voluntati aliquid contra illam , qua ratione etiam peccare non potest .

527 Ad 5. respond. quod si actus imperatus sit actus voluntatis , nego secundum Thomistas non habere immediatam libertatem in actu secundo , sed solùm mediatam ratione imperii ; namque aliud est talem actum à voluntate procedere , præsupposito imperio rationis , & aliud ab ea non procedere ut immediatè liberum ; primum est verum , secundum falsum , aliter usus actius voluntatis non esset in se , & immediatè liber , quia à voluntate procedere nequit , non præsupposito prædicto imperio . Ratioque à priori est : nam ut actus à voluntate procedat ut in se , & immediatè liber , sufficit , quod ab ea immediatè elicitive procedat sub juditio indifferenti , cum quo juxta Thomistas recte cohæret imperium efficax intellectus , eoquod hujus efficacia procedit à voluntate sub illo juditio . Unde cum sibi obji-

ciunt, quod imperium efficax intellectus infallibiliter insert actum imperatum voluntatis, nemp̄, usum illius actuum, neque voluntas in sensu composito illius potest ab eo cessare: respondent illam necessitatem, & infallibilitatem esse consequentem libertatem ipsius voluntatis: namque ab ea imperium efficaciam participat, utpote voluntas est primum movens quo ad exercitium, neque vidi Thomistam oppositum asserere. Et idem est dicendum de omissione imperata actus voluntatis propter eandem rationem. Si vero sermo procedat de actu pure imperato, qui actus est alterius potentia à voluntate, verum est, quod non est in se, & immediatè liber. Cæterum de hoc nihil potest convincere argumentum, ut potè potentia immediata illius non est libera, neque consequenter ex se indifferens ad actū, & carentiam actus. Quod si ex parte voluntatis sunt omnia requirita ex parte principij ad usum actuum erga illam potentiam, probatur quidem actum illius esse tunc mediate, seu motivè liberum, secus tamen immediate, & elicitive.

528 Ad ultimam probationem suppono casum, & nego, quod Petrus in eo non possit absolutè, & implicitè ponere actum imperatum, supposito quod habet quidquid requiritur ex parte principij, & potentia proxime ad actum imperatum. Ad probationem dico, quod qui vult efficaciter exequi aliquid, & tamen non exequitur, non potest illud exequi quando illud non exequi est ex defectu potestatis ad illud exequendum, secus verò quando illius exequitio subest ejus potestati. Neque enim sequitur ex quo aliquis vellit efficaciter aliquid exequi, quod illius exequitio ejus potestati subjaceat: namque multoties quis vult, & desiderat efficaciter aliquid quod solum subest potestati alterius, ratione cuius quanvis ponat omnia, & aptiora media ad illud consequendum, non illud consequitur, quia exequitio ex alterius voluntate dependet, sicut Pater (ut exemplo Bazquezij utamur) efficaciter vult, & intendit filium suum doctum evadere, & ex hac intentione actu ei elargitur omnia, & aptiora media ad consequendum illum finem, quem tamen non consequitur, quia exequitio illius ex filij voluntate dependet.

529 Sed contra hanc solutionem procedit secunda altera probatio, nemp̄ quod illi, qui conatur efficaciter quantum est ex se ad aliquid, & illud non obtinet, non imputatur non obtinere; cum tamen cuiuslibet imputetur non obtinere, quod potest obtinere. Sed ref-

pondetur, non rectè sequi ex quo aliquid aliqui non imputetur, quod non possit illud obtinere, namque stante ista potentia potest ei non imputari, ex quo non obtinere, vel facere non est ab intrinseco, id est, ex defectu voluntatis, sed ab extrinseco ex defectu solo divine prædeterminationis. Hinc illud morale proloquium: *Qui potest, tenetur, & non facit, peccat non faciendo*, intelligendum est de non faciente liberè, undè non propterea peccat, quia non facit, cum possit, & teneatur, sed quia non facit liberè, seu ipso volente non facere. Quod in casu præsenti verificari non potest, cum non adimplere præceptum sit non ex defectu voluntatis, qua supponitur efficaciter volens adimplere præceptum, sed ex solo defectu divinae prædeterminationis. Immò sicut eatenus secundum nos divina prædeterminatione tollit libertatem, quatenus est prædeterminatione juxta modum, & inclinationem ipsius voluntatis: Pariter ut negatio illius prædeterminationis non tollat libertatem omissionis, offereret talen negationem esse à Deo juxta modum, & inclinationem voluntatis, quod verificari nequit, si supponatur voluntas efficaciter volens adimplere præceptum, quia tunc potius Deus denegat prædictam prædeterminationem contra inclinationem illius. Quod etiam currit cum præceptum est de actu interno amoris Dei propter eandem rationem, quia nemp̄ præsupposito imperio efficaci de illo amore, jam voluntas vult amare, quo in sensu verificatur illud Augustini 8. confessio-*nū: Animu, quando perfectè imperat sibi, ut vellit, tunc jam vult*. Undè hac inclinatione supposita Deum denegare illi prædeterminationem ad amorem, estet eam denegare contra inclinationem illius, & sic tunc liberè non amat, propterea neque ei imputaretur.

530 Et ex his patet ad locum August. loquitur enim in sensu connaturali: namque connaturaliter loquendo, Deus non denegat voluntati volenti facere auxilium ad faciendum; & sic eo ipso si volumus, & volitum est in nostra potestate, illud facimus; secùs tamen in illo casu extraordinario, de quo nec menire August. Quibus adde instantiam in adversariorum doctrina juxta dicta fundam. 9. quod voluntas quantumvis prævisa per scientiam medium aliquid factura sub auxilio A. non faciet, nisi ei à Deo tale tribuatur auxilium, ut potè prærequisitum ad faciendum, quod tamen conferre solum est in potestate Dei; aliter creature prævisa factura illud aliquid sub illo auxilio, necessitatet Deum ad illud conferendum. Tunc ergò sit idem argumentum,

*quod*

quod non facere illud aliquid, ei non imputetur ad culpam, supponendo quod Petrus quantum est ex se connatur ad illud facere, seu obtinere, & illud non obtinet; cum tamen cui libet imputetur non obtinere, quod potest obtinere. Ipsi ergo tenentur respondere, & non nisi juxta solutionem allegatam, quod nempè tunc negaret auxilium contra inclinationem voluntatis, ut potè quæ supponitur quantum est ex se inclinata, & propensa efficaciter ad illud obtinendum, vel faciendum; undè tunc non obtinere, vel facere non staret per ipsam, sed per Deum, nempè, non ab intrinseco, sed ab extrinseco, proindeque illa omissio non est libera, & voluntaria.

531 Quattò objicit P. Herrera: existente prædefinitione ad consensum, prout à Thomistis ponitur, non datur potestas ad dissensum: ergo neque libertas. Conseq. est bona, & anteced. prob. existente hoc decreto de consensu Petri, deficit Petro decretum de dissensu, & etiam deficit potestas ad illud acquirendum; sed cuī hæc duo defunt, deest potestas ad dissensum; ergo Petro in prædicto casu deest potestas ad dissensum. Conseq. est bona, & major doctrina contrariorum, minor prob. juxta Thomistas decretum de dissensu est necessariore iusitum ad dissensum, vel ad minus carentia decreti de consensu, neque est in potestate hominis acquirere tale decretum, vel carentiam: ergo Petro prædeterminato ad consensum, deest aliquod requisitum ad dissensum, & simili deest potestas ad illud acquirendum: ergo Petro deest potestas ad dissensum. Hæc ultima conseq. probat, hoc syllogismo: ille, cuī deest requisitum essestiale ad dissensum, neque habet in sua manu, & potestate, quod prædictum requisitum existat, non est potens ponere dissensum; sed Petrus, existente hoc decreto prædefinitivo consensus, non habet decretum de dissensu, neque carentiam decreti de consensu, neque habet in sua manu, quod existat decretum de dissensu, & carentia decreti de consensu, & ex alio capite decretum de dissensu, vel saltem carentia decreti de consensu requiritur essestialiter ad dissensum: ergo Petrus non habet in prædicto casu veram, & realem potestatem ad dissensum. Major, in qua est difficultas, probatur: nam qua ratione erit mihi liberum, meoque arbitrio subjicietur, quod neque possum comparare sine aliquo requisito, neque habere requisitum, neque potestatem quidem ad illud comparandum? Sanè qui nequit iterfacere sine equo, equoque caret, & potestate illud habendi, absolutè nequit iterfacere. Qui nequit Indias addire, nisi illi

sit navis, & illa careat, & potestate illam habendi, absolute nequit Indias addire. Qui nequit comparare vestes, & victimum, sine peccatiis, & illis careat, & similiter potestate eas acquirendi, absolute nequit comparare sibi victimum, & vestes, & sic in reliquis casibus: ergo cui deest requisitum necessarium indispensabiliter ad aliquid extremum, & etiam potestas ad illud requisitum comparandum, deest potestas ad illud extremum: ergo in nostro casu cui deest requisitum necessarium ad dissensum, & potestas illud comparandi, deest potestas ad dissensum.

532 Hoc argumentum, quod est principius apud adversarios, in statu manet fundamento 9. pro nostra sententia, namque ipsi fatentur, & tenentur fateri requiri essestialiter ad consensum, quod Deus purificet conditionem, sub qua conditionate prævidetur per scientiam medianam, conferendo scilicet illud auxilium, quod efficax prævidetur ex adjunctione conditionata ad consensum; Deo enim non conferente tale auxilium, voluntas non consentiet; & tamen in manu, & potestate voluntatis creatæ non est Deum decernere, vel conferre illud auxilium, namque ex potestate ut existat scientia media, non insertur potestas, ut existat illud decretum, vel auxilium, ut late expendimus loco cit: juxta adversariorum doctrinam: Cum ergo hoc non obstante in voluntate sit vera, & realis potestas ad consensum, planè instatur argumentum propositum.

533 Respondetur ergo juxta dicta ad secundam probationem præcedentis argumenti negand. antecedad ejus probationem conced. major. & neg. minor. ad ejus probationem conced. anteced. & primam conseq. & nego secundam: ad cujus probationem disting. maj. ille cui deest requisitum essestiale ad dissensum, neque habet in sua manu, & potestate, quod prædictum requisitum existat, non est potens ponere dissensum, si sit requisitum ortum ex subordinatione, & dependentia ab aliqua causa secunda, concedo: Si ortum ex sola subordinatione, & dependentia à causa prima, subdistinguo: Non est potens ponere dissensum ut causa secunda, & dependentia à prima nego, ut causa prima, & nulli subordinata, concedo: ad ejus probationem ejsdem terminis distinguo. Unde solùm infertur, quod dissensus non sit mihi liber, nec meo arbitrio subjiciatur ut causæ primæ, & alteri non subordinata, secus vero ut causæ secunda subordinatione primæ. Nostra enim voluntas non est potens dissentire, nisi ut causa secunda, proinde que

que ut primum subordinata nedum in essendo, verum & in operando, & in se determinando, & movendo; aliter esset primum se determinans, primumque liberum, primus dominus, primaque causa sua operationis, & determinationis, utpote dissentius reduceretur ultimò in ipsam voluntatem creatam, non in divinam; dissenticer enim, quia ipsa vellet, non quia Deus vellet illam dissentire, quod latè expendimus resolut. i. hinc ergo ortum habet, quod dissentire non possit non prævia Dei voluntate efficaci, seu prædefinitione de dissentia præ consensu, vel è contra. Et sic ex quo hoc requisitum comparare non possit, neque sit in ejus manu, & potestate illud acquirere, solum potest deduci, quod dissentire non possit ut causa prima à nulla alia dependens, secus vero ut secunda subordinata primæ. Et ex hoc patet ad exempla, ea enim requisita ortum habent ex subordinatione, & dependentia ab alia causa secunda. Unde clare infertur causas alijs indigentes adhuc intra ordinem, & genus causa secunda non esse completas, & perfectas, proindeque neque proximè expeditè potentes, secus vero in nostro casu, namque cum causa secunda ex propria natura, & essentia dependeat à prima, ex dependentia ab illa in aliquo requisito ad propriam operationem non probatur eam non esse completam, & perfectam intra proprium genus, & ordinem causæ secundæ, sed solum non esse completam, & perfectam omnibus modis, seu à toto genere causæ.

534 Vel si mavis, potest aliter arguendo responderi, ut suprà distinguendo de requisitis ex parte actus primi, & ex parte actus secundi. De primis loquendo convincit argumentum, quod eis deficientibus, deficit potestas, nisi adhuc potestas ad ea comparanda, & ita contingit in exemplis allatis. Pro quo nota regulam aliorum Thomistarum, quod tunc requisitum se tenet ex parte actus primi, cum eo existente potest non existere actus secundus: stat autem aliquem habere equum, & in eo iter non facere, & pariter habere navim, & Indias non adire, sicut habere pecunias, & non comparare sibi viatum, & vestes; omnia ergo prædicta sunt requisita ex parte actus primi; & sic quid mirum quod sine eis non sit potestas vera ad prædictos actus? Prædefinition autem, seu prædeterminatio divina est requisitum se tenens solum ex parte actus secundi; namque ipsa existente non potest actu secundo non existente, utpote cum infallibiliter infert, & sic sine illa salvatur in voluntate vera, & realis potestas ad dissensum, vel consensum. Qua doctrina plura alia argumenta dissolvuntur.

535 Sed contra eam stat: quod visio beatifica non potest existere sine Dei amore, & tamen se tenet ex parte actus primi respectu illius. Unde convictus quidam ingeniosus complatensis, melius accurissimè distinxit inter applicationem causæ ad ejus exercitium, & applicationem causæ ad alteram causam, quæ est simultas, seu conjunctio utriusque causæ: Illa enim non se tenet ex parte actus primi, cum applicatio causæ ad proprium exercitium ejus potestatem adæquate constitutam supponat; secus vero applicatio causæ ad alteram causam, quia actus primus, seu potestas ad aliquem effectum conflatur ex omnibus causis ad illum concurrentibus; ac proinde omnes istæ se tenent ex parte actus primi. Et sic contingit in exemplis appositis; namque ad iter agendum tam homo, quam equus concurrunt ut causa, & pariter ad Indias adire tam homo, quam navis, & ad viatum comparandum, homo & pecuniae; quilibet in suo genere. Et sic quid mirum, quod homo sine equo non possit in eo casu iter facere, neque homo sine navi possit Indias adire, neque denique homo sine pecunia posse viatum comparare? In nostro autem casu prædefinition, seu divina prædeterminatio non est applicatio causæ ad causam, sed causæ ad proprium ejus exercitium; namque prædeterminatio, & voluntas creata non concurrunt tanquam duplex causa, sed ut causa, & reductione causæ ad actum secundum; & sic hæc non se tenet ex parte actus primi, sed actum primum adæquate constitutum supponit. Cui doctrina libentissimè subscribo. Nihilominus affirmo regulam illam tenere loquendo de actibus liberis, licet non de necessariis, ut est amor beatificus, quia illa regula trahitur à Thomistis solum juxta subjectam materiam.

536 Quintò objicit Pater Herrera; positio predicto decreto verificantur haec duæ præmissæ: *Omnis prædefinitus, seu prædeterminatus ad consensum, consentit; Petrus est prædeterminatus ad consensum; ex quibus præmissis legitimè infertur: Ergo Petrus consentit.* Tunc sic: qui nequit impedire veritatem præmissarum, ex quibus legitimè infertur veritas conclusionis, nequit impedire veritatem conclusionis; nempe, *Petrus consentit;* & consequenter neque poterit dissentire, quando quidem dissentire Petrum, est Petrum impedire illam veritatem: *Petrus consentit.* Dicursus legit. est, & min. certa, si quidem Petrus, neque apud Thomistas potest facere, ut sit prædeterminatus. Neque etiam potest falsificare illam propositionem majorem, nempe: *Omnis prædeterminatus ad consentiendum, consentit;* hæc

enim propositio est necessaria, & indefectibilis veritatis: Ergo nequit Petrus falsificare ullam ex illis præmissis, seu veritatem alicujus impedire. Jam denique major prædicti discursus probatur.

537 Et quidem primò, quia veritas conclusionis imbibitur realiter in veritate præmissarum, ita ut veritas præmissarum non distinguitur adquatè realiter à veritate conclusionis; qui autem nequit impedire ullo modo veritatem includentem aliam, neque potest impedire veritatem in prima contentam, sicut qui nequit impedire veritatem universalis propositionis, neque potest impedire veritatem singularis contentæ in veritate universalis. Secundò: quia juxta Aristotelem i. prior. cap. 8. qualis est necessitas in præmissis, talis est in consequenti: Ergo cum est necessaria, & inimpedibilis veritas præmissarum, necessaria, & inimpedibilis est veritas conclusionis. Tertiò: quidquid necessariò infertur ex aliquo inevitabili, ea ratione, qua infertur, inevitabile est; sed veritas conclusionis ita infertur ex præmissis inevitabilibus, ut hæc illa necessaria sit: Ergo veritas conclusionis necessariò illata ex præmissis inevitabilibus Petro, Petro necessaria, & inevitabilis est. Quartò: quia vel posset Petrus impedire veritatem conclusionis relinquendo veritatem præmissarum, vel non relinquendo; neutro modo potest: Ergo nullo modo potest, siquidem aliis non restat. Minor probatur: in primis non potest impedire veritatem conclusionis relinquendo veritatem præmissarum, quia est implicitorum veritatem præmissarum relinqui, dum impeditur veritas conclusionis; cum qua veritate conclusionis connectitur metaphysicè veritas præmissarum. Deinde non potest impedire veritatem conclusionis, non relinquendo veritatem præmissarum, quia hoc esset impedire veritatem præmissarum, & veritas illarum præmissarum est per te in impedibili à Petro: Ergo Petrus non potest impedire veritatem conclusionis, non relinquendo veritatem præmissarum: Ergo nullo modo potest Petrus impedire in illo ca-  
su veritatem illius conclusionis.

538 Ad hoc argumentum respondetur primò, concedendo totum, nempe, quod qui non potest impedire veritatem præmissarum, nequit impedire veritatem conclusionis ex eis legitimè illata; & quod Petrus nequit impedire veritatem illarum præmissarum: *Omnis prædeterminatus ad consensum, consentit*, quia divina voluntas propter summam ejus efficaciam impediens non potest, ut sapienter reperit D. Thom, & pariter illam: *Petrus est præde-*

*terminatus ad consensum*, quia non prædeterminatur dependenter ab illius arbitrio, & consequenter neque potest impedire veritatem illius conclusionis: *Petrus consentit*, ex eis legitimè illata. Restat nunc probare consequentiam aliam ibi adjunctam, nempe, *Petrus non potest dissentire*: sanè D. Thom. perpetuus est in eo, quod posita divina voluntate efficaci de consensu, voluntas non potest non consentire, & necesse est eam consentire, quia divina voluntas propter summam illius efficaciam inimpedibilis est, neque est qui ei resistere possit. Et cum hoc componit, quod consensus ille est liber, quia Deus vult efficaciter nudum consensum illum fieri, verum & fieri liberè, qua ratione voluntatè efficaciter præmovet secundum proprium modum, & conditionem, nempe, ut potentiam indifferentem se habentem ad plura, & opposita. Cum ergo consentire libere sit consentire cum potentia ad dissentire, consequenter ex quo voluntas efficaciter prædeterminata ad consensum, non possit impedire consensum, non rectè infertur eam non posse dissentire; & sic stando doctrinæ D. Tho. consequentia hæc secunda non valet, admissa prima. Difficultas ergo est, ut supra in concordia notavimus, qualiter hæc infallibilitas, & inimpedibilitas consensus cohærente possit cum potentia ad dissensum? Quod ibi manet explicatum, ex quo hæc potentia non est ad dissensum, ut conjungendum cum prædeterminatione ad consensum, quæ dicitur potentia in sensu composito, sed ad dissensum eliciendum divisivè, & seorsim ab illa, quæ dicitur potentia in sensu diviso; quatenus, nempe, cum prædeterminatione ad consensum relinquitur in voluntate potentia, ut Deo destruente illam prædeterminationem ad consensum per præderminationem ad dissensum, possit sub hac, & carentia illius elicere dissensum.

539 Juxta hanc ergo doctrinam facillimè in forma dissolvitur argumentum, concedendo, ut dixi totum syllogismum, & distinguendo consequens ibi subiectum: *Ergo non poterit dissentire*, per conjunctionem dissensus cum veritate illarum præmissarum, concedo: per disjunctionem dissensus ab illarum veritate, nego. Ut enim esset verum posse impedire veritatem illius conclusionis: *Petrus consentit*, per posse dissentire, esset necesse posse dissentire in sensu composito, nempe, conjungendo dissensum cum veritate illarum præmissarum, cum vero est potentia ad dissensum non simul cum illa veritate, sed ab illa seorsim, & divisionem est posse dissentire absolutè, non vero impediendo veritatem illam illatam.

Neque

540 Neque valer probatio ibi adjuncta, nempè, quod si dissentire, impedire: Ergò si potest dissentire, potest impedire. Namque hęc consequentia intitatur clare à Thomistis juxta adversariorum doctrinam: Quippe si Petrus prævisus consensurus per scientiam medium, dissentire, eam falsificaret; sed in adversariorū sententia potest ea suppositione facta dissentire, aliter non maneret liber in consentiendo: Ergò potest falsificare illam scientiam medium. Adversarij hanc negant consequentiam, quæ est similis formæ cum præallegata adversus nos. Concedimus ergò, quod si Petrus præterminatus ad consensum actu dissentire, impedire veritatem illius conclusionis, & consequenter veritatem præmissarum; attamen eatus impeditre, quatenus cum veritate illarum præmissarum de consensu adjungeret dissensum: Ergò ex hoc solùm licet inferre, quod si simūl cum illa veritate præmissarum posset conjungere dissensum, posset impedire illam veritatem; secus tamen si potentia non sit ad conjungendum dissensum, sed ad dissensum in sensu diviso.

541 Secundò: licet in idem incidat, potest huic argumento responderi juxta dicta ad secundum argumentum, distinguendo illam primam majorem: *Qui nequit impedire præmissarum veritatem, nequit impedire veritatem conclusionis ex eis legitimè illatae*, si veritas conclusionis sub nulla ratione subjaceat potestati illius, concedo: Si sub aliqua ratione subjaceat, subdistinguo: nequit impedire veritatem conclusionis se solo, & independenter ab eo, qui potest impedire veritatem alicujus præmissæ, concedo: Dependenter ab illo, seu simūl cum illo, nego, & concessa minori, distingo consequens eisdem terminis. Unde quod sequitur est, quod Petrus præterminatus ad consensum non potest dissentire se solo, & sine prævia Dei prædeterminatione ad dissensum, quæ est carentia prædeterminationis ad consensum, secus simūl cum Deo præviè destruente illam prædeterminationem ad consensum, & prædeterminante ad dissensum. Quo in sensu solùm dicimus Petrum determinatum ad consensum posse dissentire, nempè, quatenus cum illa prædeterminatione retinet potentiam, ut ea divisa, & alia superveniente possit voluntas elicere dissensum.

542 Et ex hoc patet ad omnes probatio-nes antecedentis; & ad primam distinguitur illa propositio: *Qui nequit impedire ullo modo veritatem continentem aliam, neque poterit impedire veritatem in prima contentam, si veritas in prima contenta sub nulla ratione subs-*

jaceat potestati illius, concedo: Si sub aliqua ratione subjaceat, subdistinguo: non poterit impedire veritatem in ea contentam se solo, concedo: dependenter ab eo, qui potest impedire veritatem continentem illam, nego. In eo enim quod dicitur, *Petrus consentit*, importatur consensus prout à Petro elicivè, & prodt à Deo prædeterminative; ita tamen quod prius sit Petrum prædeterminari ad consensum, quam ipsum elicere dissensum. Illa ergò veritas quatenus importat elicientiam consensus subjacet potestati Petri, sed non nisi dependenter à Deo prædeterminante. Et sic licet Petrus non possit impedire illam veritatem se solo, & independenter à Deo potente impedire veritatem minoris, in qua continetur, secus tamen cum illo, & ab illo dependenter, quod sufficit, ut absolute possit illam impedire potestate sui generis, & ordinis, nempè, ut causa secunda, & primæ subordinata, seu dependenter ab illa.

543 Ad secundam pariter respondeo distinguendo conseq. Ergò cui est necessaria, & inimpedibilis veritas præmissarum, necessaria, & inimpedibilis est veritas conclusionis, si talis veritas sub nulla ratione cadat sub potestate illius, concedo: si sub aliqua cadat, subdistinguo: ei necessaria, & inimpedibilis est veritas conclusionis, ut causæ omnino independenti ab eo, cui veritas præmissarum necessaria, & inimpedibilis non est, concedo: dependenter ab illo, nego.

544 Ad tertiam etiam respondeo distingundo majorem: quod necessariò infertur ex aliquo inevitabili ab omni causa tam secunda, quam prima, ea ratione, qua infertur, inevitabile est, concedo majorem: ex aliquo inevitabili à causa secunda, evitabile tamen à causa prima, subdistinguo: inevitabile est independenter à causa prima, concedo: dependenter ab illa nego. Et concessa minori, distingo consequens: Ergò veritas conclusionis necessariò illata expræmis̄is inevitabilibus Petro, Petro necessaria est, & inevitabilis sine Deo, seu secluso illius prævio adjudotorio, concedo: simūl cum illius prævio adjutorio, nego. Ad quartam denique respondeo, quod Petrus potest impedire veritatem conclusionis non relinquenti veritatem præmissarum, sed non per hoc, quod ipse impedit veritatem præmissarum, sed per hoc, quod eam à Deo impeditam supponat, quatenus Petri dissensus non potest non supponere prædeterminationem ad ipsum, qua necesse est tolli, & destrui prædeterminationem ad consensum.

545 Quibus adde instantiam argumenti  
conclu-

contra nos facti ex quodam iugeniosissimo complutensi; stat veritatem principiorum, ex quibus evidenter infertur conclusio, non esse mihi liberam, & esse mihi liberam veritatem conclusionis: Ergo argumentum factum non convincit. Probat. anteced. stat veritatem principiorum non esse Deo liberam, & esse Deo liberam veritatem conclusionis ex principijs evidenter illate: ergo & mihi. Conseq. est evidens, & anteced. probat. hic syllogismus est evidens: *Si dederò Petro auxilium A. peccabit, sed Petrus non peccabit: ergo non ei dabo auxilium A.* Major enim est vera in adversariorum sententia quatenus, ut ipsi dicunt, Deus prævidet per scientiam medium, quod si Petro in tali occasione det auxilium A. peccabit; minor etiam supponitur juxta libertatem Petri; consequentia est bona, sicut & hæc: *Si Petrus volat, habet alas, sed non habet alas: ergo non volat;* & pricèr hæc: *Si Sol lacet, dies est, sed dies non est: ergo non lucet.* Et à priori constat, namque in conditionali illativa à falsitate consequentis ad falsitatem antecedentis valet consequentia: quia in bona consequentia non potest consequens esse falso, & antecedens verum, quia ex verò non potest sequi falso; immò si conditionalis sit concomitans, eo ipso affirmat coexistentiam conditionis cum conditionato, consequenterque ex defectu conditionati evidenter insertur defectus conditionis. Quod verò veritas illorum principiorum Deo non libera sit, constat, & in primis major, aliter existentia conditionata, quæ objectum est scientiæ mediæ, Deo libera esset; minor verò nō minus liquet, namque si carentia peccati esset Deo libera, Deus posset velle libere peccatum quod dicendum non est. Quod autem veritas conclusionis Deo libera sit in illorum sententia comprobatur, ex quo in potestate Dei est conferre illud auxilium, vel non conferre. Sic coram me in Complutensi Gymnasio iste sapientissimus Thomista reddarguit, neque solutionem capere potuit.

546 Qibüs adde aliam instantiam in sententia communi Doctorum Societatis supra releta de decreto prædefinitivo, & ab intrinseco efficaci dependenti ab scientia media, nempè, de conferendo auxilium, sub quo Deus prævidet Petrum consensum. Quo in casu sit argumentum simile: *Ille cui Deus prædefinit tale auxilium, sub quo prævidet eum consensum, consentiet; sed iste est Petrus: ergo Petrus consentiet.* Major est æquæ necessaria cum majori alterius argumenti, aliter illud decretum non erit ab intrinseco efficax; minor supponitur, sicut in præallegato argumeto

supponitur, quod Petrus est prædeterminatus; consequentia est legitima. Tunc sic; sed Petrus nullam ex his præmissis potest falsificare, non quidem majorem, quia hæc infallibilitè connectitur decretum illud cum consensu Petri, sicut decretum Thomisticum: Nam quantum ad infallibilitè inferre consensum cum Thomistico comparatur, licet illud dependens sit ab scientia media, secus verò illud. Neque potest falsificare minorem, quandoquidem nec Deum habere illud decretum, neque conferre illud auxilium subest potestari Petri, sed solum Dei ex sua benignitate, & misericordia; & tamen Petrus potest falsificare conclusionem, alias non esset consensurus liberè, sed necessariò; instatur ergo argumentum. Solum potest responderi, quod sicut Petrus potest impedire consensum conditionatum, potest etiam impedire scientiam medium de illo, & ex consequenti decretum illud, quod ab ea dependet. Sed contra hoc latè resolutione secunda, fundament. 9.

547 Sextò objicit Pater Herrera: non alio modo possum impedire effectum alicujus causa, nisi vel impediendo, quod existat causa, vel impidiendo, quod existente causa sequatur effectus, sed divina voluntas efficax antecedens de consensu Petri est causa consensus Petri: Ergo Petrus non aliter potest impedire prædictum consensum, nisi vel impidiendo voluntatem divinam antecedentem de consensu, vel impidiendo, quod existente ea voluntate sequatur consensus; atqui Petrus neque potest impedire eam voluntatem, utpote humano arbitrio non subiectam, neque potest facere, quod ea existente non sequatur effectus, quia hoc implicat: Ergo nulla ratione potest Petrus dum adest ea prædefinitio impedire consensum: Ergo sensus divisus in prædicto casu non subjacet voluntati.

548 Ad hoc argumentum pater ex dijstis ad præcedens argumentum, concedendo primo totum, & neg. solum ultimam consequentiam, nempè, quod sensus divisus in prædicto casu non subjaceat voluntati Petri, nam ad hoc esset necesse probare, quod cū infallibilitate, & impeditibilitate consensus, cū adest prædefinitione ad illum, non cohæret potentia ad dissensum divisum ab illa, quod non probatur, & solum posset probari ex quo posse cum illa dissentire, est posse effectum illius impedire, quod est falso, si potentia sit non ad conjungendum dissensum cum illa prædefinitione, sed ad eum ut eliciendum sub carentia illius. Et quidem sicut Authores contrarij sapè repetunt argumenta Thomistarum procedere ex non benè penetrata

ta doctrina scientia media: pariter nos possumus repetere ipsorum argumenta procedere ex non bene penetrata doctrina sensus compositi, & divisi, vel ut melius dicam, ex ignorantia affectata doctrinæ D. Thom. quam vel non legerunt, vel intelligere noluerunt; cum Div. Thom. nunquam negaverit voluntatem creatam posse impedire consensum cum Deus vult efficaciter eam consentire; immo semper concedit necesse esse eam consentire, ne tempore, ne necessitate infallibilitatis; & tamen cum hoc componit ipsam consentire liberè, sicut & cum potentia ad oppositum, quæ est potentia in sensu diviso. Longè ergo distincta potentia ad dissensum in sensu, & potentia ad impediendum consensum, ad quem voluntas est efficaciter prædeterminata; illa enim & si simil cum prædefinitione, vel prædeterminatione ad consensum, sed non ad dissensum, ut simil cum illa; & hoc esset necesse, ut potentia ad dissensum esset potentia ad impediendum consensum.

549 Alièr potest huic arguento responderi distinguendo majorem: non alio modo possum impedire effectum alicuius causæ, &c. loquendo à toto genere causæ, nego: in determinato aliquo genere causæ, concedo. Fatoe enim, quod non possum impedire effectum ignis, nisi impediendo ne existat ignis, quod in mea est potestate, vel impediendo ne igne existente comburatur, quod solum est in potestate Dei, & pariter nou possum impedire effectum potentia exequitiva, nisi vel impediendo ne existat determinatio voluntatis, quod in mea est potestate respectu propriæ potentie exequitivæ, vel impediendo, ne existente tali determinatione, sequatur deambulatio, quod & potestate alterius hominis potest subjacere. Attamen, loquendo de effectu causæ, qui simil à me procedit elicitive, & à Deo prædeterminative, non idem illum possum impedire, quia possim facere, ne existat prædeterminatione Dei, vel quod ea existente, non sequatur effectus, utpote prædeterminatione efficax ab intrinseco, effectumque proinde infallibilitè inferens; sed quia cum hac prædeterminatione componitur in mea voluntate potentia ad oppositum, utpote prædeterminatione secundum proprium modum illius; qua ratione, sicut voluntas prædeterminata ad consensum, potest dissentire, potest etiam impedire consensum.

550 Vel dicatur alijs terminis, quod consensus Petri est à Deo prædeterminative, & à Petro elicitive, conc. ergo absolute majorem & pariter conc. quod Petrus non possit facere, ne existat prædeterminatione, & dist. secund. partem: neque potest facere, ne existente præde-

terminatione sequatur consensus, quatenus à Deo prædeterminative procedit, concedo: quatenus procedens elicitive à voluntate Petri, nego. Quia, ut dixi, prædeterminatione non tollit, sed relinquit in voluntate potentiam ad oppositum; & sic sicut est verum in nostris principijs voluntatem simul cum prædeterminatione ad consensum habere potestatem ad dissensum, & si dissensum conjungere non possit cum illa prædeterminatione, etiam est verum posse facere, ne sequatur consensus.

551 Septimò objicit P. Herrera: homo prædeterminatus ad consensum non potest impedire coexistentiam, sive binarium ex prædeterminatione, & consensu: ergo neque consensus. Probo anteced. prædeterminationem existere simul cum consensu, est dari coexistentiam, & binarium prædeterminationis, & consensus; sed homo prædeterminatus ad consensum non potest ullo verò sensu impedire prædeterminationem existere simul cum consensu: ergo neque poterit impedire coexistentiam, & binarium prædeterminationis, & consensus. Major est certa, & conseq. bona, min. probat. prædeterminationem existere, & non existere sine consensu, est prædeterminationem existere cum consensu; sed homo prædeterminatus non potest impedire hoc complexum: Prædeterminatione existit, & non existit sine consensu: ergo neque potest impedire, quod prædeterminatione existat cum consensu. Conseq. est bona, & major certa: nam existere, & non sine alio existere, est existere cum illo. Probo igitur majorem: homo prædeterminatus non potest impedire prim. part. complexi, videlicet, prædeterminatione existit, deinde non potest impedire secundam, nemirum non existit sine consensu, quia si posset eam impedire, posset ponere oppositum, videlicet existit prædeterminatione ad consensum, sine consensu, quod est implicitorum: ergo non potest eam impedire: ergo neque complexum.

552 Confirmatur: non deficere prædeterminationem ad consensum, & deficere vel dissensum, vel prædeterminationem ad consensum, est deficere dissensum, cum deficere unum ex duobus, non deficiente primo, sit deficere secundum; sed homo prædeterminatus ad consensum non potest impedire, neque quod non deficiat prædeterminatione ad consensum, neque quod verum sit, vel quod deficit prædeterminatione ad consensum, vel deficit dissensum: ergo neque poterit impedire, quod deficiat dissensus, & consequenter neque quod existat consensus. Minor facile prob. quia prædeterminatus non potest impedire defectum prædeterminati-

nationis, ut supponunt adversarij: ergò non potest impedire veritatem hanc: *Non deficit prædeterminatio*, alioquin posset acquirere prædeterminationem. Deinde non potest impedire veritatem hanc: *Vel deficit prædeterminatio, vel deficit dissensus*, siquidem si neque desiceret prædeterminatio, neque dissensus, conjungeret prædeterminationem ad consensum cum dissensu: ergò prædeterminatus non potest impedire totum illud complexum, vide-  
licet: *Vel deficit prædeterminatio, vel deficit dissensus, & non deficit prædeterminatio*; sed hoc est non posse impedire, quod deficiat dissensus: ergò prædeterminatus non potest impedire defectum dissensus, & consequenter non potest dissentire.

553 Hoc argumentum nullam superad-  
dit difficultatem ad præcedentia præter terminos procedentes, ut dixi, ex non intelligentia sensus compositi, & divisi. Unde respond. dupli-  
cili via jàm explicata: primò concedendo to-  
tum, nempè, Petrum prædeterminatum ad consensum non posse impedire illam coexistē-  
tiam, illudque complexum, neque consequen-  
ter partem illius, videlicet consensum. Cum  
que iste Author non aliam inferat consequen-  
tiā, profecto per idem esse supponit Petrum  
prædeterminatum ad consensum non posse im-  
pedire consensum, ac eum libere non consentire,  
quod negamus: quippè ut verificetur non posse  
impedire consensum, sufficit non posse  
cum illa prædeterminatione conjungere dissen-  
sum; quod autem cum illa prædeterminatione  
non possit conjungere dissensum, non tollit, ut  
sepius dictum est, quod cum illa prædetermi-  
natione non possit ad dissensum divisivè ab il-  
la, id est, cum illa, sed non sub illa. Eo antem  
ipso consentit liberè, namque libere consentire  
est consentire cum potentia ad oppositum,  
non in sensu composito, sed diviso.

554 Vel dicatur, quod homo præde-  
terminatus ad consensum non potest impedire coexistentiam, & binarium ex prædetermina-  
tione, & consensu secundum id, quod importat ex parte Dei, & ad Deum pertinens; secūs  
verò secundum id, quod importat ex parte  
creature, & ad illam pertinens. Unde solum in-  
fertur, quod non possit impedire consensum  
se sola, & independenter à Deo, secūs verò de-  
pendenter ab illo. Illa enim coexistentia, seu  
binarum, vel complexum importat existen-  
tiā prædeterminationis, & existentiā con-  
sensus; existentia prædeterminationis solum  
subest potestati Dei; existentia verò consensus  
subest etiam potestati creature, sed non nisi  
dependenter ab existentia prædeterminationis;

*M. Carraasco.*

ac proinde sicut ex hoc ipso ipsa sola sine Deo  
non potest juxta nostra principia efficere illam  
coexistentiam, sed simul cum illo, nempè, ipsa  
eliciente consensum, & Deo prædeterminante  
ad illum, pariter ipsa sola non potest impe-  
dire illam coexistentiam, sed simul cum Deo,  
nempè, ipsa eliciente dissensum, & Deo non  
prædeterminante ad consensum, sed solum  
ad dissensum. Et ex his patet ad confirmationem.

555 Octavo objicit Pater Herrera: si Petrus non posset cràs impedire, quod consensurus sit cràs, absolutè cràs non poterit impedire suum consensum; sed Petrus cràs non poterit impedire, quod consensurus sit cràs: ergò neque poterit dissentire. Major vi-  
detur certa, minor probat. impedire hanc  
veritatem: *Petrus consensurus est cràs*, est  
impedire, quod Petrus consensurus sit cràs;  
sed Petrus cràs non potest impedire hanc ve-  
ritatem: *Petrus consensurus est cràs*: ergò  
Petrus cràs non poterit impedire, quod consensurus sit cràs. Probo minor. hæc veritas:  
*Petrus consensurus est cràs*, juxta Thomistas,  
est ipsum decretum divinum de suo consensu  
crastino: ergò Petrus cràs non poterit impedi-  
re hanc veritatem: *Petrus consensurus est cràs*.

556 Ad hoc argumentum respondetur  
negando major, quam non probat, sed sup-  
ponit; aliud est enim Petrum cràs non posse  
impedire suum consensum crastino, & aliud  
cràs absolutè non posse impedire suum con-  
sensum. Ad primum sufficit, quod cràs non  
possit conjungere dissensum cum decreto,  
quod supponimus de consensu crastino: ad se-  
cundum verò esset necesse, quod neque cum  
prædicto decreto esset conjungibilis potentia  
ad dissensum sub alio decreto. Cum ergò licet  
cuin illo decreto de consensu crastino non pos-  
sit ad dissensum, ut conjungendum cum illo,  
retineat adhuc potentiam divisivè ab illo, &  
sub alio decreto, adhuc verificatur, quod  
cràs potest absolutè impedire suum con-  
sensum, licet non possit impedire suum con-  
sensum crastinum; namque per impedire con-  
sensum crastinum intelligitur conjunctio dissensus  
cum decreto de consensu crastino; nisi forte  
adjectivum crastinum non determinet con-  
sensum in conspectu divini decreti, sed absolute  
fiendum: nám tunc negamus etiam, quod Pe-  
trus cràs non possit impedire, quod consen-  
surus sit cràs, utpote ex se indiferens, &  
potens consentire, & dissentire, sicut &  
potens prædeterminari ad unum, vel ad  
alterum. Nota tamen me sic respondisse  
quia in majori non ponitur Petrus præde-

Oo

ter-

terminatus ad consensum, sicut in præcedentibus argumentis, cum enim sic ponitur, sit sensus reduplicativus, & compositus, ita ut idem sit non posse impedire consensum, ac non posse conjugere dissensum cum decreto, quod quia absolute est verum, propterea à nobis absolute conceditur. Unde si argumentum per Petrum consensorum cras, idem intelligat, ac Petrum prædefinitum ad consentiendum cras, absolute concedimus Petrum cras non posse impedire suum consensum; unde non infertur consequentia, nempè, quod neque poterit dissentire juxta dicta ad præcedentia argumenta.

557 Tandem objicit Pat. Herrera ratio-ne, quam dicit esse ei omnium validissimam: certum est apud Catholicos Deum offerre nobis suum concursum, & per nos stare, quod non habeamus concursum Dei actualem ad actum bonum, & omnem gratiam ad consen-sum requisitam, alioquin staret per Deum, consequenterque neque paratus esset ad con-currendum nobiscum, neque nobis suum con-cursum serio offert contra id, quod docet Con-cilium Senonense decreto 15. ubi ait: *Neque tanta gratiae necessitas libero prejudicat arbitrio, cum illa semper sit in promptu; sed hac oblatio sui concursus, & hec divina præparatio ad concurrendum nobiscum, non stat cum præ-determinatione, & prædefinitione ad oppo-situm: ergo non prædeterminat ad unum ex-tremum præ opposito.* Prob. min. quod ante-cedenter ad meam liberam operationem, inde-penderterque à mea libera voluntate, & accep-tatione mihi denegatur, neque stat per me non habere, neque mihi serio offertur; sed con-cursus in actu secundo, nempè, physica præde-termatio ad unum extremum, v. g. ad con-sensem, antecedenter ad meam liberam opera-tionem, independerterque à mea libera volun-tate, & acceptatione, mihi denegatur, quando prædeterminior ad dissensum: ergo quando prædeterminatur quis ad dissensum, neque est per illum non habere concursum in actu se-cundo ad dissensum, neque illi serio, & verè offertur à Deo.

558 Ad hoc argumentum varijs modis respondent Thomista. Primò: quod Deus est paratus auxilium efficax conferre solum peten-tibus eum, juxta illud: *Petite, & accipietis.* Unde si perseveranter peccant, illud auxilium infallibiliter consequentur, secùs verò si non peccant; proptereaque illud non consequi auxilium stat per ipsos, qui illud non peccunt, cum petere possint. Quæ doctrina consonat Conciilio Trident. sess. 6. asserenti: *Deus impossibi-*

*lia non juvet, sed juvando movet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis.* Sed hic modus dicendi non respondet adæquatè, & universaliter, namque eadem est difficultas de auxilio efficaci ad orandum, ac de auxilio efficaci ad consensum; vel enim stat per ipsum non habere illud auxilium ad orandum, vel non? Si hoc secundum: stabit per Deum, neque Deus erit serio paratus illud auxilium conser-re. Si stat per ipsum: hoc non potest contingere, quia ipse non petit illud auxilium, cum si-ne illo auxilio petere non possit, ut potè auxili-um ad orandum, orationem prævenit.

559 Alij autem dicunt: hominem non ha-bere prædictum auxilium stare per ipsum, quia Deus quantum est ex se paratus est omnibus præbere prædictum auxilium, si ipsi non appo-suierint impedimentum per peccatum; unde ca-rentia talis auxilij homini imputatur, quia ho-mo voluntarie se impedit per peccatum; si-cùt Sole mundus illuminatur, & ad culpam im-putatur ei, qui claudit oculos, vel fenestram, quod non videat, quamvis sine luce videre non possit. Ita Alvarez, disp. 18. de auxiliis, & Lisboniensis, disp. 20. de Scientia Dei, art. 5. & disp. 5. de Voluntate Dei, art. 6. Et novis-fimè eruditissimi Salmanticenses, disp. 7. de Gratia efficaci, dubio 4. foliū. ad 6. num. 260. quæ solutio videtur August. lib. 2. de Peccato-rum meritis, & remuneratione, cap. 17. dicen-tis: *Quod homines non adjuventur a Deo, in ip-sis causa est, non in Deo.* Et Anselmi, qui lib. de causa diaboli, ait: *Ista est causa, quare Deus non conedit diabolo gratiam, quia ipse non voluit accipere.* Et Divi Thom. 1. 2. quæst. 112. art. 3. ad secundum, ubi habet: *Quod effectus gra-tiae prima causa est nobis; sed collationis gratiae prima causa est à Deo, secundum illud Osłęg 13 Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.* Quod adhuc expræfisi docet 3. contra Gentes, cap. 59. ubi inquit: *Ad hu-jus dubitationis solutionem considerandum est, quod licet aliquis per motum liberi arbitrij di-vinam gratiam neque promereret, neque ad-vocare posset; potest autem se ipsum impedire, ne eam recipiat, dicitur enim de quibusdam Job 21. Res ede à nobis, scientiam viarum tua-rum nolumus, & Job 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini; & cum hoc sit in potestate liberi arbitrij, impedire divinæ gratiae receptionem, non immerita imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiae receptioni.* Quod etiam tradit 2. secundæ, quæst. 2. art. 5. ad 1. his verbis: *Auxilium gratiae quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur in pœnam*

*precedentis peccati, & saltē originalis, ut habet Augustinus in libro de correctione. & gratia, cap. 5. & 6.*

560 Sed contra hunc modum dicendi statim se offert, eum solum procedere de secunda negatione auxilij efficacis, quæ nimurum est permisso secundi peccati; secus verò de prima negatione auxilij efficacis, quæ est permisso primi peccati, namque hanc negationem non præcessit aliud peccatum; neque valet si recurratur ad peccatum originale, dicendo Deum denegare auxilium efficax ad primum peccatum vitandum propter peccatum originale, ut videtur asserere Augst. & pariter D. Thom. loco ultimo citato. Sed statim se offert argumentum de ipso peccato originali, quod fuit primum peccatum Adami, sicut & de primo peccato Angelorum: nám nullum istorum peccatorum præcessit aliud peccatum, neque originale, neque actuale: ergò denegatio auxilij efficacis ad prædictum peccatum vitandum, non potuit, juxta hunc modum dicendi, stare per Angelum, vel Adamum.

561 Propter hoc alij Thomistæ dicunt Deum denegare auxilium efficax ad primum peccatum propter ipsum primum peccatum; qui modus dicendi dupli via explicatur: namque aliqui dicunt, quod licet subtractione auxilij efficacis ordine intentionis præcedat ipsum peccatum, quatenus Deus ante prævisionem omnis peccati statuit denegare auxilia eis, quibus defactò negavit, attamen ordine exequutionis peccatum præcedit ipsam subtractionem auxilij efficacis; eo fere modo, quo dicunt Thomistæ reprobationem in ordine intentionis antevertere prævisionem peccatorum; in exequutione verò esse post illam. Et pariter hoc ipsum docent de prædestinat. quæ in intentione est ante prævisa merita, & in exequutione merita prævisa supponit, ita etiam Alvarez, lib. 11. de auxilijs, disp. 113. conclus. 1. juncta cum 2. & Lisboniensis, quæst. 23. de reprobatione. disp. 10. art. 2.

562 Sed hic modus dicendi mihi inintelligibilis est sola ea ratione, quod juxta illum denegatio auxilij efficacis non erit causa peccati, neque eum à priori infallibiliter inferre; ut potè in exequutione consequens saltem posteriori naturæ ipsam existentiam peccati, quod falsissimum est: namque ex eadem ratione, qua collatio talis auxilij est causa consensus, carentia illius est causa non consensus, vel disensus, juxta regulam illam: *Sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis.* Et quidem, si hoc ita est: ergò permisso peccati, seu subtractione prædicti

auxilij est finis respectu peccati, & peccatum ad illam se habet ut medium; sicut ex eadem ratione gloria, quæ in intentione præcedit merita, se habet ut finis respectu meritorum, & merita, quæ in exequutione præcedunt gloriam, se habent ut media respectu gloriae; sed permisso peccati non se habet, ut finis respectu peccati, neque peccatum se habet ut medium respectu sui permissionis: ergò. Actan- dem, Deus prævidet peccatum ut exequutum in sui decreto permisivo, nempe, in decreto denegandi gratiam efficacem ad ipsum vitandum; ergò prius Deus videt permissionem talis peccati, quam videat exequutum peccatum; & consequenter nequit prævideri peccatum ut exequutum, antequam prævideatur illius permisso, seu denegatio auxilij efficacis.

563 Alia via explicatur hic modus ab alijs Thomistis: namque distinguunt inter denegationem gratiae efficacis infieri consideratam, & aetivè sumptam, prout procedit à Deo, quæ prout sic dicitur, permisso peccati; & eandem consideratam in facto esse, prout suscipitur in homine, quæ ut sic dicitur carentia, seu privatio gratiae auxiliantis. Et dicunt inter hanc duplarem considerationem mediare peccatum secundum ordinem rationis, ita ut sequatur illam in prima consideratione, & præcedat eam in secunda: Eo fere modo, quo generatio divina præcedit paternitatem, ut relatio est, & eam subsequitur, ut forma hypostatica est. Ita Illustrissimus Araujo 1. 2. quæst. 111. dub. 6. n. 37. & Gonet disput. 1. de justificat. artic. 8. §. 1.

564 Cui modo affinis est alter Thomistarum, qui ajunt, quod sicut contrito ingenere cause efficientis subsequitur gratiam, & in genere causa materialis, seu dispositivæ eam præcedit, pariter peccatum in genere cause efficientis, vel quasi efficientis subsequitur defectum auxilij efficacis; in genere tamen cause materialis, & dispositivæ antecedit ipsum. Unde sicut propter hoc Deus dicitur infondere gratiam justificantem intuitu contritionis, pariter potest dici denegare gratiam efficacem intuitu peccati, seu propter peccatum. Iste ultimus modus dicendi melius percipitur; habet tamen contra se argumenta, quæ militant adversus opinionem afferentem ultimam dispositionem ad gratiam procedere effectivè ab ipsa gratia. Nota tamen, quod juxta hunc modum dicendi, licet auxilium efficacis non sit in nostra potestate directè, quia cum acquirere non possumus, benè tamè indirectè, quia per nos stat Deum eum

nobis denegare, quatenus nos meti p̄i impedimentum ponimus ad eum recipiendum.

565 Ultimus modus, magisque conformis doctrinæ Divi Thomæ, & Thomistarum in hac tempestate est, quod sicut Deus omnino independenter à voluntate hominis, solum pro sua voluntate confert auxilium efficax, pariter independenter à voluntate hominis, & pro sola sua voluntate illud denegat. Neque denegat hęc sententia Deum multoties unum peccatum permettere in pœnam alterius, sed docet tandem illam denegationem reduci in voluntatem Dei, qui cuius vult miseretur, & quem vult indurat, ut ait Apostolus. Quod & testantur loca scripturæ, Augustini, & Divi Thomæ supra allegata. Hinc ad argumentum negamus Deum esse paratum omnibus conferre suum auxilium efficax; consequenterque hominem non habere illud, stare per ipsum, & non per Deum, locaque scripturæ, quæ in oppositum possunt adduci dicimus procedere solum de auxilio sufficienti, ut ille Apocalypsis: *Ego sto ad ostium, & puls. Et Isaia;* cap. 5. *quid amplius debui facere vineæ mee, & non fecit.* Et Joannis 15. *si non venissem, & loquutus eis fuissim, peccatum non haberent.* Et illud Matthei: *Quoties volui congregare filios tuos sub alas, &c.* Et ad Romanos 2. *ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* Ac tandem Ecclesiastici, cap. 15. *ne dixeris per Deum absit.* Quæ loca de auxilio sufficienti procedunt, affirmantque Deum paratum esse illud omnibus conferre, illudque non conferre stare per ipsos, non per Deum. Ad locum autem allatum ex Concilio Senonesi patet ex dictis resolutio 2. fundament. 3. nempe illis verbis loqui de gratia sufficienti, non de efficacia.

566 Sed hinc insurgit illa communis difficultas: quod si per Deum, & non per hominem stat defectus auxiliij efficacis, cum auxilium efficax sit essentialiter requisitum ad adimplitionem præcepti, videtur deduci homini ad culpam imputari non posse non adimplitionem præcepti, namque nemo peccat in eo, quod vitare non potest; sed homo vitare non potest defectum illius auxiliij, sine quo adimplere non potest præceptum: ergo. Neque valet: quod ut homini imputetur ad culpam omissionis adimplitionis præcepti, sufficit habere auxilium sufficientis; namque per hoc est potens simpliciter illud adimplere, proindeque

non adimplendo peccat. Non inquam valet: nam oppositum intendit argumentum, nempe, quod si auxilium efficax est necessarium requisitum ad adimplitionem præcepti, illo deficiente, deficit auxilium sufficientis ad prædictam adimplitionem.

567 Sed ad hoc recte dictum est: namque, ut plures diximus, auxilium efficax non est requisitum per modum actus primi, neque dat posse, sed illud supponit, & reducit ad actum secundum; proindeque sine illo cum solo auxilio sufficienti est voluntas completa, & potens proxime, & expedire adimplere præceptum; unde si illud non adimpleat, cum tenetur, peccat, namque ad peccandum solum requiritur, quod possit, teneatur, & non faciat. Hinc dicimus, quod licet non peccet in non vitare defectum auxiliij efficacis, quia hoc sub ejus potestate non cadit, peccat tamen in non adimplere præceptum, quia ad hoc habet potestatem in vi auxiliij sufficientis.

568 Ad probationem in contra præter instantiam adductam resolutione prædenti, fundament. 11. dicimus, quod auxilium efficax est essentialiter requisitum per modum applicationis, & reductionis ipsius voluntatis, secus tamen per modum virtutis, & actus primi; & nomine auxiliij sufficientis hoc solum in præsenti intelligimus, sicut & ipsi intelligunt, loquendo de decreto prædefinitivo supponente scientiam medium, quod est decretum purificandi conditionem, sub qua voluntas prævidetur consensura. Et sic quod probat argumentum est, sine auxilio efficaci non salvati auxilium sufficientis, prout hoc dicit auxilium requisitum quomodolibet, sive per modum actus primi, sive per modum applicationis, sive requisitum ad posse, sive requisitum ad actum; secus verò si summaratur strictè, & in toto rigore, nempe, pro auxilio requisito per modum actus primi complentis, & constituentis voluntatem potentem proxime, & expeditè actum elicere; id est pro auxilio requisito nedum ad actum, sed ad posse ad ipsum actum.

569 Sed dices: licet per auxilium sufficientis modo explicato possit voluntas adimplere præceptum, illud tamen juxta dicta non adimplebit sine auxilio efficaci: ergo licet voluntas vi illius auxiliij habeat sufficientiam ad posse adimplere præceptum, non tamen ad actum adimplitionis. Respondeatur: quod sufficientia ad actum adimplitionis per modum actus

actus primi non est alia ; quam sufficien-  
tia ad posse adimplere præceptum ; & sic si  
hanc habet in vi auxilij sufficientis , solum  
sequitur , quod deficiente auxilio efficaci ,  
non habeat sufficientiam ad actum per modum  
applicationis. Sed dices : præceptum  
est de ipsa actuali adimplectione præcepti ;  
ergo & de conjunctione actuali voluntatis  
cum predicta adimplectione ; at auxilium suf-  
ficiens solum per modum actus primi non  
est sufficiens ad conjungendam voluntatem  
cum actuali adimplectione præcepti : ergo in vi  
illius auxilij non habet voluntas sufficientiam  
ad adimplectionem actualem præcepti. Sed  
reipendet disting. consequens : Non habet  
voluntas sufficientiam ad adimplectionem ac-  
tualem præcepti prout sufficientia includit  
omnia quomodo libet requisita ad adimplec-  
tionem , concedo ; prout includit solum suf-  
ficientiam per modum actus primi , nego.  
Et huc sufficientia sufficit , ut voluntas possit  
obligari præcepto ; namque licet præceptum  
sit de actu , & non de potentia ; non tamen  
præceptum intimatur agenti , sed potenti. Un-  
dē non sequitur , quod si Deus præcipiat ac-  
tum , det etiam omnia quomodo libet requisita  
ad actu , sed sufficit , si ei det requisita ad  
potentiam.

570 Sed adhuc instabis , secundum nos  
voluntatem conjungere adimplectionem præ-  
cepti cum defectu auxilij efficacis , est prorsus  
impossible ; sicut & conjungere omissionem  
adimplectionis præcepti cum auxilio efficaci ;  
sed Deo præcipiente amorem , & simul negante  
auxilium efficax ad amorem , est præcipere  
voluntatem conjungere amorem cum defec-  
tu auxilij efficacis ; sequitur ergo Deum præ-  
cipere aliud impossible. Quod cum dicen-  
dum non sit , videtur inferri impossibilem non  
esse voluntatem cum defectu auxilij efficacis  
componere posse adimplectionem præcepti ,  
consequenter prædictum auxilium nullo mo-  
do requiri ad illam.

571 Sed respondet . quod aliud est Deum  
simil præcipere amorem , & denegare auxilium  
efficax ad illum , & aliud Deum præci-  
pere voluntatem conjungere amorem cum  
defectu auxilij efficacis ; primum est verum ,  
secundum falsum. Namque licet Deus dene-  
get auxilium efficax ad amorem , voluntas vi-  
stius denegationis non efficitur impotens  
amare , absolutè loquendo , quia adhuc haber  
auxilium sufficiens. Et sic Deo tunc præci-  
piente amorem , præcipit eum ut possibilem  
voluntati , & sic non præcipit aliud impos-  
sibile.

572 Dices : voluntas carens auxilio ef-  
ficaci non potest hic , & nūc amare , nisi con-  
jungendo amorem cum parentia auxilij efficacis : ergo si Deo denegante auxilium efficax  
ad amorem , voluntati præcipit hic , & nūc  
amare , præcipit ei amorem conjungere cum  
predicta parentia. Sed respondet . distinguen-  
do anteced. si ly hic , & nūc appelleat supra  
verbū amare , concedo , si appeller supra  
verbū potest , nego. Itaque aliud est hic , &  
nūc habere potentiam ad amandum , & aliud  
habere potentiam ad amandum hic , & nūc  
voluntas ergo hic , & nūc , nempe , cum pri-  
vatur auxilio efficaci ad amorem , retinet po-  
tentiam ad amandum , sed non ad amandum  
hic , & nūc , quod esset necesse , ut esset po-  
tentia ad conjungendum amorem cum paren-  
tia auxilij ; sed absolute , & in sensu diviso , ut  
à simili diximus de potentia prædeterminata  
ad amorem , quod simil retinet potentiam ad  
odium , sed non ad odium simul , id est , non  
ad conjungendum odium cum amore , sed ab-  
solutè , & in sensu diviso. Pariter licet Deo  
denegante auxilium efficax ad amorem , volun-  
tati præcipiat hic , & nūc amare , non propte-  
rè ei præcipit conjungere amorem cum pa-  
rentia auxilij : nam ly hic , & nūc non de-  
terminat amorem ut conjungendum cum pa-  
redicta parentia , sed absolute siendum hic , &  
nūc præscindendo ab illa : ut potest parentia  
prædicta non tollit amorem hic , & nūc ex  
terminis esse possibilem , licet facta reduplica-  
tione impossibilis sit.

573 Et pro toto argumento nota instan-  
tiā jām insinuatam de decreto purificandi  
conditionem , quod ab adversaris ponitur , ut  
simpliciter necessarium ad adimplectionem  
præcepti , cum tamen sine illo in ipsorum do-  
ctrina salvetur auxilium verè sufficiens , aliter  
cum decretum illud acquirere non sit in pote-  
state hominis , neque ei poterit imputari ad  
culpam non adimpleti præcepti. Neque pos-  
sunt respondere , ut pluries notavi , præcipue  
resoluti præcedenti , fundam. 3. nisi quod il-  
lud decretum non est simpliciter necessarium  
ad posse adimplere præceptum , sed solum  
ad actu adimplere præceptum , proindeque  
non esse necessarium ex parte actus primi , sed  
solum ex parte actus secundi ; quod idem nos  
dicimus de decreto , auxilioque ab intrinseco  
efficaci.

Objiciuntur argumenta ex RR. Thyrso, pri-  
mario Salmanticensi.

574 **H**ucusque P. Herrera. Nunc  
objicit RR. Thyrus, 1. tom.  
disp. 9. sect. 2. n. 9. nulla vo-  
luntas subjacens decreto eam prædeterminan-  
ti ad actionem amandi, seu nulla voluntas  
prædeterminata ad actionem amandi, habet  
potestatem antecedentem ad faciendum, ne  
actio amandi ponatur à parte rei: ergo nulla  
voluntas prædeterminata ad actionem amandi  
manet libera ad non amandum. Prob. ante-  
ced. prædeterminationem actu influere in ac-  
tionem amandi est actionem amandi ponit à  
parte rei, & è converso; sed nulla voluntas  
prædeterminata ad actionem amandi haber  
potestatem antecedentem ad faciendum, ne  
prædeterminatione actu influat in actionem aman-  
di: ergo nulla voluntas prædeterminata  
ad actionem amandi habet potestatem antece-  
dentem ad faciendum, ne actio amandi pona-  
tur à parte rei. Major videtur manifesta: nam  
actualis influxus prædeterminationis in actionem  
amandi non distinguitur ab actuali influ-  
xu voluntatis, siquidem prædeterminationem  
actu influere, idem est, ac voluntatem ut præ-  
determinatam actu influere voluntate autem, ut  
prædeterminata actu influere in actionem aman-  
di, identificatur cum actione amandi, siquidem  
non influat in illam per aliam actionem: ergo  
idem est realiter actionem amandi existere à  
parte rei, ac phisicam prædeterminationem  
actu influere in actionem amandi. Minor verò  
sic prob. phisicam prædeterminationem non  
influere actu in actionem amandi ex terminis  
est, vel phisicam prædeterminationem non exi-  
stere, vel ad illam jam existentem non sequi  
actionem amandi; sed nulla voluntas præde-  
terminata ad actionem amandi habet potesta-  
tem ad faciendum ne phisica prædeterminatio  
actu influat in actionem amandi.

575 Hoc argument. sibi novissimè obji-  
cit noster Mag. Ferre ex RR. Thyrso, tom. 2.  
in 1. 2. in fine, §. 8. *responsiones ad alia objec-  
ta*. Et resp. primò neg. sup. majoris, nempe,  
prædeterminationem ad amandum actu influ-  
re in actionem amandi; etenim prædetermi-  
natio ad amandum non datur, ut actu influat  
in actionem amandi, sed datur ut applicet vo-  
luntatem operativam ad amandum. Itaque  
principium operativum amoris non est præ-

determinatio, sed voluntas, quæ prædetermi-  
natur. Aliud enim est, quod ut principium ope-  
retur, indigeat prædeterminari, & aliud est,  
quod indigeat prædeterminatione, ut princi-  
pium operativo. Primum est verum, secundum  
falsum; sicut aliud est, quod efficiens ad hoc,  
ut efficiat, indigeat existentia, sic quod sine illa  
non posset efficere, & aliud, quod indigeat exi-  
istentia ut principio operativo actionis.

576 Hec solutio facit vim in verbo; &  
sane licet influere elicivè, seu eliciendo perti-  
neat solum ad principium operativum; influ-  
re tamen prædeterminatione attinet etiam ad  
principium prædeterminativum, quod est  
Deus, cuius causalitas ad intra est decretum, &  
ad extra est auxilium, vel prædeterminatione. Et  
sic negari non potest, quod Deus per præde-  
terminationem phisicam influat in actionem  
amandi, nempe applicative, seu prædetermina-  
tivè, licet non elicivè, & de hoc influxu  
procedit major argumenti.

577 Hinc 2. resp. Ferre, quod licet præ-  
determinatione ad amandum influat in actionem  
amandi, sed non ut causa, sed ut modus causæ,  
nempe, modificans voluntatem. Et sic falsum  
est dicere: *Actionem amandi existere à parte  
rei, esse prædeterminationem actu influere in  
actionem amandi*. Cujus ponit exemplum in  
sententia probabili, quod species impressa in-  
fluit in actum intelligendi, quo supposito, ad-  
huc est falsum dicere: Intellectionem existere  
à parte rei esse speciem actu influere in ipsam.  
Cujus ratio est: quia concursus speciei impref-  
fa non est concursus intelligentis, sed purè ad-  
juvantis intellectum, ut intelligat. Sed contra  
est, quod licet prædeterminatione non influat, ut  
causa elicivæ, influit tamen, ut causa præde-  
terminativa; vel ut melius dicam, ut causalitas  
principij prædeterminativi, quod est Deus.  
Quod ab exemplo comprob. namquæ species  
verè influit in actum intelligendi, ut causa se-  
tenens ex parte objecti: *Ab objecto enim, O  
potentia paritur notitia; à potentia ex parte  
intelligentis, & ab specie impressa ex parte ob-  
jecti; unde est duplex causa. Pariter ergo actio  
amandi procedit à prædeterminatione ex parte  
Dei, ut primæ causæ, & à voluntate ex parte  
creaturæ, ut secundæ causæ*. Et quis neget spe-  
ciem actu influere in actum intelligendi, esse in-  
tellectionem ponit effectivè à parte rei, quan-  
tum est ex parte objecti, sicut & ponit à parte  
rei ex parte intelligentis, est intellectum actu  
influere in illam.

578 Hinc 3. resp. prædict. Mag. conced.  
major. & neg. min. nempe, nullam volunta-  
tem prædeterminatam ad actionem amandi  
ha-

habere potestatem antecedentem ad efficiendum, ne prædeterminatio influat in actionem amandi; nam licet ex parte rei operata non stet prædeterminationem existere, & actum in actum amandi non influere; tamen ex modo operandi voluntatis contingentis, dum sic influat in actum, quod possit non influere, potest voluntas antecedenter facere, quod prædeterminatio actu non influat in actum amandi, nam prædeterminatio sic influit in actum amandi, quod non auffert modum operandi contingentem, quem ex se habet voluntas; modus autem operandi contingentem, est sic defacto operari, quod possit non operari: ergo modus operandi, & actu influendi prædeterminationem in actum talis erit, quod licet ex parte rei operata non stet illam existere, & actu non influere, tamen ex modo operandi possit non influere.

579 Fateor hanc modum dicendi esse aliorum thomistarum, mihi tamen nunquam verum. Et negari non potest oppositum esse commune thomistarum, qui absolute, & simpliciter fatentur absque distinctione aliqua auxilium Dei, quia ab intrinseco efficax, esse essentialiter connexum cum consensu, & esse absolute, & simplicitate inimpedibile, & inauferibile, & infrastrabilis, sicut & decretum, vel prædefinitio efficax, à qua procedit.

580 Unde melius resp. iuxta dicta ad sextum argum. Complut. Herrera, neg. prium anteced. ad probationem dist. major. prædeterminationem actu influere in actionem amandi est actionem amandi ponit à parte rei prædeterminativè, & prout à Deo, concedo; est ponit à parte rei elicitivè, & prout à creatura, nego, & conc. min. & dist. consequens eisdem terminis: ergo nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi habet potestatem antecedentem ad faciendum ne actio amandi ponatur à parte rei, ea ratione, qua procedit à Deo, nempè, prædeterminativè, concedo: ea ratione, qua procedit à creatura, scilicet, elicitivè, subdistingo: independenter ab eo quod Deus ponat parentiam prædeterminationis ad actionem amandi, concedo: dependenter ab hujusmodi parentia ponenda à Deo, adhuc subdistingo: non habet potestatem antecedentem primam, & independentem, concedo: secundam, & à prima dependentem, nego. Quæ solutio patet ex dictis. Neque obstat probatio majoris, nempè, quod actualis influxus prædeterminationis in actionem amandi non distinguitur ab actuallu influxu; namque hoc indubitatum est, quod influxus prædeterminationis non distinguitur ab ipsa prædeterminatione, hæc enim est ipsa Dei causalitas ad extra, qua

nostram voluntatem reducit de actu primo ad secundum; nec potest dubitari quod prædeterminatio, seu auxilium, quo Deus sic reducit voluntatem nostram, realiter distinguitur ab ipso influxu voluntatis, utpotè realiter præsum ad ipsum. Hinc caute ille author hoc ipsum probat, ex quo prædeterminationem actu influere idem est, ac voluntatem prædeterminatam actu influere, quod verum est loquendo de influxu in effectum, secus verò de influxu consistente in ipsa reductione, seu determinatione causæ, qua præviè presupponitur ad influxum in effectum. In effectum enim Deus non alia actione influit, quam actione creaturæ, proptereaque dicitur concursum Dei simultaneum cum concursu creature identificari. In determinationem verò causæ ad influxum in effectum Deus influit qualitate prædeterminante realiter distincta à determinatione, qua ipsa voluntas se reducit, utpotè causa ejus prævia ad ipsam, & eam infallibiliter influens.

581 Quidquid autem sit de hoc, nec potest negari, quod licet eodem influxu, quo Deus influit in actionem amandi, influat creatura; ille influxus sit à Deo solum prædeterminativè, & à creatura elicitivè; semper ergo manet in suo robore solutio, quod licet voluntas non possit facere ne prædeterminatione influat in actionem amandi, solum sequitur non habere potestatem antecedentem ad faciendum, ne actio amandi ponatur à parte rei ea parte, & ratione, qua pendet à Deo, nempè, prædeterminativè; secus verò ea ratione, qua pendet à voluntate, scilicet elicitivè. Unde sequitur habere potestatem antecedentem ad faciendum, ne actio amandi ponatur à parte rei, tamen causa secunda primæ subordinata, & dependenter ab illa, licet non è converso. Et hoc solum probat ultima probatio minoris, qua etiam utitur in sequenti argumento.

582 Secundo objicit RR. Thrysus: voluntas prædeterminata ad actionem amandi nullam habet potestatem ad impediendam existentiam amoris: ergo non libere, sed necessariò amat. Conseq. est evidens, & probat. anteced. voluntas prædeterminata ad actionem amandi nullam habet potestatem ad impediendum influxum passivum prædeterminationis in actionem amandi; sed hic influxus est ipsa actio amandi: Ergo voluntas prædeterminata ad actionem amandi nullam habet potestatem ad impediendum actionem amandi. Minor est conspicua: quia ille influxus passivus nihil aliud est quam dependentia actionis amandi à prædeterminatione; hæc autem dependentia est ipsam actionem, quæ sicut per se ipsam est de-

dependentia à voluntate, ita juxta adversarios est dependentia à prædeterminatione. Major suadetur: impedire influxum passivum prædeterminationis est, vel facere nè existat prædetermination, vel ne ad ipsam existentem sequatur actio; nam ex terminis non est alius modus impediendi influxum causæ; sed voluntas prædeterminata ad actionem amandi nullam habet potestatem ad faciendum nè existat prædetermination, nullam item ad faciendum nè ad ipsam existentem sequatur actio: Ergo voluntas prædeterminata ad actionem amandi nullam habet potestatem ad impediendum influxum passivum prædeterminationis in actione amandi.

583 Ad hoc argumentum Magister Ferre respondet primò negando illam majorem: *Voluntas prædeterminata ad actionem amandi nullam habet potestatem ad impediendum influxum passivum prædeterminationis in actionem amandi;* propter incongruenciam terminorum: nam fatis incongruum est prædeterminationem habere influxum passivum in actionem amandi; ad hoc enim requirebatur, quod actus amandi subjectaretur in prædeterminatione, nam habere influxum passivum in aliquam formam, solum potest covenire receptivo talis forme, sicut partes dicitur habere influxum passivum respectu albedinis, quia recipit in se albedinem.

584 Sed patet argumentum, non sic intelligere influxum passivum in actionem amandi, nempe, pro ipsa actione amandi recepta in ipsa prædeterminatione, sed pro prædeterminatione passivè sumpta, & ut se tenet ex parte voluntatis prædeterminatae. Unde ne in rem gravi fiat vis in verbo, respondet secundò juxta dicta ad præcedens argumentum negando suppositum majoris, nempe, prædeterminationem activè influere in actum amandi. Quis solutio etiam rejicitur ex dictis. Unde tertio responderet: quod licet nulla sit potestas in voluntate ad faciendum nè prædetermination in voluntate recipiatur, quia non recipitur in voluntate liberè, sed necessariò; tamen voluntas prædeterminata ad actum amandi, dum sic amat, quod potest non amare, ex modo amandi potest in alio sensu impedire, quod prædetermination actu non influat in actionem amandi, & sic major syllogismi est falsa. Ad ejus probationem, quod impedire influxum prædeterminationis est, vel facere nè existat prædetermination, vel nè ad ipsam existentem sequatur actio, respondet, nil horum esse, sed esse nè ad voluntatem prædeterminatam sequatur actio, non ex parte rei operæ, sed ex

parte modi operandi voluntatis prædeterminatae. Dum enim voluntas prædeterminata ad amorem, sic amat, quod possit non amare, sic operatur, quod ex parte modi operandi possit facere, quod non sequatur amor, quamvis ex parte rei operæ infallibiliter sequatur. Quod est habere potestatem in sensu diviso ad impediendum ne ad voluntatem prædeterminatam ad amorem sequatur amor.

585 Hæc solutio, licet vera sit ea parte, qua asserit voluntatem nostram prædeterminatam posse impedire existentiam amoris, non quia possit facere ne existat prædetermination, vel quod ea existente, sequatur amor, sed quia prædeterminata est juxta proprium modum causæ liberæ, & indifferentis ad opposita, qua ratione sic Deus prædeterminat voluntatem ad amorem, quod in ea relinquat potentiam ad oppositum, licet enīm hac ex parte sit vera, unde sic responsum fuit ad simile argumentum 5. objectum ex P. Herrera; tamen deficit ea parte, qua asserit, quod voluntas prædeterminata ad amorem, dum sic amat, quod potest non amare, ex modo amandi potest in aliquo sensu impedire, quod prædetermination actu influat in actionem amandi; hoc enim falso reputo, ut supra dixi. Cum eo enim, quod voluntas prædeterminata sic amet, quod possit non amare, componitur illam prædeterminationem esse infallibiliter connexam cum amore, esseque absolutè, & simpliciter instruibilem, & inevitabilem à creatura, ut teneat jam communiter thomistæ; aliter neque prædetermination est ab intrinseco efficax, & ei resistere posset in aliquo sensu creatura, quod à parte procedit contra scripturam, & Sanctos Patres, & præcipue contra D. Thom.

586 Unde melius resp. præscindendo ab hac doctrina, concedendo, quod voluntas prædeterminata ad actionem amandi, nullam habet potestatem ad impediendum influxum activum prædeterminationis in actionem amandi, & distinguendo de passivo; namque si per passivum influxum prædeterminationis intelligatur ipsam prædeterminationem passivè recepta in voluntate prædeterminata, verissimum est voluntatem non habere potentiam ullam antecedentem ad impediendum prædictum influxum, quippè hæc non recipitur in voluntate dependenter à libero arbitrio creaturæ, sed solum Dei. Hinc autem non infertur nullam potestatem habere ad impediendum actionem amandi: & quia hæc realiter distinguitur à divina prædeterminatione contra probationem argumenti: & quia secundum nostrum principium prædeterminationis recipitur in voluntate

te juxta modum suum; proindeque taliter cam determinando ad amorem, quod relinquat potentiam ad oppositum. Si vero per influxum passivum prædeterminationis intelligatur non prædeterminatio ipsa passivè recepta, sed terminus ad eam consequutus, qui est actio amandi, tunc subdistinguitur juxta dicta ad præcedens argumentum: non habet potestatem ullam antecedentem ad impediendum influxum passivum prædeterminationis, quatenus influxus passivus illius est, hoc est, quatenus actio amandi procedit à Deo prædeterminativè, conc. sub alia ratione, nempè quatenus à voluntate creata elicitive procedit, nego, propter rationem assignatam: quia à voluntate creata etiam prædeterminata elicitive procedit secundum proprium modum, proindeque cum potentia ad oppositum; & hoc secundo modo potest voluntas libera creata impedire amorem prædeterminatum à Deo, non quia posset facere, ne existat prædeterminationis, nec quia posset facere, quod ea existente, non sequatur amor.

587 Secund. potest responderi huic arg. juxta 1. solut. ad 6. argum. P. Herr. conc. major. nempè, quod voluntas prædeterminata ad actionem amandi nullam habet potestatem, ad impediendam existentiam amoris, & neg. conseq. quam vocat evidentem, nempè, non amare liberè, sed necessariò. Namque voluntatem prædeterminatam ad actionem amandi posse impedire consensum, seu amorem, est posse cum prædeterminatione conjungere dissensum; quippè, ut ipsi dicunt, est posse facere non existente prædeterminatione, sequatur amor; proindeque potentia, ad impediendum amorem in voluntate prædeterminata, est potentia ad non amorem in sensu composito, quam non admittimus; bene tamen in sensu diviso, nempè, ad non amorem sub alia prædeterminatione, & carentia prædeterminationis ad amorem, quæ sufficit, ut voluntas non necessariò, sed liberè amet.

588 Denique objicit RR. Thrysus, ponamus voluntatem prædeterminari ad nolitionem amoris, & probemus, eam tunc non liberè, sed necessariò omittere amorem; voluntas prædeterminata ad nolitionem amandi nullam habet potestatem, ad faciendum, ut existat actio amandi: ergo non liberè, sed necessariò omittit amorem. Prob. antec. Voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris nequit facere, ut actio amandi conjungatur cum prædeterminatione amoris; sed actionem amandi existere, est, actionem amandi conjungi cum prædeterminatione amoris; ergo voluntas prædeterminata ad no-

litionem amoris nequit facere, ut actio amandi existat. Min. videtur clara: siquidem existere actionem amandi est conjungi cum voluntate, ut prædeterminata ad amandum, & hoc est conjungi cum prædeterminatione. Rursus: quia actio amandi est conjunctio sui cum suis causis, & cum omnibus essentialiter prærequisitis ad ipsum, in quibus per se numeratur prædeterminationis amoris. Prob. maj. Voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris non potest facere, ut prædeterminationis amoris conjungatur cum actione amandi: ergo neque potest facere, ut actio amandi conjungatur cum prædeterminatione amoris. Patet conseq. quia illa duo solum differunt penes nomen activum, & passivum. Prob. antec. Voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris necessario, & absque libertate caret prædeterminatione amoris, neque illam potest pro libito suo acquirere; sed nulla potentia habet facultatem, ad faciendum, ut forma, quæ necessariò, & absque libertate caret, & quam pro libito suo nequit acquirere, conjungatur cum aliquo alio, ut videtur manifestum: ergo voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris nequit facere, ut prædeterminationis amoris conjungatur cum actione amandi.

589 Ad hoc arg. resp. 1. Mag. Ferré, etiam faciendo vim in verbo, nempè, quod Thomista non prædeterminant voluntatem ad omissionem amoris, quia in non amare voluntas non dependet à Deo, ut primo operante, quia non amare non est voluntatem operari, sed potius est, carere operatione. Cum tamen argumentum, non procedat de voluntate prædeterminata ad omissionem amoris, sed ad nolitionem amoris, quæ licet abstrahat à negativa, & positiva, in argum. supponit pro positiva, quæ operatio est. Unde omessa hac solutio, 2. resp. conformit. ad nostr. doct. neg. antec. ad prob. dist. minor. Actionem amandi existere, est actionem amandi conjungi cum prædeterminatione, loquendo de existere per ordinem ad primum posse, & secundum posse, nempè voluntatis creatæ, & Dei, conc. loquendo de existere solum per ordinem ad voluntatem creatam, neg. & dist. cons. Ergo voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris nequit facere, ut actio amandi existat, quatenus dependet à prima, & secunda causa, conc. proit dependet solum à voluntate creata, nego. Itaque cum absolute concedimus voluntatem creatam posse amare, nolumus, neque possumus dicere, quod voluntas creata posset facere amorem, & posset ponere omnia requisita ad ipsum, sive per modum principij operativi, sive per modum applicationis primi agentis. Sed solum voluntas,

& possumus dicere, quod voluntas creata habeat in se id, quod concurrit ad amorem, ut dans posse amare, vel à Deo applicatum, vel à Deo applicabile; nequè enim possumus dare voluntati creatæ, quod possit amare, ut Deus potest, sed ut creature potest.

590 Ita Mag. Ferrè, cui libentissimè subscribo, juxta doctrinam à nobis traditam, solvendo cetera argumenta. Namquè existentia amoris potest considerari, & prout à Deo prædeterminante, & prout à creatura elicente, nequè potest esse, prout à Deo prædeterminante, quin sit prout à creatura elicente, cum prædeterminatione amoris infallibiliter inferat voluntatem amare. Nequè pariter potest esse à voluntate, ut elicente, quin sit à Deo, ut prædeterminante, ut potè, secundum amans, & Deo subordinatum in amare, ab eoque dependens: conjunctio ergo amoris eliciti à voluntate cum prædeterminatione procedente à Deo importat existentiam amoris, prout ab utraque causa, nempè prima, & secunda. Unde solum inferatur, quod voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris, non habeat potestatem, ad faciendum, ut existat actio amandi se sola, ut potè existentia amoris præter elicitam illius requirit prædeterminationem, quæ non est in potestate voluntatis; secùs verò dependenter à Deo, nempè Deo prædeterminante, & voluntate elicente. Et hoc est, voluntatem habere potestatem ad existentiam amoris, ut causa creata, & secunda, aliter esset prima, & Deus.

591 Poterat etià resp. conc. absolute actionem amandi existere esse actionem amandi conjungi cum prædeterminatione amoris, & disting. maj. voluntas prædeterminata ad nolitionem amoris nequit facere, ut actio amandi conjungatur cum prædeterminatione, secundum quod conjunctio cum prædeterminatione dicit, seu importat efficientiam ipsius prædeterminationis, conc. secundum quod conjunctio cum prædeterminatione dicit solum efficientiam amoris sub prædeterminatione facta à Deo, nego. Licet enim solus Deus efficiat prædeterminationem, hac tamen supposita, voluntas sub illa elicit amorem, & sic elicit amorem, conjungendo illum cum prædeterminatione facta à Deo in sensu, in quo homo generat hominem, uniendo animam corpori, non quia animam efficiat, sed quia jam à Deo creatam conjungit corpori. Et in hoc sensu diximus, usquè adhuc voluntatem prædeterminationem ad amorem posse ad oppositum, nempè non sub prædeterminatione ad amorem, sed sub carentia istius, & prædeterminatione ad oppositum hac importata ex parte termini, qui

est amor, sed non ut ponenda à voluntate creata, sed à Deo, quia hoc est posse ad oppositum, ut causa secunda, & primæ subordinata.

*Objiciuntur argumenta Alterius Primarij Complutensis Societatis in suo manu scripto de auxilijs.*

592 **V**T Petrus liberè consentiat in instanti A. opus est, ut simùl cum consensu habeat potestatem antecedentem, ut in eodem instanti actu dissentiat; sed Petrus prædeterminatus ad consensum in instanti A. non habet simùl cum consensu potestatem antecedentem, ut in eo instanti dissentiat: ergo Petrus prædeterminatus ad consensum in instanti A. non consentit libere. Major est certa: nam si Petrus simùl cum consensu non habeat potestatem antecedentem, ut in eodem instanti actu dissentiat, habebit quidem impotentiam antecedentem, ut actu dissentiat, & exinde necessitatem antecedentem, ut actu consentiat, quia non est unde proveniat potentia antecedens actu dissentendi in eo instanti, nisi ex necessitate antecedenti actu consentiendi; si autem Petrus habet necessitatem antecedentem, ut actu consentiat in instanti A. consensus non est liber, sed necessarius.

593 Quis non videat clare fallaciam hujus argumenti, ad allucinandum scholares? Fatum enim, quod ut Petrus libere consentiat in instanti A. opus est, ut simùl cum consensu, id est, in eodem instanti, in quo consentit, habeat potestatem antecedentem, ut actu dissentiat; sed non ut actu dissentiat in eodem instanti; longè enim distat in eodem instanti consensus habere potentiam ad dissentendum, & habere potentiam ad dissentendum in eodem instanti consensus; hoc secundum facit sensum compositum: Primum verò salvatur in sensu diviso; ut enim voluntas simùl cum consensu, & in eodem instanti possit ad diffensum in sensu diviso, non exigitur, quod possit ad diffensum pro eodem instanti, in quo consentit, quia hæc est potestas ad conjungendum diffensum cum consensu; sed pro alio, & divisum ab illo instanti, sicut & divisum à consensu. Quod & fateri tenentur omnes: namque neque Petrus determinatus à se in instanti A. habet potestatem, ut dissentiat in eodem instanti, in quo consentit, sed in alio, & divisivè ab illo, aliter haberet potestatem ad conjungendum consensum cum diffensu, quod in omni schola implicat contradictionem. Hinc negatur major: Ad probationem distinguo: si

Petrus simul cum consensu non habet potestatem antecedentem, ut in eodem instanti actu dissentiat, habebit impotentiam antecedentem, ut dissentiat pro eodem instanti, conc. ut dissentiat pro alio instanti, nego. Hinc cautè cum major procedat de potentia antecedenti ad dissentendum in eodem instanti, in probatione solum infert impotentiam antecedentem, ut dissentiat, quod non sequitur. Concedimus enim in eodem instanti impotentiam antecedentem, ut dissentiat pro eodem instanti, quia haec est impotentia ad conjungendum dissensum, nedum cum prædeterminatione ad consensum, verum & cum ipso consensu. Negamus tamen in eo instanti, in quo prædeterminatur ad consensum & consentit impotentiam antecedentem, ut dissentiat, quia haec est impotentia ad dissentendum in sensu diviso, cuius oppositum profiteatur Thomistarum doctrina.

594 Hinc iste Doct. non ignarus hujus doctrinæ, postquam minor, probat argumento communissimo, quod Petrus prædeterminatus ad consensum habet impedimentum dissensus cum eo essentialiter pugnans, & caret potestate, ne existat tale impedimentum, de quod jam supra. Secundò prob. minorem: ex quo Petro deest potestas, ut se reducat ad actum dissentendi in instanti, pro quo actus dissentendi est omnino repugnans Petro; sed Petro prædeterminato ad consensum in instanti A, est omnino repugnans pro eo instanti actus dissentendi, quia pro eo instanti non aliter potest existere actus dissentendi, quam conjunctus cum prædeterminatione ad consensum: ergo, planè concludens suum intentum, si non detegatur fallacia, distinguendo de posse in eodem instanti, in quo est prædeterminatus ad consensum, ad actum dissentendi pro alio instanti, id est, in sensu diviso, secùs verò pro eodem instanti, & in sensu composito.

595 Secundò objicit prædictus Complut. 3. prob. ejusdem minoris sic: Quicumque caret potestate, ut ponat dissensum in re, caret potestate, ut posteà dissentiat; sed Petrus prædeterminatus ad consensum caret potestate, ut ponat dissensum in re: ergo caret potestate, ut posteà dissentiat. Min. prob. Omnis modus ponendi in re dissensum est simpliciter impossibilis Petro prædeterminato ad consensum: ergo Petrus prædeterminatus ad consensum caret potestate, ut ponat in re dissensum. Prob. antec. Omnis modus ponendi in re dissensum est illum ponere, vel conjunctum cum prædeterminatione ad consensum, vel conjunctum cum parentia prædeterminationis ad consensum; sed omnis prædictus modus est simpliciter im-

possibilis Petro prædeterminato ad consensum: ergò omnis modus ponendi in re dissensum est simpliciter impossibilis Petro prædeterminato ad consensum. Conclusio est evidens in *Barbara*, si præmissa sint vera, Quas proba sigilatim, majorem sic: Omnis modus ponendi in re dissensum, est omnis, & solus ille modus, quo dissensus potest existere à parte rei, quid clarius? Sed omnis modus, quo dissensus potest existere à parte rei, est existere conjunctus cum prædeterminatione ad consensum, vel conjunctus cum parentia hujus prædeterminationis: ergo omnis modus ponendi in re dissensum, est illum ponere, vel conjunctum cum prædeterminatione ad consensum, vel conjunctum cum parentia prædeterminationis ad consensum. Prob. min. omnis modus, quo dissensus potest existere à parte rei, est existere cum altero ex duplice contradictorio cujuscumque binarij contradictorij; sed binarium ex prædeterminatione ad consensum, & ejus parentia est aliquod binarium contradictorium: ergo omnis modus, quo dissensus potest existere à parte rei, est existere conjunctus cum prædeterminatione ad consensum, vel conjunctus cum parentia ejus prædeterminationis,

596 Probo jam minorem ejusdem syllagismi, nempè, omnis prædictus modus ponendi in re dissensum, est simpliciter impossibilis Petro prædeterminato ad consensum: quidem rectè fatentur adversarij modum ponendi in re dissensum conjunctum cum prædeterminatione ad consensum esse simpliciter impossibilem, ne solùm Petro, sed etiam Deo, qui conjungere non potest extrema essentialiter mutuo repugnantia, & impossibilia. Deinde modum ponendi in te dissensum conjunctum cum parentia prædeterminationis ad consensum, esse simpliciter impossibilem Petro, probatur: subjecto, quod neque habet ullam potestatem veram habendi parentiam prædeterminationis ad consensum, est simpliciter impossibilis modus ponendi in re dissensum conjunctum cum parentia prædeterminationis ad consensum; sed Petrus prædeterminatus ad consensum est tale subjectum; ergo. Prob. major: nam subjecto, quod caret A, & abest potestas ut existat A, est simpliciter impossibilis modus ponendi B, faciens, & componens binarium ex B. & A, alias potest illud subjectum facere binarium ex B. & A, per positionem solius B, quod chimera; sed modus ponendi in re dissensum conjunctum cum parentia prædeterminationis ad consensum, est modus ponendi in re dissensum, faciens, & componens binarium ex dissensi, & parentia prædeterminationis ad consensum: ergo subjecto

cto, quod neque habet ullam potestatem habendi carentiam prædeterminationis ad consensum, est simpliciter impossibilis modus ponendi dissensum conjunctum cum carentia prædeterminationis ad consensum. Eccè probatas præmissas illius syllogismi, cuius conclusio legitima est.

597 Hoc argum. millies vidi objectum Compluti; sed planè robur ejus procedit contra Thomistas afferentes potentiam Petri prædeterminationis ad consensum, ad eliciendum dissensum in sensu diviso, esse potentiam, ad illum eliciendum secundum se, præscindendo ab illius coniunctione cum prædeterminatione ad consensum, & à carentia prædictæ prædeterminationis. Contra quos rectè procedit argum. proband. prædictam potentiam, si semel est ad ponendum dissensum in re, seu eo modo, quo existere potest à parte rei, non posse præscindere, vel ad ponendum ipsum, ut conjunctum cū prædeterminatione, vel ut conjunctum cum carentia prædeterminationis. Ita ego fateor, ut patet ex dict. ad 2. argum. objectum ex P. Her. ubi dixi, potentiam in sensu diviso ad dissensum non esse solum ad dissensum in sensu diviso præcissivo, sed etiam formali, & positivo, nempe, ad dissensum sub carentia prædeterminationis ad consensum, seu ut conjunctum cum prædicta carentia.

598 Difficultas ergò hujus argum. solum reducitur ad illam prob. Subiecto, quod nullam habet potestatem habendi carentiam prædeterminationis ad consensum, est simpliciter impossibilis modus ponendi in re dissensum conjunctum cum carentia prædeterminationis ad consensum, secundum id, quod prædictum conjunctum, seu binarium, importat ex parte Dei, & ad Deum pertinens, nempe, quantum ad ponere carentiam prædeterminationis ad consensum, conc. secundum id, quod importat ex parte creaturæ, & ad creaturam pertinens, nempe, quantum ad elicientiam dissensus sub carentia prædeterminationis ad consensum posita à Deo, subdistinx. est ei impossibilis sine dependentia à Deo, conc. dependenter ab illo, neg. Et hic solus modus ponendi in re dissensum, est proprius causæ secundæ liberae. Vel dicatur hoc ipsum alijs terminis: est ei impossibilis, secundum quod modus ponendi in re dissensum conjunctum cum carentia prædeterminationis ad consensum dicit etiam efficeri ipsam carentiam, conced. Secundum quod dicit elicientiam dissensus sub illa ca-

rentia, subdist. ut subdistinx: est ei impossibilis independenter ab eo, qui potest ponere carentiam prædictam, conc. dependenter ab illo, nego. Hinc subiecto, quod caret A. & non habet potestatem, ut existat A. est simpliciter impossibilis modus ponendi B. faciens, & componens binarium ex B. & A. independenter ab alio, qui habet potestatem, ut existat A. secundus verò dependenter ab illo, seu ambo simili concurrentes, nempe, uno ponente A. & altero efficiente B. tunc enim ex utriusque cursu resultat binarium ex B. & A. licet nullus illorum seorsim ab alio illud binarium efficere possit. Sic autem, & non aliter dicimus creaturam ponere dissensum cum carentia prædeterminationis ad consensum, seu binarium ex dissensu, & illa carentia; nempe, non creatura seorsim à Deo, seu independenter ab illo, sed simili cum Deo, nempe, Deo prædeterminante ad dissensum, seu ponente carentiam prædeterminationis ad consensum, & creatura sub hac prædeterminatione, & illa carentia eliciente dissensum: quia aliter intelligi non potest, quod voluntas creata eliciat dissensum, ut causa secunda, secundumque agens liberum, primo subordinatum.

599 Tertiò objicit prædictus Complutensis ex secunda confirmatione: si Petrus præterminatus ad consensum habet potestatem, ut actus ponat in re dissensum secundum sua intrinseca prædicata, habet etiam potestatem impediendi consensum pugnantem essentialiter cum dissensu; sed Petrus præterminatus ad consensum non habet potestatem impediendi consensum: ergò neque habet potestatem, ut ponat in re dissensum. Major est certa, & minor probat. si haberet potestatem impediendi consensum, necessario haberet potestatem impediendi prædeterminationem ad consensum; sed Petrus per nos non habet potestatē impediendi prædeterminationem ad consensum: ergò. Major prob. sub hac forma: omnis præterminatus ad consensum, & habens potestatem impediendi consensum, habet potestatē se separandi positivè à numero præterminatorum ad consensum; sed omnis præterminatus ad consensum, & habens potestatē se separandi positivè à numero præterminatorum ad consensum, habet potestatē impediendi prædeterminationem ad consensum: ergò. Illatio legitima est, probo præmissas, majorem sic: omnis præterminatus ad consensum, & habens potestatē impediendi consensum, habet potestatē se separandi positivè à numero consentientium; sed omnis habens potestatē se separandi positivè à nu-

mero consentientium, habet potestatem se separandi positivè à numero prædeterminatorum ad consensum: ergò. Conseq. est legitima, major probat, nam potestas se separandi positivè à numero consentientium, est potestas se conjungendi in numero non consentientium; numerus autem non consentientium non præscindit, sed formaliter, & positivè dicit separationem, & disjunctionem sui à numero consentientium. Minor etiam patet: quia juxta adversarios omnes, & soli consentientes sunt numerus prædeterminatorum ad consensum; nam omnes prædeterminati ad consensum consentiunt, & nulli non prædeterminati ad consensum consentiunt.

600 Confirmatur: prædetermination ad consensum methaphysicè connectitur cum existentia exercita consensus in instanti, pro quo est prædetermination: ergò habens potestatem ad impediendum consensum, habet potestatem ad impediendam prædeterminationem ad consensum. Antecedens supponitur, & consequentia probatur: qui habet potestatem, ut non existat terminus connexionis, habet potestatem faciendi, ut non existat fundatum connexionis, si tale fundatum non supponitur aliunde sublatum; sed si Petrus prædeterminatus ad consensum, habet potestatem impediendi consensum, habet potestatem faciendi, ut non existat terminus connexionis prædeterminationis ad consensum, quæ aliundè non supponitur ablata, sed potius existens: ergò. Conseq. est legitima. Probat, minor: potestas impediendi consensum est potestas faciendi, ut non existat, neque exercetur intrinsecè in se ipso consensus; sed consensus, ut existens, & exercitus intrinsecè in se ipso est terminus connexionis prædeterminationis ad consensum, quæ non supponitur aliundè ablata: ergò si Petrus prædeterminatus ad consensum habet potestatem impediendi consensum, habet potestatem faciendi, ut non existat terminus connexionis prædeterminationis ad consensum, quæ non supponitur aliunde ablata.

601 Neque valet, quod Petrus prædeterminatus ad consensum, potest impediare consensum, sed non formaliter, & reduplicativè, quatenus est terminus connexionis ad consensum, & hoc esset necesse, ut potestas ad impediendum consensum esset potestas ad impediendum prædeterminationem ad consensum. Contra enim est: nàm consensus prædeterminatus sub ea ratione est terminus connexionis prædeterminationis, sub qua respicitur à prædeterminatione, & ab ea infertur per consequiam legitimam;

*M. Carrasco.*

sed prædeterminatio respicit, & infert per consequiam legitimam consensum ut actu existentem, & intrinsecè exercitum in se ipso: ergò si ut sic Petrus prædeterminatus ad consensum potest impedire consensum, poterit impedire consensum formaliter, & reduplicativè quatenus est terminus connexionis prædeterminationis ad consensum.

602 Ad argumentum in primis potest negari major, quam dicit esse certam; namque, ut supra diximus, sola potestas ad ponendum in re dissensum ut coniunctum cum prædeterminatione ad consensum est potestas ad impediendum consensum, secùs vèrò potestas ad ponendum in re dissensum divisivè à prædeterminatione ad consensum. Unde cessat argumentum situm solum in eo, quod si posset impedire consensum, posset etiam impedire prædeterminationem ad consensum.

603 Deinde dato, quod in prædeterminato ad consensum sit potestas ad impediendum consensum, nego, quod eo ipso habeat potentiam impediendi prædeterminationem ad consensum. Namque, ut plures dictum est, potentia ad impediendum consensum, sicut & ad eliciendum dissensum in prædeterminato ad consensum, est potentia ad impedimentum consensus dependenter à carentia prædeterminationis ad consensum portenda à Deo, non à creatura. Sicut enim non potest consentire, quin Deus prædeterminet ad consensum, sic nec potest dissentire, vel impediare consensum, quin Deus prædeterminet ad dissensum, & tollat ipsam prædeterminationem ad consensum. Negamus ergò majorem: ad ejus probationem eisdem terminis, quibus communiter usi sumus, respondeo distinguendo: omnis prædeterminatus ad consensum, & habens potestatem impediendi consensum, habet potestatem se separandi positivè à numero prædeterminatorum ad consensum, secundum illum, quod haec divisio, seu separatio importat ex parte Dei, & ad Deum pertinens, nego: secundum id, quod importat ex parte creaturæ prædeterminatæ, & ad ipsam pertinens, concedo. Et distinguo minorem: sed omnis prædeterminatus ad consensum, & habens potestatem se separandi positivè à numero prædeterminatorum ad consensum habet potestatem impediendi prædeterminationem ad consensum, si sit potestas se separandi positivè à numero prædeterminatorum ad consensum, ponendo ipsam carentiam prædeterminationis ad consensum, concedo: si solum sit potestas se separandi per posse ad dissensum, vel non

PP.

con-

consensum posita à Deo illa carentia , nego. Et hinc clauditur additus ad ceteras probations. Quę solutio patet ex dictis : illa enim positiva separatio & includit carentiam prædeterminationis ad consensum , & elicientiam dissensus , seu non consensum ; sicut autem ad Deum solum pertinet prædeterminare ad consensum , & ad creaturam illum elicere dependenter ab illa prædeterminatione , sic solum ad Deum pertinet ponere carentiam prædeterminationis ad consensum , & ad creaturam elicer dissensum , seu non consensum dependenter ab illa carentia. Licet ergo prædeterminatus ad consensum habeat potestatem separandi se positivè à numero prædeterminatorum ad consensum , ex quo est potens impedire consensum , non inde sequitur habere potestatem impediendi prædeterminationem , quia ad hoc est necesse habere potestatem impediendi consensum , nedum eliciendo dissensum , sed etiam ponendo carentiam prædeterminationis ad consensum.

604 Ad confirmationem rectè dictum est: namque consensus potest considerari quatenus à Deo , nempè , ut prædeterminatus , & quatenus à Petro , nempè , ut elictus , seu volitus; primo modo est in impeditibilis à Petro , sicut & prædeterminatio ipsa , secùs verò secundo modo ; quatenus prædeterminatio ipsa inimpeditibilis à Petro , sic tamen recipitur in voluntate Petri , quod in ea relinquat potentiam ad oppositum , utpote recipitur secundum proprium illius modum. In hoc enim sensu , & non aliter supponimus Petrum prædeterminatum ad consensum habere potestatem impediendi consensum: nempè , non quia possit facere ne existat prædeterminatio , neque quia possit facere , ne ea existente non sequatur consensus ; sed quia cum prædeterminatione ad consensum simili retinet potentiam ad dissensum in sensu diviso , id est , ad dissensum sub carentia prædeterminationis ad consensum , hac importata ex parte termini , qui est dissensus , aliter erit potentia ad dissensum , ut conjungendum cum prædeterminatione ad consensum , in quo sensu non admittimus Petrum prædeterminatum ad consensum posse impedire consensum.

605 Neque instat replica , utpote consensus ipse nedum est existens , & exercitus intrinsecè in se ipso , ut prædeterminatus à Deo , sed etiam ut elictus à creatura; licet ergo terminus qui divinæ prædeterminationis sit consensus ut existens , & exercitus intrinsecè in se ipso , terminus tamen quo non potest non esse distinctus : nempè , est terminus prædeterminationis , ut prædeterminatus à Deo , & est ter-

minus voluntatis creatæ , ut ab ea elicitus , alia enim est ratio prædeterminati correspondens primę causę , & alia ratio elicitæ correspondens causę secundæ ; & in universum alia est ratio effectus prout à Deo , & alia est ratio illius prout à creatura ; sicut & alia est ratio effectus prout à causa particulari , & alia ratio illius prout à causa universalis , licet idem sit terminus qui utrinque causæ.

606 Deinde potest responderi alijs terminis in idem incidentibus , concedendo anteced. & negando conseq. Ad probationem disting. majorem : qui habet potestatem , ut non existat terminus connexionis , habet potestatem faciendi , ut non existat fundamentum connexionis , si tale fundamentum non supponitur aliunde ablatum , neque auferibile ab alio superioris potestatis , concedo : auferibile , nego: & eisdem terminis distinguo minor. sed si Petrus prædeterminatus ad consensum habet potestatem impediendi consensum , habet potestatem faciendi , ut non existat terminus connexionis prædeterminationis , quæ aliunde non supponitur ablara , neque auferibilis ex parte Dei , concedo : auferibilis à Deo , nego , sunt termini clarissimi : namque nos numquam ponimus in prædeterminato ad consensum potentiam ad impediendum consensum , nisi dependenter a Deo potente tolle prædeterminationem ad consensum , & ponere prædeterminationem ad dissensum , in qua includitur carentia prædeterminationis ad consensum ; ita ut licet prædeterminatio ad dissensum , & carentia prædeterminationis ad consensum non importetur subjectivè , & ex parte potentie , utpote quam conjungimus cum prædeterminatione ad consensum ; importetur tamen ex parte termini , qui est dissensus , vel non consensus: ergo illa potentia ad impediendum consensum , licet sit potentia ad impediendum terminum connexionis ad consensum , non ablata prædeterminatione ad consensum , est tamen potentia ad impediendum terminum connexionis prædeterminationis ad consensum auferendę , vel auferibilis ex vi divinæ potestatis , non ex vi potestatis creatæ.

607 Quartò objicit prædictus Complutensis : qui subest necessitatí simpliciter antecedenti , ut actu consentiat , non habet potestatem antecedentem , ut actu dissentiat; sed Petrus prædeterminatus ad consensum subest necessitatí simpliciter antecedenti , ut actu consentiat : ergo. Major est certa , & minor probatur : qui subest necessitatí simpliciter antecedenti , ut sit vera propositio enuntians actu consentire sub aliqua conditione ,

& simili subest eidem necessitati, ut purificetur conditio, subest profecto necessitati simpliciter antecedenti, ut actu consentiat: cum enim coniunctum ex necessitate conditionali, & purificatione conditionis connectatur cum existentia conditionati, qui subest necessitati simpliciter antecedenti ad tale coniunctum, subest etiam necessitati simpliciter antecedenti ad conditionatum; sed Petrus prædeterminatus ad consensum, subest necessitati simpliciter antecedenti, tum veritatis conditionalis de eo, quod actu consentit sub conditione prædeterminationis, tum purificationis hujus conditionis: ergo subest necessitati simpliciter antecedenti, ut actu consentiat. Major constat per insertam probationem. Minor probat. & quidem Petrus prædeterminatus ad consensum subest necessitati simpliciter antecedenti, ut sit vera haec conditionalis: si Petrus prædeterminatus est ad consensum, actu consentit: nam haec veritas ita necessaria est, ut neque in Deo detur potestas antecedens eam impediendi: Deinde subest necessitati simpliciter antecedenti respectu sui, ut purificetur conditio, nam conditio purificatur per existentiam prædeterminationis, & Petrus pro ratiō necessariō subest prædeterminationi, quandoquidem, juxta adversarios, nulla est in Petro potestas antecedens, ut existat, vel non existat in ipso prædeterminatione: ergo Petrus prædeterminatus ad consensum subest necessitati simpliciter antecedenti, tum veritatis conditionalis de eo, quod actu consentit sub conditione prædeterminationis, tum purificationis hujus conditionis: subest ergo necessitati simpliciter antecedenti, ut actu consentiat,

608 Confirmatur: haec disjunctiva, vel Petrus non est prædeterminatus ad consensum, vel actu consentit, ita est necessariō vera, ut neque in Deo sit illa potestas antecedens in sententia contraria ad ejus falsitatem: ergo Petrus prædeterminatus ad consensum subest necessitati simpliciter antecedenti, ut sit vera utraque, vel altera pars hujus disjunctivæ; sed non subest necessitati simpliciter antecedenti, ut sit vera prima illa pars: *Petrus non est prædeterminatus ad consensum*, patet evidenter: nam si actu est prædeterminatus ad consensum, quomodo erit sub necessitate simpliciter antecedenti, ut non sit prædeterminatus? Alioquin esset sub dupli termino essentialiter opposito, quod repugnat: ergo subest necessitati simpliciter antecedenti, ut sit vera altera pars: *Petrus actu consentit*; sed ad veritatem hujus partis indispensabilit̄ requiritur, quod Petrus actu consentiat: ergo Petrus prædetermina-

natus ad consensum subest necessitati simpliciter antecedenti, ut actu consentiat, & consequenter non habet potestatem antecedentem, ut actu dissentiat.

609 Hoc argumentum ita artificiosè dispositum nullam superaddit difficultatem ad primum, quod objecimus ex Patre Herrera: nemp̄, quod necessitas omnino, & simpliciter antecedens ad consensum, est carentia potestatis antecedentis ad dissensum, & decreto est necessitas omnino, & simpliciter antecedens ad consensum, siquidem ita antecedit, ut nullo modo sequatur. Ubi fuit responsum, non negando decretum esse necessitatem simpliciter antecedentem ad consensum, id est, quod aliquomodo eum sequatur; sed quod est necessitas simpliciter antecedens non per modum actus primi, sed per modum applicationis, & reductionis actus primi ad secundum, non quomodolibet, sed juxta proprium modum causæ liberæ, seu indifferenter se habentis ad opposita: Proindeque haec necessitas non opponitur potentia antecedentii per modum actus primi ad dissensum, & sic neque contradicit libertati. Haec ibi, & sub eadem forma distinguitur prima major præsentis argumenti: qui subest necessitati simpliciter antecedenti, ut actu consentiat, non habet potestatem antecedentem, ut actu dissentiat, si necessitas sit per modum actus primi, concedo: si solū per modum applicationis, & reductionis actus primi ad secundum subdistingo: si sit applicatio juxta proprium modum causæ liberæ, & indifferenter se habentis ad opposita, nego: cum eo ipso relinquat potentiam antecedentem, & per modum actus primi ad oppositum: Si sit applicatio extra, vel contra proprium modum causæ liberæ, vel applicatio, transeat. Et hac distinctione cessat totum artificium argumenti; namque necessitas simpliciter antecedens illius conditionalis: *Si Petrus prædeterminatur ad consensum, consentit*, est necessitas orta solū ex aliquo infallibilit̄ inferente consensum, sed non per modum actus primi, sed per modum applicationis, & non per modum applicationis extra, vel contra modum libertatis, sed juxta illum: non ergo ex illa necessitate potest recte concludi, quod necessariō, & non libere consentit, ut expressè fatetur, & docet Div. Thom. locis supra allegatis.

610 Claritatis tamē gratia posunt eisdem terminis distinguī probationes argumenti, & in primis probatio minoris: qui subest necessitati simpliciter antecedenti, ut sit vera propo-

sitio enuntians actu consentire sub aliqua conditione, &c. distinguo: sub aliqua conditio-  
ne necessitate per modum actus primi, con-  
cedo: necessitate per modum applicationis,  
&c. nego. Et pariter distinguo illam proposi-  
tionem: conjunctum ex necessitate conditionis  
& purificatione conditionis connectitur  
cum existentia conditionati connexione orta  
ex aliquo se tenente per modum actus primi re-  
spectu conditionati, nego: orta ex aliquo se  
tenente solum per modum applicationis juxta  
proprium modum causae liberæ, concedo. Un-  
de solum sequitur, quod qui subest necessitatì  
simpliciter antecedenti ad tale conjunctum,  
subdit etiam necessitatì simpliciter antecedenti  
ad conditionatum proportionatae necessitatì  
simpliciter antecedenti ad conjunctum, quæ est  
necessitas orta solum ex aliquo se habente per  
modum applicationis. Et adhuc modum pos-  
sunt ceteræ probationes distingui, quin aliqua  
illarum vim inferat ad probandum necessita-  
tem consensus oppositam libertatis. Et hic  
etiam est valde notandum, quod alibi, ne al-  
lucinatur respondens, cum admittit in præde-  
terminatione necessitatem simpliciter antece-  
denter ad consensum, quod ly simpliciter ap-  
pellat solum supra antecedentiam, namque ut  
talis necessitas sit simpliciter antecedens suffi-  
cit, quod ita antecedat consensum, ut nullo  
modo sequatur ad ipsum, quod ita est; non ta-  
men appellat supra necessitatem, nam hæc so-  
lum est simpliciter talis, cum est necessitas per  
modum actus primi, qualiter convenit causis  
necessariis.

611 Ad confirmationem respondetur,  
quod illa disjunctiva: *Vel Petrus non est præde-  
terminatus ad consensum, vel actu consentit,*  
potest considerari, vel juxta subiectam mate-  
riam, nempè, juxta naturam extermorum,  
quæ sunt: *Petrus non est præterminatus ad  
consensum, Petrus actu consentit, vel juxta  
formam, & legem propositionis disjunctivæ.*  
Si primo modo consideretur, non est in illa alia  
necessitas præter eam, quam attribuimus præ-  
determinationi ad consensum respectu consen-  
sus, vel carenti prædeterminationis ad con-  
sensum respectu dissensus. Unde per idem est  
dicere, vel non est præterminatus ad con-  
sensum, vel actu consentit, ac dicere: si hæc  
est falsa, non est præterminatus ad consen-  
sum, hæc est vera, est præterminatus ad  
consensum; sed sic est, quod est prætermina-  
tus ad consensum, actu consentit: ergo actu  
consentit. Et tunc non alia necessitas impor-  
tatur ad consensum, quam ea, quam ex se af-  
fert prædeterminationi ad consensum, quæ, ut

sæpius dictum est, non opponitur libertati con-  
sensus, quippe est necessitas orta non ex aliquo  
se tenente ex parte actus primi, sed applicatio-  
nis actus primi ad secundum, quæ non opponi-  
tur libertati consensus, ut potè applicatio juxta  
proprium modum causæ liberæ, proindeque est  
necessitas solum infallibilitatis, non coactionis,  
vel libertati opposita. Quo in sensu concessio an-  
tecedenti distinguitur consequens distinctione  
sæpius allegata: ergo Petrus præterminatus  
ad consensum subest necessitati simpliciter an-  
tecedenti, ut sit vera utraque, vel altera pars  
hujus disjunctivæ: *Vel Petrus est præterminatus  
ad consensum, vel actu consentit, necessita-  
te orta ex aliquo se tenente per modum actus  
primi, nego: ex aliquo, se tenente per modum  
applicationis juxta proprium modum causæ li-  
beræ, concedo.* Unde non concluditur intentum.

612 Si autem prædicta disjunctiva con-  
sideretur juxta naturam, formam, & legem pro-  
positionis disjunctivæ, concedo absolute primū  
anteced. & consequentiam. Ad minorem sub-  
junctam etiam, concedo, quod non subest ne-  
cessitati simpliciter antecedenti, ut sit vera pri-  
ma illa pars: *Petrus non est præterminatus ad  
consensum.* Et nego conseq. quod subdit ne-  
cessitati simpliciter antecedenti, ut sit vera al-  
tera pars: *Petrus actu consentit.* Ut potè pro-  
positio disjunctiva; quæ ex propria forma, &  
natura ad sui veritatem solum petit, quod vel  
utraque pars sit vera, vel aliqua illarum, non  
tamen quod ista determinatè sit vera, vel alte-  
ra, sed ad summum quod si una ponitur falsa,  
alia ponatur vera, vel è contra, ut contingit  
quando versatur disjunctio inter extrema con-  
tradicторia, & sic si attendamus prædictam dis-  
junctivam juxta jura disjunctivæ, dato quod  
non petat ad sui veritatem, quod prima pars sit  
vera, non propterè petit, quod altera pars sit  
vera, sed quod si prima est falsa, secunda sit ve-  
ra, vel è converso. Quod si argumentum pro-  
cedat supponendo esse falsam primam partem,  
nempè: *Petrus non est præterminatus ad con-  
sensum, tunc nihil concluditur, aliter argumen-  
tum convinceret Petrum subest necessitati  
simpliciter antecedenti ad consentiendum in  
eorum sententia, namque in ea potest idem  
formari argumentum dicendo: hec disjunctiva:  
Vel Petrus non est à se determinatus ad con-  
sensum, vel actu consentit, est ita necessariò vera,  
ut nulla sit in Petro potestas ad eam falsifican-  
dam, ut potè disjunctiva inter extrema contra-  
dictoria saltem mediatis: namq sicut determina-  
tio, qua se efficaciter Petrus determinat ad con-  
sensum, infallibilitè insert cōsensu ut potè deter-  
minatio ipsa est ipsissima eliciētia consensus, ita*

carentia determinationis ad consensum infert infallibilitatem ipsum dissensum, vel non consensum. Et supponamus, quod sit falsa prima pars, scilicet: Petrus non est a se determinatus ad consensum: ergo Petrus subest necessitati simpliciter antecedenti ad alteram partem: Petrus actu consentit; conseq. non valet, quia haec necessitas est solum ex suppositione, quod disjunctiva est vera, & prima pars est falsa, unde necessariò infertur, quod secunda sit vera. Et pariter idem argumentum potest formari in disjunctiva ex quibuslibet extremis contingentibus contradictoriè, vel privativè oppositis.

613 Quintò objicit Prædictus Complutensis: qui subest cause facienti voluntatem actu consentire, & non potest impedire, quod prædicta causa id faciat, subest necessitati simpliciter tali, ut actu consentiat; sed Petrus prædeterminatus ad consensum subest tali causa, & non potest impedire, quod ea causa faciat, ut Petrus consentiat: ergo subest necessitati simpliciter tali, ut actu consentiat. Major est Divi Thomæ, quæst. 6. de malo, artic. unico ad 15. ubi ait: *Illa causa, qua facit voluntatem velle non oportet, quod ex necessitate hoc faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum prestari.* Ecce si voluntas non posset impedire, quod causa consensus faciat causæ actu consentire, talis causa necessitaret ad consentendum: ergo sentit Div. Thom. eum, qui subest cause facienti voluntatem actu consentire, & non potest impedire, quod prædicta causa id faciat, subesse necessitati simpliciter tali, ut actu consentiat.

614 Sed respondeo Div. Thom. in illo articulo, cum objecisset tertium argumentum, quod si voluntas hominis immobilitè movesatur a Deo, sequitur, quod homo non habeat liberam electionem suorum actuum, respondeo: *Quod Deus movet quidem voluntatem immutabilitè propter efficaciam virtutis motivæ, que deficere non potest.* Ecce expræsè concedit Div. Thom. hominem subesse causæ primæ facienti voluntatem actu consentire, quin possit impedire, quod prædicta causa id faciat, & nihilominus expræsè negat, quod subest necessitati simpliciter, ut actu consentiat. Namque prosequitur: *Sed propter naturam voluntatis motæ, que indifferenter se habet ad diversa, non inducitur necessitas, sed manet libertas.* Sicut etiam in omnibus providentia divina infallibilitè operatur; & tamen a causis contingentibus proveniunt effectus contingenter, in quantum Deus omnia movet proportionabilitè unumquodque secundum suum modum. Quid clarius contra assumptum, quod concludere

connatur iste Doctor adversus nos ex ipso Div. Thoma?

615 Hinc cum D. Thom. ad 15. argum. respond. quod illa causa, qua facit voluntatem velle, non oportet, quod ex necessitate hoc faciat, quia potest per ipsam voluntatem impedimentum prestari, loquitur non de causa prima, sed de alia causa secunda, præcipue objectiva, seu motiva; quod expræsè docet in verbis sequentibus, quæ sunt hujusmodi: *Vel removendo talem considerationem, que inducit eum ad volendum, vel considerando opositum, scilicet, quod hoc quod proponitur ut bonum, secundum aliquid non est bonum.* Quod & antea premisserat in solutione ad septimum loquendo de nostra voluntate per ordinem ad beatitudinem sic: *Cum autem voluntas se habeat in potentia respectu boni universalis, nullum bonum superat virtutem voluntatis, quasi ex necessitate ipsam movens, nisi id, quod est secundum omnem considerationem bonum;* & hoc solum est bonum perfectum, quod est beatitudo, quod voluntas non potest non velle, ita scilicet, quod velit ejus opositum. Potest tamen non velle actu, quia potest avertere cogitationem beatitudinis, in quantum movet intellectum ad suum actum: & quantum ad hoc nec ipsam beatitudinem ex necessitate vult; sicut etiam aliquis non ex necessitate calefieret, si posset calidum a se repellere, cum vellet. Ecce ubi Div. Thom. loquitur de causa faciente voluntatem velle, non prima, sed secunda, & objectiva, seu motiva; namque cum D. Thom. ibi inquirat, utrum homo habeat liberam electionem suorum actuum, aut ex necessitate eligat, objicit argumenta ex omnibus causis, quæ videntur posse necessitare voluntatem ad eligendum. Unde cäute Author argumenti proponit solum verba illa in communi, & facit sequentia. Et miror, quod legendo in prædicto articulo solutionem argumenti, quod procedit de causa prima efficienti, & quod procedit de causa objectiva moventi, illam respuat, & hanc credat: unde non abs re se offert dictum illud celebre S. Margaritæ ad Olibrium Praefatum: *Quæ verecundia est, ut cum in eisdem libris legatur, & pœna Christi, & Gloria, alterum credatis, & alterum respuat.*

616 Alia argumenta, proponit iste Doct. sed ea ommitto, quia coincidunt cum præcedentibus. Pariter argumentatur contra Thomistas, qui asserunt potentiam ad dissensum in prædeterminato ad consensum esse ad dissensum in sensu præcissivo, in quo nobis non opponitur, ut patet ex dictis.

*Objiciuntur argumenta Primarij Complutensis  
Rivadeneurya, loquendo de constitutivo  
libertatis.*

616 **P**lura alia possent objici argumenta ex isto gravissimo Doctore, quæ sparsim proponit: tūm de Voluntate Dei: tūm de Prædestinatione: tūm de Scientia Dei loquendo. Sed quia in omnibus fere se reducit ad fundamenta, quibus in tractatu de actibus humanis, dīp. 14. cap. 1. utitur ad probandum, quod si phisica prædeterminatione est prærequisitum ad nostros actus liberos, sine illa non salvatur libera facultas erga illos, ideo placet sola ista fundamenta objicere.

617 Primo ergo sic objicit: qui non habet facultatem ad ponendum consensum, ut essentialiter est, non habet simpliciter veram, & realem potestatem liberam ad ponendum consensum; sic qui non potest ponere hominem ut animal rationale, non potest absolute ponere hominem, quia homo est essentialiter animal rationale; at imprædeterminatus ad consensum, non habet facultatem liberam ad ponendum consensum, ut essentialiter est: ergo absolute non habet facultatem liberam ad consentiendum. Minor prob. quia cum prædeterminatione sit prærequisitum essentialie ad consensum, consensus est essentialiter coexistens tali prædeterminationi, imprædeterminatus autem, cum careat prædeterminatione, similiusque potestate acquisitiva illius, nequit habere potestatem liberam ad ponendum consensum, ut coexistentem prædeterminationi; sicut idcirco non habeo facultatem liberam ad ponendas meas actiones, ut coexistentes cum conversione Turcæ, quia mihi deficit talis conversio, similiusque potestas acquisitiva illius.

618 Confirmatur: imprædeterminatus ad consensum habet legitimam excusationem, quo minus consentiat, quamvis ipsi præcipiatur consentire actualiter: ergo non habet veram facultatem liberam ad consentiendum. Conseq. constat, & anteced. prob. quia caret prædeterminatione, quæ prærequiritur essentialiter ad consensum, & quam nequit pro suo arbitrio comparare. Ex probanti autem non consensum, quenam responsio potest adhiberi magis rationalis, quam hæc: non habebam quod omnino prærequiritur ad consensum, neque penes meum arbitrium erat illud acquirere. Sic incarcерatus petenti cur non adeat Ecclesiam, ut Sacrum audiat? Rectissime responderet: quia careo solutione vinculorum, eaque requiriatur

ad eam operationem, & penes meum arbitrium non est eam solutionem acquirere: & quidem qui hac responsione non se putaret satisfactum, jure optimo reputaretur stultus.

619 Ad argum. respond. conced. maj. & neg. min. Ad ejus probationem respond. notando ex dictis, aliud esse, prædeterminationem esse essentialiter requisitam ad consensum, & aliud esse essentialiter requisitam ad posse elicer consensum; primum fatemur, secundum negamus; namque ex defectu alicujus requisiti essentialiter ad actum non rectè infertur defectus requisiti essentialiter ad potestatem actus; sicut ex defectu actus non arguitur defectus potentiae ad actum, stat enim in omnium sententia posse ad actum sine actu: ergo & sine requisitis essentialiter ad actum: namque omnibus requisitis essentialiter ad actum existentibus, non posset actus non existere. Et patet instantia communis de decreto prædefinitivo auxilij prævisi per scientiam medium, seu purificandi conditionem, quod est essentialiter prærequisitum ad actum, neque in potestate voluntatis est eum acquirere, & tamen non propter ea in eorum doctrina est essentialiter prærequisitum ad posse elicere actum.

620 Concedo ergo, quod prædeterminatione est prærequisitum essentialiter ad consensum, & pariter quod consensus est essentialiter coexistens tali prædeterminationi; & nego quod imprædeterminatus, carensque predicta prædeterminatione, similiusque potestate acquisitiva illius, nequeat habere potentiam liberam ad ponendum consensum ut coexistentem prædeterminationi, ut potest coexistentia consensus cum prædeterminatione est essentialiter solum requisita ad existentiam consensus, non ad existentiam potestatis ad consensum. Vel si mavis, potest distingui juxta saepius dicta: nequit habere potestatem liberam ad ponendum consensum, ut coexistentem prædeterminationi acquisite à se, concedo: acquisite à Deo, sub distinguo: potentiam liberam primam, & independentem à Deo, concedo: secundam Deo subordinatam, nego.

621 Exemplum allatum non est ad proposatum, quippe conversio Turcæ nedum non est prærequisita ad posse ponere meas actiones, verum neque ad meas actiones, sed disparate fe haber ad illas. Adhuc enim sine conversione Turcæ possunt meæ actiones à me procedere, ut à causa secunda Deo subordinata, & ab eo dependenti, quippe subordinatio mei in operando non sita est in conversione alterius, sicut in nostro casu sita est in dependentia à Deo quantum ad operari, se movere, & determinare. Pre-

terquamquod ex quo mili deficiat talis convercio, simulque potestas acquisitiva illius, solum infertur me non habere facultatem liberam ad ponendas meas actiones, ut coexistentes cum conversione Turcæ, ut à me acquisita, secus verò ut à Deo facta: & non aliter nos ponimus in voluntate creata facultatem ad consentium, ut coexistentem prædeterminationi. Licet absolutè hac facultate concessa, illa non possit concedi, utpote ad subordinationem voluntatis creata respectu Dei conversio Turca impertinenter se habeat, secus verò prædeterminationem voluntatis. Ad confirmationem patet ex dictis resolut. 2. fundam. 11. & ad argumentum ultimum Complutensis Herrera.

622 Secundò objicit P. Rivadeneyra: qui est in periculo mortis adeò gravi, ut nequè penes ejus arbitrium sit ab eo periculo exire, nequè illud periculum conjungere cum perseverantia vita, non habet facultatem, ut perseveret in vita: ergò, qui est in periculo dissensus adeò gravi, ut nequè penes arbitrium ejus sit ab eo periculo exire, nequè illud periculum conjungere cum consensu, non habet facultatem liberam ad consentiendum; at hæc omnia competit imprædeterminato ad consensum: ergò non habet eam facultatem liberam. Min. prob. primò, enim est in periculo dissentendi; nam cum in imprædeterminato sit carentia prærequisiti ad consensum, non potest non reddere valde proximum dissensum, proindeque periculum est dissentendi. Secundò: non est penes arbitrium imprædeterminati ab eo periculo imprædeterminatio exire, non enim est penes ejus arbitrium prædeterminari. Tertiò: non est penes ejus arbitrium imprædeterminationem ad consensum conjungere cum consensu, quia talis imprædetermination est carentia prærequisiti essentialiter ad consensum, nullaque potestate conjungibilia sunt carere prærequisito essentiali ad consensum, & consentire.

623 Ad hoc arg. conc. maj. & consèq. & nego minor. subsumptam. Ad prob. nego 1. quò imprædeterminatus ex hoc ipso sit in periculo dissentendi, namque ex hoc ipso licet illi desit prærequisitum ad consensum, sed non ad posse consentire; qui autem perfecte potest consentire, non est in periculo dissentendi ex defectu potestatis. Neque tunc redditur valde proximus dissensi; potentia enim ex se indifferens, & in actu primo ante omnem actum, & que indifferenter se habet ad unum, atque ad alterum extremum, & quidem ex defectu prærequisiti ac actum solum infertur negatio actus; quis autem dicat negationem consensus esse periculum dissentendi, vel reddere proximum dissensum?

Aliter, dum voluntas non consentit, esset eo ipso in eo periculo, & proximior dissentiri, quam consensu, quod falsissimum est; periculum enim dissentendi ex alijs causis motivis, & intrinsecis provenit, & non ex puro defectu consensus, ut ex se patet.

624 Deinde dicimus, quod licet penes arbitrium imprædeterminati non sit à periculo imprædeterminationis exire, secus tamen à periculo dissentendi: namque licet penes ejus arbitrium non sit imprædeterminationem ad consensum conjugere cum consensu, utpote imprædetermination est carentia alicuius requisiti essentialiter ad consensum; penes ejus tamen arbitrium est consentire in sensu diviso illius imprædeterminationis, quod sufficit, ut absolute dicatur potens consentire, & consequenter posse exire à periculo dissentendi. Quod argumentum instatur etiàm in imprædefinitione ad auxilium prævisum efficax per scientiam medium; utpote in illo etiàm est carentia prærequisiti ad consensum, consequenterque non posset non reddere valde proximum dissensum, neque esset penes ejus arbitrium ab eo periculo imprædefinitione exire, sicut neque prædefinitionem illam comparare; neque etiàm penes ejus arbitrium esset imprædefinitionem ad auxilium conjugere cum consensu, utpote imprædefinitione est carentia prærequisiti essentialiter ad consensum; omni ergo ex parte, in ipsorum sententia, procedit idem argumentum.

625 Tertiò objicit P. Rivadeneyra. Amor creatus, quia est exercitum potentiae cœcæ, est essentialiter ex præmotione intentionalis objecti: tursus, quia est exercitum agentis secundi, est essentialiter ex præmotione physica Dei; at propter primam rationem, qui notitia caret objecti amati, necnon facultate libera, ut in se exercitet talem notitiam, caret libertate, ad mandatum, ut patet: ergò propter secundam rationem, qui caret præmotione physica Dei, facultate quoque libera, ut illam acquirat, caret libertate, ad consentiendum.

626 Prætereà demus, peritissimum medicum habere perspectam infirmitatem ægroti, etdemque medico notissimum esse medicamentum ex parte naturæ, quod nequè invenitur, neque illud confici penes liberam facultatem medici est. Nunc sic: non minus requiritur ad consensum nostrum, quod Deus, & nostra voluntas concurrent, quam ad sanandum ægrotum ars, & natura; at qui ridiculum esset in casu posito dicere medicum habere liberam facultatem, ad sanandum ægrotum, quia scilicet, nihil deest ex pertinentibus ad artem, tametsi ex parte naturæ deest medicamentum omnino requisitum,

quod

quod medicus propria industria, & natura nequit adhibere: ergo neque dici potest hominem imprædeterminatum ad consensum idèò habere facultatem liberam ad consentiendum, quia nihil illi deest ex requisitis pertinentibus ad causam secundam, tametsi ex parte Dei prædeterminantis debet omnino requisitum, quod homo libertate sua nequit comparare.

627 Ad arg. resp. retorquendo ipsum ad hominem: etenim ad facultatem liberam consensus, quia potentia cæca est, solum requiritur essentialiter præmotio intentionalis inefficax, nempè, juditium indifferens, secùs verò efficax, ut est juditium determinatum. Si ergò exemplum tehet, quod sequitur, est ad facultatem liberam consensus, quia potentia secunda est essentialiter requiri præmotionem physicam Dei inefficacem, ut est auxilium sufficiens, secùs verò efficacem, & prædeterminativam.

628 Deinde distingue inter requisitum essentialiter ad exercitium amoris, quia est exercitium potentie cæcæ, & requisitum essentialiter ad posse amare, quia est posse potentie cæcæ; ad exercitium ergò amoris, quia est exercitium potentie cæcæ, requiritur præmotio intentionalis objecti efficax, & determinata, & non sufficit juditium indifferens, quippè à juditio indifferenti voluntas non potest à quoad exercitium determinare; ad posse tamen amare, quia est posse potentie cæcæ, sufficit præmotio intentionalis objecti inefficax, & indifferens, ut de se patet. A simili ergò distingue inter requisitum essentialiter ad exercitium amoris, quia est exercitium potentie secundæ, & requisitum essentialiter ad posse amare, quia est posse causæ secundæ. Ad exercitium ergò amoris, quia est exercitium causæ secundæ, requiritur essentialiter præmotio physica Dei efficax, & determinata, & non sufficit auxilium indifferens, quippè ab auxilio indifferenti voluntas phisice determinari quoad exercitium non potest. Ad posse tamen amare, quia posse potentie secundæ, sufficit præmotio inefficax, & indifferens. Ecce in omnibus æquiparamus præmotionem intentionalem exactam ad exercitium amoris cum præmotione physica exacta ad idem, & exemplo convincitur, quod sicut licet ad exercitium amoris essentialiter requiratur juditium efficax, & determinatum, non tamen ad posse illius exercitij: sic licet ad idem exercitium essentialiter requiratur præmotio physica Dei efficax, & determinata, secùs tamèn ad posse illius exercitij. Unde absolute non valet: est essentialiter requisitum ad exercitium: ergò ad posse exercitij, & in forma potest prædictis terminis distingui illa minor propositio: propter

primam rationem, qui notitia caret objecti a mati, &c. efficaci, nego, inefficaci, seu indifferenti, concedo, & eisdem terminis distinguo consequens, &c.

629 Ad confirm. patet clarissimè disparitas: namquè creatura ex hoc, quod habet omnia requisita ad ipsam pertinentia, dicitur perfectè potens constituta in suo genere, & ordine causa secunda, quamvis, quia secunda, & Deo subordinata, ad consentiendum, indigeat prædeterminatione Dei, quam nec potest acquirere. Attamen medico in eo casu, licet ad sanandum ægrotum, nihil deest ex pertinentibus ad artem, non tamen propterea habet omnia requisita sui generis, & ordinis, nempè causa secunda sanativa, quippè ei deest medicamentum, quod est ipsa causa secunda efficiens sanitatis, cum ars solum sit causa secunda directiva; & sic ars, & medicamentum comparantur ad sanitatem, ut duplex causa, scilicet, directiva, & exequitiva, quarum una sine alia non salvat absolute facultatem liberam sanativam. Cum tamen Deus, & creatura ad consensum comparentur, non ut applicatio causæ ad causam, sed ut applicatio causæ ad exercitium causæ, ut expendimus ad quartum argumentum Comp. Herr. Vel si mavis, dicitur, medicum, ex quo nihil ei deest ex pertinentibus ad artem, habere liberam facultatem, ad sanandum sui generis, & ordinis, nempè facultatem directivam, licet ad exercitium indigeat medicamento, quod propria industria nequit adhibere. Ex hoc enim solum sequitur, non habere facultatem sanativam à toto genere causæ sanativa, utpote ei deest medicamentum, sine quo exequi non potest sanitatem.

630 Quarto objicit P. Rivadeneira ex D. August. de Prædestinat. Sanctor. cap. 2. ubi supra illa verba Pauli secundæ ad Corinth. 3. Non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, sic habet: Si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobis metipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; projecto non sumus idonei credere aliquid, quasi ex nobis metipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus, ex Deo est. Ex quibus sic arguments sua confirmat; sicut prius est cogitare, quam credere, ita per vos prius est prædeterminari à Deo, quam consentire. Rursum: sicut non habemus facultatem liberam ad comparandam primam cogitationem ad religionem, seu fidem, sic per vos non habemus facultatem liberam ad comparandam primam prædeterminationem ad consensum. Ac tandem sicut propterea cogitatio illa non ex nobis metipsis est, sed ex Deo, ita etiam vestra prædeter-

minatio; at juxta Augustinum, quæ in cogitatione assignavimus, probant non esse veram facultatem, & sufficientiam ad fidem, donèc præveniens illa cogitatio veniat à Deo: ergò pariter quæ in vestra prædeterminatione ostendimus, probant non esse veram facultatem liberam ad consensum, donèc veniat à Deo prædeterminationis ad ipsum.

631 Sed resp. neg. conseq. namquæ in cogitatione assignantur, propterea probant non esse veram facultatem, & sufficientiam ad fidem, donèc præveniens illa cogitatio veniat à Deo, quia ipse August. expræsè habet, quod sicut sufficientia ad cogitandum non est ex nobis, sed à Deo, ita sufficientia ad credendum, quæ sine cogitatione nequit esse. Attamen sufficientia ad consentiendum non est ex præmotione efficaci Dei ad consensum, sed ex solo sufficienti auxilio. Licet ergò ex quo auxilium sufficiens est à Deo, probetur sine illo non esse veram facultatem ad consensum, scilicet verò ex quo prædeterminationis sit à Deo; namque hæc non est à Deo, ut præstans sufficientiam, sed ut sufficientiam supponens.

632 Et rutorquetur clare argum. ex dict. ad præcedens argum. namquæ sicut est duplex præmotio, altera sufficiens, & altera efficax, si est duplex cogitatio, altera sufficiens, & altera efficax; at ad liberam facultatem credendi, juxta August. non requiritur cogitatio efficax, sed solum sufficiens, quamvis utraque sit necessaria ad credendum: ergò neque ad liberam facultatem consentiendi requiretur præmotio efficax, sed solum sufficiens, licet utraque sit necessaria ad consentiendum. Prædeterminationis nostra equiperatur cogitationi efficaci, non sufficienti, sed huic æquiparatur præmotio sufficiens, seu sufficiens auxilium. Unde sicut cogitatio sufficiens est, quæ præstat sufficientiam ad credendum, ita præmotio sufficiens est, quæ præstat sufficientiam ad consentiendum. Et sicut cogitatio efficax movet quoad exercitium ad credendum, pariter præmotio efficax, seu prædeterminationis est, quæ quoad exercitium movet ad consentiendum. Licet prædeterminationis æquiparetur cogitationi sufficienti quantum ad assignata in argumento, nempe, quod utraque est prior, neque est libera facultas ad utramque comparandam, & utraque pariter non ex nobis meti ipsiis est, sed ex Deo.

633 Quinto objicit P. Ribadeneira: Prædeterminationis ad consensum est principium consensus; sed principium consensus est potentia ad consensum: ergo prædeterminationis ad consensum est potentia ad consensum: sine illa ergo non salvatur posse ad consensum; unde colligi-

tur esse requisitum per modum actus primi contra omnia hucusque dicta à Thomistis. Major prob. Tùm quia est quoddam ad consensum prærequisitum, post se ipsum afferens posteriorate nature consensum: tūm quia juxta ipsius AA. est, per quam Deus facit, ut faciamus, per quam facit nos consentire: tūm quia nulli venit in dubium cogitationem objecti, quæ ad amorem præcisè inclinat alliciendo, principium esse amoris: ergò nequè dubitandum est, prædeterminationem, quæ ad consensum præviè inclinat determinando, principium esse consensus. Min. verò sic prob. nām Div. Thom. ut probaret, in Divinis esse potentiam respectu actuum notionalium, sic loquitur. 1. part. quæst. 41. art. 4. in corp. *Necesse est, ibi ponere potentiam respectu hujusmodi actuum, cum potentia nihil aliud significet, quam principium alicuius actus.* Unde colligitur. 1. prædeterminationem esse potentiam ad consensum, nām ut vidimus, est principium consensus. Colligitur. 2. non obstat, quo minus habeat rationem principij, & potentiaz ad consensum, quod si ita cum consensu connexa, ut nequè divinitus possit à consensu dividii: nām ex Div. Thom. loco cit. principium, quo Pater generat Verbum, & principium, quo Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus habent rationem potentiaz, & principij respectu generationis, & spirationis passivarum, à quibus tamè neque divinitus dividii queunt.


634 Ad hoc arg. resp. conc. maj. & neg. min. Ad prob. ex Div. Thom. resp. debere intelligi de principio elicitive actus, non de quolibet principio, nempe motivo. Aliter auxilium sufficiens ad actum esset potentia respectu illius, & pariter species impressa esset potentia respectu intellectus; quia auxilium sufficiens ad consensum principium est consensus, & pariter species impressa est principiū intellectus, ab objecto enim, & potentia paritur notitia, nullum tamè istorum est potestia, quia solum sunt principia, ut motentia ad actum, non ut elicitive actum; consensus enim solum est principium elicitive voluntatis, sicut & intellectus intellectus. Auxilium autem sufficiens sic dicitur, quia quoad sufficientiam, seu sufficienter movet voluntatem ad consensum, & pariter species, quia movet intellectum ad intellectum, quod est propriè concurrens motivè, non elicitive, quia ratione neque auxilium dicitur volens, neque species denominatur intelligens. Licet ergò prædeterminationis sit principium consensus, non tamen propterea est potentia ad consensum, quia est principium consensus dumtaxat prædeterminative, seu motive efficienter, non elicitive. Unde Deus per prædet-

minationem ad consensum non est consentiēs, sed movens efficaciter prævie voluntatem ad consensum, quæ sola dicitur consentiens, id est, eliciens consensum, proindeque ea sola est principium per modum potentie. Quod autem addit non obstat quo minus habeat rationem potentie ad consensum, quod sit ita cum consensu connexa, ut neque divinitus possit à consensu dividii; est contra regulam illam, quam retulimus ex doctrina aliorum Thomistarum supra respondendo ad quartum argum. P. Her. nempè, quod tunc requisitum se tenet ex parte actus primi, cum eo existente potest non existere actus secundus. Sed hanc regulam diximus tenere solum in actibus liberis, non in necessarijs. Quippè ut ibi diximus, Visio beatifica non potest existere sine Dei amore, qui actus necessarius est, & tamen se tenet ex parte actus primi respectu illius. Et hujus generis sunt generatio Verbi, & passiva spiratio Spiritus Sancti.

635 Tandem concludit iste Doct. omnia prædicta descendere ex notissimo principio, nempè, illum non habere facultatem simpliciter liberam, cui deficit medium omnino necessarium ad eam consequitionem, & ita deficit, ut penes arbitrium ipsius non sit illud habere; prædeterminatio autem est medium omnino necessarium ad consentiendum, quod medium deficit imprædeterminato, & simul ita deest, ut penes arbitrium ipsius non sit illud habere. Quo circa, ut ingenuè meam tarditatem fatesar, sanè his positis, tam imperceptibile mihi videatur imprædeterminatum habere facultatem liberam ad consentiendum, quam hominem à Matrio distante habere facultatem liberam, ut in Matrii termino se constituat, quamvis ad hoc ex una parte sit necessarium transfire per medium, & aliunde non habeat facultatem liberam ad eum transitum.

636 Sed resp. ex nostro principio sepius præallegato, argumentum procedere de medio necessario, ponendo à causa alia secunda, secùs verò ponendo à Deo, qualis est prædeterminatio. Ex hujus enim defectu, sicut & quod acquisitionis illius non sit penes arbitrium voluntatis, non aliud convincitur, nisi quod voluntas non habeat facultatem liberam ad consequitionem primam consensus, & independentem à Deo, secùs verò secundam, & ei subordinatam. Quod si hoc ei imperceptibile apparet, ideo est, quia per idem concipit, quantum ad præsens creaturam non posset consentire sine Dei prædeterminatione, sicut neque hominem posse se in Matrii termino constituere sine equo, vel alio requisito ad iter faciendum. Cum tamen notissimum sit, & oppositum mihi imperceptibile, quod data

creatura, quantumvis completa, & perfecta in suo genere, & ordine cause secundæ, adhuc non potest non operari, subordinari, & dependere à prima causa. Unde licet ex dependentia ab alia causa secunda reète probetur eam non esse completam in proprio genere causæ secundæ, ex dependentia tamen à causa prima, hoc non sit manifestum, immò, ut dixi, oppositum imperceptibile; nam esse causam completam ad operandum independenter à prima causa, est ex terminis esse causam completam, non secundam sed primam.



## DE JUSTITIA DEI DUBIUM UNICUM.

*Quæ Justitia sit in Deo?*

i J Ustitia definitur à D. Thom. 2. 2. q.

58. art. 1. *Quod est perpetua, & constans voluntas, ius suum unicuique tribuens.* Unde constat, quod ipsum ius est objectum justitiae; quod & probat D. Thom. q. 57. antec. art. 1. Hinc etiam patet, justitiam importare æqualitatem, quia, ut ibi ait D. Thom. vulgariter ea, quæ dicuntur adequari, dicuntur justari, & quia æqualitas semper est ad alterum, etiam justitia dicitur esse ad alterum, quod & probat D. Thom. q. 58. citata ar. 2. Tres autem communiter assignantur species justitiae juxta tres modos recipiendi, seu ordinandi ad alterum, nempe, legalis, distributiva, commutativa, relictis alijs ad justitiam pertinentibus, & quæ dicuntur partes potentiales illius, quia licet imitentur rationem justitiae, ab ea tamen deficiunt, vel quia non reddunt æquale, vel quia non reddunt cum debito, ut docet D. Thom. 2. 2. quæst. 8. 1. art. 1.

2 Justitia legalis, de qua D. Thom. q. 57. citata art. 6. *Est, quæ respicit bonum commune, ut ei reddat, quod suum est.* Et quia lex est, quæ bonum commune servare studet, propterea dicitur hæc justitia legalis, quæ, ait D. Thom. est in Principe Architestonice, hoc est, tanquam in imperante, & dirigente juxta legem. In subditis verò est, tanquam in obedientibus legi, seu regulantibus se per legem. Justitia verò distributiva, de qua D. Thom. 1. p. q. 2. 1. art. 1. *Est, quæ consistit in distribuendo.* Ut cum aliquis Gubernator, vel Dispensator dat unicuique secundum suam dignitatem, quæ propterea respicit bonum commune, ut ait D. Thom. 2. p. q. 6. 1. art.

## RESOLUTIO I.

*In Deo non datur justitia commutativa secundum propriam, & strictam rationem.*

art. 1. ad ult. quatenus tamèn distribuendum à Superiore ordinatè, nempè, secundum æqualitatem proportionis, quæ dicitur Geometrica, seu respectiva, ut ait D. Thom. quæst. prox. cit. art. 2. ad 2. & art. 4. in corp. & ad 2. & quæst. 106. art. 2. ad 1. v.g. ubi Princeps decrevit decem talenta civibus distribuere, debet inter tot partes illa partiri, quòd sunt cives; tali tamen ratione, ut qualis sit proportio meritorum Petri ad merita Pauli, talis sit, & proportio præmij illius ad præmium hujus; si enim merita Petri sunt, ut sex, & Pauli, ut tria, & confert Paulo præmium, ut duo, debet & Petro conferre præmium duplum, scilicet, ut quatuor. Justitia commutativa, de qua etiàm Div. Thom. loco citat. ex. i. part. *Est, quæ consistit in mutua datione, & acceptione: ut puta, Quæ consistit in emptione, & venditione, & alijs hujusmodi communicationibus, vel commutationibus;* quæ propterea à Philosopho in 5. Ethycorum dicitur directiva communicationum, vel commutationum, quæ id circò respicit bonum proprium, seu particulare secundum debitum, quia est inter privatas personas recompensandum ad æqualitatem arithmeticam, quæ dicitur æqualitas simpliciter, & rei ad rem, ut si Petro debeo centum nummos, tòt & teneor restituere.

3 His suppositis, apud omnes est certum, in Deo dari justitiæ legalem, cum ei sit maxima cura de bono communì, ut potè moderator totius universi; uide, cum in Principe sit Architectonice, & tanquam in imperante, & dirigenre; in Deo, qui est Dominus Dominantium, nou potest non esse superiorissimo modo. Solum ergò in præsenti dubio est duplex difficultas. Prima procedit de justitia commutativa; secunda autem de justitia distributiva. Et nota, quòd justitia commutativa, quæ nimirum fundatur in datis, & acceptis, alia fundatur in datis, & acceptis propriè, & strictè, nempè, ubi intervenit propriè, & strictè donatio, qualis est ea, quæ fit cum translatione dominij, puta quæ est inter emptorem, & venditorem. Alia fundatur in datis, & acceptis largè, nempè, ubi solum interyenit obsequium, quod fit per nostros actus liberos sine translatione alicuius dominij, qualis fuit in Christo erga Deum, satisfaciendo ei pro peccato hominum, quatenus ita se humiliavit, ut in affectu redderet Deo tantum honorem, quantum in affectu illi abstulit peccator; quod nomine tenus, & largè dicitur dare, vel reddere, non tamen strictè, & propriè. In præsenti ergò de utraque justitia loquimur, & utramque donationem nomine commutationis intelligimus; id est, intelligimus, quidquid creatura potest facere erga Deum. Sit ergò.

4 **E** st contra Suarez, Granadum, Tatinerum, Alvarez, Cornejo, Nazarium, Araujo, Martinez, & Godoy, est etiàm contra Mag. Ferre, loquendo de justiciacommutativa, quatenus se extendit ad obsequium. Eam tamen tenent Capreolus, Cagjetanus, Ferrariensis, Soto, Bañez, Serra, Líboniensis, & Gonet.

5 Eamque esse expressam D. Thom. prob. ex cap. 8. super Dionys. de divinis nomin. leet. 4. ubi ait: *Justitia convenit Deo secundum tres actus, primò quidem secundum hoc, quod est distribuere, commutativa enim justitia in Deo locum non habet.* Et in 5. dist. 27. q. 1. art. 3. ubi habet: *In redditione præmij ad merita, magis attenditur forma distributionis, cum ipsa unicuique reddit secundum opera sua, quam commutationis, cum Deus à nobis nihil accipiat.* Et i. contra Gentes cap. 9. ait: *Justitia, quantum ad commutationis actuum, Deo competere non potest, cum ipse à nullo aliquid accipiat.* Unde ad Romanos 11. dicitur: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Et Job. 4. dicitur: *Quis autem dedit mihi, & reddam ei?* Per similitudinem autem aliqua dari Deo dicuntur, inquantum Deus nostra data acceptat, non igitur sibi competit commutativa justitia, sed solum distributiva.

6 Tandem i. p. q. 21. art. 1. ubi id ipsum ex professio inquirit, in corp. art. ait: *Quod justitia commutativa non competit Deo, quia, ut dicit Apost. quis prior dedit illi, &c.*

7 Ad tam expressa testimonia resp. Oxom. duplicitè: i. Div. Thom. solum negare Deo justitiam commercialem, quæ in datis, & acceptis consistit cum dominij translatione, & quæ à Philosophis fuit cognita, & definita, non autem justitiam commutativam theologice acceptam, qualiter solum petit jus suum unicuique servare secundum arithmeticam æqualitatem rei ad rem, in quo nulla datur imperfectio, discrimin autem inter distributivam justitiam, & commutativam, consistere in eo, quod hæc prout à Philosophis definita, imperfectiōne involuit, Deoque non potest convenire, bene tamen secunda, in qua etiàm quatenus à Philosophis definita, & cognita, nulla imperfectio Deo repugnans importatur, ideoque prout sic constituitur in ipso.

8 Secundo resp. quod Div. Thom. loquitur de justitia commutativa secundum primam

nominis impositionem, quia nomen primo impositum fuit ad significandam aequalitatem arithmeticam in datis, & acceptis; attamen per translationem significat etiam aequalitatem arithmeticam, sive in datis, & acceptis, sive inter primum, & meritum. De justitia vero distributiva locutus fuit etiam secundum primam nominis impositionem, cuius nomen primò impositionum fuit ad significandam virtutem inclinantem, ad tribuendum unicuique juxta suam dignitatem, in qua significatione nihil imperfectionis Deo repugnantis importatur.

9. Sed contra utramque interpretationem sic insurgo. Nam loco allegato ex i. p. ubi hoc, ut dixi, ex professo examinat, cum inquirat, an in Deo sit justitia? De justitia inquit secundum formalem ejus conceptum, & nedum prout à Philosophis cognita, vel secundam hanc, vel illam nominis impositionem: ergò cum dubium resolvit, concedendo in Deo justitiam distributivam, & negando commutativam, hanc negat, & illam concedit secundum formalem conceptum utriusque; aliter resolutio non responderet quæsito; immò resolutio incipit, dividendo justitiam in commutativam, & distributivam, ut in duplum illius speciem. Divisio autem generis in species est divisio secundum proprium, & formalem conceptum; at ex his speciesbus distributivam concedit in Deo, & commutarivam negat: ergò negat in Deo hanc secundum proprium, & formalem illius conceptum. Deinde taliter D. Thom. negat in Deo justitiam commutativam, ut solùm affirmet in eo reperiri justitiam distributivam; at si solùm negaret justitiam commutativam, prout in creaturis, seu secundum primam nominis impositionem, non verò secundum conceptum illius formalem non verè affirmaret in Deo solùm reperiri justitiam distributivam: ergò.

10. Item in secundo loco allegato taliter negat D. Thom. in Deo justitiam commutativam in redditione præmij ad meritum, quod similiter affirmet in ea redditione magis attendi formam distributionis; sed non magis attendetur forma distributionis, si redditio præmij ad meritum esset propriè, & strictè actus justitiae commutativa theologicè accepta, magis enim in actu cuiuslibet virtutis attenditur forma virtutis, à qua procedit: ergò. Tandem, ut Oxoniensis facetur, Div. Thom. loquitur de utraque justitia, prout à Philosophis cognita; vel ergò justitia distributiva cognita fuit à Philosophis secundum proprium, & formalem conceptum, vel solùm prout in creaturis? Si hoc secundum? Pari sensu prout sic solùm esset à Philosophis definita, & consequenter etiam prout à

Philosophis definita, imbolveret imperfectionem. Si primum, cur etiam non fuit cognita à Philosopho justitia commutativa secundum proprium, & formalem conceptum? Quod si secundum proprium, & formalem conceptum fuit etiam à Philosophis cognita, cur sic non fuit etiam à Philosophis definita, sicut & justitia distributiva? Patet ergò prædictam interpretationem, eti tanti Mag. esse omnino voluntariam.

11. Fundamentum nostræ resolutionis est desumptum ex verbis Apost. à D. Thom. prælegatis: *Quis prior dedit illi, & ceteri & reducitur ad formam sic. Jus commutativum, quod est objectum justitiae commutativa, propterea sic dicitur, quia ortum habet ex commutatione, vel operatione, seu obsequio unius erga alterum, ita ut in commutante, vel faciente, sit jus adversus eum, cui commutat, vel erga quem facit obsequium, & in hoc sit debitum compensandi ad aequalitatem arithmeticam, vel acceptandi obsequium, remittendo offensam; ex nulla autem commutatione, vel obsequio creature, immò nec Christi erga Deum potest in creatura, vel Christo oriri jus adversus Deum, nec in Deo debitum, vel obligatio compensandi ad aequalitatem, vel acceptandi ejus obsequia; tum quia alias ex prædicta commutatione, vel obsequio Deus constitueretur simpliciter debitor creature, vel Christo, id est, nedum ei, ut termino seu extremo cui obligationis, verum, & ut principio, & fundamento, ex quo ortum haberet obligatio, & debitum, quod imbolvit imperfectionem omnino à Deo repugnantem, nempe subordinationem, subjectionem, inferioritatem, & dependentiam à creatura; hac enim ratione Deo denegantur virtutes potentiales justitiae, ut obedientia, Religio, observantia, & alia similes: Tum, quia creatura, vel Christus nihil potest Deo dare, vel erga eum facere, quod non sit sub illius dominio, immò magis, quam sub dominio proprio; est enim Deus supremus Dominus creature, & consequenter est Dominus omnium bonorum illius, que licet à Deo creature donentur, nos propterea Deus à se abdicat dominium illorum, siquidem semper ex ipsis influxu, & causalitate pendent.*

12. Et propterea, ait Apost. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Ac si diceret: *Quis dedit illi, quod suum non esset, nec sub illius dominio caderet?* Cui consonat illud i. Paralypom. cap. 29. *Tua sunt omnia, & que de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Et illud Trid. sess. 6. cap. 16. *Tanta est erga omnes homines bonitas Dei, ut eorum velit esse merita, quae sunt bona sua.* Et illud in Canone Missæ: *Offerimus.*

*mus de tuis donis ; ac datis ; ac tandem illud Augustini : Deus , dum coronat merita nostra , coronat bona sua.* Patet autem , quod ex proprijs alicujus non potest jus oriri ad verius ipsum ; cum quilibet possit de suis facere , & disponere ad proprium libitum , & sicut ei placuerit.

13 Hinc pater non sufficere ad constituendam justitiam commutativam in Deo paustum illud onerosum , quo Deus promittit justis vitam æternam , sub conditione bonorum operum ; licet enim ad justitiam commutativam requiratur pactum , ut explicatio onoris , & tituli , quo alter dat , nempè ut ei retribuat ; si enim tale onus non explicatur , non tenetur accipiens se obligatum intelligere , quia potest præsumere sibi oblatum titulo liberalitatis ; attamen ulterius requiritur , quod pactum cadat super materiam talem , quod ex ejus commutatione in uno criatur jas aduersus alterum , & in altero obligatio , & debitum ei compensandi ad equalitatem. Cum ergo pactum , quod Deus inijs cum justis , non cadat super taliem materiam ; nam adhuc supposito pacto , omnes creature sunt sub dominio Dei , nec supposito pacto , potest Deus fieri simpliciter debitor creature , quia ex proprio conceptu dicit imperfectionem , consequenter illud pactum non sufficit constituere in Deo justitiam commutativam , licet sufficiat constituere justitiam distributivam , quia in hac debitum ortum habet solùm ex lege , quæ in Deo solùm est ordinatio suæ voluntatis , ratione cuius Deus constituitur solùm debitor simpliciter sibi , in quantum tenetur suam ordinationem adimplere ; creaturis verò purè , ut termino , & extremo cui obligatio- nis , qua parte ab ipso removet imperfectionis subjectionis , & dependentia ; quod & fus sius explicabitur in solutione argumentorum.

*Objiciuntur , & solvuntur argumenta-*

14 **C**ONTRA nostram resolutionem primò objicit Oxomensis locum Div. Thom. ex 2. 2.q. 61. art. 2. ad 1. quod sic procedebat : *Juditum divinum est simpliciter justum ; sed haec est forma divini juditij , ut secundum quod aliquis recipit , patiatur : ergo justum est simpliciter idem , quod contra passum.* Cui arguento respondet his verbis. *Ad primum dicendum , quod illa forma divini iuditij attenditur secundum rationem commutativæ justitiae , prout scilicet recompensat præmia me-*

*M. Carrasco.*

*ritis , & suppeditia percutis.* Ex quibus aper te constat Angelicum Doctorem sentire , Deum præmiare nostra merita condigna ex virtute justitiae commutativæ.

15 Communis solutio est D. Tho. debere intelligi de justitia commutativa , non strictè , & rigorosè , sèu quoad substantiam tali , sed tali solùm quoad modum aliquem ; justitia enim commutativa quoad substantiam , & secundum propriam rationem , & strictam , servat æqualitatem rei ad rem cum debito orto ex jure alterius , ut explicatum est. Cum ergò Deus non recompenset præmia meritis , & suppeditia peccatis cum tali debito , consequenter , licet ex illa parte servet modum aliquem justitiae commutativæ , nempè ex parte rerum , quia conservat æqualitatem rei ad rem , non tamen servat modum justitiae commutativæ , quantum est ex parte personarum : nempè quantum ad debitum ortum in uno ex jure alterius , secundum quam rationem attenditur substantia , & forma justitiae commutativæ strictæ.

16 Quæ solutio fundatur , & in locis citatis D. Thom. & in 4. dist. 46. q. 1. art. 1. quæstioncula 1. ubi ait : *Quendam modum commutative justitiae inveniri in Deo respectu crea- turae.*

17 Sed contra hanc interpretationem replicat 1. Oxom. quod si hæc solutio esset vera , D. Tho. argum. non solveret ; nam in corp. articuli docuerat , justum simpliciter non esse idem , quod contra passum , quia licet contra passum reperiatur in justo commutativo , non tamen in justo distributivo , quod justum simpliciter est , & ad hanc conclusionem salvandam , admittens in iudicio divino contra passum reperiiri , quatenus Deus retribuit præmia pro meritis , & suppeditia pro peccatis. Resp. argum. facto , formam divini iuditij attendi secundum rationem commutativæ justitiae : at si retributio pro meritis esset quoad substantiam actus justitiae distributivæ , & solùm haberet modum aliquem commutativæ justitiae , non salvaretur doctrina corporis articuli , cum jam in justo distributivo contra passum reperiaretur : ergo.

18 Secundò : quod Div. Thom. perpetuus est in eo , quod justitia commutativa servat æqualitatem arithmeticam , sèu rei ad rem ; distributiva verò solùm geometricam , & proportionalem , ut patet ex articulo citato in corpore , & ad 2. & quæstione 106. art. 1. ad 2. Si ergò Deus in recompensando præmia meritis , & suppeditia peccatis , æqualitatem arithmeticam , sèu rei ad rem servat , quamvis sine debito , & obligatione orta ex jure alterius , talis reti-

*Qq*

*butio*

butio procedere non potest ex justitia distributiva, sed ex commutativa strictè, & quoad suostantiam tali.

19 Pro solutione nota, quod, ut in principio diximus, justitia distributiva per se solum attendit à qualitatem geometricam, seu proportionalem meritorum ad premia ita ut qualis fuerit proportio meritorum unius ad merita alterius, talis & sit proportio premij unius ad premium alterius, ut si v.g. Petrus habet merita, ut quatuor, & Paulus, ut octo, si Petro conseretur premium, ut duo, conseratur, & Paulo premium, ut quatuor, hoc enim solum per se respicit, & attendit justitia distributiva; quod vero premiu ad unguem adæqueatur merito, v.g. quod Petro habenti meritum, ut quatuor, conseratur premium, ut octo, conseratur premium, ut octo; hoc per se non attendit, permittit tamen, ubi bona sunt copiosa, & sufficientia, ut possint exhiberi, & distribui ad à qualitatem arithmeticam. Hinc in Republica humana, ubi bona sunt pauca, quia in bonis quandoque plus, quandoque minus habet, frustusque nunc benignus, nunc malignus provenient, communicet civibus distribuitur solum secundum à qualitatem geometricam, & proportionalem; in distributione verò divinorum bonorum, quae exhausti non possunt, inpotè infinita, & per Christum, distributio sit secundum equalitatem arithmeticam.

20 Ex his ergo dico, quod cum D. Tho. ait, quod in justo distributivo non reperitur contra passum, intelligitur per se, & positivè, non tamè permisivè, & per accidens, nèpè, ubi bona sunt copiosa, ut explicatum est, & nota doctrinam D. Thom. super Dionys. de div. nomin. cap. 8. lect. 4. ubi ait: *Attribuitur Deo justitia distributiva, que non observat à qualitatem quantitatis, ut equalia omnibus det. sed à qualitatem proportionis, ut det unicuique secundum quod dignum est;* ergo secundum D. Tho. solum opponitur justitia distributiva, ut à qualia omnibus det, quia alijs à qualitatem proportionis non observaret. Quod autem taliter detur ad à qualitatem proportionis, quod unicuique det, secundum quod dignum est, id est, det premium arithmeticè merito à quale, non opponitur hoc, licet nec illud exigat, sed solum permittit. Hinc in Parabola, non omnibus dedit à qualia, sed uni quinque talenta, alij duo, alij unum; unicuique tamen dedit secundum propriam virtutem, id est, ad à qualitate in arithmeticam virtutis. Ex his patet ad secundam replicam.

21 Secundò objicit Oxom. si aliqua imperfæctio esset de conceptu formalis justitiae commutativæ, ob quam repugnat Deo, maximè

quia respicit datum, & acceptum, & quod petit abdicationem dominij, quorum utrumque divina perfectioni repugnat, non enim potest aliquid à nobis accipere, nec a te alicujus rei dominium abdicare; sed nulla ex his imperfectiōnibus est de illius conceptu, et si inter homines cum ultraque imperfectione inveniatur: ergo. Minorem probat quoad primam partem. Nam gratitudo, teste D. Thom. 2. 2. q. 106. art. 1. benefactorem respicit, & debitum super beneficia fundatum; & tamen ponitur à contrarijs gratitudo in ordine ad homines, quin ab illis aliquod beneficium accipiat, sed solum obsequiū, & consequenter respicere benefactorem proprie talem, non est de conceptu formalis gratitudinis: ergo quamvis justitia commutativa inter homines datum, & acceptum cum imperfectione respiciat, hæc imperfæctio non erit de conceptu formalis justitiae commutativæ, sed poterit ab illa prescindere, & in Deo eum omni proprietate constitui. Quoad secundam partem probat minorem. Liberalitas namque inter homines non exercetur, nisi cum abdicatione dominij, eo namque ipso quod aliqua liberaliter largiuntur, dominum rei donata non remanet, sed illam in alterius dominium trasferunt, & tamen hujusmodi imperfæctio non convenit liberalitati ex suo conceptu formalis, sed ab illa prescindit, cum Deus maximè liberalis sit, & liberalitatem exerceat sine abdicatione dominij: ergo quamvis justitia commutativa inter homines non exerceatur sine hac imperfectione, non tamen erit de conceptu illius formalis, & consequenter poterit Deo convenire, etiam si nullius rei dominium à se possit abdicare.

22 Ad argumentum negatur quoad primam partem à nobis, seu à nostræ sententia sectatoribus ponit in Deo virtutem gratitudinis propriè, & strictè talis; quinimò probant contra Vazquez, & illius sequaces, retributionem meritorum in Deo non posse procedere ex gratitudine, sed ex justitia, quia gratitudo in Deo reperi non posse, quatenus secundum proprium, & formalem conceptum respicit benefactorem, & debitum super beneficia fundatum, quod ex Div. Tho. patebit resolutione sequenti. Si tamen forte aliquis tenet, dari in Deo gratitudinem, loquitur de ea non propriè, & strictè, nempe relate ad benefactorem, & beneficium indebitum, sed latè sumpta, nempe pro complacentia, & affectu grato erga bonum, ut sic enim in Deo reperiatur: Deus enim ex retitudine sua voluntatis complacer de bono, & ejus complacentia debet illi affectum bonum, & ex bono affectu debet illi bonum effectum.

fectum. Unde hujusmodi debitum ortum habet ex rectitudine sue voluntatis, seu ex ipsius decentia, non ex beneficio aliquo à creatura exhibito. Et sic est gratitudo in generali quadam ratione considerata, non verò strictè, & rigorosè sumpta.

23 Ad secundam partem argumenti resp. concedendo de liberalitate, & negando de iustitia commutativa, cuius disparitas in eo consistit, quod liberalitas ex proprio, & formalis conceptu non plus exigit quam id, quod est necessarium ad verificandam donationem gratuitam verè, & propriè talem; ad hoc autem non opus est, quod donans abdicet à se dominium rei donatae, sed nec quod abdicet, si sic dominium inferius, quale est in persona privata, vel si dominium sit superior, quale est in Principe, illo retento, conferat dominium inferius his, quibus donat, ut contingit, cum clargitur bona sua in feudum, vel emphyteusim, vel cum donat usumfructum, quo in casu retinet supremum dominium, & solum confert dominium inferius, nempe utile, erga hujusmodi bona, ut autem sit gratuita, sufficit quod non sit debita; patet autem, quod erga plura creaturæ non debita confert ei Deus dominium inferius juxta capacitatem ipsius, nempe utile, ita ut, & bona, quæ sunt sub illius supremo dominio, faciat merita hominis, ut diximus ex Trident. Non ergo liberalitas ex proprio, & formalis conceptu positivè exigit abdicationem dominij, nec est unde possit non convenire Deo.

24 Attamen ad iustitiam commutativam non sufficit collatio inferioris dominij, retento dominio suppremo, sed omnino requiritur illius abdicatio, cuius ratio constat ex dictis; namque retribuens ex iustitia commutativa debet necessariò supponere donationem alterius, ratione cuius in donante oriatur jus adversus accipientem, & in isto debitum, & obligatio retribuendi ei, ex proprijs autem alicujus non potest in altero oriri jus adversus ipsum, nec in eo debitum, & obligatio retribuendi alteri. Oportet ergo, ut Deus retribueret ex iustitia commutativa, quod quam primum donat creaturæ, & creatura accipit à Deo, ut inde possit Deo iterum donando, acquirere jus contra ipsum, quod Deus abdicaret à se dominium illorum, quæ creature donat; alia semper remaneat illorum dominus, & sic nec ex eis posset in creatura induci jus adversus Deum, nec in Deo debitum, & obligato ei retribuendi, ut saepius explicatum est.

25 Tertiò objicit Oxom. In Deo datur iustitia distributiva: ergo, & commutativa. Prob. conseq. nám utraque ista iustitia obligacionem

respicit, & debitum legale requirit ut constat ex D. Tho. 2.2.q.80.art. 1. ubi docet, iustitiam propriè talem, & omnem partem subjectivam illius debitum legale respicere, & ex defectu debiti legalis non minus, quam ex defectu aequalitatis simplicitè deficere aliquam virtutem à ratione partis perfectæ, & subjectivæ iustitiae, & declinare in partem imperfectam, & potentiam illius. Deinde utraque habet pro objecto jus alterius, ut constat ex D. Tho. q.58.art. 1. ubi iustitiam in communis per ordinem ad jus alterius servandum definit: non ergo est, undè admittatur in Deo iustitia distributiva, & non commutativa.

26 Ad hoc argum. quoad primam partem resp. conc. ant. & neg. conseq. Ad probationem dico, utramque iustitiam, obligationem, & debitum legale respicere, ut aperte testatur D. Tho. aliter tamen, & aliter; debitum namque in iustitia commutativa inducitur ex jure alterius erga ipsum retributorem: quia nempe inducitur ex commutatione, vel communicatione, quam alter facit erga ipsum, dat enim ei, ut retribuat, & sic ex hoc ipso, quod ei dat, acquirit jus contra ipsum, ipsumque onerat, & obligat ad retributionem; quapropter accipiens constituitur simplicitè debitor respectu dantis, id est, ne dum debitor ei ut termino, & extremo cui obligacionis, verum ut & principio, & fundamento, ex quo ortum habet ipsum debitum, quod maximā importat imperfectionem, nempe subjectivonis inferioritatis, & dependentię, proptereaque tale debitum repugnat Deo.

27 In iustitia tamen distributiva debitum ortum non habet ex actione alterius erga distributorē, nempe ex quo aliquid ei donaverit, vel erga illud operatus fuerit; ut sic illum oneret, & obliget ad retributionem. Nihil enim horum attendit iustitia distributiva, sed ortum habet predictum debitum solum ex lege ipsa aequalitatis, & rectitudinis naturalis, quæ sita est in ipsa natura boni communis exigentis, ut de bonis communibus fiat distributio proportionabilitè ad uniuscujusque meritum, & dignitatem; hec autem lex in distributorē humano sibi est imposta à Deo Authore totius boni communis, & regula totius rectitudinis naturalis. In Deo autem est ordinatio sue voluntatis, & sapientiae, quæ est lex aeterna, & à qua omnis lex pendet; non enim habet legem sibi ab alio impositam, proprieatate debitum in distributorē humano constituit eum debitorem personis, quibus distribuere tenetur solum, ut termino, & extremo cui obligacionis, non verò simplicitè, id est, ut principio, & fundamento, ex quo ortum habeat debitum; sed ut sic solum debet legi, seu bono communis, in cuius natura sita ex lex, &

cujus debitum implet lex, cum singulis ad proportionem meritorum distribuit, quapropter, qui violat iustitiam distributivam solum violat debitum legis, & boni communis, solumque communitatē facit injuriam, eique solum teneatur restituere, non verò personæ particulari, quia nondum est sibi appropriatum, quod ei reddendum erat ex iustitia distributiva.

28 In Deo verò, in quo lex est ordinatio sua voluntatis, & sapientiæ, in quantum voluit se libere obligare, promittendo præmia sub conditione operis onerosi, debitum eum debitorum simplicitè constituit, dum taxat sibi, in quantum tenetur suam ordinationem adimplere, licet etiam constituat eum debitorem creaturis, ut termino, & extremo cui obligationis, quod exprimè docet D. Thom. I. 2. q. 114. art. 1. ad 3. dūm ait: *Quod quia actio nostra non habet rationem meriti, nisi ex presuppositione divina ordinationis, non sequitur quod Deus efficiatur simpliciter debitor nobis, sed sibi, in quantum deditum est, ut sua ordinatio impleatur.* In quo sensu procedit celebris illa regula Aug. quod Deus reddit debitum nulli debens. Ex quibus liquet, quod tale debitum nullam imperfectionem ponit in Deo, quia hoc ipso, quod ortum non habet ex jure alterius, eo ipso removet à Deo subjectionem, inferioritatem, & dependentiam respectu illius.

28 Ad secundam probationem argumenti dicimus, quod utraque iustitia respicit jus alterius, cum hac tamen differentia, quod commutativa respicit jus alterius, ortum habens ex commutatione, quam facit erga alterum, & ex hoc ipso est jus contra accipientem, quia dat ei, ut retribuat, & sic eum onerat, & constituit debitorem; distributiva verò non sic respicit jus alterius, quia ortum non habet ex actione aliqua, quam facit erga distribuorem, sed sicut ex lege inducit in distributore debitum distribuendi juxta uniuscuiusque meritum, & dignitatem, sic etiam eo ipso ex lege derivatur in unoquaque jus ad præmium juxta ipsius meritum, & dignitatem, proptereaque tale jus non est inductivum debiti, sed inducit ex debito, quia enim ei ex lege debetur tale præmium, propterea habet jus ad tale præmium, & ideo tale jus ad præmium non est adversus præmiantem, nec eum debitorem constituit. Hinc tale jus non est ipsa dignitas operis absolutè, sed ut connotat debitum legis; ex hoc enim habet, quod sit jus, unde tale jus fundatur in dignitate operis, non a tunc, & ut in principio illius, sed purè subjectivè, & tanquam in illius subjecto. Hinc opera procedentia à gratia, eo ipso habent condignitatem ad gloriam, non tamen jus,

nisi ex ordinatione divina; sicut qui laborat in vinea, nulla facta conventione cum Patrefamilias, haberet enim condignitatem ad mercedem, non tamen jus, quia talis merces ei non debetur ex defectu pacti.

30 Sed occurrit Oxom. quod non solum iustitia commutativa, sed etiam distributiva respicit debitum ortum ex jure alterius, quod ostendit 1. ex D. Thom. 2. 2. q. 6 1. art. 1. ubi cum posuisset argumentum, quod actus iustitiae est reddere unicuique, quod suum est; sed in distributione non redditur alicui, quod suum erat, sed de novo appropriatur sibi id, quod erat commune: ergò hoc ad iustitiam non pertinet. Resp. *Quod sunt pars, & totum quodammodo sunt idem; ita id, quod est totius, quodammodo est pars, & ita, cum ex bonis communibus aliquid in singulis distribuitur, quilibet aliquomodo recipit, quod suum est.* Ergò sentit Div. Thom. debitum inspectum à iustitia distributiva in jure singulorum fundari.

31 Deinde in solutione ad ultimum ait: *Quod iustitia distributiva, & comutativa non solum distinguuntur secundum unum, & multa, sed secundum diversam debiti rationem; alio enim modo debetur alicui id, quod est communae, alio modo id, quod est proprium:* ergò sentit, utramque respicere debitum, in alterius jure fundatum. Præterea quæstione citata art. 2. ait: *Quod generalis forma iustitiae est equalitas, in qua convenit iustitia distributiva cum commutativa, in una tamen invenitur æqualitas secundum proportionalitatem geometricam; in alia secundum arithmeticam:* ergò sentit Div. Thom. quod solum distinguuntur penes respicere æqualitatem geometricam, vel arithmeticam, convenient tamen in respiciendo debitum in jure alterius fundatum.

32 Deinde 2. 2. queſt. 8 1. art. 1. docet: virtutem aliquam deficere à perfecta ratione iustitiae, quia deficit ab equalitate simpliciter, vel ex defectu debiti simpliciter talis: sed si iustitia distributiva non attendit debitum in jure alterius fundatum, sed ortum adæquate ex divina ordinatione, debitum, quod attendit, non est tale simpliciter, quia debitum ortum adæquate ab intrinseco, non est debitum simpliciter, ut constat in debito attento à fidelitate, quod simpliciter tale non est, nec sufficiens ad rationem partis subjectivæ iustitiae, quia oritur adæquate ab intrinseco, nempe à promissione divina, non autem ex jure intrinseco, nimisrum illius, cui obligatur: ergo.

33 Tandem; nám de ratione iustitiae perfectæ est respicere debitum in alterius jure fundatum; sed iustitia distributiva tñ iustitia perfectas

# Dubium Vnicum.

457

fēcta: ergo Probat. major: primo ex D. Thom. 2.2. q. 58. artic. 11. ubi probat aētūm justitiae, ut abstrahit à distributiva, & commutativa, eſſe reddere unicuique, quod suum est; sed id, quod alicui debetur debito ex illius jure non orto, sed adēquate ab intrinſeco ex ſola ordinatione debentis, non potest dici ſuum, ut conſtat in eo, quod ex fidelitate debetur, quod non potest dici eſte illius, cui promittens obligatur, quia debitum ex illius jure non oritur, ſed ſolum ex alterius promiſſione: ergo. Secundō prob. eadem major; nam justitia ut ſic non definiſtur per ordinem ad alterum tantum, ſed per ordinem ad ius alterius; ergo eſſentialiter reſpicit alterum, non ſolum, ut extreum cui obligationis, ſed etiam ut fundamentum illius. Tertiō prob. eadem major; nam de ratione justitiae ſpecialis eſt violare debitum in alterius jure fundatum, aliās, qui promiſſis non ſtaret, non ſolum infidelis eſſet, ſed etiam iuſtus; cum vio- laret debitum alterius, ut extremo cui obligationis. Denique probat. nam debitum, quod reſpicit justitia ſtricta ut ſic, excludit rationem gratiae talis formaliter ab eo, quod ex justitia retribuitur, & ſub tali debito cadit; ſed debitum ortum adēquate ab intrinſeco, & non ex alterius jure rationem gratiae talis formaliter non excludit, ut conſtat in gratia habituali, quam Deus homini contrito debet, debito orto ab intrinſeco, nempē ex iſpſis promiſſione, & tamen eſt donum formaliter gratuitum: ergo.

34 Hęc omnia contra noſram resolutio- nem objicit Oxomensis; ſed facile responderet. & ad 1. fit ſatis ex iſpſis verbis Div. Thom. nam id, quod eſt alicujus ſolum, in quantum eſt pars totius, & communitatii, non dicitur eſſe pro- prium in particulaři illius p̄a alio, id eſt, non dicitur eſſe magis unius, quaꝝ alterius, licet ſemper verum ſit quod eſt illius aliquomodo, in quantum eſt pars totius, cujus eſt bonum com- mune: ergo quod de bono communī debeatur alicui in particulaři p̄a alio tale, vel tale p̄a- miā, majus, vel minus, non ortum habet, ex quo eſt pars totius, & conſequenter aliunde debitum hoc debet oriri, & ſic ex verbis Div. Thom. nihil probatur contra nos. Vel dicatur, quod oppofitum ſequitur: namque, ſi ei diſtri- buitur, quod ſuum erat, in quantum eſt pars to- tius: ergo diſtribuitur ei, quod ſuum erat, debi- to fundato in iſpa natura totius, quaꝝ expoſit, ut partibus proportionabiliter de bonis com- munib⁹ diſtribuatur, ex quo debito tandem derivatur ius partis.

35 Ad ſecundam patet etiam, quod po- tius conſirms noſram doctriṇam; nam ideo quod eſt commune aliter debeatur, ac debeatur,

quod eſt proprium, quia proprium debeatur, vel loco accepti, vel quia ſuit acceptum ab alio, ac proinde eo ipſo debitum ortum habet ex jure alterius; quod autem eſt commune, nec ſuit ab alio acceptum, nec ei debeatur loco accepti, & ſic eo ipſo non potest debitum oriri ex jure alterius. Ad 3. dico: probare, nedum justitiam diſtri- butivam, & commutativam non diſtingui in reſpiciendo debitum in jure alterius fundatū, ve- rum nec absolute diſtingui in reſpiciendo debitum, cujus oppofitum docet D. Tho. loco cit. ex art. 1. quia aliter debeatur propriū, & commune. Unde dicimus, vel quod D. Tho. ibi ſolum iп- tēdit tradere diſtinctionem unius, atque alterius justitiae, quantum ad equalitatem, quia hoc ſolum intendebat argum. vel quod in eo, quod eſt diſtingui per equalitatem arithmeticā, vel geo- metricā, implicate traditur diſtinctio penes debitum, quia hoc ipſo una reſpicit bonum pro- prium, & altera bonum commune; ſic pariter traditur diſtinctio penes reſpicere debitum or- tum ex jure alterius, vel ex lege, ut explicatum eſt. Ad quartum dico, quod debitum ortum ex fidelitate, non propterea non eſt ſimpliciter tale, quia oritur adēquate ab intrinſeco, ſed quia oritur ab intrinſeco per modum ſimplicis pro- miſſionis; hęc enim ſolum ex fidelitate imple- tur, ac proinde debitum ortum ex illa eſt ſolum morale, & coadecentia, non verò legale, & ex justitia: debitum autem, de quo in præſenti, non habet ortum ex divina ordinatione per modum ſimplicis promiſſionis, ſed ſub conditione ope- ris onerosi, & equalis, ut dicemus resolutione ſequenti.

36 Ex his etiam patet ad quintum, & ad primam probationem dicimus, quod illud, quod debeatur alicui ex ordinatione debentis, ſub conditione operis onerosi, & equalis, eſt debitum ſimpliciter tale, nempe legale, & ex justitia; propterea que potest dici ſuum; aliter autem, quod ex fidelitate debeatur, quia eo ipſo eſt debitum ſolum morale, & coadecentia. Ad ſecundam probationem patet ex dictis ad ſecundam partem argumenti in principio. Ad tertiam probationem negatur anteced. neque eſt simile de promittente ſimpliciter; nam iſte non ideo præciſe dicitur infidelis, cum promiſſis non ſtar, quia violat debitum alteri, ut extremo, ſed quia violat debitum ortum ſolum ex ſimplici promiſſione, & non ſub conditione operis onerosi equalis, nempē meritorij decor- digno, cum potius gratia ſit principium hujus meriti, ac proinde non eo ipſo retribuit gratiam ut mercedem, p̄a miā & coronam, & conſequenter neque ex justitia, quod etiam resolu- tionē ſequenti explicabitur.

37 Præterea objicies ex Magist. Ferre, qui loquendo de justitia commutativa, quæ fundatur in datis, & acceptis largè, nempe prout se extendit ad obsequia, eam concedit in Deo respectivè ad satisfactionem Christi, quod & probat multipliciter. Primò: secundum omnes Thomistas, Christus Dominus ex rigurosa justitia commutativa satisfecit Deo pro peccatis generis humani: ergò tenebatur Deus ex justitia commutativa acceptare Christi satisfactionem. Probat. conseq. nám implicat ex parte unius extremi ad alterum ponere justitiam commutativam strictam, & rigorosam, nisi in altero extremitate consurgat pariter debitum ex justitia commutativa, nam aliquem exhibere ad alterum opus ex justitia commutativa, nihil aliud est, quam tali opere fundare in extremitate opposito debitum, & obligationem ad justitiam commutativam spectantem. Secundò: posita ex parte Christi satisfactione, & rigurosa justitia commutativa, Deus tenebatur acceptare talam satisfactionem; at non tenebatur acceptare ex justitia distributiva, ut per se est manifestum, non ex sola fidelitate: ergò ex justitia commutativa.

38 Tertiò: nulla invenitur repugnantia, in eo, quod Deus voluerit se obligare Christo ex justitia commutativa; nám licet debitum ad Christum, ortum ex operibus Christi independenter à voluntate Dei, poneret imperfectionem in Deo, debitum tamen radicaliter refusum in voluntatem Dei, & ex illa originatum, nullam imbolvit imperfectionem. Quattò, non est imperfectio in Deo, quod ipse ut judex ordinarius non possit non acceptare Christi satisfactionem, si semel ponamus, quod ut absolute Dominus, & omnipotens, plenitudine suæ potestatis utens, possit illam non acceptare; sicut nulla est imperfectio in Deo, quod ut Author naturæ non possit restituere visum cœco natura, quia absolute, & ut omnipotens, potest cœco nato restituere visum; at hoc sufficit ad justitiam commutativam: ergò.

39 Quintò: promissio sub conditione operis onerosi fundat justitiam commutativam in promittente; at Deus promisit Christo sub conditione operis onerosi liberationem à peccato generis humani; igitur tenebatur ex justitia commutativa receptare Christi satisfactionem, & liberare genus humanum à servitute peccati. Conseq. est bona, & min. patet ex illo: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.* Maj. autem probat. ex distinctione simplicis promissionis, & promissionis sub conditione operis onerosi, prima enim tantum fundat obligationem fidelitatis, qua quis tenetur

stare promissis. Secunda verò est illa, in qua non tenetur, ex quo quis promittit, sed ex quo ille, cui promittit, opus facit æquale cum mercede promissa. Tandem esto operationes Christi essent sub dominio universalí Dei, tamen aliquod dominium speciale habet Christus, sub quo sic erant Christi, quod non erant Dei; nam jure speciali libertate poterat Christus facere, quod promiserat, & poterat non facere.

40 Sed ad omnia hæc facilime fit satis, & ad primum respond. conced. anteced. & neg. conseq. ad probationem disting. anteced. si alterum extremitate sit capax debiti ex justitia commutativa, concedo; si incapax sit, nego. Fatemur eum quod justitia commutativa in extremitate satisfaciente per se, & natura sua, & induciva debiti ex justitia commutativa in extremitate acceptante, cum hoc tamen compatitur prædictum debitum non inducere, quando extremitate acceptas incapax est debiti, ut est Deus, & quia ex proprijs non potest oriri jus adversus ipsum, & quia prædictum debitum imbolvit imperfectionem, ut pluries dictum est, cujus communiter ponitur exemplum in relatione reali servi ad Dominum, quæ per se, & ex natura sua infert relationem realem Domini ad servum, quam tamen per accidens, & propter incapacitatem extremitati non infert in Deo relatio creature, quia incapax est novæ relationis realis in tempore advenientis, propter ipsius immutabilitatem. Et similitè relatio maternitatis per se, & ex natura sua infert relationem realem filiationis, quam tamen non infert in Christo relatio maternitatis B. Virginis, propter eandem rationem; à simili: ergò.

41 Sed occurrit prædictus Magist. retorquendo exemplum de maternitate, & filiatione, etenim, quia maternitas ex natura sua est relatio ad filiationem, dum verè est Mater Christi, verè Christus est Filius Virginis, quidquid sit de reali relatione ad Matrem: ergò quia justitia commutativa ex parte Christi est ad Deum, erit ex parte Dei ad Christum justitia commutativa, quamvis non realiter referatur Deus ex tempore ad Christum, nimis relatione debitoris ad creditorem.

42 Confirmatur: non magis debitor ex justitia commutativa refertur realiter ad creditorem, quam Filius relatione reali refertur ad Matrem; sed cum incapacitate ad relationem realem ad Matrem datur in Christo vera filiatio ad Virginem: ergò cum incapacitate Dei ad relationem realem ad creaturam dabitur vera ratio debitoris ex justitia commutativa ad illam.

43 Sed resp. dist. anteced., quia maternitas ex natura sua est relatio ad filiationem: cum

capacitate ex parte Christi ad filiationem, seu ad fundamentum relationis realis filiationis, concedo; sine tali capacitatem, nego. Itaque ut Christus sit, & dicatur vere, & absolute Filius Virginis, sufficit fundamentum realis filiationis, nempè passiva illius generatio in natura humana ex Virgine: licet autem Christus sit incapax relationis realis filiationis ad Virginem, quia filiatio propria est suppositi, cui nihil ex tempore realiter advenire potest, ut potè divinum; non tamen incapax est, ut in natura humana generetur ex Virgine; & propterea absolute, & vere dicitur Filius Virginis. In nostro tamen casu, nedum Deus est incapax relationis realis resultantis ex ipsa justitia commutativa; verum, & incapax est ipsius justitiae commutativa secundum proprium, & formalem conceptum, sicut & incapax debiti orti ex jure alterius.

44 Ad confirmationem pariter distinguo minor. Cum incapacitate ad relationem realem ad matrem fundamentaliter sumptam, nego; formaliter sumptam, concedo. Nec nos negamus justitiam commutativam in Deo ex generali ratione, quia ei in tempore non potest advenire nova relatio realis, nempè debitoris ad creditorem; sicut enim ex hac ratione non probatur, quod Deus vere, & absolute non sit in tempore Dominus creaturae, nec quod Christus vere, & absolute non sit in tempore Filius Virginis, quia, ut dicitur in Logica, fundamentum relationis sufficit ad absolute denominandum, quia relatio est minimæ entitatis, ferè non ponens in numero cum fundamento; ita nec ex hac generali ratione negamus justitiam commutativam in Deo, namquè si per impossibile justitia commutativa in proprio, & formalis conceptu non diceret imperfectionem, Deo conveniret, cum tamen numquam ei convenire posset illa relatio realis debitoris ad creditorem; negamus ergò in Deo prædictam justitiam, quia in suo formalis conceptu includit imperfectionem Deo repugnantem, & sic nedum in Deo est incapacitas ad relationem realem debitoris formaliter sumptam, sed etiam fundamentaliter sumptam. Et quia æquivocatio argumenti sita est in eo, quod justitia commutativa Christi est ad Deum, sicut Maternitas ad Filium: distinguo; quod est ad Deum non per modum juris contra ipsum, id est, inducentis debitum in ipso, sed est ad Deum, ut ad extremum cui satisfactionis, eo fere modo, quo supra diximus, justitiam distributivam esse ad personas particulares, ut ad extremum cui debiti, & obligationis, non vero, ut ad principium, & fundamentum illius.

45 Ad secund. resp. quod Deus tenebatur

acceptare satisfactionem Christi, vel ex justitia distributiva, quia hec eminet in Deo est commutativa, quatenus servare potest modum, formamque illius ex parte rerum, retribuendo tantum pro tanto, ut diximus ad 1. argum. vel ex justitia legali, quia hec, ut in principio diximus, est quæ respicit bonum commune, non quidem ut distribuendum, ut sic enim respicitur à justitia distributiva, sed ut ei reddatur, quod suum est. Supposita autem promissione Dei, facta Christo de libertate à peccato generis humani sub conditione operis onerosi, hæc liberatio à peccato fuit debita generi humano post opus onerosum Christi, seu post illius satisfactionem, & sic ex justitia legali tenebatur Deus acceptare satisfactionem Christi, sicut & generi humano reddere, quod suum erat, seu quod ei debitum erat.

46 Ad 3. resp. quod quia debitum ortum ex jure alterius ex proprio, & formalis conceptu dicit imperfectionem, sicut & subordinationem, seu subjectionem, quamvis radicaliter hoc debitum reduceretur in voluntatem Dei, adhuc diceret prædictam imperfectionem. Unde negamus Deum posse velle in se ipso prædictum debitum, sicut & posse velle se ipsum subordinare Christo: alias hoc ipsum posset in se ipso velle erga puram creaturam, eique subordinari, & subjici, quia eo ipso ex voluntate ipsius ab imperfectione purificaretur. Immò hoc argument. prob. etiam in Deo posse dari justitiam commutativam fundatam in datis, & acceptis propriè, & strictè, quam prædictus Author nobiscum negat in Deo.

47 Ad 4. resp. quod imperfectio, ratione cuius denegamus Deo justitiam commutativam, non est, quia non possit Deus non acceptare satisfactionem Christi, qui potius dicitur non potuisse non eam acceptare, sed debito orto ex sui promissione, non vero ex satisfactione Christi, quia alias est ei simplicitè debitor, & hæc, & non illa est imperfectio, ratione cuius prædicta justitia Deo repugnat.

48 Ad 5. resp. negand. quod promissio sub conditione operis onerosi eo ipso fundet justitiam commutativam in præsente, nam etiam Deus promittit præmia justis sub conditione operis onerosi, & tamè adimplenta conditione, non ex justitia commutativa tribuit eis præmia, sed ex justitia distributiva, ut iste Author. fatetur. Immò licet promissio sub conditione operis onerosi fundet justitiam commutativam in eo, qui est capax debiti orti ex jure alterius, secùs tamè in Deo, qui talis debiti incapax est.

49 Ad ult. resp. negando in Christo dominium aliquod speciale, sub quo sic essent opera-

tiones Christi, quod non essent sub dominio Dei; nam alias sub ea formalitate, essent sub dominio Christi, tanquam sub dominio supremo, id est, non subordinato Dei dominio. Quod si sunt sub dominio Christi, tanquam sub dominio secundo, & subordinato Deo: ergo adhuc prout sic sunt sub dominio universalis Dei, & consequenter ex eis, prout sic, non potest oriri jus adversus Deum.

## RESOLUTIO II.

*Datur tamen in Deo justitia distributiva.*

50 **E**st contra Vazquez, Lessium, Sanchez, Arrabal, Lorcum, & Illm.

Araujo: eam tamen tenent Capreolus, Cajetanus, Ferrariensis, Soto, Gonçalvez, Serra, Lisboniensis, Gonet, & alij, estque expressa Div. Thom. loc. cit. in praeced. resolut. & principiū. 1. p. q. 27. art. 1. ubi id ipsum ex professio, examinat, postquam enim divisit justitiam in commutativam, & distributivam, illamque negat in Deo: sic de justitia distributiva loquitur: *Alia, quæ consistit in distribuendo, & dicitur distributiva justitia secundum quod aliquis Gubernator, vel Dispensator, dat unicuique secundum suam dignitatem; sicut igitur ordo congruus familie, vel cuiuscumque multitudo gubernante demonstrat hujusmodi justitiam in Gubernante; ita ordo universi, qui apparet tam in rebus naturalibus, quam in rebus voluntarijs, demonstrat Dei justitiam.* Unde dicit Dionys. cap. 8. de divin. nominib. Oportet videre in hoc, veram Dei esse justitiam, quod omnibus tribuit propria, secundum cuiusque existentiam, dignitatem, & uniuscuiusque naturam, in proprio salvat ordine, & virtute.

51 Similiter in 2. dist. 27. quest. 1. art. 3. ait: *Quod in redditione præmij ad meritum magis attenditur forma distributionis.* Et in 3. distinct. 18. quest. 1. art. 2. ait: *Ad meritum requiri, ut equiparetur mercedi, non quidem secundum aequalitatem quantitatis, quia hac requiritur in justitia commutativa, quæ consistit in emptionibus, & venditionibus, sed secundum aequalitatem proportionis, quæ requiritur in justitia distributiva, secundum quam Deus aeterna præmia partitur.* Et in 4. dist. 46. quest. 1. art. 1. quæst. 1. sic expressæ habet: *In quantum Deus præmium reddit pro meritis, hoc ad justitiam distributivam pertinet, cuius est tribuere omnibus secundum suam dignitatem.* Et super Dionys. de divin. nomin. cap. 8. lect. 4. sic ait: *Justitia convenit Deo secundum tres ius, primò quidem secundum hoc, quod est di-*

*atribuere: commutativa enim justitia in Deo locum non habet; sed attribuitur distributiva justitia, quæ non observat aequalitatem quantitatis, ut aequalia omnibus det, sed aequalitatem proportionis, ut det unicuique, secundum quod dignum est.*

52 Fundaturque 1. ratione deduct. ex D. Thom. loco cit. ex 1.p. Nam justitia distributiva est, secundum quam Superior, vel Gubernator dat unicuique secundum suam dignitatem; at ordo universi, qui apparet tam in rebus naturalibus, quam in voluntarijs, demonstrat hanc justitiam in Deo, omnibus enim tribuit secundum uniuscuiusque dignitatem, & uniuscuiusque naturam in proprio salvat ordine, & virtute: ergo.

53 Secundò: nam justitia distributiva nullam dicit imperfectionem in proprio, & formaliter conceptu: ergo non est cur Deo denegetur. Antec. patet ex dict. resolut. praeced. In justitia enim distributiva debitum non habet ortum ex jure alterius, sed solum ex lege, quæ in Deo est ordinatio sue voluntatis, & sapientiæ. Unde sequitur 1. quod debitum non constitutat Deum simpliciter debitorem ipsis creaturis, sed solum sibi ipsi, in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur; creaturis vero solum ut termino, & extremo cui obligationis, ratione cuius eo ipso removetur à Deo omnis subjectio, inferioritas, & independentia, ut diximus resol. praec. ad 3. Secund. sequitur, quod non sit necesse, Deum in distribuendo, à se dominium abdicare eorum, quæ distribuit; nam propter eam talis abdicationem necessaria est in retribuente ex justitia commutativa, quia debitum in illo ortum habet ex jure alterius, & ex proprijs unius non potest in altero oriri jus adversus ipsum, ut diximus resolut. praec. 2. Si ergo in justitia distributiva debitum ortum non habet ex jure alterius, consequenter nec exigit in distribuente abdicationem dominij erga ea, quæ distribuit, sed sufficit, quod his, quibus tribuit, conferat dominium inferiorius, nempè utile, ratione cuius verificetur, quod verè, & propriè donat, ut etiam ibi diximus; dummodò tamen interveniat patrum onerosu; ratione cuius talis donatio sit ex stricta justitia, & nedum ex liberalitate, ut resol. praec. in princ. explicuimus. Quia ratione communiter dicitur, Principem posse servare justitiam distributivam, elargiendo bona communia in fœtidum, & emphiteusim, vel solum donando usumfructum; pater autem Deum conferre creaturis dominium inferiorius, & utile, ita ut bona sua faciat merita hominum, ut etiam diximus ex Trident. ergo.

54 Tertiò fundatur contra Vazquez, & ejus

esus Sequaces, qui taliter negant, retributionem meritorum in Deo procedere ex justitia distributiva, quod nec procedit ex stricta iustitia. Fundatur ergo 3. sic: Deus retribuit præmia pro meritis ex stricta iustitia, non legali, non commutativa: ergo distributiva. Major neg. à prædict. AA. & prob. authorit. & ratione. Authorit. ex illo 2. ad Thimot. 4. *Reposita est mihi corona iustitiae, quam reddet mihi Dominus in illa Die iustus Iudex.* Quod autem redditur à Deo, ut justo Judge, redditur ex stricta iustitia, & nèdum ex fidelitate, vel gratitudine. Et sic ait D. Thom. ibid. lect. 2. *Corona iustitiae dicitur, quam Deus ex sua iustitia reddit,* Deinde ipse Apost. ad Hæbr. ait: *Non est injustus Deus, ut obligeatur operis vestri.* Si autem ex fidelitate, vel gratitudine procederet meritorum retributione, proprius diceret: Non est infidelis, vel ingratus Deus, &c.

55 Deinde probatur illa major ratione: Id, quod redditur, tanquam merces, præmium, & corona, redditur ex stricta iustitia; sed Deus reddit iustis vitam aeternam, ut mercedem, præmium, & coronam: ergo. Maj. prob. Tum ratione D. Thom. 1. 2. quæst. 124. art. 1. Nam id merces dicitur, quod alicui recompensatur pro retributione operis, vel laboris, quasi quadam præmium ipsius; unde sicut reddere iustum præmium pro re accepta ab aliquo, est actus iustitiae, ita etiam recompensare mercedem operis, vel laboris, est actus iustitiae. Hæc D. Thom. Deinde; nam nec fidelitas, nec gratitudo respi- ciunt debitum, ut mercedem, præmium, vel coronam; alias incarnatio, quæ fuit data ex fidelitate promissionis, & similiter remissio peccatorum, seu prima gratia, esset data, ut merces, præmium, & corona; & consequenter esset data intuitu meriti de condigno, quod dici non potest.

56 Minor vero princip. prob. tum ex illo Hieremia 31. *Est merces operi tuo.* Tum ex Conc. Trid. Sess. 6. cap. 16. ubi sic habetur: *Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita aeterna, tanquam gratia filii Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsis Dei promissione, bonis ipsorum operibus, & meritis reddenda.* Hæc enim est illa corona iustitiae, quam post certamen, & cursum repositam sibi esse, aiebat Apostolus à justo judge reddendam. Ubi clare affirmat, vitam aeternam reddendam esse, & ut gratiam, hoc est, ut hereditatem gratia debitam, iuxta illud: *Si filii: ergo heredes.* Vel dicitur gratia in radice, quia ortum habet ex gratuita Dei prædestinatione, vel quia principium, & radix meriti illius est gratia;

quæ gratuito, & misericorditer donatur, & ut mercedem, & coronam iustitia, hoc est, ut debita bonis operibus, & meritis, & utroque modo ait, esse promissam à Deo.

57 Deinde prob. ratione; nam quod redditur ex promissione acceptata sub conditione operis onerosi, & æqualis, redditur ut merces, præmium, & corona; sed Deus reddit vitam aeternam iustis ex tali promissione: ergo. Hæc minor const: ex conventione facta cum operarijs sub conditione laborandi in vinea sua, in qua significatur, Deum, pactum, & conventionem fecisse cum iustis viatoribus de vita aeterna reddenda sub conditione bonorum operum, quæ ex gratia, & charitate condignitatem habent, seu æqualitatem, & proportionem habent cum vita aeterna. Maj. vero etiam patet. Nam quod redditur ex promissione acceptata sub conditione operis onerosi, & equalis, debetur operi, ut merito de condigno; at quod debetur operi, ut merito de condigno, debetur ei, ut merces, præmium, & corona: ergo. Et communiter ponitur exemplum de illo, qui instituit certamen, & promittit præmia ex bonis proprijs; tunc enim, quia promissio illa, est libera, & ex bonis proprijs fit sub conditione operis onerosi, tenetur certantibus distribuere præmium, ut mercedem, & coronam.

58 Tandem fundatur adhuc specialius contra Vazquez, afferentem talem meritorum retributionem in Deo procedere ex gratitudine; nam talis virtus Deo competere non potest, quod prob. namquæ gratitudo secundum proprium illius conceptum formaliter respicit benefactorem, & debitum super beneficia datum: ergo non potest Deo competere. Antec. prob. tum ratione Div. Thom. 2. 2. quæst. 106. art. 1. ubi inquirit: *Utrum gratitudo sit specialis virtus ab alijs condistincta, nempe à Religione, pietate, & observantia, proindeque loquitur de gratitudine secundum proprium, & formaliter illius conceptum, & resp. affirmative, & probat: Quia secundum diversas causas, ex quibus aliquid debetur, necesse est diversificari debiti reddendi rationem: in Religione autem causa debiti est Deus, in quantum est primum principium omnium honorum nostrorum: in pietate autem causa debiti est Pater, in quantum est principium proximum nostræ generationis, & disciplini: in observantia vero causa debiti est Persona, quæ dignitate precellit, in quantum ex ea communia beneficia procedunt: in gratitudine tandem causa debiti est Benefactor, in quantum ab eo aliqua particularia, & privata beneficia percipimus.* Hæc Div. Thom. Respicit ergo gratitudo secundum proprium, & formaliter

conceptum benefactorem, & debitum super beneficia fundatum, & consequenter Deo in ordine ad homines competere non potest; tūm quia ut ait D. Thom. art. 3. seq. in corp. *Benefactor in quantum bujusmodi, est causa beneficiati; tūm quia quidquid potest facere creatura in gloriam, & obsequium Dei, & debetur pluribus titulis, nēmē creatoris, conservationis, & aliorum donorum, quibus Deus creaturam perficit, & sic non potest habere rationem beneficij, de cuius ratione est, quod gratis datur, & indebitum sit; immō, si in Domino non potest revertiri gratitudo per ordinem ad servum salutis respectivē ad alias actiones, quae sunt proportionatae humano servitio, & commoditatī, convenienterque exhiberi possunt; quantō minus reperietur in Deo respectivē ad creaturam, quę ex natura rei, & nēdū ex jure humano, & civili, & quantum ad omnia, est serva Dei, & sub illius dominio.*

*Objiciuntur, & solvantur argumenta.*

59 **A**rgumenta, quae directè militant contra præsentem resolutiōnem, objecta sunt, & soluta resolutione præcedenti, dum intendant probare, vel justitiam Dei servare equalitatem arithmeticam, vel includere debitum in alterius iure fundatum. Unicum ergo solum mihi argumentum propono. Si Deus ex justitia distributiva teneretur conferre gloriam justis, eo ipso abdicaret à se dominium erga collationem gloriae; at hoc maxima imperfectio est, ut nos fatemur, propter quam & negamus in Deo justitiam commutativam: ergo. Prob. maj. Si Deus ex justitia distributiva teneretur conferre gloriam justis, non posset eam justis licetē denegare; at eo ipso abdicat à se dominium erga collationem gloriae: ergo. Maj. patet. Nam quod debetur ex justitia negari licetē non potest. Min. verò prob. Dei dominium erga collationem gloriae nēdū consistit in potestate physica ad conferendum, vel negandum gloriam, verū & in potestate morali ad licetē eam conferendum, vel negandum: si ergo Deus hoc ipso, quod ex justitia distributiva teneatur conferre justis gloriam, non potest eam justis licetē denegare: ergo hoc ipso consequenter abdicat à se dominium erga collationem gloriae.

60 Sed in primis hoc argum. nēdū probat Deum non teneri ex justitia distributiva conferre gloriam justis, verū nec ex fidelitate, siquidē Deus nec potest licetē negare, quod semel promittit. Distinguere ergo inter potestatem moralem, pactum, & promissionem ante-

cedentem, & potestatem moralem illam consequentem, seu supponentem; antecedenter enim ad pactum, & promissionem Deus potuit licetē denegare gloriam justis; attamen post pactum, vel promissionem non potest, ut argum. probat, quia, si est simplex promissio, talis negatio est contra suam fidelitatem, & si est onerosa, est contra suam justitiam. Dicimus ergo, dominium Dei erga collationem gloriae confidere solum in potestate morali antecedenti ad conferendum, vel negandum licetē gloriam, non verò in consequenti, seu supponenti pactum, seu promissionem, sicut in simili dicitur de libertate divina; hæc enim consistit solum in posse velle opposita potestate antecedenti divine voluntatis determinationem, non verò potestate eam consequenti; quia ut dicunt Theologum Div. Thom. 1. p. q. 19. art. 7. divina voluntas est invariabilis, immutabilis, & sic non potest velle oppositum ejus, quod semel voluit. Sicut ergo Deus non abdicat à se libertatem per liberam suę voluntatis determinationem, quipotius eam exercet, quamvis, hac posita, nou possit velle oppositum ejus, quod determinavit; sicut nec abdicat à se dominium per liberam promissionem, seu pactum, quipotius illud exercet, quamvis eo posito, non possit licetē justis gloriam denegare.

61 Nec valet, quod supposita Dei promissione, vel pacto, negatio licita collationis gloriae non est possibilis, & consequenter non potest Deus eam denegare adhuc potentia antecedenti. Non, inquam, valet; nam potestas moralis antecedens in Deo, sicut & ejus libertas non dicitur per ordinem ad collationem, vel negationem licitam gloriae, supposita divina voluntatis determinatione, sed per ordinem ad illam absolutę, & secundum te, & sic ex quo talis negatio licita non fit possibilis, supposita Dei determinatione, & promissione, non insertur Deum non posse illam licetē denegare potentia antecedenti, sicut nec sequitur Deum non posse potentia antecedenti velle oppositum ejus, quod semel voluit.

62 Deinde objicies ad probandum retributionem meritorum non procedere in Deo ex stricta justitia, & consequenter nec ex distributiva, & objicies primo locum D. Thom. 1. 2. q. 114. art. in corpore, ubi ait; hominis ad Deum non esse meritum simpliciter, quia inter Deum, & homines non est justitia simpliciter.

63 Sed resp. ideo D. Thom. negare inter Deum, & homines justitiam simpliciter talem, quia justitia est quedam equalitas, & ideo justitia simpliciter talis est secundum equalitatem absolutam, & simpliciter talem, hominis

Autem ad Deum non potest esse justitia secundum aequalitatem solum proportionalem, & etiam quia totum, quod est hominis bonum, est a Deo, & propterea meritum hominis non potest esse, nisi secundum presuppositionem divinitatis ordinatiois. Ita ibi D. Thomas: patet autem, quod justitia distributiva non est secundum aequalitatem absolutam, & simpliciter talis, sed solum proportionalem tam ex parte rerum, quia solum respicit aequalitatem geometricam, quam ex parte personarum, cum non sit aequalis ad aequalem, sicut commutativa, sed superioris ad inferiorem. Unde pro hac parte potius probat argumentum justitiam distributivam secundum D. Thom. non esse simpliciter justitiam, quam talem justitiam non inveniri in Deo. Similiter justitiae distributivae non obest, quod totum bonum hominis sit a Deo, & mereri non possit, nisi ex presuppositione divinitatis ordinatiois, quia ne dictum est, debitum illius non ortum habet ex jure alterius, sed ex lege, quae in Deo est sua ordinatio. Deinde ex locis adductis patet D. Thom. adstruere in Deo justitiam distributivam, negare vero commutativam. Resp. ergo, quod cum D. Thom. negat inter Deum, & homines justitiam simpliciter talem, intelligitur de justitia commutativa, non vero de distributiva, & ceterum hoc sit etiam justitia simpliciter quantum ad debitum, illa tamen sola est simpliciter justitia quantum ad aequalitatem, de qua ibi D. Thom. & pariter dicimus, hominis ad Deum non esse meritum simpliciter, loquendo de merito, cui correspondet merces secundum justitiam commutativam, non vero secundum justitiam distributivam.

64 Secundo objicies ad idem. Sicut peccatis debetur retributio supplicij, ita meritis retributio premij; ac peccatis non debetur retributio supplicij, nisi ex justitia vindicativa, qua non est simpliciter, & stricte justitia, sed pars illius potentialis, ut tenet Div. Thom. 2.2. quæst. 80. art. 1. ad 1. & quæst. 108. art. 1. ad 2. ergo à simili.

65 Resp. quod ut ex utroque loco D. Thom. patet, retributio supplicij, quæ sit auctoritate publica potestatis, seu quæ pertinet ad publicam justitiam, non sit ex justitia vindicativa, sed ex justitia simpliciter tali, quæ in re, & quoad substantiam est distributiva, licet quoad modum sit commutativa; attamen retributio supplicij, quam quis facit proprio motu, & quæ ad immunitatem alicujus singularis personæ pertinet, hæc est, quæ sit ex justitia vindicativa. Retributio autem supplicij sit a Deo, ut a Supremo Judice, & consequenter auctoritate publica potestatis, & secundum publicam justi-

tiam; & sic talis retributio in eo procedit ex justitia simpliciter tali, scilicet distributiva.

66 Sed dices: talis retributio in Deo non est ex debito legali, & rigorose, sed solum ex quadam decentia morali, siquidem potest culpas non punire, & defacto eas multoties remittit peccatoribus absque ulla poena. Sed præterquam quod Deus nunquam remittit culpam sine poena, quia vel eas remittit intuitu satisfactionis Christi, qui est fidei iustior hominis, vel eas punit in Inferno; pater hoc, inquit, dicens, quod dato Deum postea remittere culpas sine ulla satisfactione, adhuc est verum, quod culpas, quas defacto punit, ex justitia, & debito legali, seu rigorose punit; quia eas punit juxta penam à lege, quam ipse statuit, taxatam; ipse autem statuit culpas aliquas punire, alias remittere, quia hoc bonitati suæ condescens est. Et sic culpas, quas defacto statuit punire, non potest remittere absque penam, loquendo de potestate consequenti, licet eas potuerit remittere absque penam, potestate antecedenti, ut à simili diximus de collatione glorie ad 1. argum.

67 Tertiò objicies: si Deus remuneraret merita iustorum ex justitia, sequeretur, quod Deus damnando iustum, ei faciet injuriam; sed hoc non est dicendum, ut patet ex August. supra Psalm. 70. ubi hæc habet: Si Deus damnaret iustum, quis ei diceret, quid fecisti? Et ratio suadet, cum Deus sit omnium Dominibus absolutus, & de suis posset ad proprium libitum disponere: ergo.

68 Reip. neg. ant. juxta dicta resolut. anteced. ad 3. fatemur tamen, quod Deus, iustum damnando, esset iniustus, iniustitia opposita justitia distributivæ, id est, per violationem legis, & ordinatiois ab ipso statutæ, inquantum non adimpleret promissum sub conditione operis onerosi, cui non obstat, quod Deus sit omnium Dominus; ut patet ex dict. ad 1. argum.


69 Quartò objicies: merito correspondet premium; sed premium non debetur ex justitia: ergo retributio meritorum non debetur ex justitia. Prob. min. Quod debetur ex justitia, habet rationem pretij; at ratio pretij distincta est à ratione premij: ergo. Patet min. Quia pretium datur etiam proopere, & labore brutorum, cum tamen pro labore brutorum non detur premium,

70. Resp. quod sicut labor communis est brutis, & hominibus, in brutis tamen non dicitur meritum, bene tamen in hominibus, quia illa moventur ab Authoritate naturæ; homines vero se movent per liberum arbitrium, ut ait D. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 1. sic pretium est commune ei, quod redditur pro labore bruto-

rum, & ei, quod redditur pro labore hominum; attamen, quod redditur pro labore hominum, habet rationem præmij, non tamen quod redditur pro labore brutorum; quia præmium est præmium non genericè, sed correspondens merito, seu labori meritorio; & sic dicimus præmium conditum à præmio, tanquam genus ab specie, ex quo potius sequitur, quod omne præmium sit præcium; non tamen, quod omne præmium sit præmium.

71 Tandem solet objici ex Vazq. quod remuneratio meritorum in Deo præcipue resipicit affectum dantis, ut patet in illa vidua Marci 12. quæ plus obtulit propter maiorem affectum, licet minus obtulerit in effectu; at affectum dantis respicere pertinet ad gratitudinem, non ad iustitiam.

72 Sed ad hoc patet ex dictis: ad gratitudinem pertinente respicere affectum dantis in effectu in lebito: cum autem tam affectus, quam effectus debetur ei, cui dat, sicut omnia bona hominis debita sunt Deo, non possunt remunerari ex gratitudine, ut diximus in 4. fundam. sed vel ex fidelitate ratione simplicis promissionis, vel ex iustitia, si præcedat pactum onerosum.



## DE PRÆDESTINATIO- NE DUBIA III.

### DUBIUM I.

*An supposito, quod prædestinatione in actu intellectus consistat, talis actus sit iuditium electionem præcedens, vel imperium illam subsequens.*

1 **E**st compertum inter Thomist. ex doctrina Div. Thom. prædestinationem in actu intellectus cōsistere. Inter ipsos ergo controvertitur, quis sit ille actus? Et omnes supponunt talem actum debere esse ordinationem liberam, & efficacem creature rationalis per media determinata ad finem vitæ æternæ, juxta distinctionem traditam à Div. Thom. quod scilicet: *Est ratio transmissionis creature rationalis in vitam æternam.* Et distinctionem traditam à Div. Aug. quod scilicet: *Est præscientia, & preparatio beneficiorum Dei, quibus infallibiliter, & certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Hinc à constitutivo prædestinationis excludunt iuditium re-

galans intentionem dandi gloriam prædestina-  
tis, seu electionem prædestinatorum ad gloriam. Tum, quia hoc iuditium non est scientia libera,  
sed necessaria; tum, quia eo ipso non est præ-  
scientia, cum non præcedat duratione suum ob-  
jectum, nimirum possibilia, ac tandem, quia  
tale iuditium non est de medijs ad finem præ-  
destinationis ordinatis, sed solùm de fine præ-  
destinationis; proindeque prædestination, quæ  
in ordinatione mediorum consistit, sicut & pro-  
videntia, & prudentia, cujus est pars, non potest  
supponere illud iuditium, sicut & intentionem  
finis: cujus ratio traditur à Div. Thom. hic art.  
4. in corp. quia nimirum nullus aliquid in fi-  
nem ordinat, quod non vult; & sic ad directio-  
nem mediorum in finem præexigitur voluntas  
finis.

2 Similiter excludunt à constitutivo præ-  
destinationis iuditium indifferens subsequens  
intentionem finis, & præcedens electionem me-  
diorum, quo nimirum proponuntur indifferen-  
ter omnia media possibilia, sive efficacia, sive  
inefficacia, vel efficacia, relictis inefficacibus,  
quia tale iuditium nec est ordinatio efficax, nec  
per media determinata, cum infallibiliter non  
inferat electionem, vel exequitionem horum  
determinate potius, quam aliorum mediorum.

3 Solùm ergo dubium procedit de iuditio  
practicò, & libero, præcedente electionem me-  
diorum, quo nempè intellectus divinus judicat  
hoc potius, quam alia media eligenda esse ad  
consequitionem vitæ æternæ, & de auctu practi-  
co talem electionem subsequenti, qui dicitur  
imperium. Pro quo est notandum, quod Thomistæ ultrà iuditium indifferens ante elec-  
tionem requirunt auctum consilij. Consilium autem  
est discursus quidam intellectus practici, & ve-  
luti syllogismus prudentiæ; unde sicut in syllo-  
gismo, vel discursu speculativo sunt duo actus,  
alter erga præmissas, & alter erga conclusio-  
nem; sic in consilio intervenient duo actus in-  
tellectus practici, videlicet, inquisitio mediorum,  
quæ conducere possunt ad consequitionem  
finis, & iuditium, quo intellectus judicat  
hoc medium, præ illo utilius esse, & ceteris præ-  
ferendum, proindeque eligendum hic, & nunc. Unde in syllogismo prudentiæ inquisitio se ha-  
bet ad iuditium, ut via ad terminum, & sicut af-  
fensus præmissarum ad aſſensum conclusionis;  
per inquisitionem enim pervenit intellectus ad  
iuditium de convenientia mediorum: qua ra-  
tione tale iuditium confuevit dici conclusio syl-  
logismi practici, seu prudentiæ, quod idem est,  
ac sententia de convenientia medijs.

4 Cū autem inquisitio, & consultatio  
importet imperfectionem, discursus intellectus  
du-

dubitantis, dicunt consequenter consilium Deo non competere quantum ad Inquisitionem, sed solum quantum ad certitudinem juditij; licet quantum ad utrumque actum inveniatur in nobis, quod aperte traditur a D. Thom. supra q. 22. art. 1. ad 1. Cum enim possuisset argumentum quod providentia est pars prudentiae. Prudentia autem cum sit bene consiliativa, Deo compete-re non potest, qui nullum dubium habet. Resp. Quod ipsa ratio rerum agendarum consilium in Deo dicitur, non propter Inquisitionem sed propter certitudinem cognitionis, ad quam consiliantes perveniunt inquirendo. Unde dicitur ad Ephes. 1. qui operatur secundum consilium voluntatis sue. Et 1. 2. quæst. 14. art. 1. & 1. contra Gentiles cap. 73. hoc ipsum extensus docet.

5 Conveniunt ergo Thomistæ in eo, quod ultra juditium indifferens præcedens electio-nem mediorum requiritur tam in nobis, quam in Deo juditium practicum determinatum, quod ita asseverantur docent, quod duobus bonis in-equaliter propositis ab intellectu, minus bonum eligi a voluntate non potest relieto meliori, & duo media, si æqualiter proponantur, neutrum potest eligi, donec intellectus in uno aliquam rationem, aut convenientiam excogitet, ob quam alteri præpondeter. Rationem autem desumunt ex D. Thom. 1. 2. q. 9. art. 4. in corpore: nám voluntas eatenus movet se ipsam, in quantum per intentionem finis reducit se ipsam, & determinat ad volendum ea, qua sunt ad finem; non autem voluntas se movet immediate ex intentione finis ad electionem mediorum, sed mediante consilio, & ratione; alias non se moveret rationabiliter: patet autem quod juditium indiffe-rens voluntatem determinare nequit: debet ergo ultra juditium indifferens ante electionem mediorum præcedere juditium determinatum. Immò hac ratione probat D. Tho. in 1. contra Gentiles cap. 93. in Deo esse providentiam sicut Divina voluntas in his, que sunt, alia ab ipso determinatur ad utrum per cognitionem suam cognitione autem ordinans voluntatem ad agendum prudentia est, quia secundum Philosophum in 6. Ethic. Prudentia est recta ratio agibilium: est igitur in Deo prudentia. Immò ex hoc aliam validissimam rationem desumunt, namque ante electionem debet præcedere juditium prudens, vel imprudens, alias electio non esset facta prudenter: juditium autem indifferens, seu indifferenter proponens omnia media, nec est prudens, vel imprudens, sed commune est prudenter, vel imprudenter eligenti, cum sit radix libertatis: debet ergo ultra juditium indifferens dari ante electionem mediorum juditium de-

terminatum, quod sit actus prudentie, vel in-terprudentie.

6 Deinde conveniunt Thomistæ in eo, quod tale juditium determinatum tam in nobis, quam in Deo est liberum, sicut enim voluntas humana per liberam efficacem intentionem fi-nis movet, & applicat intellectum humanum ad consiliandum de medijs, & ut ferat juditium de convenientiori, ita suo modo, nimirum vir-tualiter voluntas divina per liberam, & effica-cem intentionem dandi gloriam movet, & ap-plicat intellectum divinum, ut judicet per quæ media prædestinatus perducēdus est in gloriam. Immò est doctrina D. Thom. quod ab hoc ju-ditio desumitur denominatio liberi arbitrij, ut enim ait infra q. 83. art. 2. ad 1. *Conscutum est potentiam significari nomine actus,* & sic per hunc actum, qui est liberum juditium, nomina-tur potentia, que est hujus actus principium: Ec- art. præcedenti in corpore probando hominem esse liberi arbitrij dicit: *Quod, quia juditium if- tud non est ex naturali instinctu in particulari operabili, sed ex collatione quadam rationis ideo agit libero juditio potens in diversa ferri. Ratio enim circa contingentia habet viam ad oppo-sita, ut patet in Dialecticis syllogismis,* & Reclo- roris persuasionibus. Particularia autem opera-bilia sunt quedam contingentia, & ideo circa ea juditium rationis ad diversa se habet, & non est determinatum ad unum, & pro tanto necessè est, quod homo sit liberi arbitrij ex hoc ipso, quod rationalis est. Et 1. 2. quæst. 17. art. 1. absolute docet: *Quod radix libertatis est voluntas, sicut subiectum, sed sicut causa est ratio, ex hoc enim voluntas libere potest ad diversa ferri, quia ra-tio potest habere diversas conceptiones boni,* & ideo Philosophi diffiniunt liberum arbitrium, quod est liberum de ratione juditium, quasi ra-tio sit causa libertatis. Et q. 24. de verit. art. 6. docet ad 1. quod liberum arbitrium non nomi-nat voluntatem absolutè, sed in ordine ad rationem: & propterea D. August. diffiniuit libe- rum arbitrium: *Quod est facultas voluntatis, & rationis.* Hocque patet ex eo, quod proprium liberij arbitrij est electio: it autem dicit D. Th. 1. 2. q. 13. art. 1. nomine electionis importatur aliiquid pertinens ad rationem, nimirum con-silium, per quod judicatur, quod medium sit pre-ferendum, & aliiquid pertinens ad voluntatem, nimirum, quod appetat, vel acceptet, quod per consilium præjudicatur: cum ergo in Deo esse liberum arbitrium sit certum, quod ex professo docet, & probat D. Thom. supra q. 19. art. 10. & q. 24. de verit. art. 3. Consequenter tam in Deo, quam in nobis juditium determinatum elec-tio nem mediorum præcedens est liberum.

7 Tandem conveniunt Thomistæ in eo, quod post electionem efficacem mediorum datur alter actus intellectus, qui dicitur imperium. Conveniuntque in eo, quod tale imperium reperitur in homine, ut directivum suarum operationum, quod proinde dicitur monastichum, quo nimirum incipiendo, & denuntiando imperat sibi ultum actuum suarum voluntatis, & eo mediae actum potentia exequitativæ, quod traditur à D. Thom. 2.2. q.83.art.1. & 1.2.q.17.art.3.ad 1.& q.57.art.6.& favet Aristot. in 6. Ethic. cap.10. & ibidem Div. Thom. lect.9. Conveniunt etiam in eo, quod etiam in Deo datur imperium per ordinem ad creaturas, & dicitur exequitativum, quod etiam docet Div. Thom. supra quest.22.art.1. ad 1. & 3. contra Gentes cap.64.num.10. in fine, & num.3. & opusc.1.1.att.13. & alijs in locis.

8 Dissidium ergo inter Thomistæ estat erga efficaciam prædicti iudicij determinati in Deo, & erga imperium monastichum, seu tale respectu ipius Dei. Unde juxta diversum modum opinandi aliqui constituant prædestinationem in iudicio determinato, & libero præcedente electionem mediorum. Alij vero in imperio monasticho subiequente prædictam electionem, & præcedenti ultum activum divinæ voluntatis. Alij tandem in imperio exequitativo, seu tali respectu creaturarum. Est ergo in præsenti dubio triplex difficultas 1. procedit de imperio monasticho 2. de imperio exequitativo, & 3. de iudicio determinato præcedenti electionem mediorum.

### RESOLUTIO I.

*In Deo non datur imperium monastichum, sed tale respectu suorum actuum. Unde in hoc nequit prædestinatione consistere.*

9 **E**s contra Alvendam, Araujo, Cornejo, Serram, Salmant. Zamorensim, Lezanum, Godoy, & Gonçalves. Eam tamen tenent Cajetanus, Zumel, Bañez, Alvarez, Nazarius, & Lisbonensis. Et fundatur 1. Ex Div. Thom. supra quest.22.art.1.in corpore, ubi sic expræssè habet: *Prudentia proprium est secundum Philosophum in 6. Ethic. ordinare alia in finem, sive respectu sui ipsius; sicut dicitur homo prudens, qui benè ordinat actus suos in finem virtutis, sive respectu aliorum sibi subiectorum in familia, vel civitate, vel regno, secundum quem modum prudentia, vel prævidentia Deo convenire potest, nam in ipso eo nihil est in finem ordinabile, cum ipse sit finis ultimus.* Hæc ibi Div. Thom. Hoc ipsum repetit q.5. de verit. art.2. in fine corpore.

ris sic: Assimillatur providentia ista, qua Deus mundum gubernat providentie æconomica, quæ quis gubernat familiam, vel politice, quæ quis gubernat civitatem, vel regnum, per quam quicunque alius actus aliorum ordinat in finem: non enim potest esse in Deo providentia respectu sui ipsius, cum quidquid est in eo sit finis, non ad finem: ergo secundum Div. Thom. in Deo non datur prudentia, & providentia monasticha respectu sui ipsius, vel suorum actuum, sed solùm quasi æconomica, vel politica respectu creaturarum. Cum ergo imperium monastichum actus sit, seu pars objectiva prudentiae, vel providentiae monastichæ, consequenter nec in Deo secundum D. Th. datur imperium monastichum, & respectu sui ipsius, seu suorum actuum. Ratio autem hujus etiam traditur à D. Thom. nam imperium monastichum est, quo agens intellectuale ordinat proprias potentias, & operationes ad aliquem finem: Deus autem nequit ordinare suas potentias, vel operationes ad aliquem finem; quia in Deo nihil est ad finem ordinabile, cum quidquid est in Deo sit finis, & non ad finem.

10 Dices cum Lezana, qui præceteris punctum oppositorum sententię attingit: quod actus divinæ voluntatis possunt duplicitate considerari, & entitativè, & formaliter, ut activè terminantur ad creaturas: primò modo, non possunt ordinari in finem, quia sunt ipse finis ultimus, ut ait D. Thom. bene tamè secundo modo, si quidem Deus operatur propter finem, nimirum propter suam bonitatem, que illos actus finalizat, non ut causa, sed ut ratio finalis eorum.

11 Sed contra est 1. nam si teneat Deus potest ordinare actus suos activè terminativè consideratos in finem: ergo ei competit prudentia, & providentia monasticha, sicut & monastichum imperium; at hoc expræssè negat D. Thom. ergo. Deinde, cum D. Thom. distinguit inter ordinari in finem respectu suorum actuum, vel respectu actuum aliorum, loquitur de actibus formaliter, & activè consideratis; hoc enim modo homo prudens ordinat actus suos ad finem vitæ æternæ; at hoc modo negat Div. Thom. Deum ordinare actus suos in finem: ergo. Nec sequitur Deum ordinare actus suos activè terminativè consideratos in finem, ex quo Deus operatur propter finem: nam operari propter finem stat duplicitate, vel per passivam ordinationem ipsius operantis in finem, qualiter se ipsum ordinat homo per imperium monastichum in finem vitæ suæ; vel per activam ordinationem aliorum in finem, qualiter gubernans dominum, civitatem, vel regnum ordinat sibi subditos in finem; Deus ergo hoc solùm secundo modo

modo operatur propter finem, nimirum activè ordinando creaturas in se ipsum, vel in suam beatitudinem, tanquam in finem juxta illud: *Omnia propiusse met ipsum operatus est Deus.* Non autem primo modo, ut aperte testatur D. Thom.

12 Deinde D. Thom. 1.2.q. 93. art. 3. in corpore concludit, quod solum creaturæ subduperunt legi æternæ, quia solum creaturæ subduntur divinæ gubernationi. Et ad 1. specialiter loquendo de voluntate divina ait, solum quantum ad ipsa, quæ Deus vult circa creaturas subdi divinitati legi, & gubernationi, non verò secundum se, & ratione sui ipsius; at si consideretur in Deo imperium nedum respectu creaturarum, sed etiam respectu voluntatis suæ, & potentiae exequitativæ, jam divina voluntas, potentiaque Dei exequitativa secundum se, & ratione sui ipsius subderentur legi æternæ, sicut & divina gubernationi: ergo.

13 Deinde in omnibus locis, in quibus D. Thom. de imperio Dei loquitur, nullam mentionem facit hujus monastichii imperij; sed solum imperij respectu creatorum. Nam supra q. 22 art. 1. ad 1. ait: *Quod præcipere de ordinandis in finem, quorum rebus rationem habet, competit Deo secundum illud Psalm. præceptum posuit, & non preteribit.* Et 3. contra Gent. cap. 64. n. 3. ait: *Nihil autem est regere, & gubernare per providentiam, quam mouere per intellectum aliqua ad finem; Deus igitur per suam providentiam gubernat, & regit omnia, quæ moventur in finem.* Et n. 10. ait: *Deus per suæ sapientiæ providentiam, gubernationem, & regimen præstat: bino est, quod scriptura Deum, & dominum profitetur, secundum illud Psalm. Dominus ipse est Deus, & idem, Rex omnis terre Deus. Regis enim est, & Domini suo imperio regere, & gubernare subiectos.* Unde, *& rerum cursum Sacra Scriptura divino præcepto adscribit.* Job 8. qui præcipit soli, *& non oritur.* Et opusc. 1.1.art. 13. ait: *Non solum Deus, sed etiam quilibet intellectus movet per imperium, imperium autem intellectus nihil aliud est, quæ conceptio effectuum ordinata ad implendum voluntatem.* Et eodem opusc. art. 3. dicit: *Ipsa autem conceptio intellectus secundum quod habet aliquam efficaciam transmutandi imperium nominatur: hanc autem efficaciam habet divinum imperium ad efficiendum, quod Deus vult.* Unde hoc imperium supponit voluntatem efficacem finis, à qua imperium participat efficaciam. Et hoc videnti constabit per cuncta loca, in quibus Div. Thom. mentionem facit imperium divini.

14 Immò ex locis Sacrae Scripturae, ex quibus Theologi colligunt Deo compere imperium, hoc ipsum liquet, ut patet ex illo Gene-

sis: *Dixit Deus, fiat lux; sicut dux laminaria magna, germinet terra, producant aquæ, &c.* Et Matthæi 8. *imperavit ventis, & mari, &c.* Job 38. *usque huc venies, & non procedes amplius.* Hinc Psalm. *præceptum posuit, & non præteribit.* Et alter: *Verbo Domini Cœli firmatis sunt, & alter: ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.* Ex his enim Sacrae Scripturæ locis Theologi colligunt Deo competere imperium, cum tam ex illis non colligatur Deo competere imperium monastichum, & per ordinem ad se ipsum, sed solum exequitatum, & per ordinem ad creaturas.

15 Tandem hoc liquet ex communi Thomististarum Doctrina, quam tenent Cajetanus, Alvarez, Nazarius, Bañez, Araujo, Zumel, Alvelda, Lisboniensis, Zamoriensis, Godoy, Gómez, & alij. Nimirum potentiam exequitativam in Deo non distingui virtualliter ab intellectu pratico illius, acunque intellectus practici, quatenus potentia exequitativa est, esse imperium, quia est ultimus actus illius supponens consilium, & iudicium, propterea attingens immediatè passivam rerum productionem; quod & probant ex præallegatis locis Sacrae Scripturæ, & Div. Thom. tunc sic; sed actus divinæ potentiae exequitativæ, seu omnipotentiae exercetur solum ad extra, & respectu creaturarum, non verò ad intra, & respectu alicujus actus divini: ergo. Immò ex hoc infringitur fundamen-tum oppositæ sententie, nam talè imperium monastichum solum desideratur, ut reguliter usum activum voluntatis, sicut & iudicium determinatum de medijs requiritur ad regulandum electionem mediorum; at ad hoc non requiritur: ergo. Probat. minor; imperium divinum supponit usum activum voluntatis; non ergo posset enim regulare. Probat. anteced. nam cum imperium divinum sit ipsa exequitatio potentiae divinæ exequitativæ non potest non supponere voluntatem exequendi, que est usus activus.

16 Dices cum Lezana, Godoy, & Gómez divinum imperium considerari posse secundum duplex inadæquatum munus, & dirigen-tis, & exequentis, & secundum hoc secundum munus supponit usum activum voluntatis, ut argumen-tum probat; secundum primum verò ipsum præcedit; nec dicunt obstat talia munera esse solum inadæquate distincta, quod inter ea me-diet usus activus voluntatis adæquate ab impe-riō distinctus: nam inter gratiam, ut auxiliari-tem, & justificantem solum est distinctio inadæ-quata; & tamen inter utramque mediat ultima dispositio ad justificationē exacta. Item intelle-

ctio, ut dictio solum inadæquatè distinguitur à se ipsa, ut contemplatio; & tamen inter illos cōceptus mediat verbum realiter distinetū. Deniq pacernitas divina, ut forma hypostatica inadæquatè solum distinguitur à se ipsa, ut referente; & tamen inter illam, ut constituentem personam, & ut referentem medium generatio, quæ pro eo, quod dicit in recto virtualiter adæquatè distinguitur à paternitate: non ergò debet inconveniens censeri, quod inter imperium ut dirigens, & ipsum, ut exequens mediet usus adæquatè distinctus ab illo, & si inter illos dīos conceptus inveniatur sola inadæquata distinc̄io.

17 Sed contra hanc responsonem est: quod licet ita sit, quod non oblit usum activum mediare inter imperium, ut dirigens, & ipsum, ut exequens, ex quo talia munia sint solum inadæquatè distincta, ut patet in exemplis allatis; attamen hoc obstat ex alio capite, nimirum, quia imperium dirigens, & quoad substantiam præcedens usum activum voluntatis, non potest ab illo participare efficaciam exequitionis: ergò si semel, ut dirigens, & quoad substantiam præcederit usum activum, non potest illum subsequi, ut exequens, quia ad hoc solum subsequetur illum, ut ab illo participaret exequitionis efficaciam, ut ipsi dicunt. Anteced. prob. nam actus intellectus non participat efficaciam à subsequenti actu voluntatis, sed solum à præcedenti, quod patet ex Div. Thom. 1.2. q. 27. art. 1. & q. 5. de verit. art. 1. & q. 6. art. 1. ad 1. & q. 22. art. 13. Quibus in locis docet: quod in potentijs, & actibus subordinatis, virtus prioris actus manet virtute insequenti, & propterea actus voluntatis aliquid participat ab actu intellectus eum præcedenti, v.g. electio à judicio ordinationis, & similiter actus intellectus aliquid participat ab actu voluntatis illum præcedenti: v.g. imperium ab electione efficaciam. Immò quotiescumque de efficacia imperij, sive divini, sive humani loquitur, asserit eum solum participare efficaciam ab efficaci electione mediorū. Unde concludit, quod imperare est actus rationis, præsupposito actu voluntatis in cuius virtute inovet. Hoc etiam exp̄ressè habet in verbis relatis ex opusc. 11. art. 3. non ergò potest divinum imperium, si semel, quoad substantiam, & ut dirigens præcedit usum activum voluntatis, ab illo participare ullam efficaciam; & consequenter ab illo non potest fieri exequens, ac tandem nec, ut exequens potens illum subsequi, si semel ut dirigens illum præcedit: nam ad hoc solum subsequetur secundum ipsos, ut ab illo participaret exequitionis efficaciam: dicendum ergò est, quod divinum imperium secun-

dum nullum menus præcedit usum activum voluntatis, sed illum supponit; consequenterque solum esse actum divinæ potentie exequitive, solumque tale per ordinem ad creaturas, non verò respectu ipsius Dei.

18 Quid tenetur fateri Oxom. namque supra de Scientia Dei probat divinam volitionem non posse esse objectum divini intellectus, quia hoc debet esse principium effectum intellectonis, & volitio potius intellectivum presupponit. Et cum respond. à contrarijs volitionem esse posteriorē intellectione regulative; fecū autem effectivē, seu motivē: respondet, quod cognitio non potest effectivē causari ab actu regulato per ipsam. Si hoc ita est: ergò nec imperium potest effectivē procedere, seu efficaciam exequitionis participare ab usu activo voluntatis per ipsum, ut dirigens, reg. lato.

19 Quid tamen tenetur fateri Lezana, qui eo probat juditium antecedens electionem non posse participare efficaciam ab electione mediorū, quia hæc illud subsequitur. Cum autem AA. oppositæ sententiae non minus distinguant in electione duplē inadæquatum conceptum & electionis unius medij præ alio, & affectionis ad unum medium præ alio, ratione cuius intellectum determinat, ut judicet hoc medium præ alio esse eligendum, & secundum hunc inadæquatum conceptum, dicunt præcedere juditium determinatum intellectus, licet secundum alium ei subsequatur.

20 Hinc dicendum est usum activum voluntatis in Deo non distingui ab efficaci electione mediorū, & ab hac solum divinum imperium participare efficaciam exequendi, seu movendi, & transmutandi ad extra; licet in nobis præter efficacem electionem mediorū detur ulterior actus voluntatis, qui dicitur unus actus; consequenterque juditium regulans electionem sufficere regulare usum activum divinæ voluntatis, nec requiri imperium à judicio conditum ad illum regulandum. Et disparitas est clara: nam ratio urgens, ut ponatur in nobis ille unus actus ab electione conditum, imperiumque illud conditum à indicio non urget in Deo: quod probatur, & simili nostra sententia confirmatur: nam propter, secundum Thomistas 1.2.q. 17. in nobis præter efficacem electionem mediorū est necessarius ille unus actus voluntatis, quia in exequitione major difficultas se offert, quam in sola electione, quare videmus multos facillime jūdicare, consiliari, & eligere, seu determinare se interius, qui postea in exequitione deficiunt, sicut Div. Petrus eligebat mori pro Christo: & tamè in exequitione omnino defecit. Unde aureola Martirij

tirij non datur diligentibus efficacitè mori pro Christo, sed tantum mortem patientibus actu, quia in actuali tolerantia mortis est specialis difficultas, cui speciale correspondet præmium. Hæc autem major difficultas dicunt, quod provenit ex impedimentis externis circumstantibus, quo in sensu dicit D. Tho. 2. 2. q. 138. art. 4. quod plerumque cadit in nostra potestate elec̄tio, sed non exequitio, ex quo potentia exequitiva in nobis est distincta ab intellectu, & voluntate: qua ratione voluntas in eligendo certat solum secum, nec habet aliud impedimentum, & difficultatem, quam quæ se tenet ex parte suis in exequendo autem non solum certat solum secum; sed etiam cum alijs potentijs inferioribus, & impedimentis externis. Et sic præter electionem mediorum indiget nova applicatione, novoque conatu, & robore ad applicandum potentiam exequitivam, & impedimenta extrinseca vincendum, qui actus dicitur usus activus, quo nimis voluntas mandat exequitioni media, non obstantibus difficultatibus, & impedimentis concurrentibus. Hinc ad regulandum usum istum activum præter juditium regulans electionem ponitur alter actus intellectus, qui dicitur imperium: nam difficultates in exequitione concurrentes per juditium regulans electionem erant cognitæ imperfecte solum, & abstractivæ; patet autem, quod difficultates dum incipiunt experiri, apparent majores, quam antea apprehensæ abstractivæ: & sic præter juditium regulans electionem requiritur alter actus intellectus intuitivus, quo, non obstantibus impedimentis, & difficultatibus experimentaliter cognitis, intimet, & denuntiet voluntati illum usum activum, & applicationem exequitivæ potentiae.

21 Hæc est ratio, ut ponatur in nobis usus ille activus ab electione condistinctus, imperiumque illud condistinctum à juditio: hæc autem ratio non urget in Deo, quia in Deo post efficacem electionem mediorum non se offert major difficultas in ipsorum exequitione, quia nec respectu illius est impedimentum, quod obstat, vel removere possint: nec in eo potentia exequitiva distinguitur ab illius intellectu, & voluntate: & consequenter difficultates in exequitione concurrentes non apparent Deo majores, quam antea apprehensæ per juditium regulans electionem: non ergo indiget voluntas divina nova applicatione, novoque conatu, & robore ad applicandum potentiam exequitivam, & impedimenta extrinseca vincendum præter efficacem electionem mediorum: sed elec̄tio mediorum in Deo efficaciter, & immediatè movet potentiam Dei exequitivam ad operadum, infert-

que efficacitè mediorum exequitionem, judgmentumque illam regulans sufficit regulare usum activum, & actum divinæ potentia exequitiva; hinc etiam in Deo judgmentum, hoc est intuitivum electionis, & exequitionis, & mediorum prout existentium in æternitate: nam ad notitiam intuitivam non requiritur, quod pro priori à quo, & rationis quo intelligitur notitia, intelligatur objectum complete existens: sed sufficit, quod intelligatur existens complete pro priori in quo, et si cum posterioritate rationis, ut in 3. resolutione latius explicabimus.

*Objiciuntur, & solvantur argumenta.*

22 **S**ed contra hanc resolut. objiciunt Godoy, & Gonet plures authorites tam ex Sacra Scriptura, quam ex D. Tho. de promptas: sed, ut ex dictis patet, ex illis solum convincitur dari in Deo imperium respectu creaturarum, non vero respectu ipsius, & suarum operationum.

23 Deinde præcipue objiciunt: in Deo est prudentia, sicut & aliae virtutes intellectuales, & morales: at actus proprius prudentie, ut differt ab Eubulia, & Synesi, & Gnoce, est imperium monastichum respectu proprietarum actionum, ut docet D. Tho. 2. 2. q. 47. art. 8. ubi ait: principalem actum prudentiae esse præcipere, & q. 91. art. 2. & 4. Eubuliā, & Synesi à prudentia simpliciter sumpta distinguit per hoc, quod Eubulia sit benè consiliativa, Synesis benè judicativa; prudentia autem benè præceptiva. Quam doctrinam assumpsit ex Arist. in 6. Ethic. cap. 9. ubi Eubuliam docet esse restitutionem consilii ad finem bonum simpliciter per vias bonas, & tempore convenienti, & deinde hec verba subjunxit, propter quod circa eadem quidem prudentia est, & Synesis, non est autem idem Synesis, & prudentia; prudentia enim præceptiva est, Synesis autem judicativa est: ergo in Deo recognoscendum est imperium monastichum, & respectu sui, proprietarumque actionum ad regulandum usum, & exequitionem.

24 Sed quis non videat, vel potius non rideat prædictam illationem, in qua proceditur à superiori ad inferius affirmativè, in conclusione que ponitur imperium monastichum, quod non ponitur in præmissis. Omittimus ergo pro nunc, quod primarius actus prudentiae est præcipere, de quo in resolutione sequenti, in qua aliter dicimus de prudentia Dei, ac de prudentia hominis, de qua solum loquitur D. Tho. locis relatis: at ut ipse ait 2. 2. q. 47. art. 12. necesse est, quod prudentiae differentiæ secundum differentiæ finis, ut una scilicet sit prudentia simpliciter dicta, que ordinatur ad bonum proprium, alia autem

æconomica, quæ ordinatur ad bonum communem domus, vel familiæ, & tertia politica, quæ ordinatur ad bonum commune civitatis, vel regni: & q. 48. art. 1. in corpore, dividit etiam prudentiam, ut in species, in prudentiam, per quam aliquis regit se ipsum, & in prudentiam, per quam aliquis regit multitudinem. Et hanc etiam, ut in species dividit in militarem, quæ respicit multitudinem ad unam tam ad pugnandum, & æconomicam, quæ respicit multitudinem domus, vel familiæ, & in prudentiam, quæ respicit multitudinem unius civitatis, vel Regni, quæ in Principe est regnativa; in subditis verò politica simplicitè dicta. Hoc ipsum explicat, & probat per totam questionem 50. ex quo ad prudentiam pertinet regere, & præcipere, & ideo ibi invenitur specialis ratio regiminis, & præcepti in humanis actibus, ubi etiam invenitur specialis ratio prudentiæ: non ergo, ex quo in Deo sit prudentia, actusque præcipiens prudentiæ sit præcipere, potest rectè concludi in Deo dari imperium monastichum, & respectu sui ipsius, adhuc enim oportet probare, nedum in Deo dari prudentiam, verum & dari prudentiam monasticham, per quam Deus regat se ipsum, suoque dirigit actus, quod nec leviter insinuat D. Thom. sed potius oppositum, ut patet ex locis citatis pro nostra resolutione, ubi expressè afferit in Deo non reperiri prudentiæ, vel providentiam respectu sui ipsius, sed solum respectu aliorum, assimilarique æconomia, vel politica.

25. Et notetur obiter in conseq. Mag. Goonet, qui in tomo antecedenti disp. 8. de providentia art. 2. §. 2. ad ultimum arguit respond. quod actus imperij non ponitur in Deo, sicut in nobis, quia in Deo non datur aliqua potentia exequitiva virtualiter ab ejus intellectu, & voluntate distincta. Unde actus imperij in Deo immediate dirigitur ad ipsas creaturas, & ad imperandum eorum productionem juxta illud Genes. fiat lux, &c. & illud Psalm. ipse dixit, &c. Id ipsum afferit disp. 3. de Scientia Dei art. 5. §. 1. ubi distinguit imperium nostrum ab imperio Dei per hoc, quod imperium nostrum respectu objectorum ad extrema non est practicum, & efficax. Unde cum apud nos dicimus fiat hoc, imperium dirigitur ad nos ipsos applicandum ad opus. Imperium verò Dei ad extra est efficax, & practicum: unde imperium Dei, quo dicit, fiat hoc, non ordinatur ad se ipsum applicandum ad opus, sed ad ipsam rem immediate exequendam. Ecce ubi manifeste sibi contradicit, & nostram sequitur sententiam.

26. Deinde predicti AA. objiciunt: præter decretum electivum mediorum pertinens ad

ordinem intentionis datur in Voluntate Dei decretum exequitativum eorundem: ergò præter juditium regulans electionem debet admitti in Deo alias actus intellectus, qui supponat electionem, & regulet usum, & exequitionem, qui non potest esse aliis, quam actus imperij monastichi. Conseq. pat. nam ad multiplicationem virtualem actuum voluntatis in Deo, necessariò debent etiam virtualiter distingui, & multiplicari actus intellectus, cum nihil volitum, quin præcognitum.

27. Confirmatur: quia præter intentionem finis datur in Voluntate Dei electio mediorum ab ipsa virtualiter distincta, admittitur in divino intellectu præter juditium regulans intentionem juditium regulans electionem à præcedenti virtualiter distinctum: ergò similiter, si præter electionem mediorum datur in Voluntate Dei alias actus virtualiter distinctus pertinens ad lineam exequitionis, debet pariter in intellectu divino recognosci actus imperij supponens electionem, & regulans usum, & exequitionem.

28. Ad hoc argum. & confirmationem patet ex dictis neg. anteced. quia in Deo ipsa electio efficax mediorum efficaciter infert eorumdem exequitionem, ipsamque potentiam exequitativam applicat ad exequendum: & sic ipsa electio efficax mediorum est ipsem usum actus voluntatis divinæ, & consequenter ad regulandum prædictum usum, seu decretum exequitativum non oportet ponere alium actum intellectus præter juditium regulans electionem.

29. Sed objiciunt predicti AA. ab probandum hujusmodi usum actus voluntatis ab electione virtualiter distinctum in Deo. Primo, nam omnis actus in voluntate nostra repertus concedi debet voluntati divinæ, si in sui formalis conceptu imperfectionem non imbovit; sed datur in voluntate nostra usus distinctus, & iste nullam imperfectionem imbovit: ergo. Maj. pat. Quoniam de rebus divinis debemus philosophari juxta ea, quæ videmus in creatis, seclusis imperfectionibus. Minor verò quoad 1. part. est omnium Thom. contra Vazq. & expressè traditur à Div. Thom. 12. quæst. 16. ar. 1. & 4. in corp. & ad 1. & q. 17. art. 3. ad 1. quoad 2. prob. quia usus actus solum dicit voluntatem exequendi media electa, & applicationem potentiarum exequitativarum; at hoc nullam dicit imperfectionem, quinimò dicit perfectionem, sicut & actualitatem: ergo.

30. Secundo: Nam Div. Thom. quæst. 16. art. 4. in voluntate distinguunt duplex habitudinem ad volitum; unam quidem: Secundum quam volitum est quodammodo in voluntate per quandam proportionem, Ordinem ad ipsam

sum, & ita voluntas habet objectum volitum effectivè; & ultimus actus voluntatis pertinens ad hanc habitudinem, quæ dicitur ordo intentionis, est electio mediorum. Aliam vero habitudinem dicit ad volitum, quatenus tendit ad ipsum realiter consequendum, & habendum in re; & hic ordo dicitur exequutionis, ad quem tendit usus activus voluntatis applicantis potentiam exequitivam ad opus. Hac Div. Thom. Sed hec distinctio voliti, prout est effectivè in voluntate, vel prout est consequendum in re, etiam salvatur respectu voluntatis divinae, cum sit formalis distinctionis boni in ratione voliti, & objecti voluntatis: ergo. Immò ex hac doctrin. Div. Thom. sic formatur ratio: Actus conjungens voluntatem cum volito solum effectivè est distinctus essentialiter ab actu conjungente voluntatem cum volito, ut realiter habito; at elec-  
tio solum primo modo conjungit voluntatem cum volito; nam ex illius vi volitum non habetur jure, usus autem realiter eam conjungit cum volito, cum ex vi illius potentia exequentes applicentur, & effectus statim sequatur: ergo electio, & usus essentialiter distinguuntur; & consequenter adhuc prout in Deo debent virtualiter distingui.

31 Tertio: Nam actus habentes idem objectum materiale sub diversis rationibus insperatum essentialiter distinguuntur; sed electio, & usus idem objectum materiale sub diversis rationibus inspiciunt: ergo. Maj. constat in intentione, fruitione, & simplici complacentia, quæ licet circa eundem finem versentur, quia tamen illum sub diversis rationibus inspiciunt, essentialiter distinguuntur. Item hæc conclusio terra est rotunda, prout attingitur per medium mathematicum, & prout attingitur per medium philosophicum, ad diversam spectat scientiam, ut docet D. Thom. supra quæst. 1. procem. art. 1. ad 2. Min. autem prob. Nam licet electio, & usus terminentur ad media, tendunt tamen in illa sub diversis rationibus: nam media ad finem duplicitè considerari possunt: 1. ut effectus in genere causa finalis, seu in ordine intentionis: 2. ut causa illius in genere causæ efficientis, seu in ordine exequutionis. Hinc fit, quod electio terminatur ad media, prout sunt causa finis in ordine intentionis; usus autem terminatur ad media, prout sunt causa finis in ordine exequutionis: ergo.

32 Confirm. hec ratio. In voluntate divina datur duplex actus circa gloriam electorum; alter est electio ad gloriam omnino liberalis prævisionem meritorum antecedens; alter est decretum dandi gloriam, merita prævisa supponens, quæ consequenter non est liberalis, sed

ex justitia, ut patet ex August. lib. 2. ad Simplician. quæst. 2. circa medium; at, nisi iste duplex actus circa gloriam in voluntate divina existens, quorum alter spectat ad ordinem intentionis, & alter ad ordinem exequutionis distinguatur in Deo, non potest subsistere: ergo hoc duplex decretum intentivum, & executivum ab æterno debet in divina voluntate constitui. Quod si concedatur hoc duplex decretum circa gloriam, non verò circa media, statim se offert replica; nam idè dantur illi duo actus circa gloriam; quia gloria ordine intentionis attingitur, ut causa finalis mediorum; ordine vero exequutionis attingitur, ut effectus mediorum; & gloria, ut causa, est objectum formaliter diversum à se ipsa, ut effectus; sed etiam media attinguntur per electionem, ut effectus; & per usum, ut causa: non ergo est, cur decreta illa distinguantur in Deo circa gloriam, & non circa media?

33 Hæc omnia contra nos objiciunt Godoy, & Gonet, ad probandum usum prædictum activum voluntatis condistinctum ab efficaci electione mediorum in Deo reperiri. Et præterea potest objici: Nam in electione mediorum non est in Deo nova difficultas supra intentionem finis; & tamen ex hoc non sequitur electionem in Deo esse virtualiter indistinctam ab intentione finis: ergo.

34 Sed resp. ad 1. Aliud esse usum activum non dicere imperfectionem, & aliud usum activum condistinctum ab electione non dicere imperfectionem. Primum prob. arg. Quia usus activus solum dicit voluntatem exequendi media, & applicationem potentia exequitiva, in quo nulla appetit imperfectione. Secundum vero est falsum, non ut aliqui dicunt, quia requirit imperium monastichum, quod dicit imperfectionem Deo repugnantem, cum hoc potius intendat argumentum, nimis dati in Deo imperium monastichum, quia in eo datur usus activus condistinctus ab electione, illudque imperium nullam dicere imperfectionem, sicut nec usus activus; verum licet ita sit, quod imperium illud dicat imperfectionem, ad præfens argumentum debet aliter responderi, ne committatur circulus in responsione. Dicimus ergo usum activum ab electione condistinctum dicere imperfectionem, quia requirit, quod electio efficax mediorum non inferat efficaciter activam mediorum executionem; & consequenter, quod in activa executione sit nova difficultas vincenda per usum activum, quod stare non potest, quin & impedimentum aliquod ei poscit obstare, & potentia executiva virtualiter distinguatur ab intellectu, & voluntate, cum ob hanc

solum rationem in nobis ponatur ille usus ab electione constitutus.

35 Ad 2. resp. quod potius ex doctr. Div. Thom. in illo art. habetur in Deo non esse admittendum usum activum distinctum ab electione: nam eo ipso per electionem pertinetem in eo casu ad ordinem intentionis, divina voluntas habet volitum solum affectivè, hoc autem dicit imperfectionem repugnantem divinæ voluntati, ut patet ex ipsis verbis. Div. Thom. postquam enim distinguit primam habitudinem modo explicato, ut ex ea convincat secundam habitudinem executionis, sic subjungit: *Sed sic habere finem, est imperfectè habere ipsum, omnino autem imperfectum tendit in perfectionem;* & ideo tam appetitus naturalis, quam voluntarius tendit, ut habeat ipsum finem realiter, quod est perfectè habere ipsum, & hoc est secunda habitudo voluntatis ad volitum. Habere ergo volitum pure affectivè per electionem dicit imperfectionem, nimirum habere finem, seu volitum imperfectè, tendereque, ut illud perfectè habeat, quæ imperfæctio Deo repugnans est. Negamus ergo in divina voluntate electionem mediorum pertinere ad primam habitudinem, seu ordinem intentionis, licet in voluntate creata ita sit, ut traditur à D. Thom. Nam voluntas creata per electionem non attingit volitum perfectè, sed imperfectè, nimirum affectivè, & effectivè solum per usum applicantem potentiam exequitativam ad opus; divina autem voluntas per electionem absque ulla imperfectione attingit volitum, & sic nèdum affectivè, sed etiàm effectivè, ita ut per illam immediatè applicet potentiam Dei exequitativam, scilicet, intellectum Dei practicum ad imperium, in quo consistit actus illius, ut potentia exequitativa est. Hinc dicimus distinctionem illam voliti, prout est affectivè in voluntate, vel prout affectum in re, esse distinctionem formalem objecti in ratione boni, & voliti respectivè solum ad nostram voluntatem, non verò respectivè ad voluntatem divinam. Ex his patet ad rationem deductam ex verbis Div. Thom. negando semper electionem divinæ voluntatis solum eam conjungere cum objecto affectivè, licet ita sit in electione voluntatis creatae.

36 Ad 3. conced. major. & neg. min. ad prob. neg. electionem terminari solum ad media, ut sunt effectus illius in genere causæ finalis, & similiter usum activum terminari solum ad ea, ut sunt causa finis in genere causæ efficientis; sed tam electio, quam usus activus, dicimus, quod terminantur ad media, ut sunt causa finis in genere causæ efficientis, & ut sunt effectus illius in genere causæ finalis. Quod fit

perspicuum: nam electio non attingit media propter finem, nisi quatenus utilia ad consecutionem illius; non autem sunt utilia ad consecutionem illius, nisi quatenus sunt causa efficientis illius. Similiter, usus activus non attingit exequitionem mediorum propter se, sed propter finem consequendum. Ly autem propter dicit causalitatem finis respectu mediorum: ergo electio non terminatur ad media, solum prout sunt effectus finis in genere causæ efficientis; sed etiam prout sunt effectus illius in genere causæ finalis; ex hac ergo parte non possunt diversificari essentialiter hujusmodi actus. Est tamen differentia inter electionem, & usum voluntatis creatae, & divinæ, quod, quia electio voluntatis creatae non infert efficacitatem exequitione mediorum, nec applicationem potentiam executivæ, per illam non attinguntur media, ut causa in actu secundo finis; sed solum ut causa in actu primo: quia tamen electio divinæ voluntatis efficaciter infert exequitionem mediorum, immediateque applicat potentiam Dei exequitativam ad opus, per illam attinguntur media, etiam ut causa in actu secundo finis: unde argum. recte prob. de electione, & usu voluntatis creatae quantum ad rationem causæ efficientis in actu secundo, quod, nimirum, ut sic non attinguntur media per electionem, sed solum per usum; proptereaque in voluntate creata electio pertinet solum ad ordinem intentionis, non tamen ad ordinem exequitionis, ut explicatum est.

37 Ad confirmationem resp. in divina voluntate dari illum duplum actum circa gloriam electorum; non tamen ita, quod decretum dandi gloriam merita prævisa supponens, & ad ordinem exequitionis pertinens sit distinctum ab ipsa electione mediorum, implamque supponat; sed tale decretum est ipsam electio mediorum, in qua prævidetur media, & per quam immediatè applicatur Dei potentia exequitativa ad illorum exequitionem, ut dictum est. Immò hoc posset confirmari ex doctrina argumenti; namque decretum illud dandi gloriam, merita prævisa supponens est actus iustitie; actus autem primarius iustitie est cuiuslibet virtutis, non est usus, sed electio. Nam virtus definitur: *Quod est habitus electionis, electivus inquit, in mediocritate consitens, prout sapiens determinaverit.* Nec nos negamus in Deo duplex decretum circa gloriam, quorum alterum sit intentivum, aliud verò exequitativum. Sed dicimus electionem efficacem mediorum non pertinere ad ordinem intentionis, sed exequitionis, cum per eam immediatè applicetur potentia Dei exequitativa ad opus. Unde concedimus in Deo de-

cretum purè intentivum, quod est immediate circa gloriam, & antecedit electionem mediorum, quod proinde dicitur ante prævisa merita, & decretum exequutivum, quod est circa gloriam solum mediata, & immediate circa media; & hoc dicimus esse ipsam electionem mediorum, & non usum ab ea distinctum. Negamus tamen illud duplex decretum immediate circa media, ita, ut alterum sit purè electivum, & ad ordinem intentionis pertinens, & alterum usus pertinens ad ordinem exequutionis, ut patet ex dict. ad 2.

38 Sed ex his objicies: propterea secunduni nos non datur in divina voluntate decretum illud pure electivum circa media, quia illud dicit imperfectionem; hanc autem imperfectionem dicit, quia per eum voluntas solum habet volitum imperfecte, nimirum affectivè; sed hæc eadem imperfectio imbolvitur in decreto purè intentivo, cum per illud solum habeat voluntas finem affectivè, non verò effectivè: ergo, si hoc non obstante, admittitur in Deo decretum purè intentivum finis, non erit, cur repugnat Deo etiam decretum electivum mediorum,

39 Sed ad hoc patet disparitas, quod per intentionem voluntas immediate attingit finem; per electionem verò immediata attingit media; finis autem, ut immediata attingibilis, non potest haberi effectivè à voluntate, cum in sua acquisitione dependet à medijs; benè tamen media, que in sua acquisitione non dependent ab alijs medijs. Et sic voluntatem habere solum affectivè finem per intentionem, est quidem imperfectio; sed purè negativa, cum aliter finis immediata attingibilis non sit: habere verò media solum affectivè per electionem, positiva imperfectio est, cum sint immediata attingibilia effectivè: imperfectio autem purè negativa Deo non repugnat; benè tamen positiva, ut patet.

40 Hinc resp. ad id, quod additur in arguento; poterat enim in primis ommitti, propterea distinguui in Deo illos actus circa gloriam, quia gloria ordine intentionis attingitur, ut causa finalis mediorum; sed neg. suppositum conseq. ut pater ex dict. Deinde neg. propterea distinguui illos duos actus, quia ordine intentionis attingitur, ut causa finalis; siquidem adhuc intentio efficax finis respicit finem, ut effectivè consequendum per media, cumque per hoc distinguatur à simplici volitione, quæ respicit finem prout in se: unde intentio finis etiam respicit finem, ut effectum mediorum in genere cause efficientis; distinguuntur ergo in eo, quod intentio respicit immediata, & directè finem, &

solum mediata, & in obliquo media: è contra verò decretum exequutivum. Vel distinguuntur in Deo illi duo actus circa gloriam ex eo, quod decretum intentivum recipit gloriam per modum motus, & tendentie; quia ut dicunt Theologi, intentio finis idem est, ac tendentia in finem: undè per illum solum habetur gloria affectivè, & per quandam proportionem, ut diximus ex Div. Thom. Decretum verò executivum respicit gloriam per modum usus applicantis potentiam exequutivam ad illorum exequutionem; undè per illud nedum habetur gloria affectivè, sed etiam effectivè, ut dictum est. Hic tamen observa, quod cùm Thomistæ negant in Deo amorem pure affectivum respectu creaturarum, quod & traditur à Div. Thom. supra quest. 20. ar. 2. debent intelligi de amore affectivo simpliciter tali, qui dicitur simplex voluntio, vel complacentia: amor verò intentionis, cùm efficaciter inferat electionem mediorum, & ea mediante consequitionem finis, non est amor affectivus simpliciter, sed inchoate est etiam effectivus. Unde iste amor Deo non repugnat ex hac parte respectu finis.

41 Ad ult. resp. quod in electione mediorum non sit in Deo nova difficultas supra intentionem finis; attamen respiciunt diversa objecta in se formaliter; nam intentio respicit immediate, & in recto finem; electio verò respicit immediata, & in recto media, & propterea formaliter distinguuntur: attamen electio, & usus activus divina voluntatis respiciunt media, ac proinde ex parte objecti in se nulla est diversitas formalis, & solum proveniret diversitas ista formalis penes attingere media affective, vel effectivè, quæ diversitas ortum habet ex nova difficultate, quæ in exequutione est supra electionem, ut explicatum est: qua ratione diximus distinctionem volitum penes esse affective in voluntate, vel ut effectivè consequendum, in re esse distinctionem boni in ratione objecti, & voliti respective ad voluntatem humanam, non vero divinam.

42 Tandem objicies ex Lezana: quod post electionem mediorum antecedenter ad illorum exequutionem debet præcedere actus intellectus cognoscens media electa à voluntate, eique proponens sui determinationem etga media; sed hæc cognitio, ut potè supponens electionem mediorum, & antecedens voluntatem exequendi non potest esse imperium intellectus diligens usum activum, quia eo ipso ab efficaci electione mediorum participat vim, & efficaciam, ratione cuius dicitur imperium: ergo. Minor pater, & major probat. nám antequam voluntas divina vellit exequutionem mediorum, debet intellectus

etius divinus cognoscere, quæ media elegerit, & exequi vult: alias cæco, & ignorant modo Deus mandabit exequutioni media hæc potius, quam illa, nesciens, an hæc, vel illa elegerit media, & ignorans, quæ media exequatur, donec jam sint exequutioni mandata.

43 Resp. neg. maj. ad illius prob. dicimus, quod licet ita sit, talis tamen actus intellectus non est cognitio fablequens electionem, & antecedens executionem, sed est iudicium electiōnē regulans, & præcedens: nam cum hoc infallibiliter, & efficaciter inferat electionem mediorum, ea intuitivè cognoscit, ut dicitur est, & in illa cognoscit media determinatè electa, sicut imperium executivum efficaciter inferens existentiam creaturarum, eas intuitivè cognoscit juxta dicta ad 2. objectionem. Vel dicendum, quod, ut Deus non mandet executioni media cæco, & ignorant modo, non requiritur, quod ante voluntatem exequendi cognoscatur, quæ media elegerit voluntas, sed sufficit, quod ea cognoscatur in ipsa activa executione per ipsum imperium executivum, supponens electionem, & usum, cum hujusmodi imperium sit cognitio practica rerum, quæ cognoscendo efficit, & efficiendo cognoscit, ut dicunt Thomistæ in materia de scientia Dei, dum afferunt scientiam Dei esse causam rerum.

### RESOLUTIO II.

*Datur tamen in Deo imperium respectu creaturarum, quod dicitur exequitivum: illud tamen non est prædestinationis, sed prædestinatōrum gubernatio.*

44 Prima pars est omnium Thomist. contra Vazquez, Suarez, & Molinam: 2. verò est contra Nazarium, & Lisbonensem, qui licet in Deo pure cognoscant imperium exequitivum, & tale respectu creaturarum; dicunt tamen illud, ut connotans existentiam creaturarum esse gubernationem prædestinationis, quæ proinde Deo in tempore convenit, protò vero connotat ipsarum futuritionem esse prædestinationem, quæ Deo competit ab æterno. Eam tamen tenent eæteri relati in resolutione præcedenti, tamen contra, quæ in favorē nostræ sententiae: nam licet relati contra nostram sententiam in Deo recognoscant imperium directivum, seu monasticum respectu ipsius Dei, non tamè adæquatè distinctum ab executione, ut diximus: undè dicunt illud sub munere dirigentis esse prædestinationem, sub munere vero exequentis esse prædestinationis gubernationem.

45 Prima pars sufficienter manet probata, & fundat. ex dict. resolut. præced. Nam loca Sacrae Scripturae hoc imperium manifestè indicant. Unde super illud Matthæi 8. Imperavit ventis, & mari. Ait Hieronymus: Ex hoc loco intelligimus, quod omnes creature sentiunt creatorem imperantem: non hereticorum errore, qui omnia putabant animata, sed maiestate conditoris, cui sensibilia sunt, quæ apud nos sunt inseparabilia. Et super illo Genes. Fiat lux, &c. ait August. lib. imperf. de Genes. ad litt. cap. 5. In eo, quod dixit, imperium ejus intelligitur, in eo, quod factum est potentia, in eo, quod placuit benignitas. Et non est termino de imperio voluntatis, quia imperare dicendo, non pertinet formaliter ad voluntatem, sed ad intellectum, cuius proprium es dicere, nec Scriptura intelligenda est in sensu proprio, ut ait Molina, quia ex quo intelligatur in sensu riguroso, nullum sequitur inconveniens. Deinde hoc ipsum habetur exprimere in D. Thom. loc. cit. taleque imperium esse actum divini intellectus præsupponentem electionem efficacem mediiorum, à qua participat efficaciam movendi, & transmutandi ad exteris, quod ex professo probat 1. 2. q. 17. art. 1. Ex quo, imperare, non est movere quomodocumque, nimis impulsive, sed intimando, & denuntiando, prout explicatur modo imperativo, fac hoc, quod est proprium rationis: nam sic imperare, est alium ordinare ad aliud agendum, ordinare autem rationis est, & quia primum movens est voluntas, & secundum movens non movet, nisi in virtute primi; hoc ipsum, quod est movere, competit in imperio participative à voluntate, licet ea parte, qua intimare, & denuntiare importat ordinationem ad alterum, ei competat solum ab intellectu. Immò, ut præced. resolut. diximus Thomistæ tamen in tract. de scient. Dei, quæm infra quest. 2. 5. art. 1. latè probant in Deo potentiam exequitativam non distingui virtualiter ab intellectu, & voluntate, intellectumque importare in recto, voluntatem vero in oblique, aetumque intellectus, ut potentia exequitativa est, esse imperium, quia est ultimus actus intellectus supponens consilium, & iudicium, proindeque attingens immediate passivam rerum productionem.

*Objiciuntur, & solvantur argumenta.*

46 A rgumenta, quæ intendunt probare imperium non esse actū intellectus, ad duo possunt reduci. Primum desummitur, ex quo movere quoad exercitium, quod est proprium imperij, pertinet ad voluntatem; sed ad hoc patet ex

ex immediate dictis, quod & füssius declarabitur in resolut. seq.

27 Aliud arg. desumimur, ex quo imperium ad nullam ex operationibus intellectus pertinere videtur; quia, secundum Philosophos, operationes intellectus sunt tantum tres, scilicet simplex apprehensio, judicium, & discursus: imperium patet non esse simplicem apprehensionem, nec discursum, aliud non potest esse judicium, quia in hoc formaliter est veritas, vel falsitas; non vero in imperio, cum per eum intellectus nihil affirmet, vel neget: ergo.

28 Sed hoc arg. proponit Div. Thom. 2. 2. q. 83. art. 1. loquend. de orat. deprec. & resp. Quod illi tres actus pertinent ad rationem speculativam; sed ulterius ad rationem practicam pertinet causare aliquid per modum imperii, vel per modum petitionis, ut dictum est. Dixerat autem in corp. art. quod ratio practica non solum est apprehensiva, sed etiam causativa, & directiva ad opus. Unde juxta diversum modum dirigendi ad opus, prater orationem enunciativam, qua est oratio modi indicativi, & significat verum, vel falsum, dantur aliae orationes. Quod etiam docet Opusc. 48. tract. de Enuntiat. & 1. per Hierimen. lect. 7. nimis: Oratio vocatur, qua intellectus dirigit ad attendendum mente; & interrogativa, qua intellectus interrogando dirigit ad respondendum voce; & deprecativa, qua intellectus deprecando dirigit ad praestandum, quod postulat; & optativa, qua intellectus optando, seu desiderium, exprimendo si noliter, dirigit ad praestandum, quod desiderat; & imperativa, qua intellectus imperando dirigit, ad exequendum in opere. Et, quia oratio dicitur vera, vel falsa, ab eo, quod res est, vel non est, solum oratio judicativa, qua significat actum intellectus, secundum quod concipit rem, prout est in se, vel aliter, ac est in se, significat verum, vel falsum; non vero, qua significat actum intellectus, secundum quod dirigit ad opus, ut sunt orationes relatae, sed hujusmodi solum significant internam ordinationem, vel locutionem intellectus, qua ordinat ad opus. Et in nostro casu oratio imperativa significat ordinationem exequitivam mediorum, & internam intimationem, seu denuntiationem, qua intellectus dicit, fiat hoc; consequenterque imperium non est formaliter judicium, licet judicium sit equivalenter, quatenus aquivalet huic iudicio, hoc est, tibi faciendum, vel expedit, ut facias.

29 Deinde contra hanc partem objicitur ad probandum, imperium pure exequitivum Deo repugnare; ex quo imperium nequit esse actus omnipotentia, seu potentia divina ex-

equitiva, & sic probatur; Imperium propriè tale solum potest dari in Deo respectivè ad portantes ipsum exequi, ei obediendo, quia obedientia est correlativa imperij, & obedientia solum intelligentibus cum proprietate convenit; at, qui actus omnipotentia non dirigitur ad intelligentes divinum imperium; sed solum ad effectus, qui eum percipere non possunt, immo indifferenter dirigitur ad creaturas rationales, vel irrationales; nequit ergo dari in Deo imperium pure exequitivum, & qui actus sit divina omnipotentia exequitiva.

30 Confirm. imperium propriè tale supponit subditos, quibus imperiet, est enim actus dominij; dominium autem exposcit subditos existentes, alias Deus non in tempore, sed aeterno diceretur Dominus, cuius oppositum docet D. Thom. supra quest. 13. artic. 7. at actio omnipotentia potius facit, quam supponat subditos existentes: ergo. Immò actus omnipotenti non potest non esse temporalis, cum Deus non sit creator ab aeterno, sed in tempore; at, si in Deo daretur illud imperium, non esset temporale, sed aeternum, quia nullus actus intellectus, vel voluntatis potest Deo in tempore convenire, alias posset incipere velle aliquid in tempore, quod est contra D. Thom. & omnes Thomistas in tractatu de Voluntate: ergo.

31 Ad argum. resp. 1. illud instando; nam non minus imperium dicitur correlativè ad obedientiam, quam lex in imperio consistens; & tamen omnia naturalia, etiam irrationalia subduntur legi aeternæ, ut patet ex D. Thom. 1. 2. q. 73. art. 5. ergo. Ex doctrina igitur D. Thom. in praedicto articulo, & articulo sequenti in corpore, resp. 2. dist. major. & eam concedendo de imperio hominis, & neg. de imperio Dei; ratio est, quia imperium hominis solum movet extrinsecè, & ex parte objecti, nimis propoundingo legem, vel preceptum, & sic est imperium pure directivum, & morale, qua ratione solum potest dirigi ad intelligentes legem; aut preceptum; attamen imperium Dei movet intrinsecè, & subjectivè, scilicet causando, & imprimendo rebus principia suorum actuum, & sic taliter est directivum, quod simul est physicum, & effectivum; unde creaturae irrationales subduntur legi aeternæ, divinoque imperio, in quantum per principia sibi indita à Deo moventur in finem ab ipsa lege divina præordinatum, licet nec legem, nec finem cognoscant. Immò creature rationales hoc etiam modo subduntur legi aeternæ, in quantum unicuique inest naturalis inclinatio ad id, quod est consonum legi aeternæ: sumus namque innati ad habendum virtutes, ut dicitur in 2. Ethic. quia tamen cum eo quod

quod est commune omnibus creaturis, habent aliquid proprium, quia rationales sunt, simili subduntur legi eternæ per cognitionem illius. ut docet Div. Thom. art. 6. cit. Ad prob. contra hoc resp. quod juxta illud duplex imperium datur etiam in rebus duplex obedientia, alia libera, & moralis, quæ correlative se habet ad imperium pure directivum, & morale; & alia necessaria, & physica, quæ correlative se habet ad imperium physicum, & effectivum. Prima obedientia solum intelligentibus convenit. Secunda verò etiam convenient irrationalibus, & effectibus, ut patet ex locis relat. Sacra Script. Et hujus nota exemplum in ipso imperio hominis, quod licet relata ad homines sibi subditos sit pure directivum, & morale; respectivè tamen ad suas potentias est etiam physicum effectivum, cum efficaciter moveat voluntatem ad usum activum, & eo mediante, potentiam exercitutam ad executionem operis; & tam voluntas, quam potentia executiva ei obediunt, cum tamen neutra intellectiva sit.

52. Ad confirm. resp. probare non esse legem aliquam eternam, quia non sunt, nec fuerunt subditi ab eterno, cuius oppositum docet Div. Thom. 1. 2. q. 9. art. 1. ubi ad argum. propositum resp. sic: *Dicendum, quod ea, quæ in se ipsis non sunt, existunt apud Deum, in quantum ab ipso cognita, & ordinata sunt, secundum illud Rom. 4. Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, sic igitur eternus divina legis conceptus habet rationem legis aeternæ, secundum quod à Deo ordinatur ad gubernationem rerum ab ipso præcognitarum.* Et ad 2. ait: *Quod promulgatio legis fit, & verbo, & scripto, & utroque modo lex eterna habet promulgationem ex parte Dei promulgantis, quia est Verbum Divinum, & aeternum, & Scriptura libri vitæ est aeterna.* Ex quibus distinguunt de actu imperij, & de exercitio imperandi, nimirum, secundum quod exercitè obligat subditos: primo modo non requirit subditos in se ipsis existentes, sed sufficit, quod sint à Deo cogniti, & ordinati; bene tamen secundo modo, quia exercita obligatio connotat existentiam eorum, que obediunt tenentur. Quod & videre est adhuc in legibus humanis, quæ licet quoad exercitum obligandi non se extendant ad futuros; actu tamen nedum sunt impossibile nobis existentibus, sed & futuris non existentibus. Ad prob. contra hoc resp. quod imperium quantum ad actum, est actus potestatis, quæ est dominium in actu primo, ut ait D. Thom. sup. q. 13. art. 7. quo in sensu ait Ambrosius, quod hoc nomen Dominus, est nomen potestatis; imperium tamen quoad exercitum

est actus dominij in actu secundo; licet autem dominium in actu secundo requirat subditos existentes: qua ratione Deus solum in tempore dicitur Dominus, dominium tamen in actu primo, seu potestas illos non requirit, ut patet.

53. Ad 2. part. confirm. resp. quod in sententia Thomist. actio divinae omnipotentie est actio solum virtualiter transiens, & formaliter immanens, proindeque identificatur cum Dei omnipotentia, & sic quod actualitatem est aeterna, licet quoad exercitum, & denominationem sit temporalis, quia, ut sic, non est creatio, nisi secundum quod connotat existentiam creaturarum; & sic non inconvenit, quod consistat in imperio; nam licet actus intellectus, & voluntatis non possint Deo convenire in tempore quoad actualitatem; qua ratione non potest Deus incipere velle aliquid in tempore, quia alias mutaretur, bene tamen quoad denominationem connotantem existentiam creaturarum, quia ex hoc nulla sequitur mutatio ex parte Dei, sed solum ex parte creaturarum, & extremi connotati.

54. Secunda verò pars solutionis, [quod feliciter imperium hoc non est prædestination, sed prædestinatorum gubernatio, fundatur: nam prædestination, & gubernatio comparantur, sicut ratio ordinis, & executio illius: unde gubernatio est actus potentiae executivæ efficiens, quod per divinam providentiam ordinatum, & preparatum est, proindeque supponit prædestinationem & providentiam essentialiter, & adæquatè conformatam; at exercitio divinae providentie, actusque divinitatis potentiae executivæ est illud imperium: ergo hoc non est prædestination, sed prædestinatorum gubernatio. Minor est omnium Thomist. & habetur expressè ex locis relat. in resolut. præc. tam Sacra Script. quam Div. Th. Major autem est expressa Div. Thom. quest. 5. de verit. art. 1. in fine corp. dicentis: *Potentia autem executiva est providentia; unde actus potentie executive presupponit actionem providentia, sicut dirigenis; unde in providentia non excluditur potentia executiva, sicut voluntas.* Deinde infra quest. 22. art. 1. ad 2. ait: *Quod ad curam duo pertinent, scilicet, ratio ordinis, que dicitur providentia, & dispositio, & exercitio ordinis, que dicitur gubernatio, quorum primum est aeternum, secundum temporale.* In quibus obiter tradit rationem; nam providentia divina est aeterna, gubernatio est in tempore: unde in tempore Deus dicitur Creator, Gubernator, & Dominus; gubernatio igitur supponit divinam providentiam. Et ibi expressè in corp. habet: *Cism autem Deus sit causa rerum per suum intellectum, & sic*

*triuslibet sui effectus oportet rationem in ipso præexistere, necesse est, quod ratio ordinis rerum in finem in mente divina præexistat; ratio autem ordinandorum in finem providentia est. Ubi simus nostram resolutionem fundat: ex quo Deus est causa rerum per suum intellectum, & non per aliud, quam per actum imperij, ut dicunt Thomistæ; at necesse est, quod ratio ordinis rerum in finem in mente divina præexistat ante earum productionem: ergo cum ratio ordinandorum in finem propriæ providentia sit, necesse est, quod productio creaturarum, earumque gubernatio, quæ sit per actum imperij, presupponat constitutam divinam providentiam.*

55 Deinde eodem artic. ad 1. ait: *Quod præcipere de ordinatis in finem, quorum reætam rationem habet, competit Deo secundum illud Psalm. præceptum posuit, & non præteribit. Ecce quidem habetur expressè, quod imperium competens Deo supponit rationem ordinandorum in finem. Deinde art. 3. sequenti sic habet in corpore: Respondet dicendum: Quod ad providentiam duo pertinent, scilicet ratio ordinis rerum provisorum in finem, & executio hujus ordinis, quæ gubernatio dicitur, quantum igitur ad primam, Deus immediatè omnibus providet, quia in suo intellectu habet rationem omnium etiam minorum; quantum autem ad secundum, aliqua media divina providentia sunt, quia inferiora gubernat per superiora. Quod tandem confirmatur ex locis allegatis resolutione præcedenti, nam 3. contra Gent. cap. 64. num. 3. expressè habet nihil aliud esse regere, aut gubernare per providentiam, quam movere per intellectum aliqua in finem: patet autem intellectum movere in finem per imperium. Et num. 10. habet, quod regis, & hominis est suo imperio regere, & gubernare subditos: unde, & rerum cursum Sacra Scriptura divino imperio adscribit. Et hoc ipsum patet ex alijs locis: est ergo divinum imperium regimenter, & gubernatio prædestinatum, proindeque divinam providentiam, & prædestinationem supponit.*

56 Dices ex Lisbon. & Nazario, quod divinum imperium potest duplicitè considerari, & ut connotat existentiam creaturarum, & ut connotat earum futuritionem; primo modo est gubernatio rerum, & actus potentie executivæ; & sic supponit providentiam constitutam, ut probant testimonia, & rationes D. Thom. Secundò tamen modo est providentia, & prædestination, quia prout sic divinum imperium est eternum, & præedit gubernationem.

57 Sed contra est: nam, ut diximus reso-  
M. Carrafoz

lutione 1. & est doctrina Lisboniensis, & Nazarij: in Deo non datur imperium anteced. usum activum; sed illud supponens, sicut & electionem, cum qua etiam virtualiter identificatur, ab eaque participat efficaciam exequendi, & movendi ad extra: ergo imperium solum denominative potest connotare existentiam, futuritionemque supponit per ipsam electionem, & iudicium eam præcedens, licet quoad actualitatem sit æternum, ut dicunt Thomistæ de actione creativa. Immò hoc habetur expressè in Div. Thom. opusc. 11. citato art. 3. & patet etiam ex locis immediatè allatis, ex quibus habetur imperium supponere rationem ordinandorum in finem, proindeque supponere ipsorum futuritionem.

Objiciuntur, & solvuntur argumenta.

58 **S**ed contra hanc partem objicies; prædestination est pars providentiae, providentia est pars prudentiae; sed prudentia consistit in imperio: ergo & providentia, & per consequens prædestination, & cum alias in Deo non detur imperium monastichum, & respectu sui ipsius, sed solum respectu creaturarum, quod dicitur executivum, consequenter in hoc prædestinatione consistit. Major, & min. sunt D. Thom. in hac q. art. 4. in corp. ubi expressè ait: *Prædestination, ut dictum est, est pars providentiae, providentia autem, scilicet & prudentia, est ratio in intellectu existens præceptiva ordinationis aliquorum in finem. Deinde quæst. præcedenti art. 1. ad 1. dixerat: Prudentia proprie est præceptiva eorum, de quibus Eabulia rectè consiliatur, & Syne sis rectè judicat: unde, licet consiliari non competat Deo secundum quod consilium est inquisitio de rebus dubijs: tamen præcipere de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet, competit Deo secundum illud Psalm. præceptum posuit, & secundum hoc competit Deo ratio prudentiae, & providentiae.*

59 Ad hoc argumentum, quod unicum est fundamentum oppositæ sententiaz, reliqua solutione aliquorum, qui dicunt imperium non distingui realiter in nobis, nec proinde virtualiter in Deo à iudicio praktico præcedente electionem mediorum, ut per illam confirmatum, seu, ut perseverante virtualiter in ea, quia hæc solutio aperte procedit contra Div. Thom. ut patet ex resolutione sequenti: reliqua etiam solutione eorum, qui dicunt vel distinguunt duplex imperium, aliud præ-

cedens electionem mediiorum , & aliud subsequens illam , & de illo dicunt loqui D. Tho. cuius oppositum colligitur ex ejus verbis , cum ibi loquatur de imperio , de quo dicitur in Psal. *præceptum posuit* , &c. quod est subsequens electionem , utpote executivum : *relictis inquam his solutionibus respondeat* , distinguendo minor. & illam concedendo de prudentia humana , & negando de divina . Ad probationem ex locis Div. Thom. desumptam respond . quod prudentia absolute loquendo est præceptiva , sive primario , sive secundario : primario in homine : secundario in Deo , hæc enim dicitur præceptiva , non quia consistat in imperio , imperiumque sit actus illius internus , & primarius , sed quia imperium est illius executio , & actus secundarius , sicut ars dominicatoria sic appellatur , non quia dominatio , seu factio dominus sit actus primarius , & internus illius , ut patet , sed quia est illius executio , & actus externus . Immò , & ipsa prudentia dicitur gubernativa ; cum tamen secundum Div. Thom. gubernatio sit executio illius , illamque supponat essentialiter constitutam .

60 Sed infurges ex Magist. Lezana ; quod Div. Thom. 2. 2. quæst. 47. artic. 8. ex professo probat , quod præcipere est principalis actus prudentie , ex quo iste actus est propinquior fini rationis practicæ , & quæst. 51. art. 2. & 4. Eubuliam , & Synesim à prudentia simplicitè , seu specialiter sumpta distinguit per hoc , quod Eubulia est bene consiliativa , Synesis bene judicativa , & prudentia bene præceptiva , quod & desumpsit ex Aristotele in 6. Ethic. cap. 9. Deinde Div. Thom. in illis verbis : *Tamen præcipere de ordinandis in finem Deo competit* , & secundum hoc competit Deo ratio prudentie , & providentie , ex preesse sentire videtur præceptum esse actum principalem prudentie etiam divinæ .

61 Sed respond . quod loca , in quibus Div. Thom. docet primarium , & principalem actum prudentie esse imperium , intelligenda sunt solum de prudentia humana specialiter sumpta ; disparitas autem aperte habetur ex dictis resolutione præcedenti : namque in homine imperium datur nedum respectu aliorum , sed etiam respectu sui ipsius , proindeque directivum , & ordinativum suorum actuum , consequenterque ei competit primaria , & propria ratio prudentie , quæ est esse regulam voluntatis , & virtutum moralium : in Deo autem non datur imperium respectu sui ipsius , sed solum respectu creaturarum , & sic non ei convenire potest propria , & primaria ratio prudentie , sed solum quod sit executio illius eam

supponens adæquatè constitutam .

62 Dices : ideo secundum Div. Thom. principalis actus prudentie est præcipere , quia iste propinquior est fini rationis practicæ ; sed etiam in Deo præcipere est actus propinquior fini rationis practicæ : ergo etiam in Deo imperium est primarius , & principalis actus prudentie . Respond . quod Div. Thom. debet intelligi de ratione practica , ut directiva est voluntatis , & virtutum moralium , actus enim propinquior fini rationis practicæ prout sic est principalis actus prudentie : in Deo autem non datur imperium , qui actus sit rationis practicæ ut sic , sed solum quatenus ratio practica est potentia executiva , ut dictum est .

63 Ad id autem , quod additur ex verbis Div. Thom. relatis in 2. loco , respond . quod ibi expressè loquitur de imperio divino , quatenus executio est , ut patet ex Psalm. adjuncto , *præceptum posuit* , &c. ergo non potest intendere , quod Deo competat prudentia , ex quo præcipere est actus primarius , & internus illius . Deinde expressè habet , quod illud imperium supponit rectam rationem ordinandorum in finem , hoc enim indicant illa verba : *Præcipere de ordinandis in finem , quorum rectam rationem habet* : ergo secundum D. Thom. in ordinatione rerum in finem prudentia , & providentia Dei consistit : ergo cum D. Thom. concludit , quod secundum illud præceptum convenit Deo ratio prudentie , & providentie , non debet intelligi , tanquam secundum actum primarium , & internum , sed solum tanquam actum secundarium , & externum .

64 Primarium autem actum divinæ providentie significavit Div. Thom. in solutione sequenti , quæ est hæc , vel , dicendum , quod ipsa ratio rerum consilium in Deo dicitur , non propter inquisitionem , sed propter certitudinem cognitionis , ad quam consiliantes inquirendo pervenient . Unde dicitur ad Ephes. 1. qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suę ; ecce ubi iudicium ponit actum primarium divinæ prudentie . Quod , & docet in 1. contra Gent. cap. 93. num. 7. ubi postquam prudentiam à Deo relegat quantum ad actum consilij , quia consilium est quædam inquisitio , &c. subdit : *Secundum autem actum illum , qui est de consiliatis judicare , & judicata eligere , nihil prohibet prudentiam de Deo dicit* ; ubi agendo ex professo de Dei prudentia nullam mentionem facit imperij : sentit ergo actum primarium divinæ prudentie non esse imperium , sed iudicium antecedens electionem .

65 Sed dices: D. Thom. loco allegato in argumento loquitur de prudentia specialiter sumpta, nimirum prout distincta ab Eubulia, & Synesi; sed haec est primario, immo solum praeceptiva: ergo. Respondet. quod loquitur de prudentia prout distincta a Synesi, sed non prout distincta penes hoc determinatè, quod sit primario praeceptiva, sed penes hoc, quod est praeceptiva, sive primario, sive secundario, quia D. Thom. solum intendit, quod, ex quo Deo non competit consilium, non sequitur ei non competere prudentiam, quia haec non solum est consiliativa, sed etiam praeceptiva, quamvis autem prudentia divina non sit primario praeceptiva, sed solum secundario, cum actus secundarius non possit dari sive primario, recte concludit Deo competere prudentiam, ex quo ei competit precipere, licet iste non sit actus illius primarius. Immò hoc ex ipsis verbis Div. Thom. tam predicto loco, quam loco citato ex 2. 2. quest. 5 art. 2. & 4. potest confirmari, nam non minus Div. Thom. distinguit prudentiam a Synesi, quam Synesim ab Eubulia: & tamen distinctio Eubulia a Synesi est solum respectu Synesis humanae; in homine enim reperitur consilium distinctum a iudicio, nimirum inquisitio mediorum, non vero in Deo, ut jam notavimus ex Div. Thom. in principio, & patet ex immediate dictis: ergo pari fundamento licebit dicere, quod distinctio tradita a Div. Thom. de prudentia a Synesi intelligenda est de Synesi humana, non divina.

66 Deinde poterat responderi, quod, quia argumentum intendebat Deo non competere prudentiam, quia haec consiliativa est, D. Thom. duplice solutione satisfacit, prima negativè, ac si diceret, ex quo Deo non competit prudentia consiliativa, non probatur Deo non competere prudentiam specialiter sumptam, quia haec non est consiliativa, sed praeceptiva, & licet Deo non competit consiliari, ei tamen competit precipere de ordinandis in finem. Unde cum Div. Thom. concludit: *Et secundum hoc competit Deo ratio prudentie, non debet intelligi, ac si positivè concedat in Deo prudentiam, cuius primarius actus sit precipere, sed veluti negativè redarguendo non probari ex argumento Deo non competit prudentiam praeceptivam.* In secunda vero solutione satisfacit positivè negando. Deo non convenire consilium, quia licet ei repugnet quantum ad inquisitionem, non tamen quantum ad certitudinem cognitionis, ad quam consiliantes inquirendo pervenient.

## RESOLUTIO III.

Juditium determinatum, & liberum precedens electionem mediorum est in Deo ab intrinseco efficax, inferensque infallibiliter electionem, & executionem mediorum, & in eo consistit essentialiter praedestinatio.

67 **H**anc tenent Durandus, Cajet. Zuñiel, Bañez in presenti art. 2. & Alvarez disp. 35. de auxiliis ad secund. argum. eamque amplectitur quidam Sapient. Domin. Magist. in suis manuscriptis, quæ eum veluti digito demonstrant, quam sit esse antiquorum, & gravissimorum Thomist. licet oblivioni data sit his temporibus: est tamen contra ceteros relatos in precedentibus resolutionibus.

68 Et prima pars probatur 1. ex doctrina plurimum Thomist. quod adhuc in nobis iuditium ultimum, & determinatum precedens electionem mediorum est ab intrinseco efficax, ita ut non possit voluntas in sensu composito intentionis finis, & predicti iuditij eligere oppositum, quæ est necessitas quoad specificationem, vel ab electione cessare, quæ est necessitas quoad exercitium. Quam sententiam tenent expresse Nazar. supra q. 19. art. 1. controvers. unica notabili 4. Salmant. disp. 2. de voluntario dub. 1. Navarrete q. 19. cit. controversia 1. Joan. Ildephonsus Bapt. 1. 2. q. 13. art. 6. disp. 147. & loquendo de intentione finis, ad ejus affectionem intellectus unicum adinvenit mediū, tenent communiter Theologi; & tandem eam tenent omnes, qui distinguunt duplex imperium in nostro intellectu, aliud, quo imperat electionem, & aliud, quo imperat executionem, ut tenent Cajet. 1. 2. q. 88. art. 1. §. ad hoc dicitur, & Martinez 1. 2. q. 17. art. 3. & apud ipsum Medina, & Arriaga.

69 Cujus fundamentum est: nam, ut diximus ex D. Thom. 1. 2. q. 9. art. 4. voluntas non se movet immediate ex intentione finis ad electionem mediorum, sed mediante consilio, & ratione; non autem potest se movere quoad exercitium ex intentione finis ad electionem mediorum mediante consilio, & ratione, nisi iuditium rationis sit efficax, & determinans quoad exercitium voluntatem; nam a principio indifferenti ad electionem, & illius omissionem, voluntas quoad exercitium determinari non potest: est ergo prædictum iuditium ab intrinseco efficax, & infallibiliter inferens electionem.

70 Explicatur, & confirmatur haec ratio.  
§ 3. Sicus

sicut voluntas ex efficaci electione mediorum movetur ad illorum executionem, sic ex efficaci intentione finis movetur ad mediorum electionem; sed, quia voluntas ex efficaci electione mediorum non movetur ad illorum executionem, nisi medio imperio rationis, hoc ponitur à contrarijs efficax ab intrinseco, ita, ut voluntatem ne dum determinet quoad specificationem, sed etiam quoad exercitum: ergo à simili.

71 Etsi attendatur doctrina D. Thom. 1.2. q. 17. art. 5. hoc sit manifestum: ponit enim argumentum ad probandum actum voluntatis non imperari, quia secundum August. in lib. 4. Confessionum: Imperat animus, ut vult animus, nec tamen facit: & respond. quod sicut ibidem Augustinus dicit, animus quando perfectè imperat sibi ut velit, tunc jam vult; sed quod aliquid imperat, & non velit, hoc contingit ex hoc, quod non perfectè imperat; imperfectum autem imperium contingit ex hoc, quod ratio ex diversis partibus movetur ad imperandum, vel ad non imperandum, unde fluctuat inter duo, & non perfectè imperat. Hac D. Thom. sicut ergo cum imperium intellectus est perfectum, nimis cum sibi determinat exequendum, infallibiliter inter usum activum voluntatis, & quod illud non inferat procedit, ex quo ratio fluctuat inter duo, quatenus ex diversis partibus movetur ad imperandum, vel non imperandum; sic cum iudicium intellectus est perfectum, & sibi determinat eligendum inspectis omnibus circumstantijs, infert infallibiliter electionem, & quod eam non inferat, procedit ex quo ex diversis circumstantijs movetur ad iudicandum, vel non iudicandum hoc medium, vel illud esse præ alijs eligendum, quo in casu fluctuat inter duo, & non perfectè iudicat. Deinde, ut ait August. Animus, quando perfectè imperat sibi ut velit, tunc jam vult; vult autem voluntas quando intellectus perfectè imperat, quia cum intellectus fluctuat inter duo ut se determinet ad imperandum, movetur, & determinatur ab ipsa voluntate, quæ est primum movens, & determinans quoad exercitum, & ex hac motione participat efficaciam, ratione cuius efficaciter infert illius usum activum: ergo similiter, quando supposita intentione finis, intellectus fluctuat inter duo, & ex diversis circumstantijs movetur ad iudicandum, vel non iudicandum, hoc medium præ alijs esse eligendum, ut intellectus determinetur ad iudicandum hoc esse determinatum, & illud reliquendū, oportet, quod moveatur ab ipsa voluntate, & consequenter ex hac motione participat iudicium illud efficaciam, ratione cuius infallibiliter

ter infert electionem mediorum.

72 Pro cuius pleniori intelligentia est etiam notanda doctrina Div. Thom. 2. 2. q. 1. art. 4. in corp. ubi ait: Quod dupliciter intellectus assentit alicui, uno modo, quia ad hoc moveatur ab eculo objecto, quod est, vel per se ipsum cognitum, sicut patet in principijs primis, quorum est intellectus, vel est per aliud cognitionem, sicut patet de conclusionibus, quarum est scientia; alio modo intellectus assentit alicui, non quia sufficienter moveatur ab objecto proprio, sed per quandam electionem voluntarie declinans in unam partem magis, quam in aliam, & si hoc sit cum dubitatione, & formidine, erit fides. Hac D. Thom. ubi notanda sunt illa verba: Sed per quandam electionem voluntarie declinans in unam partem magis, quam aliam: ac si determinatio intellectus, ut probabiliter judicet hoc medium præ alio esse eligendum, procedat ex motione voluntatis, quatenus magis inclinat in unum, quam in aliud medium. Qua ratione verificatur, quod cum iudicium de medio eligendo est perfectum, & determinatum, jam tunc voluntas veluti inchoate vult electionem illius medium, & propterea illa libera determinatio intellectus ex voluntate procedens dicitur à D. Thom. electio voluntaria, id est, inchoata electio voluntatis.

73 Deinde hæc sententia non leviter suadetur ex eo, quod ex contraria sententia sequitur postea dari peccatum sine errore, vel desseculum intellectus; nam si semel ponatur, quod iudicium determinatum rationis non infert infallibiliter electionem, vel executionem medium iudicati, sequitur, quod intellectu practice iudicante, & determinante hic, & nunc hoc medium esse eligendum, quia sic Deus præcipit, possit voluntas illud medium respuere, vel oppositum eligere, vel ab electione cessare, in quo causa peccat sine errore intellectus, cuius oppositum habetur proverbiorum 14. dum dicitur: Errant, qui operantur malum, & Aristot. in 3. Ethic. cap. 1. ait: Omnis igitur prævus ignorat, quæ agere oportet, & quibus est abstinentia, & ob cujus modi errorem iniqui homines, malique omnino sunt. Quod D. Thom. explicat ibi lectione 3. dicendo: Quod propter hoc quis peccat, quod ignorat in particulari, quæ bona oporteat facere, & a quibus modis oporteat fugere, in quantum scilicet estimat hoc malum sibi nunc esse faciendum, & ab hoc bono sibi esse cesandum. Ex quo infert in 4. contra Gentil. cap. 92. ratione 5. Quod quia anima, quæ est vere beata, nullo modo potest esse ignorans, cum in Deo omnia videat, quæ pertinent ad suam perfectionem, nullo etiam modo potest voluntatem

*patem malam habere.* Unde tandem inferunt Thomistæ visionem beatam ab intrinseco redere beatos impeccabiles.

74 Hec ergo sententia indubitabiliter suadet in Deo etiam juditium practicum, & determinatum mediorum esse ab intrinseco efficax, infallibiliterque inferre electionem mediorum, cum juditium divinum in efficacia infinite exceedat juditium creatum. Immò in Deo etiam ponimus juditium indifferens objective loquendo, & juditium determinatum, talisque determinatio provenit ex motione virtuali voluntatis, scilicet ex intentione finis, virtuali etiam divina voluntas movetur ad electionem mediorum. Nec ex hac determinatione sequitur aliqua imperfectio in divina voluntate, ut recte ait Araujo supra q. 19. art. 5. dubio unico, eo, quod cum divinus intellectus non sit ei extraneus, sed intrinsecus, & cum illa realiter idētificatus, dum ab illo determinatur, non ab aliquo extrinseco determinatur, sed ab aliquo principio ipsi intranco. Quemadmodū nulla imboldvitur imperfectio in eo, quod una divina volitio, libera, v.g. volitio finis sit ratio alterius, scilicet voluntatis mediorum, quia non determinatur voluntas, ut à ratione formalí ab aliquo extra-neo, sed à se ipsa, & propter identitatem purificatur ab omni causalitate.

75 Deinde: quidquid sit de judicio creāto, quod juditium divinum tale sit, tenet Araujo loco proxime cit. & apud ipsum Capreolus, & Ferrara, & habetur manifeste ex Sacra Scripta, quod aliqui suadent ex illo ad Ephes. 1. qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue; id est, secundum dictamen, & juditium practicum divini intellectus, ut Hieronymus, & D. Thom. ibidem interpretantur; sed ex hoc capite non recte probatur, siquidem ex illo solum habetur Deum necessari quoad specificacionem ad operandum secundum consilium voluntatis, ita, ut non possit operari oppositum, non tam quoad exercitium, ita, ut in sensu composito judicii intellectus non possit ab electione cessare. Melius ergo hoc suadet ex illo Isaiae 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea sit:* in quo significatur executionem divinae voluntatis, & à fortiori illius electionem infallibiliter sequi ad illius juditium; est enim idem, ac si diceret: propterea voluntas mea fiet, quia consilium meum stabit; cui consouat illud Psalmi: *Consilium autem Domini in eternum manet:* non autem maneret in aeternum, si quod divinus intellectus judicat faciendum, infallibiliter non fieret; cum enim voluntas divina non possit se determinare, nisi mediante judicio intellectus, si quod divinus

intellectus judicat faciendum, non infallibiliter fieret, eo ipso divinus intellectus mutaret juditium, & sic divinum juditium non esset stabile, & aeternum.

76 Et ex hoc patet disparitas, si aliquis est quantum ad præsens inter juditium divinum, & humanum; quodlibet enim juditium humanum, quod non est circa media simpliciter necessaria ad aseptionem finis, est variabile adhuc in sensu composito intentionis finis, & propterea licet pro illo tempore, quo durat juditium, non possit non voluntas humana eligere medium judicatum, potest tamen ad variationem juditij aliud medium eligere, quæ est nostra sententia; in sententia autem contraria potest voluntas humana adhuc pro tempore, quo durat juditium, non eligere medium judicatum; quia potest intellectum movere, ut mutet juditium, & aliud medium sibi eligendum proponat. Sententia enim, quæ afferit juditium humanum, non inferre infallibiliter electionem, quia voluntas humana pro sua libertate potest non eligere medium propositum, sed aliud non propositum ab intellectu, in præsenti admitti non potest. Cum ergo nullum ex illis contingere possit in judicio divino, quod omnino invariabile, stabile, & aeternum est, consequenter non potest non inferre infallibiliter electionem mediorum, quæ per ipsum præjudicantur.

77 Semel autem posito, juditium divinum determinatum inferre efficaciter electionem mediorum, sequitur inferre etiam efficaciter mediorum executionem, siquidem juxta dicta, & probata in prima resolutione, usus activus divinae voluntatis non distinguitur etiam virtualiter ab electione, proindeque efficacia divini judicij non est talis in ordine intentionis; sed in ordine executionis, ut ibi late expendimus. Unde non recte Lezana excludit divinum juditium à constitutivo prædestinationis, adhuc admissa illius intrinseca efficacia, quia est talis solum in ordine intentionis, non verò in ordine executionis; sed melius procedunt, qui prædictam efficaciam non admittunt in divino judicio.

*Objiciuntur, & solvantur argumenta.*

78 **S**ed objicies 1. contra hanc partem ex Lezana; iuditium illud non potest participare efficaciam ab intentione efficaci finis presupposita, quia hec indifferens est ad hæc, vel illa media eligenda, & principium indifferens nequit præstare efficaciam, & infallibilitatem ad electionem unius

ut enim p̄ se alij; nec ab electione subsequenti; si quidem cum omnia sua virtute supponitur ad illam; ergo à voluntate nullo modo potest redi ab intrinsecō efficax.

79 Resp. quod cum media sunt talia, quod sine illis finis haberi non potest, sicut ex intentione efficaci finis necessitatur voluntas ad voluntudinem predictam media, ut docet D. Thom. q̄z. 29. & 1. 2. qz. 27. 13. art. 6. ad 1. ita ex sola efficaci intentione finis movetur, & determinatur intellectus ad judicandum predictam media, & non alia esse eligenda, quia hac intentione respectu illorum mediorum non est indifferens. Unde, & ab illa redditur intrinsecē efficax iudicium de illis medijs ad movendum voluntatem ad illorum electionem: attamen cum media adiuvata ab intellectu sunt talia, quod sine eis finis haberi potest, ut intellectus judiceth hoc medium præ alio esse eligendam, non moveatur ex sola intentione finis, sed ex illa, ut determinata per liberam affectionem voluntatis, quatenus magis inclinat in unum, quam in aliud, ut diximus. Sicut enim principium universale, ut determinatum per particulae infert infallibilitatem conclusionem particularem in diversis: ita etiam illa intentione finis, ut determinata per illam affectionem infert infallibilitatem iudicium de hoc determinato, quod est conclusio particularis syllogismi practici, ut in principio notavimus. Unde ab illa affectione participat hoc iudicium efficaciam, ratione cuius infert infallibilitatem electionem medij prajudicati.

80 Hanc tamen affectionem voluntatis movere efficaciter intellectum experientia ipsa testatur. Ex hac enim procedit, quod intellectu speculativè considerante fornicationem esse malam hic, & nunc eam judicat, & proponit, ut bonam, & speculativè considerante aliquid bonum esse melius, hic, & nunc illud judicat minus bonum, & speculativè considerante duo media, ut omnino æqualia, nihilominus hic, & nunc judicat hoc potius eligibile, quam aliud; provenit enim hoc ex ipsa affectione voluntatis, ratione cuius movere, & determinare efficaciter intellectum, ut iudicet illud eligendum, ad quod afficitur, & ex hoc non potest voluntas non eligere medium prajudicatum ab intellectu. Quo in sensu D. Thom. qz. 24. de verit. art. 2. in corp. ait: *Quod licet iudicium de aliquo universaliter, quandoque sit contrarium appetitui, iudicium tamen de hoc particulari operabili, ut nunc nunquam potest esse contrarium appetitui; qui enim vult fornicari, quamvis sciat in universaliter fornicationem esse malam, tamen iudicat sibi, ut tunc bonum esse fornicationis actum,* O sub specie boni ipsum eligit; nullus enim in-

tendens ad malum operatus: patet autem, quod si voluntas posset non diligere medium hic, & nunc prajudicatum ab intellectu, jam iudicium de hoc particulari, ut nunc est, est contrarium appetitui.

81 Sed dices ex eodem, inter intentionem, & electionem non mediat alius actus liber voluntatis, sicut nec ex parte intellectus alius praeter motorem ad intentionem, & ad electionem: ergo chimera est illa affectio voluntatis conditrix ab intentione finis, & electione mediorum. Sed ad hoc tenentur omnes respondere, quia quidquid sit, an tale iudicium ex motione voluntatis participet efficaciam, vel non, intellectus ex se est indifferens ad judicandum hoc medium præ alio esse eligendum, nec ipsius determinatio procedit ex instinctu, nec ad eam sufficienter moveatur ex objecto: ergo debet procedere à voluntate, quia hæc est primum movens, & determinans; tū sic: sed non ab intentione finis, quia hæc est indifferens, nec ab electione, quia hæc subsequitur: ergo praeter intentionem finis, & electionem mediorum tenentur admittere actum voluntatis medium inter intentionem, & electionem; an vero talis affectio sit realiter ab electione distincta, utrumque est probabile: dicunt enim aliqui, ut in prima resol. insinuavimus, quod sicut gratia habitualis sub conceptu auxiliantis præcedit ultimā dispositionem justificationis, & sub conceptu justificantis subsequitur ad illam; ita idem actus voluntatis secundum formalitatem affectionis præcedit iudicium determinatum intellectus, ipsumque intellectum determinat, & sub formalitate electionis subsequitur illud: alij vero dicunt talem affectionem realiter ab electione distinguiri. Ad probationem contra hoc dicunt etiam praeter iudicium regulans intentionem, & iudicium determinatum regulans electionem dari iudicium aliud medium, quod nec est iudicium finis, nec iudicium determinatum mediorum, sed iudicium indifferens illorum, & hoc est sufficiens ad illam affectionem.

82 Sed statim occurrit non parva difficultas: nam hæc affectio debet esse actus efficax voluntatis etiam sub formalitate affectionis; alias ex ea non moveretur efficaciter intellectus ad iudicium determinatum: diximus autem ex D. Thom. voluntatem quoad exercitum non determinari ex intentione efficaci finis, nisi mediante iudicio rationis, & ex iudicio indifferenti non posse quoad exercitum determinari: ergo prædictam affectionem non potest non præcedere iudicium determinatum, & efficax, & sic videtur sequi ex nostra doctrina processus in infinitum. Sed resp. quod doctrina relata procedit

de determinatione voluntatis completa, & perfecta, qualiter se determinat in electione mediorum post juditium determinatum; in nostro autem casu per illam affectionem determinatur voluntas imperfecte, & inchoate, ut dictum est, & sic non eget juditio determinato, & efficaci, quod ipsam precedat, sed sufficit juditium indifferens adjuncta simili intentione efficaciter finis. Cum enim voluntas hoc ipso, quod intendit efficaciter finem, vellit efficaciter se mouere ad electionem mediorum mediante juditio, & ratione, sicut cum intellectus advenit unicum tantum medium, statim movetur ad electionem illius: sic cum advenit plura media statim afficitur ad aliquod eorum, ratione cuius intellectum determinat, ut judicet illud praealio esse eligendum.

83 Secundò objicies: quod si juditium determinatum præcedens electionem mediorum sit ab intrinseco efficax, infallibiliterque inferat illorum electionem, sequitur, quod voluntas non libere, sed necessariò eligit media præjudicata ab intellectu: hoc autem est contra D. Tho. 2.2. q. 13. art. 6, in corp. ergo. Confirmat. & explicatur hoc: necessitas antecedens se tenens ex parte actus primi tollit libertatem ab intellectu, qua ratione amor in patria est necessarius, quia visio beata necessitat ad amorem, & se tenet ex parte actus primi, nimirum per modum regulantis ipsam voluntatem; at illud juditium se tenet ex parte actus primi per modum regulantis voluntatem, & aliunde ex illo necessariò sequitur electio: ergo.

84 Sed hoc argum. aequ militat contra efficaciam imperij electionem subsequentis; cum tamen voluntas non ut minus libera in utendo, quam in eligendo, immo probat absolute, quod intentio efficax finis tollit libertatem electionis, quia illam ipsa intentio efficaciter insert, & in sensu composito illius non potest non voluntas velle efficaciter media aliqua, licet non ista, vel illa determinata, alias veller efficaciter finem, cum ipsum efficaciter intendat, & non veller ipsum efficaciter, cum nollet efficaciter media ad illum consequendum. Immò omnis electio in sententia D. Thom. est libera, sicut & ex libera intentione finis procedens; cum tamen fere omnes Theologi teneant juditium unici medijs infallibiliter inferre electionem illius, sicut & juditium mediorum, quæ necessaria sunt simpliciter ad consecutionem finis.

¶ 85 Resp. ergo ex comm. doct. Theolog. distinguunt. duplē necessitatem quoad exercitium, aliam absolutam, quæ dicitur necessitas simpliciter, & aliam ex suppositione libera determinationis ipsius voluntatis, quæ dicitur ne-

cessitas secundum quid; illa ergo oppositum libertati, hæc verò compatitur cum illa, & hac sola necessitate est necessaria electio mediorum supposito juditio determinato intellectus. Unde diximus in principio, juditium hoc esse liberum, & ex libera determinatione voluntatis procedens: sicut enim voluntas, ex quo libere intendit finem, libere etiam ad electionem procedit, quamvis in sensu composito electionis non possit non eligere; & similiter, ex quo libere applicat intellectum ad imperium, libere utitur, quamvis in sensu composito imperij non possit non uti: sic ex quo libere applicat intellectum ad judicandum hoc medium potius, quam aliud eligendum esse, libere illud eligit, quamvis in sensu composito illius juditij non possit non eligere.

86 Et ex his patet ad confirmationem: necessitas enim antecedens ortum habens ex libera determinatione voluntatis non tollit libertatem ab actu, quamvis se teneat ex parte actus primi; necessitas autem, qua visio beata necessitat ad amorem, non est libera voluntatis determinatione, sed ei competit secundum se ratione obiecti, quod est summum bonum voluntatis faciativum.

87 Objicies 3: secundum D. Thom. 1.2. quest. 9. art. 1. intellectus solùm movet voluntatem quoad specificationem, non verò quoad exercitium, quinimò voluntas quoad exercitium movet intellectum, & cæteras potentias; sed si juditium illud determinatum sit ab intrinseco efficax, infallibiliterque inferat electionem mediorum, intellectus eo ipso movet voluntatem nedum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium: ergo. Deinde Div. Thom. quest. 22. de Verit. art. 5. in corp. ait: *Quanticumque ratio unum alteri preferat, nondum est unum alteri preacceptatum ad operandum, quousque voluntas inlinetur in unum magis, quam in aliud; non enim voluntas de necessitate sequitur rationem; sed si juditium illud esset ab intrinseco efficax, voluntas de necessitate sequeretur rationem: ergo.* Quod etiam potest confirmari ex Philos. lib. 2. magnor. moral. cap. 6. ubi ait: *Siquis roget, quare hoc modo agere placeat? Respondet, quia placet: ergo voluntas non ex necessitate sequitur ductum rationis.* Immò Div. Thom. in 3. Ethic. cap. 2. lect. 6. ait: *Videntur preterea homines non eligere optima, atque etiam opinari, sed quidem opinari melius; ob vitium autem non ea, quæ oportet eligere.* Sunt ergo Div. Thom. quod præter sententiam, aut opinionem opinantis, potest electio tendere in aliud medium, quod ratio non approbat. Tandem, quia si electio

voluntatis de necessitate sequeretur iudicium rationis, libertas formaliter consideret in iudicio rationis, & non in electione; voluntatis, si quidem libertas formaliter consistit in potentia indifferenti ad operandum, & non operandum, & intellectus est potentia indifferentis ad judicandum, vel non judicandum, voluntas vero supposito iudicio rationis, non posset ab electione cessare, nec aliud medium à prejudicato eligere.

88. Resp. ad arg. quodd cum ait D. Thom. intellectum solum movere voluntatem quoad specificationem, loquitur de intellectu secundum illud, quod habet ex se, & attenta illius propria virtute; non vero secundum illud, quod habet ex applicatione, & motione voluntatis, ex hac enim participat efficaciam; ratione cuius potest voluntatem movere quoad exercitium, & in hoc sensu est etiam intelligendus D. Thom. loc. cit. in 2. prob. cum ait: Voluntatem de necessitate non sequi rationem, intelligitur enim de ratione secundum propriam virtutem, non vero secundum illud, quod habet participativè à voluntate: quinimo hoc ipsum insinuat D. Thom. per illa verba: *Quosque voluntas inclinetur magis in unum, quam in aliud;* hæc enim inclinatio est affectio, de qua diximus intellectum determinare efficaciter ad judicandum unum præ alio, qua ratione hoc iudicium dicitur inchoate electio. Ad tertiam probationem respond. quod *ly quia placet*, ultima, & mediata ratio agendi est; proxima autem, & immediata est, quia sic agendum judicat intellectus. Ad quartam resp. quod Div. Thom. ibi solum intendit, quod intellectu speculativè, & in universalis opinante aliquid esse melius, nihilominus ob vitium, seu pravam affectiōem voluntatis, hic, & nunc practice judicat faciendum, quod est pejus: unde solum convincit, quod possit electio tendere in aliquod medium, quod ratio speculativa non approbat. Ad ultimam resp. quod libertas formaliter est in potentia, quia cum sit indifferentis ad operandum, vel non operandum, potest se determinare, non autem intellectus potest se determinare, sed solum à voluntate determinatur: unde libertas, & efficacia potius competit intellectui ex libera motione, & determinatione voluntatis: hec ergo solum est per se, & secundum propriam virtutem formaliter libera, & intellectus solum radicaliter, vel causaliter in quantum est indifferentis in proponendo, ut diximus in principio ex D. Thom. 1.2. q. 17. art. 1.

89. Sed dices; ita est proprium voluntatis movere quoad exercitium, sicut est proprium intellectus movere quoad specificationem; at voluntas nec participativè ab intellectu potest

movere quoad specificationem: ergo nec intellectus participativè à voluntate potest movere quoad exercitium.

90. Sed præterquamquid, ut ex dict. patet, affectio voluntatis aliquomodo movet intellectum quoad specificationem, quatenus ipsum movet, ut potius eligat hoc medium, quam illud. Immò juxta commun. Theolog. doctr. pia affectio intellectum determinat, ut potius veritatisibus fidei præbeat assensum, quam dissentum. Præter hoc, inquam, resp. reddere, disparit. quæ stat in hoc, quod movere quoad specificationem pertinet ad genus causæ formalis; movere autem quoad exercitium pertinet ad genus causæ efficientis. Hec autem est differentia inter causam formalem, & efficientem, quod causa formalis non potest virtutem suam alteri communicare, sed solum effectum solum per se ipsam præstare potest, cum effectus formalis sit ipsa forma communicata; & sic intellectus medio objecto movens voluntatem quoad specificationem nequit hoc voluntati communicare, sicut nec potest ei communicare, quod apprehendat, vel intelligat objectum. Causa vero efficientis potest virtutem suam alteri communicare & medio ipso operari, ut causa principalis operatur medio instrumento; & sic voluntas potest virtutem motivam intellectui communicare, ut medio ipso, & se, & ceteras potentias moveat.

91. Sed adhuc dices: voluntas movet efficaciter, & quoad exercitium, quia impulsiva est; nec enim est aliud, voluntatem movere alias potentias ad operandum, quam eas ad operandum impellere; at intellectus nec participativè à voluntate potest esse impulsivus, quia esse impulsivum, seu esse productivum amoris, seu impulsus, est substantia actus voluntatis, sicut esse productivum verbi est substantia actus intellectus: ergo. Respond. quod esse impulsivum stat dupliciter, vel immanenter, vel transunter; immanenter, id est, per actionem impulsivam vitalem manentem in ipsa potentia impellente; transunter, id est, producendo impulsum in alijs potentij, quo moveantur, & applicentur ad operandum; primum pertinet ad substantiam actus voluntatis, sicut & producere verbum ad substantiam actus intellectus: unde & hoc nequit habere intellectus adhuc participativè à voluntate, sicut nec voluntas participative ab intellectu potest loqui, seu verbum producere: secundum vero pertinet ad modum illius, unde hoc modo potest intellectus participative à voluntate impellere; sicut & in corporalibus homo imprimet impulsum vaculo, quo ipsum movet, & vaculus sic motus impellit lapidem.

¶ 92. Objicies 4. Voluntas non minus se mouet medio iudicio rationis in prima intentione finis, quam in electione mediorum; & tamen non ex hoc sequitur iuditium praecedens intentionem finis mouere voluntatem quoad exercitium: ergo à simili. Sed resp. ex doct. D. Thom. 1.2. q. 9. art. 4. Quod quia in motibus voluntatis non est procedere in infinitum, necesse est ponere, quod in primum motum voluntas procedat ex instinctu alicujus exterioris moventis; ex quo inferunt Thomistæ, quod voluntas in 1. intentione finis se mouet solum elicitivè, id est, producendo actum tendentem in finem, non verò applicativè, id est, se applicando per alium priorem actum ad prædictam intentionem, sed ad eam solum applicativè mouetur à Deo. Cuius ratio à priori est, quia unumquodque in tantum mouet, in quantum est in actu: cum ergo illa volatio sit prima, nullam aliam præsupponit, per quam voluntas sit in actu, & possit se ipsam ad ulteriorem actum reducere, & sic in illa prima volitione solum potest à Deo moueri. Qua ratione dicunt Thomistæ, quod Angelus in prima operatione non potuit peccare, quia eo ipso Deo attribueretur peccatum; immò hoc ipsum docent de homine in prima operatione simplicitè tali. Hinc etiam iuditium praecedens primam intentionem finis non est ex libera determinatione voluntatis, sed ex motione Dei, proindeque nec à voluntate habet efficaciam, ut illam possit mouere quoad exercitium, sed solum eam mouet quoad specificationem: è contra verò accidit in electione mediorum, in qua voluntas se mouet etiam applicativè, quia electio supponit intentionem, per quam voluntas constitutur in actu, & potest se ipsam ad electionem reducere, & ex illa etiam iuditium intellectus participare efficaciam, ratione cuius possit quoad exercitium ipsam voluntatem mouere, ut explicatum est.

93. Tandem objicies: si iuditium illud sit ab intrinseco efficax, inferaque infallibiliter electionem mediorum, sequitur, quod ei competit vera, & propria ratio imperij; at hoc est expressè contra D. Thom. ergo. Maj. probat. nám eo ipso iuditium illud est ordinativa cum motione quadam intimatio, in qua consistit imperium; intellectus enim per iuditium determinatum interiat voluntati hoc medium præ alio esse eligendum, & aliundè hoc intimat eum motione, si semel est iuditium ab intrinseco efficax: ergo. Minor verò patet: nám D. Thom. ut patet ex dictis, in eo distinguit Synesim à prudentia specialiter sumpta, quod ad Synesim pertinet judicare, & ad prudentiam imperare, & 1. q. 9. art. 3. ad 2. habet: *Quod non omnis*

*actus voluntatis precedit hanc actionem rationis, qui est imperium; sed aliquis precedit, scilicet electio, & aliquis sequitur, scilicet usus, quia post determinationem consilij, que est iuditium rationis, voluntas eligit, & post electionem, ratio imperat ei, per quod agendum, quod eligitur, & tunc demum voluntas alicujus incipit uti exequendo imperium rationis.*

94. Respondeat. quod his non obstantibus Cajer. 2.2.q. 88.art. 2. §. ad hoc dicitur, ponit duplex imperium, aliud, quo quis imperat sibi per prudentiam, ut eligat, & hoc est causa electionis, & aliud, quo imperat executionem illius, quod eligit, & hoc est effectus illius. Hoc ipsum tenet Martinez 1.2.q. 17. art. 3. & apud ipsum Medina, & Carrasa, qui consequenter docent, Div. Thom. in prædictis locis loqui de imperio electionem subsequenti, non verò eam præcedenti. Sed melius dicitur ex doctrina D. Thom. quæst. citata art. 1. quod imperium est intimatio, quæ exprimitur per verbum imperativi modi, ut cum aliquis dicit: *fac hoc*, non verò per verbum modi indicativi, sicut si aliquis dicat: *hoc est tibi faciendum*. Dico ergo iuditium præcedens electionem mediorum eanterius deficere à ratione imperij, quia imperium intimat per fac hoc: iuditium verò illud, per hoc est faciendum, & licet ratione efficaciae intimatio per fac hoc est faciendum aequivaleat intimationi per fac hoc; non tamen formaliter est eadem intimatione, sed una est formaliter imperativa, & alia formaliter judicativa. Vel dicendum, quod, quia intimatione imperij fit per fac hoc, quod est idem, ac executioni manda hoc. Quapropter diffinitur imperium, quod est ordinativa cù motione quadam intimatione operis exequendi; consequenter intimatione, quæ est propria imperij, supponit media præconsiliata, & judicata ab intellectu, & consequenter illorum electionem, infertque infallibiliter illorum usum: intimatione autem iuditij est efficax solum respectu electionis, non verò respectu executionis propriæ novam difficultatem, quæ in executione occurrit, ut dixim. resolut. 1. In Deo autem, licet sit efficax respectu executionis, deficit tamen à ratione imperij, quia imperium intimat ordinando eum, cui imperat in finem; & nihil est in Deo ordinabile in finem, ut ibi etiam diximus ex D. Thom.

95. Secunda verò pars resolutionis, quod scilicet in hoc iuditio essentialiter prædestinatio consistat, fund. 1. ex dict. Nam supposito, quod prædestinatio essentialiter in actu intellectus consistit, si semel non consistit in imperio subsequenti electionem, sive directivo, sive exequutivo, ut ex duabus præcedent, resolut, magne fund. cum non

non sit assignabilis alter actus intellectus, in quo posuit essentialiter consistere praeter iudicium determinatum precedens electionem mediiorum, sequitur, quod in illo essentialiter consistit.

96 Deinde à priori prob. nam prædicto iudicio competit definitio prædestinationis: ergo in eo essentialiter prædestinationis consistit. Prob. ant. Nam prædictum iudicium in primis est ordinatio creaturæ rationalis ad finem virtutis eternæ: immò iudicium illud solum esse ordinationem mediiorum probavimus duabus resolutionibus. præced. & præter dicta D. Thom. in Psal. 32. ait: *Consilium, dum est in nobis, dicit inquisitionem; cum autem dicitur de Deo, importat ordinationem omnium ad debitum finem.* Cui consonat illud Pauli: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue.* Deinde hoc iudicium est ordinatio libera, & ex libera voluntatis determinatione procedens, ut in principio dubij notavimus. Deinde est ordinatio efficax, ut patet ex immediate dictis, & cum sit iudicium determinatum, est ordinatio per media determinata: cu[m] ergo prædestinationis, ut colligit ex definitione D. Thom. & August. sit ordinatio libera, & efficax creaturæ rationalis per media determinata ad finem virtutis eternæ, consequenter prædicto iudicio competit definitio prædestinationis.

97 Contra. Secundum AA. oppositæ sententie solùm iudicium illud excludit à ratione prædestinationis ex defectu efficaciz; quia licet in ordinatio de his medijs determinata, adhuc tamen illo posito, liberum est Deo in sensu divino, sed etiam in sensu composito hæc, aut illa media in ordine ad gloriæ eligere: ergo semel dato, quod iudicium hoc sit efficax, infallibiliterque inferat electionem mediiorum, ut ex precedentibus probatum manet: immò illorum executionem, ut supra notavimus, non est, cur ei deaegetur ratio, & essentia prædestinationis.

98 Argumenta, quæ contra hanc partem militare videntur, sunt, quæ hucusq[ue] contra precedentem resolutam obijcimus, & solùm oportet observare, quod quia prædictum iudicium infallibiliter infert decretum electivum mediiorum, quod & est simul executivum, infallibiliter etiam ipsum cognoscit, & in eo media non solùm, ut possibilia, sed etiam ut futura, nimirum ut efficaciter eligenda, & exequenda ad consecutionem virtutis eternæ, & sic tale iudicium est verè, & propriè præscientia. Et cum aliunde sic practica ordinatio mediiorum, in qua preparatio conatit, consequenter est præscientia, & preparatio beneficiorum Dei, &c. Hic etiæ non observa, quod supra in 1. resolut. notavimus, tale iudicium

esse intuitivum, & electionis, & exequutionis, & mediorum prout existentium in æternitate; nam ad notitiam intuitivam non requiritur, quod pro priori à quo, & rationis, quo intelligitur notitia, intelligatur objectum completem existens, sed sufficit, quod intelligatur completem existens pro priori in quo, etiæ cum posterioritate à quo, & rationis, sicut cognitio necessaria Dei secundum rationem præcedit amorem necessarium, quo Deus amat se ipsum, & tamen est notitia intuitiva illius, & Verbum Divinum ex sui notitia intuitiva procedit, cum tamen eo ipso notitia, à qua procedit pro priori à quo, & rationis ipsum præcedat; immò in sententia contraria, imperium præcedens usum voluntatis divinæ, & actum potentiae exequutivæ tribuentem existentiam rebus, est notitia intuitiva, & usus activi, & actus potentiae exequutivæ, & ipsarum rerum productarum: à simili ergo.

## DUBIUM II.

*Utrum permisso peccati in electis sit effectus prædestinationis?*

8 E ffectus prædestinationis dicitur ille, qui à Deo procedit ex intentione efficaci dandi gloriam: hanc enim intentionem intelligimus in presenti nomine prædestinationis, licet non sit talis formaliter, sed radicaliter. Ex intentione autem efficaci dandi gloriam procedunt omnia media, quæ ad ejus consequtionem conducunt: si alias possint terminare divinum amorem, aliter non erunt à Deo volita ex illa intentione, & sic nec erunt effectus illius. Quæ dividuntur in media elicita, seu elicitive procedentia ex illa intentione, qualiter amor Dei dicitur amor elicitus charitatis, & in media imperata, seu imperative ex illa procedentia, qualiter actus aliarum virtutum imperative procedunt charitate. Inter quæ hæc intervenit distinctio, quod media elicita prædestinationis non possunt non esse intrinsecæ, & ratione sui supernaturalia, sicut actus elicitus virtutis supernaturalis non potest non sic esse supernaturalis. Media vero imperata non est necesse esse supernaturalia intrinsecæ, & ratione sui, sicut nec actus imperati à charitate sic oportet esse supernaturales, cum actus etiam virtutum naturalium possint imperari à charitate; requiritur tamen talia media esse supernaturalia extrinsecæ, & ratione finis, ad quem ordinantur. Inter media autem imperata etiam est distinctio: nam alia sunt imperata pure

pure quoad ordinationem supponentem illorum existentiam: alia vero dicuntur imperata etiam quoad existentiam, ita, ut ipsarum productio imperetur ex intentione dandi gloriam, quod exemplificatur in effectibus artis domicatoria, quorum praeter effectum elicitem, & per ipsam constitutum, qui est domus, alij sunt ab ipsa pure imperati quoad ordinationem supponentem illorum existentiam, ut sunt lapides, & ligna, quia ista nec facit, nec illorum productionem imperat, sed ea existentia supponit, ordinat tamen ea ad constitutionem domus: alij vero sunt ab ea imperati etiam quoad existentiam, ut sunt clavi, & regulæ: imperat enim ars domicatoria alias artes, ut ea efficiant, tanquam media necessaria ad constitutionem domus.

2 In praesenti ergo supponimus, permissionem peccati in electis non posse esse effectum predestinationis elicitem, quia supernaturalis entitative, & quoad substantiam non est; & similiter non repugnare esse effectum illius ordinatum, id est, imperatum quoad ordinationem supponentem illius existentiam, ut potè peccato præviso, potest Deus illius permissionem ordinare ad finem predestinationis, quomodo substantia predestinati est effectus predestinationis, quamvis ad eam absolute, & quoad substantiam presupponatur prævisa, ut subjectum illius. Unde dubium duntaxat procedit: An sic effectus imperatus quoad existentiam, ita, ut peccato non prævio, Deus eum permittat ex fine predestinationis, quamvis solum sit effectus elicitus divinae providentiae generalis, ad quam pertinet permittere, naturas defectibiles aliquando deficere, ut tenet communis sententia.

3 Deinde notandum est, quod permissione peccati est duplex, alia activa, & alia passiva. Activa est ipsem actus voluntatis divinae, quo vult substrahere gratiam efficacem, quam subtractionem infallibiliter sequitur peccatum propter defectibilitatem liberi arbitrij. Passiva vero est defectus, & carentia predictæ gratiae. Dubium ergo non procedit de permissione activa, hæc enim haud dubium quod non sit, nec possit esse effectus predestinationis, cum actus divinus omnem subterfugiat causalitatem, sicut & dependentiam. Procedit ergo solum de permissione passiva; an, scilicet, hæc possit esse volita ex intentione efficaci dandi gloriam, & perseverantiam finalem. Et quia ex hoc fine præcisè potest esse volita, quatenus potest esse volita ex praientia humilitate, vel penitentia; ideo duplex in hoc dubio se offert difficultas. Prima, an permissione peccati in electis sit effectus predestinationis, administrus praientia humilitate? Secunda,

an sit etiam effectus predestinationis ex praientia penitentia?

### RESOLUTIO I.

*Permissio peccati in electis est effectus predestinationis, administrus ex praientia humilitate.*

4 **E**st contra Vazquez, Arrubal, Meratium, quos sequuntur aliqui ex modernis. Eam tamen tenent universi Thomistæ, quibus adhærent Suarez, Granadus, Ripa, Vetitius, Albit, & Molina. Et fund. 1. ex verbis Apost. Pauli in epist. ad Roman. cap. 8. ubi ait: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quæ explicat August. in Glos. *Usque adeò talibus Deus omnia cooperatur in bonum, ut si qui horum deviant, & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum.* Quod expressè etiam docet D. Thom. 1. 2. q. 79. art. 4. ubi inquirit: Utrum exsecatio, & obduratio semper ordinetur ad salutem ejus, qui exsecatur, & obdurate? Et dicit: *Quod exsecatio ex sui natura ordinatur ad damnationem ejus, qui exsecatur, propter quod ponitur reprobationis effectus; sed ex divina misericordia exsecatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad salutem eorum, qui exsecantur.* Sed hac misericordia non omnibus impeditur exsecatio, sed predestinatis solum, in quibus omnia cooperantur in bonum, sicut dicitur ad Rom. 8.

5 Fundat. unic. ratione. Nam ex intentione efficaci dandi gloriam predestinatis, procedunt omnia media, quæ ad ejus consecutionem conducunt, si alias possint terminare divinum amorem, ut patet ex dict. at permissione peccati in electis ex una parte potest terminare divinum amorem, aliunde est medium conducens ad consecutionem gloriae: ergo. Min. quoad 1. part. suppon. aliter nec esset à Deo volita ex fine generalis providentiae, nec præviso peccato, posset esse effectus ordinatus predestinationis. Quoad 2. vero partem prob. nam humilitas in electis ad consecutionem gloriae conductus; sed permissione peccati in eisdem est medium conducens ad humilitatem: ergo & illa mediante, est medium conducens ad consecutionem gloriae, & consequenter est effectus predestinationis administrus ex praientia humilitate. Maj. & min. dubitari non possunt. Unde David post commissum adulterium dicebat Psal. 118. *Bonum mihi, quod humiliasti me.* Et anteā dixerat: *Prius quam humiliarer, ego deliqui.* Et ait Aug. *Ipso quippe fructu ostendit, quod bonum illi fuerat humiliari.* Et Ambro. *Ita dictum est, quod peccato videa-*

videatur humiliatus. Et infra: *Hic ergo offendit humiliatem ortam esse de culpa, & quia culpa præcessit, ideo humiliatum esse offendit.*

6 Hocque evidenter ex eo comprobatur, quod postquam quis in peccatum cadit, minus de se ipso confidit, & presumunt, propriam fragilitatem cognoscendo: unde cautor resurgit; cum majorique timore, & tremore divinæ prævidentie, & justitie, nec se audet intromittere in eas occasiones, ob quas cecidit, ratione cujas stabilius in gratia permaneat, ac tandem in gratia finaliter perseverat. Unde D. Thom. 3. p. q. 89. art. 2. ad 1. cùm posuisset argum. ad prob. quod homo post pœnitentiam non potest resurgere in minori virtute, quia juxta Apost. diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, quod non esset verum in eo casu, resp. prædicta verba esse intelligenda tantum de prædestinationis: *Qui, quandovis cadunt, finaliter tamen resurgent: ideo ergo eis in bonum hoc, quod cadunt, non quia semper in majori gratia resurgent sed quia resurgent in permanentiori gratia, non quidem ex parte ipsius gratiae, quia quantum gratia est major, tanto de se est permanentior; sed ex parte hominis, qui tanto stabilius in gratia permanet, quanto est cautor, & humilior.*

7 Hinc Deus præcipue permittit peccata minora, ut viter graviora: v. g. peccata carnalia, ut vitet peccata superbie, quæ sunt gravissima, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3. per hoc enim, quod ab homine substrahitur gratia, & in peccatum carnale cadit, cognoscit, unde sicut bona sua, undeque habeat, nec habere, unde gloriatur, & effatur in virtutibus, & bonis operibus; sed potius recipit humilius, quod superbis amiserat, & sic confitetur domino, ei que gratias agit, maximèque hac via postmodum proficit in spiritualem salutem. Cujus rationem tradit D. Thom. loco prixim. cit. cùm posuisset argum. ad probandum superbiam non esse gravissimum peccatum, quia manus malitiae non punitur per minus malum: cùm tanè interdum superbia puniatur per alia peccata, resp. *Quod scilicet in syllogismis ducentibus ad impossibile, quodlibetque aliquis convincitur per hoc, quod dicitur ad inconveniens magis manifestum; ita etiam ad convincendum superbiam hominum, Deus aliquos punit, permettendo eos ruere in peccatis carnalis, que etiè sunt minora, tanè in utilissiore turpitudinem continent.*

8 Quid & palius fatentur Sancti Patres: unde circa illud Psal. 29. *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum confunditus.* Ait August. cap. 24. de natura, & grat. *Dixerat enim, in abundancia sua non mouebor in eternum, & si-*

*bi tribuerbat, quod à Deo habebat, quare stendendum si fuerat, unde habebret, & reciperebatur humilius, quod superbus amiserat.* Et 14. de Civit. Dei cap. 13. ait: *Audeo dicere superbis esse utiliter cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo occiderant.* Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit, quā sibi placuit, quando presumpsit. Et Greg. lib. 2. moral. cap. 26. sic habet: *Fiat, ut aliquando se bac grata subtiliter subtrahat, & presumenti, quantum in se insirmetur ostendat.* Tunc enim verè cognoscimus bona nostra, unde sint, quando hæc, quasi amittendo, sentimus, quia a nobis servari non possunt. Pariter Damasc. lib. 2. fidei hec scripsit: *Permittitur quis, quandoque in turpem incidere peccatum ad emendationem deterioris affectus: verbi causa, quis est elatus in virtutibus, & recte factis suis; tunc sinit Deus in adulterium prolabi, & per casum in cognitionem propria insirmitis veniens, humiliatus confortatur Domino.*

9 Ex quibus præcluditur additus interpretationi P. Vazquez, qui ait Sanct. Patres vulgariter modo fuisse locutos, exprimendo eventus, quos Deus ex peccato deducit, ac si essent finis prædestinationis. Præcluditur inquit; nā mens illorum erat finem permissionis peccati in illis eventibus constituere, qui cùm media sint conducentia ad finem prædestinationis, non potest nisi voluntariè afferi, non loqui de illis, quatenus finis prædestinationis sunt.

Objiciuntur, & solvantur argumenta.

10 **S**ed contra nostr. resolut. objicies  
1. Effectus prædestinationis debet esse gratia, & beneficium Dei: ut patet ex diffinit. prædest. tradita ab August. nempē, quod est præscientia, & preparatio beneficiorum Dei, &c. at permissione peccati non est gratia, & beneficium Dei: ergo. Prob. min. tūm quia potius est carentia, & substractio gratie: tūm, quia respectu hominis nequit esse beneficium, quod ab eo tollit majus beneficium; sed licet permissione peccati bona eset homini, ab eo tamè tollit majus beneficium, utpote gratia majus beneficium est, quam negatio illius, in qua permissione peccati consistit: ergo.

11 Ad hoc argum. respondeatur: quod licet permissione peccati intrinsecè, & ratione sui non sit gratia, & beneficium Dei, bene tamè extirpescit, & ex fine humiliatis, ad quem ordinatur, ratione cujus, & vitat majus peccatum superbie, & stabilius perseverat in gratia. Hoc enim sufficit, ut effectus sit imperatus prædestina-

nationis, ut in principio nostavimus. Cujus posse exemplum in cecitate illius pueri, de quo interrogaverunt Apost. an ipse peccasset, vel parientes ejus, ut cecus nasceretur, quæ ut potè privatio intinsecè, & ratione sui bona non erat; bene tamè ex fine, proptè quem fuit à Deo volita, quem Christus designavit dicens: *Nee hic peccavit, nec parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Hinc licet gratia magis beneficium sit, quam substractio illius secundum se, & ab intrinseco considerata, ut tamen ordinatur à Deo ad stabiliorem gratiam consequendam, magis beneficium est negatio gratiæ, quam gratia ipsa.

12 Secundò objicies: ille est effectus prædestinationis, qui ad finem prædestinationis conductus, sed carentia gratiæ, in qua permisso peccati consilit, non conductus ad finem prædestinationis: ergo. Prob. min. negatio gratiæ per se conductus ad finem reprobationis, non minus, ac collatio gratiæ per se conductus, & ordinatur ad consecutionem gloriæ; sed medium aptum ad consecutionem unius finis nequit esse idoneum ad consecutionem finis oppositi, qualiter finis prædestinationis opponitur fini reprobationis: ergo. Confirmatur: finis ultimus prædestinationis est manifestatio divinæ gratiæ, & bonitatis; sed gratia, & divina bonitas manifestari nequit per negationem gratiæ, sed solum per collationem ipsius, sicut solum per rerum productionem, & earum conservationem manifestatur potentia, & bonitas Dei, qua ratione ait D. Thom. infra q. 104. art. 4. quod redigere aliquid in nihilum non pertinet ad gratiæ manifestationem, cum magis per hoc divina potentia, & bonitas ostendatur, quod res in esse conservat; unde infert, quod simplicitè dicendum est, quod nihil omnino in nihilum redigatur: ergo.

13 Sed ad argumentū respond. ex doctrinia Div. Thom. i. loco citato, quod licet permisso peccati, sicut & execratio, & obdurate per se, & ex natura sua ordinatur ad finem reprobationis, nimurum ad damnationem ejus, cui permittitur peccatum; per accidens tamen, & ex divina misericordia ordinatur medicinaliter ad salutem illius. Nec obstat, quod medium ad consecutionem unius finis nequit esse idoneum ad consecutionem finis oppositi, nam hoc solum est verum, si confideretur secundum se, & ab intrinseco, non vero ab extrinseco, & ex divina ordinatione; sicut hoc eodem modo permisso peccati in reprobis est effectus prædestinationis electorum, ut expressè fatetur Apostolus ad Romanos 9: sum ait: *Substinxit in multis pacientia vas iræ*

M. Carrasq.

*apta ad interitum, ut offendere dicitas gloriarie sue in vas a misericordia, que preparavit in gloriam.* Ubi per vasa ire intelligit reprobos, & per vasa misericordia intelligit prædestinatos, & ait illa Deum sustinuisse propter ista, scilicet propter fidem prædestinationis illorum: si ergo permisso peccati in reprobis potest ex divina ordinatione conducere ad finem prædestinationis electorum, quamvis secundum se, & ex natura sua ad finem reprobationis conductus, cur etiam non poterit conducere ad finem prædestinationis permisso peccati in eisdem electis.

14 Ad confirm. respond. quod licet gratia, & divina bonitas manifestari nequeat per negationem gratiæ secundum se, bene tamen secundum illud, ad quod ordinatur. Hoc enim ipsum, quod est permettere peccatum, scilicet gratiam efficacem denegare, ut prædestinatus magis peccatum viter, & stabilius in gratia permaneat, maximè ostendit divinam bonitatem, & misericordiam, quæ media apta ad interitum, in bonum prædestinatorum reducit, ut ex spinis, & tribulis ubas, & fisus colligantur. Nec est simile de anihilatione, hæc enim habet purè pro termino nihil, nec ad aliquid positivum ordinatur, in quo manifestetur Dei bonitas. Quod si Deus vellet eam præordinare ad manifestandam gratiam creationis, & conservationis, qualiter, ut nuper diximus, negationem gratiæ in reprobis ordinat ad manifestandam gratiam prædestinationis, utique anihilatione in hoc eventu ostenderet divinam potentiam, & bonitatem. Nec D. Thos. afferit Deum non posse in nihilum aliquid redigere ob illum finem, sed solum secundum potentiam ejus ordinariam, secundum quam Deus operatur juxta contingentiam, & ordinem rebus inditum, quia nempe nulla res exigit sui anihilationem, ut ibi sancta præmiserat.

15 Tertiò objicies: si Deus ex prætentio bono aliquo conducenti ad vitam æternam permetteret peccatum, eo ipso ex prætentio minori bono, permetteret magis malum; sed hæc permisso estet imprudens, proindeque necessario à Deo releganda: ergo. Major videtur certa in nostra sententia, quod peccatum est simplicitè infinitum. Minor vero ex eo constat, quod medicus imprudenter permetteret magis malum ex prætentione minoris boni: videlicet præcisionem brachij, ne pereat digitus: immò absolute ex intentione sanitatis morbum permettere, non est sapientis provisoris, sed crudelis medici.

16 Ad hoc argum. tripliciter potest responderi: 1. quod bonum primario, & prin-

cipaliter intentum à Deo in permissione peccati non est bonum peccatoris, sed manifestatio divinæ bonitatis, & misericordia, quæ est majus bonum, quam malum est peccatum, bona autem ipsius prædestinati sunt duntaxat à Deo volita, ut fines intermedij: immo ut sic possunt etiam dici infinita, nempe ex ultimo fine, ad quem ordinantur. Unde solum ex argumento convincitur imprudenter Deum permettere peccatum ex prætentio bono prædestinati secundum se, & præcissive à manifestatione divinæ bonitatis, non verò cum illa ordinatione; aliter nec prudenter permitteret peccatum in reprobis ex intentione manifestandi suam justitiam; crudelioris enim medici esset permettere morbum sine intentione sanitatis, quam cum illa. Sed dices: manifestatio divinæ bonitatis finita est, cum fiat per aliquid creatum; sed peccatum simpliciter est infinitum: ergo majus malum est peccatum, quam bona est manifestatio divinæ bonitatis. Sed respond. primò: quod per manifestationem divinæ bonitatis non eam intelligimus, ut se tehet ex parte medijs creati, sed intelligimus ipsam, & eandem divinam bonitatem manifestatam, non reduplicative, sed specificative in sensu, in quo dicitur Deum omnia propter semetipsum operari. Objectum enim adquatè motivum divina voluntatis est bonum increatum, & infinitum in Thomist. sententia. Vel dicatur, quod licet manifestatio divinæ bonitatis finita sit, est tamen defectò Deo illata, cum cedat defectò in laudem, & gloriam Dei; cum tamen peccatum non sit defectò Deo malum, nec enim effectivè ei infert nocumentum, sed solum in affectu est ejus destructivum. Absolutè autem majus bonum est bonum defectò illatum, quamvis finitum, quam malum pure affective illatum, quamvis infinitum.

17 Secundo ad argum. resp. quod peccatum duplice potest considerari, & ut est malum prædestinati, scilicet in ratione malitiæ, & ut est malum Dei, nempe in ratione offendit; hoc tantum secundo modo est simpliciter infinitum, primò vero modo est malum finitum, quia ut sic catenus est malum, quatenus importat privationem gratiæ; & ut sic permittitur ex prætentio majori bono prædestinati, siquidem gratia recuperata est permanentior, & stabilior, quam ea, quæ fuit amissa per peccatum: quia, ut diximus ex Div. Thom. licet prædestinati non semper in majori gratia resurgent, resurgent tamen in permanentiori gratia, non quidem ex parte ipsius gratiæ, quia quanto gratia est major, tanto de se est permanentior, sed ex parte hominis, qui tanto stabilius in gratia per-

manet, quanto est cautor, & humilior. Et in hoc maximè suam bonitatem ostendit, quod malum sui infinitum ex sua bonitate propter majus illorum bonum permittit.

18 Tertiò respond. quod licet peccatum in ratione offendit simpliciter infinitum sit, adhuc prout sic permittitur ex prætentio majori bono, nempe propter vitandum majus peccatum, quale est peccatum superbiz. Licet enim omnia peccata sine æqualia, attēta gravitate, presumpta ex ordine ad personam divinam offendit, absolute tamen, & ex alijs capitibus inæqualia sunt, & inter ea gravissimum est peccatum superbiz, ut supra ex Div. Thom. notavimus; ad quod vitandum Deus permittit alia minora peccata, qualia sunt carnalia. Sapientis autem medici est permettere infirmum in leviorum morbum incidere in remedium majoris morbi. Sed dices contra hanc triplicem solutionem: ad prædictum finem sufficiens, immo utilius medium sunt auxilia efficacia, quam permissione peccati: ergo imprudenter eligitur permissione peccati, ut medium ad prædictum finem sicut imprudenter medicus permetteret morbum leviorum in remedium majoris morbi, seu robustioris sanitatis, si posset hoc consequi per alia media sine permissione alicujus morbi. Ad hoc respondet Oxomensis auxilia efficacia, per se & ex natura sua esse medium accommodatus ad prædictum finem, quam permissione peccati, que solum ex misericordia divina ad prædictum finem conductit. Ceterum ex parte subjecti alias in superbiam efferendi occasione adimplectionis præcepti, accommodatus medium est permissione peccati, quatenus ex ordinatione divina cum futura penitentia, & humilitate conjugitur. Sed haec solutio mihi non placet: cum argumentum hoc intendat, quod utilius medium sit adimplectio præcepti sine permissione superbiz, quam cum illa. Unde melius respond. quod licet ad prædictum finem, ut respicit subjectum in se utilius, & aptius medium, sint auxilia efficacia, quam permissione peccati, ceterum ad prædictum finem, ut respicit subjectum in ordine ad finem ultimum, nempe divinam bonitatem, non minus utile, immo utilius medium est permissione peccati, quia divina bonitas, & potentia maximè parvendo, & miserando manifestatur, ut canit Ecclesia, & patet ex dictis ad præcedens argum. Nec est simile quantum ad hoc exemplum de medico, quia iste applicat media, ut utilia sunt solum ipsi subjecto sanando, cum tamen ei utiliora sint media, quæ ei applicantur sine permissione morbi. Nec enim exemplum medici tenere potest quoad omnia, alias cum medicus impru-

¶ dentēs permitteret morbum ex fine mortis infirmi, pariter Deus imprudenter in reprobis permitteret peccatum ex fine æternæ mortis illorum.

19 Quartò objicies: omnis effectus prædestinationis nobis confertur ex meritis Christi; sed permisso peccati nobis non confertur ex meritis Christi: ergo. Probatur min. primò: nám Christus mortuus non est ut Deus prædestinatis permittat peccatum, sed potius ut eos à peccato præservet: ergo. Secundò: nám Christus postulavit à patre omnes effectus nostræ prædestinationis, sicut & omne præmium suorum meritorum; sed non postulavit à patre, quod prædestinatis gratiam denegaret: ergo.

20 Sed respond. quod licet permisso pec-  
cati secundum se nobis non conferatur ex me-  
ritis Christi, bene tamen sub ea ratione, qua or-  
dinatur ad maius bonum nostrum. Nec valet,  
quod Christus mortuus est potius, ut predesti-  
natos à peccato præserves, nám huic fini non  
opponitur permisso peccati ad tempus, sed  
potius juvat, ut diximus; siquidem ex permisso  
peccati habet predestinatus, quod firmius in  
gratia perseveret, proindeque, quod à peccato  
finaliter præservesetur. Hinc ad secundam proba-  
tionem dicimus Christum à patre postulasse per-  
missionem peccati, seu denegationem gratiae,  
non secundum se; sed ut conducentem ad fir-  
miorem salutem prædestinati.

21 Sed dices: ergo pariter nos possemus, immo & teneremur permissionem peccati a Deo postulare, cum orationes nostræ orationi Christi debeant esse conformes: at hoc est falsum, cum oppositum postuleremus in oratione Dominica, cum dicimus: *Et ne nos inducas in tentationem*: ergo. Ad hoc respondet Oxom. quod effectus, qui ratione sui ad finem prædestinationis conducunt, possumus absolute petere; illos vero, qui absolute ad oppositum finem conducunt, & solam ex divina misericordia ad finem prædestinationis ordinantur, non possumus absolute petere, sed solam sub condicione, quod Deus vellit eos ad prædictum finem ordinare: immo sic eos petimus, cum in communi petimus omnia media conducentia ad nostram salutem. Sed contra hanc solutionem est, quod prædestinatus sub illa conditione licet postularet, & velleret proprium suum peccatum, cum permisso peccati infallibiliter connectatur cum ipso peccato, & alias peccatum cadat sub objecto, & sphera voluntatis illius: quod non coheraret cum communi doctrina Thomist. asserentium non posse dari actum malum ex objecto, & bonum ex fine; cum tamen ille actus malus esset ex objecto, utpote volitio indire-

ta peccati, & bonus ex fine salutis, in ordine ad quem ipsum postularet: au verò poscit unus homo à Deo postulare permissionem peccati alterius ex fine salutis? Aliqui respondent affirmativè, quia illud ex illo fine exigebat David, cum ajebat: *Impie facies eorum ignominia, & querent nomen tuum, Domine.* Mihi verò verius est oppositum, quia alias etiam Deus posset velle peccatum alterius ex fine salutis, & ne dū permissionem illius, utpotè quod honestè est amabile, ab homine, etiam est amabile à Deo. Undè ad replicam negamus conseq. quia permissione peccati eatenac potest licet à Christo postulari ex illo fine, quatenus amor illius non infert amorem peccati, utpotè hoc non cadit sub objecto, & sphaera voluntatis Christi, siquidem nec ut homo peccare potest, sicut propter eandem rationem potest permissione peccati terminare amorem Dei, quin ipsum terminiet, vel possit terminare peccatum cum ea connexum. Quod verificari nequit de puro homine: undè cum dicitur, quod orationes nostræ debent conformari orationi Christi, est verum duntaxat de orationibus, quæ à nobis fieri possunt sine peccato, non aliter.

22 Quinto objicies: permisso peccati praecedit prædestinationem: non ergo potest esse effectus prædestinationis. Prob. anteced. permisso peccati praecedit prædestinationem Christi: ergo & prædestinationem nostram. Conseq. pat. utpotè prædestination nostra est ex meritis Christi. Anteced. autem prob. nam quia Deus decrevit Verbi Incarnationem in remedium peccati originalis, hujus permisso praecessit prædestinationem Christi, ut contra Scotum docent Thomist. sed etiam decrevit Verbi Incarnationem in remedium peccati actualis: ergo etiam hujus permisso praecessit Incarnationem Verbi, & consequenter prædestinationem Christi.

23 Sed de hoc latè Authores 3.p. q.1.art.  
4. ubi inquirunt de motivo Incarnationis. Et quidem in sententia dicentium peccatum originale, sicut & reparationem totius humanæ naturæ fuisse primarium motivum Incarnationis, ita, ut etiam exclusis actualibus Christus veniret in carne passibili in vi præsentis decreti, quam teneant Medina, Vincentius, Lorca, Valentia, Suarez, Vazquez, Gonet, & alij, facile responderetur disting. illam major, quia Deus decretivit Verbi Incarnationem in remedium peccati originalis, ut motivum primarium, concilio, pure secundarium, nego, & sub eisdem terminis vice versa disting. minorem, & nego conseq. Itaque hæc sententia asterit motivum primarium, & principalius Incarnationis fuisse peccatum originale, nþopè origo, & radix

peccatorum actualium, & non leviter suadetur ex illo, quod canit Ecclesia: *O felix culpa, quæ talem, & tantum meruit habere Redemptorem!* Proindeque hoc non potuit non prævideri, & permitti ante decretum Incarnationis ex vi alterius decreti, & providentiae. Quia tamen in ipso decreto permisivo peccati originalis, & in ipso peccato originali, ut in fonte, & in radice permisit, & prævidit Deus plura peccata actualia futura vague, & indeterminate, veluti secundario, & ex consequenti decrevit Incarnationem Verbi etiam in remedium peccatorum actualium, quamvis ipsa in particulari, seu expressè, & formaliter, nec permiserit, nec præviderit. Supposito vero decreto Incarnationis, seu supposita prædestinatione Christi propter finem illius eadem Deus permisit figuratim. Immò in hac sententia permisio peccati actualis consistit in denegatione gratiæ conferendæ ex meritis Christi, per quam talia peccata possent vitari, sicut defactò per eam plura vitata fuerunt. Quia gratia non potuit ante Christum præconosci; immò peccata blasphemantium, & crucifigentium Christum non potuerunt prævide ri ante cognitionem Incarnationis, à qua de pendebant, tanquam ab objecto. Nec valet, quod peccatum Evæ non fuit peccatum originale, utpotè non fuit originale originans, cum non fuerit peccatum capitum, quia hoc solum fuit peccatum Adami, nec originatum, cum non fuerit contractum per seminalem propagationem, sed actuale voluntate personali Evæ commis sum; cum tamen fuerit permisum; & prævisum ante decretum Incarnationis, utpotè sine eo peccatum Adami nec permitti, nec prævideri poterat. Non, inquam, valet, quia cum peccatum Evæ fuerit origo, & causa peccati Adami, ad originale originans reducitur.

24 In sententia etiam distingueute duplex decretum Incarnationis, aliud intentivum, & aliud executivum, & quod motivum totale, & adæquatum decreti intentivi fuit solum peccatum originale, licet motivum totale, & adæquatum decreti executivi fuerint omnia peccata, etiam actualia: unde non existentibus actualibus Christus veniret in vi præsentis decreti intentivi, non vero executivi, quam tenet Araujo hoc modo concordans sententias extremas; etiam facilime respond. dist. minor. sed etiam Deus decrevit Incarnationem Verbi in remedium peccati actualis, loquendo de decreto executivo, concedo, intentivo, nego. Unde solum infertur, quod permisio, & prævisio peccati actualis præcessit decretum executivum Incarnationis, non vero decretum intentivum; sicut & relectio meritorum, eorumque prævisio-

præcedit decretum executivum dandi gloriam prædestinatis, non vero decretum intentivum, quod utrumque decretum communiter admittitur a Thomistis.

25 In sententia vero assertante etiam peccata actualia ingredi motivum primarium, & adæquatum decreti etiam intentivi Incarnationis, quam tenet Nazarius, & Oxomensis, quibus alij plures recentiores adhærent, & non leviter fundatur: ex quo prædictum motivum fuit perfecta hominis redemptio à captivitate diaboli, quæ non foret, si non fuisset etiam redemptio a peccatis actualibus, cum & per peccata actualia homo potestati diaboli subjiciatur; in hac, inquam, sententia respond. distinguendo major. quia Deus decrevit Incarnationem Verbi in remedium peccati originalis, hujus permisio præcessit prædestinationem Christi in genere causæ materialiter, con credo, in genere causæ finalis, nego, & sub eiusdem terminis distinguo minor. & nego con seq. Itaque in hac sententia etiam permisio peccati originalis ponitur effectus prædestinationis Christi, quod & convincitur argumento Scoti, nám ordinatè volens, prius vult finem, & ex illo ea, quæ sunt fini propinquiora; fini autem, qui primo intenditur à divina voluntate, nempe divina bonitas, & attributorum manifestatio, propinquior est humanitas Christi, utpotè perfectior ratione unionis hypostaticæ ad Verbum, quam cætera, sive ad ordinem naturæ, sive ad ordinem gratiæ spectantia. Hinc cum dicitur in symbolo: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, &c.* ly propter non denotat finem, cuius gratia, aliter cum finis cuius gratia plus ametur ab intendente finem, quam ea, quæ ob illum amantur, minus fuisset dilectus Christus ut homo, quam puri homines, & illorum libertas à peccato. Denotat ergo homines, ut finem cui, & utilitatis, & illorum salutem, seu liberationem à peccato, ut finem effectuum. Hinc Div. Thom. in hac quest. art. 3. ad 3. ait: *Deus enim permittit mala fieri, ut inde aliquid melius eliciat;* unde dicitur ad Romanos 4. ubi abundavit delictum, superabundabit, & gratia; & in benedictione Cerei Paschalis dicitur: *fœlix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem.* Ubi loquitur de culpa originali, & ait eandem permisisse, ut eliceret aliquid majus bonum, nempe bonum Incarnationis, & Christum Redemptorem: id est, ex illius intentione, seu prædestinatione. Cum hoc tamen componitur peccatum originale præcessisse prædestinationem Christi in genere causæ mate-

materialis, nimis, ut materiam per gratiam Christi destruendam; sicut & homines ipse in hoc eodem genere præcesserunt prædestinationem Christi, ut materia per gratiam Christi perficienda: nam Christus ex vi presentis decreti etiam intentivi fuit primo volitus, nendum quo ad subtilitatem Incarnationis, verum, & quoad circumstantiam proximè passibilitatis, & ut actualis Redemptor propter eandem rationem, utpote etiam prout sic cæteras creaturas in perfectione præcellit, & consequenter ex vi prædicti decreti fuit primo volitus propter remedium peccati originalis, ut finem effectum, & propter ipsos homines, ut finem cui, & utilitatis; sed intentio redimendi homines à peccato essentialiter supponit peccatum prævisum, & permisum, ut materiam destruendam per gratiam redemptivam, sicut & homines, ut materiam per ipsam perficiendam, quod est utrumque supponere in genere cause materialis: ergo recte componitur prædestinationem Christi præcessisse homines, & originalis peccati permissionem in genere causa finalis, & è contra homines, eorumque originale peccatum præcessisse prædestinationem Christi in genere causa materialis, qua doctrina componunt prædicti Autores, quod quamvis decretum Incarnationis pro aliquo signo præcesserit decretum productivum omnium rerum, adhuc tamen Adamo non peccante, Christus non veniret in vi praesenti decreti, quia nimis illa præcedentia est solum in genere causa finalis, in genere vero causa materialis non præcedit, sed subsequitur.

26 Deinde in hac sententia potest absolute negari peccatum, sive originale, sive actuale fuisse prævisum ante prædestinationem Christi, quanvis Christus prædestinatus fuerit in remedium illius, quia, ut latè dicimus resolutione sequenti ad primum argumentum, motivum Incarnationis non fuit redemptio à peccato pure, ut destructiva illius; ut sic enim est bonum occasionatum: unde non poterat amari, nisi occasione illius, proindeque eo præviso; sed, ut causans maius bonum, quam fuerat per peccatum animalium, nempè, ut causans efficaciora auxilia ad vitandum majora peccata, & stabiliorum gratiam consequendam; ut sic enim ratione sui est amabilis, unde & potuit intendi peccato non præviso.

27 Tandem obiecies: sequitur ex nostro fundamento peccatum ipsum esse effectum prædestinationis, nam ad finem humilitatis, nendum conductit permissione peccati, verum & peccatum ipsum. Dices, quod licet peccatum ad finem humilitatis conducat, non tamen est effectus

prædestinationis, quia ad hoc ulterius esset necesse, quod esset à Deo volutum ex fine prædestinationis, quod repugnat, cum peccatum non cadat sub objecto, & sphæra voluntatis illius. Sed contra: namque licet hoc sit verum de peccato pro formali, non tamen pro materiali, cum prout sic sit bonum, sicut & ens; & tamen adhuc prout sic non est effectus prædestinationis: ergo. Probat. min. namque effectus prædestinationis procedit ex speciali Dei concursu, scilicet ex providentia prædestinativa, cum speciali Dei amore procedat; sed materiale peccati provenit ex concurso generali Dei secundum D. Tho. 1. 2. q. 9. art. 6. ad 3. ergo. Immò si materiale peccati sit effectus prædestinationis, posset illud homo à Deo petere, & pro eo gratias agere, quod implicat; cum eo ipso indicet, & ex consequenti vellet, & desideraret peccatum pro formali, cum quo infallibiliter connectitur. Sed respond. neg. min. ad cujus primam probationem dicimus ex notatis in principio, quod materiale peccati provenit ex concurso generali Dei eliciti, quatenus ad generalem Dei providentiam pertinet permettere naturas defectibiles aliquando deficere, in qua permissione includitur concursum ad materiale peccati: imperativè vero provenit ex speciali Dei providentia prædestinativa, quia hæc imperat generalem quoad omnes effectus ad illius finem conducentes, sicut ars dominicatoria imperat alias artes quoad omnes effectus conduceentes ad constitutionem domus. Ad secundam probationem patiter dicendum est, ac diximus de permissione peccati in solutione ad quartum: sicut enim permissione peccati infallibiliter connectitur cum peccato, sic & peccatum pro materiali infallibiliter connectitur cum peccato pro formalis; undè sicut, & illa propter connexionem illam non potest ab hominē licite postulari, quantumvis sit effectus prædestinationis, sic nec materiale peccati. Et claritatis gratia distingue inter effectus prædestinationis conduceentes ad finem prædestinationis sine peccato proprio peccatis, vel cum illo, illos possumus absolute petere à Deo, secùs vero istos etiam sub conditione, quidquid dicat Oxf. Nec etiam sequitur posse hominem, vel teneri Deo gratias agere pro materiali peccati, sicut nec pro permissione formalis peccati; namque ab hoc excusamur, ex quo ignoramus, an hujusmodi ad finem prædestinationis ordinentur, vel non. Teneri ut tamen Deo gratias agere pro humilitate subsecuta, ut agebat David cum ajebat: *Benum mibi Domine, quod humiliasti me.*

## RESOLUTIO II.

*Permissio peccati nedium est effectus prædestinationis ex prætentia humilitate, sed etiam ex prætentia pœnitentia.*

D 28 **E**st contra Suarez, quem alij recentiores sequuntur. Eam tamen tenent ceteri citati pro præcedenti resoluti. Et manifeste colligitur ex loco D. August. 14. de Civit. Dei cap. 13. ad illa verba: *Unde sibi displiceant, & ad illa: Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quando flevit,* per quæ verba pœnitentia designatur. Similiter ex loco D. Thom. 3. part. q. 89. art. 2. ad 2. ad illa verba: *Sed quia resurgunt in permanenteri gratia;* hæc enim resurrectio sit per pœnitentiam. Et loco allegato ex 1. 2. q. 19. art. 4. addit: *Quod ex divina misericordia, vel providentia ordinatur permisso peccati ad sanctiorem, in quantum Deus permittit aliquos cadere in peccatum, ut peccatum suum cognoscentes humilientur, & convertantur.* Ubi pariter docet permissionem peccati ordinari à Deo, & ad humilitatem, & ad conversionem, quæ est pœnitentia, ac tandem q. 5. de verit. art. 4. cum posuisset argum. 5. quod bonum est potentius, quam malum: ergo magis ex bono potest elici bonum, quam ex malo: non ergo est necesse, quod mala permittat fieri, ut ex eis eliceat bona. Respond. sic: *Ad quintum dicendum, quod aliquid bonum est, quod non potest elici, nisi ex malo, sicut bonum pacientiæ, non nisi ex malo persecutiōis elicitur, & bonum pœnitentiae ex malo culpe, nec hoc impedit infirmitas mali respectu boni, quia hujusmodi non eliciuntur ex malo, quasi ex causa per se, sed quasi per accidens.* Sentiit ergo D. Thom. ex intentione hujus boni, quod est pœnitentia Deum permettere peccatum; unde cum pœnitentia ad finem prædestinationis ordinetur, consequenter permisso peccati est effectus prædestinationis ex prætentia pœnitentia.

29 Et fundatur ratione præcedentis resolutionis: namque propter ea permisso peccati est effectus prædestinationis ex prætentia humilitate, quia humilitas in prædestinationis ad consecutionem gloriæ conducit, & permisso peccati est medium conducens ad humilitatem; at etiam pœnitentia in prædestinationis ad consecutionem gloriæ conducit, & permisso peccati est medium conducens ad pœnitentiam: ergo eadem ratione, qua permisso peccati est effectus prædestinationis ex prætentia humilitate, est etiam effectus illius ex prætentia pœnitentia.

30 Est tamen valde notandum ex dictis resolutione præcedenti, quod cum dicitur permissionem peccati esse effectum prædestinationis ex prætentia pœnitentia, non debet intelligi ex prætentia pœnitentia, quatenus purè remissiva est, & destrutiva peccati, & reparativa gratiæ amissæ, veluti ibi sistendo: hæc enim permisso esset imprudens, sicut imprudenter medicus morbum permitteret purè ex prætentia curatione illius, & reparatione pristinæ sanitatis; peccatum enim est morbus pœnitentia sanandus: debet ergo intelligi ex prætentia pœnitentia, ut taliter remissiva, & destrutiva peccati, & reparativa gratiæ amissæ, quod simili conducat ad vitandum majus peccatum, quam fuerit peccatum permisum, nempè peccatum superbiæ, & consequendum majus bonum, quam fuerit per peccatum desperditum, nimis stabiliorem, & permanentiorem gratiam. Hæc enim permisso prudentissima est, sicut prudètissime medicus morbum leviorem permitteret ex tali prætentia curatione, & reparatione sanitatis, quod simili conduceret ad vitandum majorem morbum, & consequendum robustiorem, & firmorem sanitatem. Quod eatenus contingit, ut diximus, quatenus per hoc, quod à prædestinato subtrahitur gratia, & in peccatum cadit, propriam fragilitatem, & unde sint bona, sua cognoscit, nec habere undè glorietur, & effatur in virtutibus, & bonis operibus; undè & confitetur Domino, humilior, cautorque per pœnitentiam resurgit, & cum tali propolito de cetero non peccandi, quod vitat omnia pericula, nec se audet in trahere in eas occasions, ob quas ecedit. Sic enim vitat majora, & occultiora peccata superbiæ, quæ adhuc in ipsis bonis operibus admissi solent, & stabilius, ac permanentius in gratia perseverat, ac tandem finaliter usque ad illum conjunctionem cum gloria.

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta.*

31 **S**ed contra hanc resolutionem objectio 1. Deus non potest intendere pœnitentiam peccato non præviso; at hoc ipso permisso peccati non potest esse effectus prædestinationis ex prætentia pœnitentia: ergo. Min. videtur certa. Siquidem eo ipso permisso peccati præredit intentionem pœnitentiarum, cum peccatum non prævideatur, nisi in illius permissione. Maj. autem prob. 1. Näm juxta Damasc. lib. 2. fidei cap. 29. Pœnitentia est bonum occasionatum ex peccato; sed bonum occasionatum ex peccato non potest Deus intendere peccato non prævis-

so, cùm nos ametur, nisi occasione illius; qua ratione, nec pœnam intendit Deus, nisi prævisa culpa: ergò. Secund. quia pœnitentia non potest intendi, nisi ex fine destruendi peccatum; namquè habitus propter suum actum, ut finem debet amari: ergò necessariò supponit prævisam destructionem peccati; at hæc prævideri, & intendi non potest, peccato non præviso: ergò. Tertiò pœnitentia ad hoc intenditur à Deo, ut disponat ad gratiam, quatenus remissivam peccati, & consequenter gratiam, ut remissivam culpæ supponit; at gratia ut remissiva culpa prævideri non potest, culpa non prævisa: ergò.

32 Ad hoc argum. potest duplicitè resp. 1. ex quo nupèr prænotatis, quòd pœnitentia, quatenus est destruktiva peccati, & reparativa gratiæ amissæ tantum, & ibi sistendo, est bonum occasionatum, quia ut sic, non potest prudentè amari, & intendi, nisi occasione peccati, sicut nec curatio, nisi occasione morbi: attamen pœnitentia, ut taliter destruktiva peccati, & reparativa gratiæ amissæ, quod simul condicuit ad vitandum majus malum, & consequendum majus bonum, nempè stabiliorem, & permanentiorem gratiam, non est bonum occasionatum, id est, solum amabile occasione peccati, sed per se, & ratione sui. Unde prout sic potest amari, & intendi, peccato non præviso, sicut nec morbo præviso, potest medicus prætendere curationem, quatenus utileri ad vitandum maiorem morbum, & consequendum robustiorem sanitatem. Ad 2. prob. pariter resp. quòd pura destructio peccati intendi non potest, peccato non præviso, benè tamen quatenus simul utilis, & conducens ad vitandum majus malum, & consequendum majus bonum, & solum ex fine destruendi sic peccatum, intenditur sic pœnitentia. Ad 3. prob. similitè dicim. quòd pœnitentia non intenditur, quatenus disponit ad gratiam, ut pure remissivam peccati, sed etiam quatenus disponit ad gratiam stabiliorem, & permanentiorem, simulque impeditivam majoris peccati.

33 Sed objicies contra: licet pœnitentia terminet divinam electionem, quatenus medium utile, & conducens ad majus malum vitandum, & consequendum majus bonum, non tamen prout sic potest terminare divinam intentionem: ergò hanc solum terminat, quatenus purè destruktiva peccati. Conf. videtur bona: quandoquidem præcisla illa utilitate, & conductientia non restat, nisi ratio destruktiva peccati. Antec. autem prob. namque divinam intentionem terminat, dumtaxat quatenus finis; sed ut medium utile, & conducens ad vitam

dum majus malum, & consequendum majus bonum, non est finis: ergò prout sic non potest terminare divinam intentionem. Nec valet, quòd terminat divinam intentionem, quatenus finis intermedius: namquè juxta Thomist. contra Vazquez, fini intermedio ratio finis, & ratio medij non convenit sub eadem ratione, sed sub diversa, siquidem de ratione finis est appeti propter se, de ratione autem medij est appeti propter aliud. Appeti autem propter se, & appeti propter aliud secundum eandem rationem manifestam repugnantiam imbolvit: debet ergo assignari ratio, sub qua pœnitentia terminet divinam intentionem, ut finis, distincta ab ea, sub qua terminat divinam electionem, ut medium; & consequenter, si hanc terminat, quatenus utilis, & conducens ad majus malum vitandum, & majus bonum consequendum, sub hac ratione terminare non potest divinam intentionem.

34 Sed hæc replica facit vim in verbo: satemur enim, quòd finis intermedius non sub eadem ratione est finis, & medium; sicut nec sub eadem ratione terminat intentionem, & electionem: intentionem namque terminat, ut bonum honestum, vel deletabile; electionem vero ut utile; unde intentionem terminat, quatenus propter se appetibile; electionem vero, quatenus appetibile propter aliud: nihilominus ramen adhuc est verum, quod appetitur, ut finis intermedius, & nedum materialiter, ut aliqui dicunt, sed formaliter; & hoc ideo, quia finis non dicitur formaliter intermedius, ex quo ut finis sit medium, sed vel quia ut finis subordinatur alteri perfectiori fini, namquè adhuc in ipsa ratione finis, id est, in ipsa ratione boni honesti, virtus subordinatur Deo ultimo fini; unde non est aliud aliquid appeti, ut finem formaliter intermedium, quam appeti, ut finem formaliter in ratione finis, seu boni honesti subordinatum perfectiori fini, ut tenet Lisbon. vel quia ut finis connotat, & præsupponit suum electionem, ut medij ortam ex intentione finis ultimi, ut latè expendo, loquendo de fine intermedio in tractatu de ultimo fine. Attamen in præsenti non faciendo vim in Verbo, pro eodem intelligimus hanc subordinationem, vel connotationem, ac illam utilitatem; licet in rigore Philosophico loquendo, non sit concedendum pœnitentiam per intentionem attingi, ut utilem, & conductentem ad aliud bonum; quamvis opposita sententia, probabilis sit, nempè eodem actu appeti finem intermedium, ut finis, & ut medium est, quam tenent Montesinos, & noster Baptista 1. 2. q. 1. art. 4.

35 Secundò ad argum. principale potest

tcs.

responderi ex diuis resolut. præced. ad quintum juxta tertiam sententiam, pœnitentiam non posse intendi à Deo peccato non præviso in genere cause materialis, benè tamen in genere causa finalis. Non enim nimis occasionatum bonum ex peccato est Christus, ut Redemptor, quam pœnitentia; cum tamen in genere causa finalis prius fuerit Christus volitus ut Redemptor, quam prævideretur peccatum, licet hoc prius fuisset prævitum in genere cause materialis, scū ut materia per ipsum destruenda simili ergo. Hinc ad secundam probationem respond. quod pœnitentia non potest intendi, nisi ex fine destruendi peccatum, ut fine effecto, non vero ut fine cojas gratia; sicut enim redemptio à peccato sive solua finis effectus respectu Incarnationis Verbi, Christus autem, ut Redemptor fuit finis eius gratia; sic pœnitentia in electis est finis cupis gratia, ipsa autem peccati destruendo est finis effectus, quia est actus pœnitentia, & habitus iustum est propter actum ut finem effectum. Similiter ad tertiam probationem dicimus, quod gratia ut remissiva culpæ non potest prævideri, quin prævideatur culpa in genere cause materialis, nempè ut materia per eam destruenda; non vero in genere causa finalis.

36. Ad id autem, quod additur in 1. probatione, potest primo negari D. um non posse intendere pœnam peccato non præviso: est enī probabilissima tententia Thomist, probationem, per quam homines deputantur ad pœnam æternam, esse a te prævisa demeritum namque, si ut D. us ex motivo manifestandi suam misericordiam intendit dare gloriam predestinatis, & ex hac intentione movetur ad electionem meritorum, ratione cuius justa in executione contigit gloriam, ut præmium, & coronam; ita ex motivo manifestandi suam justitiam intendit pœnam infligere reprobis, & ex hac intentione movetur ad permittendum peccatum finale, scū ad denegandum auxilium efficax ad finaliter perseverandum, ratione cuius justa in executione indigit pœnam; unde potius est in lantia in favorem noī træ sententie.

37. In sententia autem opposita, quæ etiam est communis inter Thomist, potest etiam duplicitate responderi: & primò, quod pœna æterna est bonum occasionatum ex peccato, quia non cedit in majus bonum reprobis, immo in nullum, conseq[ue]nterque non potest esse voluntas, nisi occasione calpe, & solùn prolat sic potest intendi: atta nō in pœna te mportalis non est bona in occasione tuū, quia cedit in majus bonum prædicti pati, & ita ex his parte potest intendi ante prævisionem culpe, & ex eadem ra-

tione pœnitentia. Deinde potest reddi eadē disparitas inter pœnitentiam, & pœnam, quæ ibi redditur inter præmium, & pœnam: dicunt enim assertores hujus sententie, quod in ordine executionis, sicut se habet meritu ad præmiū, sic culpa ad pœnam, ut potè, sicut præmium in executione confertur propter meritum, sic pœna infligitur propter culpam. Attamen in ordine intentionis est diversitas, namque pœna ratione sui non est amabilis, sicut præmium, quod est bonum ratione sui, & sic ratione sui est amabile: unde, & ratione sui potest intendi, & consequenter ante prævisionem meritorum: pœna autem ratione sui est malum hominis, ac proinde ratione sui non potest licite amari, nec in ordine intentionis, nec in ordine executionis: solum autem est bona, in quantum debita culpæ, & habet rationem iusti vindicativi, & consequenter dunitat potest intendi, ut præsupponens prævisionem culpæ; aliter erit volita contra charitatem, qua quis tenetur velle bonum proximi, quia bonum ejus est. Hac autem eadem differentia est inter pœnam, & pœnitentiam; utrumque enim in executione culpam supponit: attamen pœnitentia ratione sui est bonum, sicut & virtus; & sic potest intendi ante prævisionem culpe; non tamen pœna, quæ ratione sui est malum.

38. Secundò objicies ad idem: intentio pœnitentiae ante prævisionem peccati est virtualis amor peccati, & infert illius amorem formalem; at talis amor repugnat Deo: ergo. Prob. major primò: quia intentio finis est virtualis amor eorum, quæ necessario requiruntur ad consecutionem finis, & infert illorum amorem formalem; sed peccatum est essentialiter requisitum ad consecutionem pœnitentiae, cum hæc sit dolor de peccatis: ergo. Secundò: intentio efficax pœnitentiae est odium virtuale negationis peccati, utpote ea posita frustanea redditur pœnitentia; at odium virtuale negationis peccati superponit virtuale amorem peccati, siquidem odium negativi nascitur ex amore aliquid, sicut eatenus cecitas odio habetur, quantumvis visus amatur: ergo. Tertiò: quia ex prædicta intentione pœnitentiae peccatum taliter remote constitueretur futurum, siquidem finis futurus esse non potest sine futuritione faltem radicali eorum, quæ ad existentiam illius exiguntur; sed ex intentione pœnitentiae peccatum nequit constitui futurum, quin intentio pœnitentiae sit amor virtualis peccati: ergo.

39. Ad hoc argum. respond. neg. maj. ad primam illius probationem distinguuntur major: intentio finis est virtualis amor eorum, quæ necessario requiruntur ad consecutionem finis, si

sint requisita, ut posita, & amata per voluntatem intendentis, concedo, si solum ut permisla per voluntatem intendentis, ut posita tamen, & amata per voluntatem alterius, nego. Peccatum enim est essentialiter requisitum ad consecutionem pœnitentia, purè ut positum, & amatum ab ipso pœnitente, & à Deo permisum, quia non est dolor de peccatis à Deo commissis; sed commissis ab ipso pœnitente, & solum permisi à Deo. Unde duntaxat sequitur intentionem pœnitentia in Deo esse virtualem amorem permissionis peccati, non verò ipsius peccati.

40 Sed dices: permissione peccati non conductus ad pœnitentiam immediate, & ratione sui, sed medio peccato, & ratione illius, ut potè homo non dolet de permissione Dei; sed de peccato permisso: ergo si intentio efficax pœnitentia est virtualis amor permissionis peccati, à fortiori debet esse virtualis amor ipsius peccati. Prob. conseq. namque intentio finis prius virtualiter terminatur ad mediū proximum, quam ad remotum, priusque illius, quèm istius infert amorem formalem.

41 Sed hæc objectio multum probat, nempe permissionem peccati non posse esse effectum adhuc ordinem prædestinationis ex preintenta pœnitentia, id est peccato præviso non posse Deum eam ordinare ad pœnitentiam ex fine prædestinationis, siquidem non posset eam sic ordinare, nisi ut utilem, & conduceat ad pœnitentiam, cum tamen non sit utilis, & conduceat ad penitentianam immediate, & ratione sui, sed medio peccato, & ratione illius, quod efficit peccatum ipsum ordinare, & consequenter velle. Unde respondeatur, quod licet conduceat ad pœnitentiam medio peccato; sed non ut per se influenti in pœnitentiam, ac proinde nec ut præstante utilitatibus permissioni peccati, sed purè tanquam materia destruenda per pœnitentiam. Vnde solum sequitur, quod Deus volens ex preintenta pœnitentia permissionem peccati, vellit ipsum peccatum reduplicative ut destruendum per pœnitentiam, quod est velle non ipsum peccatum; sed illius destructionem.

42 Sed dices: etiam panis ad conversionem sui in Corpus Christi solum conduceat ut materia destruenda per ipsam conversionem; & tamen Deus intendentis prædictam conversionem vult panem, nedum ut materiam destruendam, sed etiam absolutè, & quoad sui existentiam: ergo pariter. Sed respondeatur, quod panis quatenus conduceat ad conversionem non terminat divinum amorem, his ut materia destruenda, ut potè solum ut sic conduceat ad conversionem; non verò ut per se influens in illam, quia tamen ad prædictam destructionem præ-

quiritur existentia panis, ad quam non sufficit voluntas Dei permisiva, sed requiritur voluntas positiva, & approbativa; ideo Deus volens prædictam conversionem non potest non premarie absolute, & quoad sui existentiam panem; ad existentiam tamen peccati sufficit ex parte Dei voluntas permisiva, & ideo non est simile.

43 Et ex his patet ad secundam probationem, quod nempe intentio efficax pœnitentia est odium virtuale negationis peccati, ut materia destruenda per ipsam, quia solum ut sic est utile, & conduceat ad pœnitentiam: unde, & negatio illius prout sic frustraneat illam redderet. Ex quo solum arguitur amor virtualis peccati, ut materia destruenda, non absolute, & quoad existentiam. Quod si instes non posse peccatum amari, ut materiam destruendam, quia ametur quoad existentiam, quia ut materia destruenda sui existentiam supponit: immo negatio illius, ut sic frustrateam etiam redderet pœnitentiam: respondetur ex dictis ad paritatem precedentem convincere, si quoad sui existentiam exigeret necessariò Dei amorem; non autem eum exigit: immo repugnat Dei amorem terminare, sed sufficit illius permissione. Unde tandem infertur duntaxat intentionem efficacem pœnitentia esse amorem virtualem permissionis peccati, non verò ipsius peccati.

44 Pro solutione tertiae probationis est notanda doctrina communis Thomist. & à nobis tradita in tractatu de scientia Dei, dum inquiritur de medio, in quo Deus cognoscit peccata futura; dicunt enim ea pro formali cognoscere in decreto permissione: id est in decreto, quo Deus decernit permettere peccatum, seu denegare auxilium efficax ad illud vitandum, propter infallibilem connexionem cum illo, quia licet huiusmodi decretum non sit radix, & causa peccati, sicut decretum positivum radix est, & causa aliorum futurorum; est enim causa peccati prout sic sola deseffibilitas voluntatis creatæ attamen sicut ex suspensione divini concursus sequeretur anihilatio creaturæ, ita ex permissione peccati, quæ est suspensio concutitus gratia, sequitur infallibiliter peccatum, non per modum influentis in malitiam peccati, sicut nec anihilatio sequitur ad suspensionem divini concutitus per modum influentis in ipsam rem anihilatam sed per modum remotionis causæ prohibentis, nempe per modum removentis auxilium efficax necessariò exactum ad impletionem præcepti, & gravem tentationem vincendum. Ex hac, inquam, doctrina facile ad prædictam probationem respondet. quod quia ex intentione pœnitentia constituitur peccatum futurum proper infallibilem connexionem permissionis pec-

cati cum ipso peccato, & hæc connexio non est phisica quia permisso peccati non est causa phisica existentiae, vel futuritionis illius; sed solum logica, & per bonam consequentiam quantum bene valet: Deus permittit peccatum: ergo peccatum infallibiliter erit; ideo ex intentione pœnitentiae peccatum constituitur futurum sola futuritione logica; non tamen phisica, sed prout sic constituitur futurum purè ex desfectibilitate liberi arbitrij, quod est determinatum, & inclinatum ad malum, & infallibiliter peccabit, si Deus permittat, quod autem ex intentione pœnitentiae constituatur futurum peccatum futuritione logica, non infert amorem virtutalem illius; sed solum permissionis peccati infallibiliter cum peccato connexæ.

45 Hic breviter nota, quod futurum juxta Thomist. conoscitur in causa determinata, vel determinatione dante existentiam, quæ dicitur causa phisica, ut est decretum positivum, vel eam inferente, quæ dicitur causa logica, ut est decretum permisivum. Item, quia futuritio in sententia Tomist. in denominatione extrinseca à determinatione causarum proveniente consistit, ut dicimus loquendo de constitutivo futuri, cum ab æterno non sit determinatio voluntatis creatæ, quæ sola est causa phisica peccati, ab æterno peccatum non dicitur futurum futuritione phisica, sed solum logica, quatenus ab æterno est decretum permisivum cum infallibiliter inferens; quia tamen infert illud, ut futurum phisicè, potest dici ab æterno, quod erit phisicè futurum, non tamen quod est phisicè futurum, quia ad primum sufficit determinatio cause logica; ad secundum verò requiritur determinatio cause phisicæ; ab æterno autem est determinatio cause logica, seu inferentis futuritionem phisicam peccati, non tamen ab æterno est determinatio cause phisicæ.

46 Tandem objicies: sequitur ex nostra sententia Deus simul magis diligere pœnitentiam, quam parentiam existentiae peccati, & magis diligere parentiam existentiae peccati, quam pœnitentiam ipsam; at hoc implicat: ergo. Prob. seq. namque in primis Deus intendens pœnitentiam ut finem permissionis peccati magis diligenter pœnitentiam, quam parentiam existentiae peccati, quandoquidem eo ipso prævidetur ex illa intentione necessariò futurum esse peccatum, & non extirram parentiam existentiae illius: deinde Deus tantum diligenter parentiam existentiae peccati, quantum odio habet peccatum existens; sed magis odio habet peccatum existens, quam diligit pœnitentiam: ergo magis diligenter parentiam existentiae peccati, quam pœnitentiam ipsam: simul ergo magis diligenter pœni-

tentiam, quam parentiam existentiae peccati, & magis diligenter parentiam existentiae peccati, quam pœnitentiam.

47 Ad hoc argumentum potest dupliciter responderi. primò, quod Deus prævidet ex intentione pœnitentiae necessariò futurum esse peccatum destruendum finaliter per ipsam pœnitentiam, cum ad hoc intendat pœnitentiam, & ex intentione illius eligat permissionem peccati, ut peccatum per eam finaliter destruatur, & sic finaliter prædestinatus perseveret in parentia illius: parentia ergo existentiae peccati magis à Deo diligetur, quam pœnitentia, cum hæc diligatur propter illam. Deinde potest responderi cum Oxomensi, quod ex eo, quod Deus prævidet ex intentione pœnitentiae necessariò futurum esse peccatum, solum sequitur Deum magis diligere pœnitentiam, quam parentiam existentiae peccati quoad efficaciam, siquidem eo ipso parentiam existentiae peccati efficaciter non diligit; cum tamen efficaciter diligenter pœnitentiam: appræciativè tamē, & quoad estimatio nem magis diligit parentiam existentiae peccati, quam pœnitentiam propter rationem in argumento assignatam; sicut, & appræciativè magis diligit parentiam existentiae peccati, quam permissionem illius; è tamen contra quoad efficaciam, cum permissionem efficaciter vellit, & non parentiam.

### DUBIUM III.

*An electio Prædestinorum ad gloriam sit ante prævisa merita?*

1 **E**lectio Prædestinorum ad gloriam consistit in intentione, vel voluntate, qua Deus his præ alijs vult donare gloriam: nam ut ait Div. Thom. h. art. 4. ad hoc, quod est Deum velle salutem aliorum, pertinet dilectio, & electio: dilectio, in quantum vult eis bonum salutis æternæ; nam diligere est velle alicui bonum aliquibus præ alijs vult. Et procedit sermo de electione ad gloriam per modum coronæ: idem tamen proportionabiliter dicendum est de electione ad gloriam per modum hereditatis, nimirum, quod si illa fuerit ante prævisa merita, etiam hæc fuerit ante prævisam primam gratiam, ut regenerationem specialem.

2 Supponimusque Deum potuisse eligere homines ad gloriam post merita prævisa, nam potuit Deus ex intentione alterius finis moveri ad tribuendum hominibus merita, & perseve-

tantiam finalē, quibus prævisis posset eis in præmium, & coronam, gloriam conferre, eo fere modo, quo Rex humanus ex intentione victorię vult, quod sui milites viriliter, & strenue pugnent, & postea prævisis meritis ea remuneratur; dubium ergo procedit solum juxta presentem providentiam.

**3** Deinde est maximè notanda sententia Pelagianorum, & Semipelagianorum afferentium electionem Prædestinatorum ad gloriam esse post prævisa merita, non donata à Deo; cuius fundamentum desuinebant ex illo 1. ad Corinth. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri:* & ex illo ad Rom. 2. & Act. 20. *Non est acceptio personarum apud Deum.* Unde inferebant Deum ex se non velle potius hos, quam alios salvos facere, ne consequenter his præ alijs tribuere media efficacia ad gloriam consequendam; sed ex se, dicebant, aequalia omnibus tribuere auxilia, nimis sufficiens, & præviso, quod isti benè usuri erant auxiliis sufficientibus, & viribus liberi arbitrij ad merendum, & perseverandum usque in finem, decrevit eis tribuere gloriam; secùs verò illis, quos non benè usuros prævidit: consequenterque asserebant merita, & perseverantiam finalē non esse dona Dei formaliter, siquidem non ex vi gratiæ collatæ à Deo, sed ex bono usu liberi arbitrij procedebant: ac tandem discretionem, & non in divinam reducebant. Quæ sententia tanquam hæretica fuit damnata tribus Concilijs Arausiano, Milibitano, & Tridentino, in quibus diffinitur actum Fidei, & omnia opera meritoria, vel condicentia ad consequentiam glorię, & finalē perseverantiam esse munera, & dona Dei. Et Concilium Trident. Sess. 6. cap. 13. specialiter loquendo de perseverantia munere de quo scriptum est: *Quo perseveraverit usque in finem hic salvus erit,* ait: *Quod quidem aliundè habere non potest, nisi ab eo, qui potens est eum: qui stat statuere, ut perseveranter stet, & eum, qui cadit, restituere.* Nemo sibi certè aliquid absoluta certitudine pollicetur, &c. ubi loquitur non de munere gratiæ, quo potest homo perseverare, nam hujusmodi communè est reprobis, & Prædestinatis, ipsumque sibi quilibet certò pollicere potest, quia nulli deest auxilium sufficiens ad perseverandum, aliàs non perseverando non peccaret. Et constat etiam ex testimonio adducto, in quo habetur non quod, qui potuerit perseverare usque in finem, salvabitur; sed qui perseveraverit. Hanc ergo actualem perseverantiam esse munus, & donum Dei, affirmat Concilium, sicut & quod aliundè non potest haberis, nisi à Deo.

**4** Hinc Theologi Catholici, quanvis de-

fendant electionem Prædestinatorum ad gloriam fuisse post prævisa merita, & perseverantiam finalē, fatentur illa esse dona Dei gratuita. Quod, & dilucide ostendit Aug. de dono perseverantia cap. 15. hinc etiam consequenter fatentur electionem Prædestinatorum ad perseverantiam finalē non fuisse ex prævisis meritis: unde universi Theologi cum D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 7 docent donum perseverantia non cadere sub merito, & D. Aug. loco cit. cap. 6 ait: *Cùr buic donetur perseverantia usque in finem;* illi autem non donetur, inscriptabilia sunt iudicia Dei, & de correctione, & gratia cap. 9. ait: *Quod rationem reddere non possumus, quarè Deus quibusdam justis, & amicis suis perseverantiam non donet, & quibusdam maximis peccatoribus, & inimicis suis donet penitentiam finalē, & perseverantiam.* Patet autem, quod si electio Prædestinatorum ad perseverantiam finalē fuisse ex prævisis meritis, rationem reddere possemus, quarè ipsis, & non illis eam promoverunt. Hinc tandem farentur in Deo ante prævisa merita dari electionem efficacem distinguenter, scù discernentem Prædestinatos à reprobis, quidquid sit, an hæc electio prius terminetur ad gratiam, merita, & perseverantiam finalē, quam ad gloriam? Nam omnia illa sunt dona gratuitæ Dei secundum fidem, & dona gratuitæ Dei non procedunt ex justitia remunerativa meritorum; sed ex ipsius misericordia, & liberalitate, juxta illud Joan. 3: *Spiritus ubi vult spirat.* Et primò ad Corinth. 1. 2. *Dividens singulis prout vult.* Hinc Apost. 1. ad Corinth. 4. *Quis te discernit?* *Quid babes, quod non acceperisti?* *Et si acceperisti; quid gloriaris, quasi non acceperis?* Una ergo solum difficultas se offert, examinanda in præsenti, quæ titulo dubij correspōdet, unde sit.

### RESOLUTIO UNICA.

*Electio Prædestinatorum ad gloriam fit ante prævisa meritatē*

**5** **E**st contra Molinam, Vazquez, Lefium, Becanum, Herice, quos vindicantur sequi Sylbā Benedicti Inns. Est tamen omnium Thomist. & Scotist. quos ex Jesuitis secuntur Suarez, Toletus, Henriquez, Granados, Benedictus Pereyra ad Rom. 9, qui ait hanc sententiam probabiliorē esse, ac Pauli doctrinæ convenientiorem, Cornelius Alapide in eodem loco. Tenent etiam eam D. Bonaventura in 1. dist. 4. 1. art. 1. q. 1. Alexander Alesius 1. p. q. 28. memb. 3. art. 3. D. Bernardus Epist. 107. & Serm. 23. super Cantica, Hieronymus Epist.

Epist. ad Hevidium q. 10. Gregorius 18. moral. cap. 22. Origines lib. 7. in Epist. ad Rom. cap. 9. Abulensis Genes 25. canique esse veram, & germaniam August. sententiam, tenet Baroniūs, Sixtus Senensis, Corduba, & Belarminius. & Catherinus, qui dum electionem ad gloriam fieri ex prævisis metitis asseverat, se ab August. discedere profiteretur. Immo ille Oforius lib. 9. de iustitia, quem pro se adducit Vazquez simul cum alijs Auctōribus, quos dicit esse ex Galia, & Germania, omnes, inquam isti existimant aperte se adversari Augustino, cum tamē seniūs esset relinquere Galos, & Germanos, & D. August. mille Galis præferre.

6 Et fundatur primò ex varijs locis sacræ Scripturæ secundum legitimam intelligentiam Sanctorum Patrum, in quibus habetur, vel electionem prædestinorum ad gloriam in Deo esse omnino gratuitam, vel esse rationem electionis ipsorum ad merita. Et in primis Psalmo 17. dicitur: *Salvum me fecit, quoniam voluit me,* & Psalmo 55. *Pro nibilo salvos facies illos.* Ubi ad solam divinam voluntatem redditur aliquorum hominum salvatio; salvatio autem in executione fit ex iustitia remunerativa meritorum: ergo, ibi sermo procedit de salvatione in intentione, in qua consistit electio prædestinorum ad gloriam. Et Matth. 24. *Nisi brevia-  
sisset Dominus dies, non fuisse salva omnis ca-  
ro, sed propter electos, quos eligit, breviabit illos.* Ergo electio prædestinorum ad gloriam tuit ratio sublandi impedimenta, quæ obesse poterant consecutioni vite æternæ, & consequenter fuit ratio electionis prædestinorum ad perseverantiam finalē, quæ ex sublatione impedimentorum fuit secuta. Et Joan. 6. *Non ego vos duodecim elegi, sed unus ex vobis diabolus est,* & ait August. de correctione, & gratia cap. 6. *Ilos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium: illos ergo elegit ad obtainen-  
dum Regnum suum, istum ad effundendum san-  
guinem suum.* Ubi loquens de electione Apostolorum ad gloriam in se, & formaliter, quæ nomine Regni intelligitur, dicit interpretando verba Christi, factam fuisse ex misericordia. Et Joan. 10. *Ego vitam eternam do vobis, sed non peribunt in aeternum, nec rapiet eas quisquam de manu mea.* Ubi notanda est consecutio, *ego  
vitam, &c. sed non peribunt, &c. & non rapiet,  
&c.* ac si electio in vitam eternam, nam sit ratio, quod non pereant, nec quisquam rapiat eas de manu sua, sed perseveret finaliter. Et 1. Joan. 2. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuisse ex nobis, permanissent utique nobis-  
cum.* Ubi loquens de quibusdam Apostatis à Fide, rationem assignat, quarè in Fide non per-

severaverunt, quia scilicet non erant ex nobis; & exponit August. Non quia non erant ex nobis per creationem, vocationem, & iustificationem nam creati, vocati, & iustificati, facti fuerant; sed quia non erant secundum propositum vocati, non erant in Christo electi ante mundi con-  
stitutionem, non erant prædestinati secundum propositum ejus, qui universa operatur; nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitate mansissent. Similiter Glosa Interlinealis, & Lyra exponunt: Sed non erant ex nobis prædestinatione, & electione Domini. Ergo non perseverantia finalis fuit in eis ratio, negatio electionis ad gloriam, & consequenter è contra electio ad gloriam est in prædestinatis ratio perseverantie finalis. Nec valet, quod sermo proce-  
dit solam de electione ad perseverantiam finalē, namque sermo procedit de electione absolute, & simpliciter sine ullo addito hęc autem est electio ad gloriam, quæ est finis; non vero ad perseverantiam, quæ est medium. Unde iuxta Aug-  
ust. procedit sermo de electione, quæ est secundum propositum divinae voluntatis; propo-  
situm autem intentionem significat, quæ electionem mediorum indubitanter præcedit. Immo secundum August. loco cit. de correctione, & gratia per electos intelliguntur electi ad obti-  
nendum Regnum Christi. Et cap. 7. sequenti docens ex electione gratuita Dei, & non ex præ-  
visis metitis provenire, quod aliqui vocentur ad Fidem, consentiant, justificantur, & perseve-  
rent, exponens, quæ sit illa electio dicit: *Electi  
autem sunt ad regnandum cum Christo.* Ergo nullum est fundamentum, ut loco præallegato interpetetur de electione ad perseverantiam finalē, & non ad gloriam. Et Lucae 13. *Nolite  
timere pusilli greci, quia complacuit Patri  
vestro dare vobis Regnum.* Ubi ly complacuit non significat amorem simplicis complacentia, ut patet, sed voluntatem gratuitam conferendi Regnum, id est, gloriam electis, qui nomine pu-  
silli gregis intelliguntur, ut exponunt Glosa, &  
hæc gratuita electio ad gloriam ponitur ratio,  
ne timeant deponere curam temporalium, quæ obesse possunt medijs conducentibus ad conse-  
cutionem illius. Et Auct. 13. *Crediderunt quod  
quot præordinati erant in vitam aeternam.* Ubi rationem omnium mediorum, quæ est Fides assignat ratio præordinationis in vitam eter-  
nam.

7 Et ad Ephesios 1. *Elegit nos in ipso ante  
mundi constitutionem, ut essemus sancti, & im-  
maculati in conspectu ejus.* Ubi Apostolus lo-  
quitur de electione ad beatitudinem in se, &  
formaliter, & nendum in radice, vel semine, quæ  
mirum in visione Dī constitit, ut exponunt

Glossa Angelica, & Div. Thom. ibi, & patet ex illo verbo *in conspectu ejus*. Et notant Div. Thom. ibi, & Augustinus de prædestinatione Sanctorum, cap. 18. & 19. non dixisse Apost. Deum eos eligisse, quia erant sancti, vel futuri erant sancti; sed ut essent sancti, ac si aperte Apostolas traddat merita, & sanctitatem Apostolor. non fuisse rationem electionis eorundem ad vitam aeternam, ut contrarij assertant, sed potius est contra. Et infra ait: *Qui prædestinavit nos secundum propositum voluntatis sue in laudem glorie gratia sue*: ac si dicat in hoc opere prædestinationis relucet maximè gratia Dei, atque laudatur, & extollitur. Et iterum infra ait: *Prædestinati secundum propositum ejus, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis sue*. Et ait Div. Thom. ibi: *Ponit Apostolus voluntariam Dei prædestinationem, cuius quidem prædestinationis ratio non sunt merita nostra, sed mera Dei voluntas propter quod subdit secundum propositum ejus*.

8. Et ad Ephes. 2. Deus autem, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivis faciat nos in Christo, cuius gratia estis salvati: & infra: *Gratia enim estis salvati*: unde Ambros. lib. de vocat. gentium cap. 10. ait: *Deus ergo his, quos elegit sine meritis dat, unde ornantur ex meritis*: quod idem profert. Sanctus Prosper 2. de vocat. gentium cap. 33. & ad Thimoth. 3. *Non ex operibus justitiae, que fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit*: unde infert D. Tho. hic art. 5. in argum. sed contra: *Sicut autem salvos non fecit, ita præordinavit nos salvos fieri*: non ergo præscientia meritorum est causa, vel ratio prædestinationis, & ad Gal. 1. *Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit per gratiam suam*, &c. & ait August. lib. 3. *Hipognostic. cap. 14. non dixit, cum voluisssem ego, sed cum placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meæ*. Et vocavit non per meritum, sed per gratiam suam. Et ex illo Apost. gratia Dei vita aeterna. Et ponderat August. Cum posset dicere Apost. & recte dicere stipendium justitiae vita aeterna, maluit dicere, gratia Dei vita aeterna, ut hic intelligeremus non pro meritis nostris nos ad vitam aeternam, sed pro sua miseratione perducere. Quæ verba sunt maximè notanda, loquitur enim Apost. de vita aeterna donanda in executione ex justitia, & propter merita, propterea quæ ait August. recte dixisse Apostolum, si diceret: *Stipendium justitiae vita aeterna*. Ut aperte ostenderet, quod licet in executione detur propter merita, & ex justitia,

M. Carrafo.

nihilominus est gratia Dei, quatenus procedit ex intentione omnino gratuita, & liberali.

9. Præcipue autem fundatur nostra resolutio ex illo ad Roman. *Cum enim nondum natu fuissent, aut aliquid bene egissent; aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, quia major seruaret minori, sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui*: ubi licet verba Malachie non procedant de electione Jacob ad gloriam, sed solum ad dignitatem temporalem; tamen communis sensus Sanctorum Patrum est aducere Apostolum ad demonstrandum prædestinationis electionem, & reproborum exclusionem non esse ex prævisis meritis, vel demeritis; sed ex gratuitate Dei voluntate, & inducitur Jacob nomine electorum, & Esau nomine reproborum. Unde subdit Apostolus: *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas est apud Deum?* Quæ est objectio Pelagianorum, nimurum Deum fore in illo casu injustam acceptatorem personarum: & respondet: *Abi, Moys enim dicitur miserebor, cuius miserebor, & misericordiam præstabo, cuius miserebor, igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*: ac si diceret, quod in operibus misericordie, & liberalitatis non datur acceptio personarum; sed solum in materia justitiae distributivæ. Et ponderat Augustin. cap. 105. ad sextum: *Rem ita suspendam non proposuisset Apostolus, si solum de dignitate temporali, & non de aeterna tractasset*. Unde prosequitur Apostolus: *Ergo cuius vult, miseretur; & quem vult, indurat*: & quia reprobis possit de Deo conqueri, quia per ipsius voluntatem, cui resistere non potest, est deputatus ad poenam, vel exclusus à gloria, statim subdit Apostolus: *Dices itaque mibi; quid adhuc conqueritur, voluntati, enim ejus; quis resistet?* Et respondet: *O homo tu qui es, qui responderas Deo?* Nunquid dicit figuratum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus lutti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam, & immediate subdit: *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, substituit in multa pacientia vas in ire apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriae sue in vase misericordie, quæ preparavit in gloriam suam*, &c. ubi exemplum vas accommodat prædestinationis, & reprobis, hos vocans vase ire, illos verò vase misericordie, quia per Dei misericordiam segregati fuerunt à massa damnata per peccatum originale. Ac tandem

intentionis Apostoli in hoc loco innoteſcitur ex eo, quod cap. 11. proſequitur: *Sic ergo, O in hoc tempore reliqua, scilicet Iudiciorum secundum electionem gratiæ ſalve factæ ſunt, ſi autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non eſſet gratia.* Ubi electioni gratiæ Dic, & non meritis attribuit ſalutem æternam reliquiarum Iſrael. Nec valet dicere Apoſtolum ſolum excludere opera præſentia, non vero futura prævila: hanc enim ſolutiōne irridet Auguſtin. lib. 1. contra duas Epift. Pelagianorum cap. 7. ſic: *Propter quod profeſto, deſipitis, qui dicente veritate, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, vos dicitis, ex futuriſ operibus, que Deus illum fateturum eſſe p̄ficiat, Jacob, fuisse dilectum, atque ita contradicis Apoſtolo dicensi, nun ex operibus, quaſti non poſſet dicere, non ex p̄ſentibus, ſed ex futuriſ operibus.* Et in Enchiridione cap. 98. art: *Qua in re, ſi futura opera, vel bona huius, vel mala illius, que utique Deus p̄ficiat, vellet intelligi, nequam diceret, non ex operibus, ſed diceret ex futuriſ operibus, eoque modo iſlam ſolveret questionem.*

10. Liquet ergo noſtram ſententiam eſſe doctriṇa ſacra, & Sanctis Patribus magis conſentaneam, ne dicam expræſſam: *Taceat ergo omnis lingua, O prorsus in p̄deſtinatione de meritis non extollatur, divina voluntatis eſt hoc donum, non humanae fragilitatis meritum.* Verba ſunt Auguſt. lib. 6. Hippognost.

11. Secundò fundatur noſtra rerefatio ratione Div. Thom. hic artic. 4. qua ſic habet: *P̄deſtinatione, ut dictum eſt, eſt pars prouidentie, prouidentia autem, ſicut O prudensia eſt ratio in intellectu exiſtens p̄ceptiva ordinatioſis aliquorum in finem, ut ſupra dictum eſt, non autem p̄cipitur aliquid ordinandum in finem, niſi p̄exiſtente voluntate finis, unde p̄deſtinatione aliquorum in ſalutem æternam p̄ſupponit ſecundaum rationem, quod Deus illorum uelit ſalutem.* Quæ ratio fundatur in illo communissimo principio, quod voluntas ex intentione finis moventur ad electionem mediorum, non minus, ac intellectus ex afflentiū p̄missarum moventur ad afflentum conclusionis, quia, ut eſt commune axioma, ſicut ſe habent principia in ſpeculabilib; ſic ſe habet finis in practicis: unde, ſicut afflentus p̄missarum eſt ratio, & cauſa afflentus conclusionis; ſic volitio finis eſt ratio, & cauſa volitionis mediorum, & conſequenter volitio finis p̄ſupponitur ad volitionem mediorum, volitioque mediorum ortum habet ex intentione

finis. Tunc ſic: ergo ad efficacem electionem mediorum debet voluntas moventi ex intentione efficaci finis. Hæc conſequenter patet, tum, quia propter eandem rationem ad afflentum certum, & evidentem conclusionis non potest intellectus moventi, niſi ex afflento certo, & evidenti p̄missarum. Tum etiam, quia finis ſolum inefficaciter intentus nequit eſſe ratio, & cauſa efficacis electionis mediorum, & quia inefficaciter intentus p̄ſcindit a circumſtantij, quas haberet in re mandatus executioni; cum tamen electio efficax mediorum inferat infallibiliter conſecutionem finis cum omnibus ſuis circumſtantij, & quia electio eſt actus prudentia, & conſequenter debet esse circa media ut proportionata intentioni finis, ſeū fini prout intento: unde imprudenter iudex volens ſolum inefficaciter homicidam vivere, ad hoc eligere media efficaciter, induciva conservationis vita, & e contra efficaciter intendens illum occidi, imprudenter ad hoc eligere media inefficaciter ſolum induciva mortis, & ex ignorantia ſolum, vel a cauſa contingere potest, quod intendens inefficaciter finem eligat media efficacia ad illius conſecutionem, ſicut e contra. Quæ imprudentia, & ignorantia in Deo locum non habet: non ergo potest Deus moventi ad electionem efficacem meritorum, que ſunt media ad gloria conſecutionem, ex ſola voluntate inefficaci, & antecedente, qua vult omnes homines salvos fieri, ut dicunt contrarij, ſed necessario ad eam debet moventi ex intentione efficaci dandi gloriam p̄deſtinati, & conſequenter haec debet in Deo ſecundum rationem p̄ſupponi ad electionem meritorum, nec potest illorum p̄visionem ſupponere.

12. Sed dices primò noſtram rationem con vincere in eo, qui diſtinctis actibus vult finem, & media; non vero in Deo, qui unico ſimpli ciffimo actu uerumque attingit. Sed haec ſolutio communiter rejicitur: nam licet intentione & electio ſint in Deo unicus ſimpliciſſimus actus per identitatem formalem; non tamen per identitatem virtualem, ut patet in actibus divini intellectus, immo in actibus divina voluntatis, qui ſunt actus misericordie, & iuſtitie: ex ſimplicitate autem per identitatem formalem ſolum ſequitur, quod in Deo intentione finis non ſit cauſa electionis mediorum, nam ratio cauſe diſtinctionem realem in portat; non vero ſequitur, quod non ſit ratio formalis illius, ſicut à ſimili dicitur de divina natura, que eſt ratio formalis attributorum, quamvis cum eis identificetur: immo divina bonitas eſt ratio formalis divina voluntatis, licet non cauſa propter identitatem eum illa.

13 Dices secundo nostram rationem convincere in eo, qui intendit sibi finem; non verò in eo, qui intendit finem alteri, quomodo Deus intendit gloriam, non sibi, sed nobis. Sed contra est: nam non minus voluntas movet se ex intentione finis ad electionem mediorum, quando quis intendit sibi finem, quam quando finem intendit alteri, & in utroque casu intentio finis est ratio electionis mediorū, & similiter in utroque casu, si sit inefficax, præscindit à circunstantijs, simulque electio mediorum in utroque casu est actus prudentiaz, & debet proportionari intentioni finis: ergo propter eandem rationem in utroque casu non potest voluntas se movere ad efficacem electionem mediorum, nisi ex intentione efficaci finis. Nec valet, quod cum Pater desiderat Filium suum doctum evadere, & ex hac voluntate tribuit illi media necessaria, tunc habet voluntatem efficacem mediorum, siquidem ea actu elargitur, & solum habet voluntatem inefficacem finis, seu simplex desiderium illius, eo quod predictus finis non subest potestati illius. Non, inquam, valet: nam cum consecutio finis potestati alicuius non subjicitur, nec media efficacia ad ipsum possunt potestati ejusdem subesse, siquidem media efficacia infallibiliter inferunt consecutionem finis: unde negamus, quod pater in predicto casu habeat voluntatem efficacem mediorum effectivè loquendo, nam prout sic non dicitur voluntas efficax, quia versatur circa media, ut pondenda in re; sed quia versatur circa media efficacia, nimirum inferentia consecutionem finis: effectivè autem potest dici predicta voluntas efficax, quatenus ei tribuit omnia, & aptiora media, quæ potest; attamen in hoc sensu etiam intentione finis est efficax, siquidem toto connatu, & affectu possibili intendit Filium suum doctū evadere, alias non ei tribueret omnia, & aptiora media, quæ potest: & sic semper verificatur, quod electio mediorum est proportionata intentioni finis. Immò quod talis intentio inefficax sit effectivè, ex eo provenit, ut argumentum fatetur, quod finis consecutio non subest potestati Patris; at consecutio gloriaz, quæ est finis à Deo intentus in electione meritorum subest potestati Dei, siquidem in sua potestate habet gloriam, ut conferendam prædestinatis, sicut & merita conducentia ad illius consecutionem: ergo exemplum illud non est ad propositum.

14 Dices, quod adhuc si finis sit in potestate intendentis, potest ex inefficaci intentione finis moveri ad efficacem electionem mediorum, quando intēdens alteri finem determinat illum labori, & industria alterius relinquere, quia nimirum finem non alio titulo præfinit dare, quā

in præmium, & gravium meritorum: & sic contingit in Deo. Sed contra est: nam, vel determinar finem labori, & industria alterius relinquere taliter, quod ex intentione finis præstet alteri ipsum laborem, & industram, vel non? Si hoc secundum, ut contingit in hominibus, eo ipso ex intentione finis non movetur ad efficacem electionem mediorum, siquidem labor, & industria sunt in eo casu media efficacia ad consequendā finem prout intentum: si primum, eo ipso non movetur ex intentione inefficaci, sed efficaci finis, ut contingit in Deo, qui taliter determinat conferre gloriam in præmium, & coronam meritorum, quod ex hac intentione movetur ad præstandum ipsa merita ad illam sic consequendam, alias non essent dona Dei.

15 Dices 3. nost. rationem convincere, quando media sunt physica, quia hæc non movent agens ad volitionem finis, sed potius è contrario quando sunt media moralia, qualia fum-merita, nam hæc movent præmiantem ad conferendum præmium, & sic intentionem conferendi præmium non potest nisi præcedere prævisio meritorum. Sed contra est: nam media moralia, v. g. merita etiam sunt proprie media respectu gloriaz, alias pure essent illius causa efficiētes, sicut merita Christi respectu nostræ gloriaz, ut infra dicemus: ergo illorum electio procedit etiam ex intentione finis, non minus, ac electio mediorum physicorum. Præterquamquod Deus non movetur ad efficacem electionē mediorum, nisi quatenus movetur ad volitionem auxiliorum efficacium, quibus prædestinati merentur, auxilia autem efficacia media sunt physica, non moralia, siquidem nec libera sunt, nec meritoria; deinde merita licet in ordine executivo moveant præmiantem ad conferendum præmium, non tamen in ordine intentivo, nam, vel merita sunt volita ex intentione præmij ut finis, vel ex alterius finis intentione; si 1. modo, qualiter sunt volita à Deo ex intentione dandi gloriam, potius ex intentione conferendi præmium movetur voluntas præmiantis ad volendum, seu eligendum merita, nam finis est ratio, & causa amandi media: si vero merita sunt volita ex intentione alterius finis, qualiter contingit in Regne humano, qui ex intentione victoriæ promittit præmium viriliter pugnantibus, tunc verum est, quod merita movent præmiantem etiam in ordine intentivo; attamen hoc ideo est, quia præmium non intendit, ut finis meritorum, sed ut finis meritorum intendit solum victori, & merita intenduntur veluti intermediaz, ut finis præmij, siquidem ad hoc promittit præmium, ut excitet ad merita.

16 Dices 4. nost. rationem convincere, quanti-

Vv. 2. do

do ex intentione finis movetur voluntas ad volitionem mediorū formaliter ut efficacia sunt; non verò quando movetur ad volitionem illorum purè entitativè, & materialiter. Sed hæc solutio parum distat à doct. Semipelag. siquidem ex ea sequitur, quod media ad coniectionem gloriae formaliter ut efficacia sunt, non int dona, & munera Dei, cum nec prout sic sint volita à Deo. Immò in sententia horum Author. auxilium efficax non distinguitur entitativè ab auxilio sufficienti; sed idem auxilium, quod in uno hominè est efficax, in alio equaliter disposito est inefficax ad perseverandum: ergò auxilium illud entitativè commune est reprobis, & prædestinatis: ergò, si aliounde illius efficacia non provenit formaliter à Deo, cum ratione illius solum posse discernere prædestinatos à reprobis sequitur, quod discretio prædestinatorum à reprobis non reducatur formaliter in divinam voluntatem, sed humanam, quæ est sententia relata Pelag. & Semipelag. Hac impugnatione convicti, dicunt alii Deum velle media formaliter, ut efficacia ad consequendam gloriam, sed non formaliter, & directè, sed indirectè, & virtualiter, quatenus per scientiam med. prævidet, quæ auxilia futura sunt efficacia, quæ verò inefficacia ad perseverandum; & tunc ex speciali amore eligit, & tribuit prædestinatis auxilia, quæ prævidet futura esse efficacia, non utro reprobis: & sic discretio prædestinatorum à reprobis in divinam voluntatem reducitur. Sed quidquid sit, an auxilia collata prædestinatis ad consequendam gloriam sunt ab intrinseco efficacia, vel solum ex prævisione consensu, omissoque scientia media, quam impugnare nō est hujus loci, rejicitur prædicta solutio, nam vel Deus vult tribuere prædicta auxilia, quæ prævidet per scientiam med. quatenus per illam formaliter prævidetur, vel solum entitativè, & materialiter: si hoc secundum, nec virtualiter, vel indirectè vult ea, ut efficacia, quæ est solutio præcedens: si primum: jam vult ea ut efficacia formaliter, & directè, siquidem prout sic prævidetur per scientiam medium, & tunc procedit cum suo robore nostra ratio.

17 Dices 5. nost. rationem convincere electionem meritorum ad gloriam procedere ex intentione efficaci dandi gloriam; sed non dandi gloriam illis præ illis determinatè, sed solum vagè, & in communi. Sed contra est in implicat intentionem dandi gloriam vagè, & in communi esse efficacem, sed ad summum erit amor, & simplex complacentia, siquidem intentio efficax est de fine ut consequendo in re; in re autem gloria non est consequenda nisi ab illa, vel illa persona in particulari. Immò illam intentionem deberet regularē cognitio confusa, & yaga, quæ imperfe-

cta est, & Deo repugnat. Praterè ex illa efficaci intentione movetur divina voluntas ad donandum merita, non aliquibus vagè, sed illis præ illis: ergò cum media sint volita propter finem intentum ab operante, intentio efficax, ex qua procedit, debet etiam esse de gloria donanda illis præ illis in particulari. Immò si hæc intencio ponitur efficax, quia ex ea provenit electio efficax mediorum his præ illis appropriata, debet etiam prædicta intentio efficax esse præ illis appropriata, alias tuncquam verificatur media esse volita propter finem prout intentum.

18 Dices 6. nostram rationem convincere, quando media amantur solum propter finem; non verò quando amantur propter se. Deus autem vult tribuere merita, nedum propter gloriam, sed etiam propter illorum propriam bonitatem. Sed contra est: quod licet media sint alias ex se, & propter se amabilia, ut tamen sunt media non sunt volita, nisi propter finem, & in his, quæ volumus propter finem, tota ratio movendi est finis, ut docet D. Thom. supra q. 19. art. 2. at sic est, quod merita juxta præsentem providentiam non sunt à Deo volita, nisi propter gloriam, ut aperte testantur loca supra allegata Sacra Scripturæ, & Sancti Patrum, & principiū colligitur ex illo Matthæi: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, ubi gloria, ut finis promittitur perseverantibus usque in finem: ergò.

19 Dices 7. Deum non eligere merita propter gloriam dandam prædestinatis, sed solum propter communicationem suæ bonitatis, & manifestationem suorum attributorum, licet postea meritis prævisis, ipsa ordinaverit ad gloriam: & sic non sequitur electionem prædestinatorum ad gloriam præcedere electionem meritorum, licet eam præcedat intentio efficax communicandi suam bonitatem, & manifestandi propria attributa. Sed hæc solutio ex dictis manet impugnata: fatemur enim omnia Deum velle propter suam bonitatem, ut communicañdam, tanquam propter unicum finem formalem, & unum formale motivum; attamen, ut ait Div. Thom. loco immediatè citato artic. 5. licet Deus omnia velit in sua bonitate: *Nihilominus vult ea, quæ sunt ad finem, ordinari in finem; vult ergò hoc esse propter hoc, sed non propter hos, vult hoc*: non ergò ex hoc capite repugnat Deum velle merita propter gloriam tanquam propter finem materialem, tenui proprie dicente causalitatem, non subiectivam, & respectivè ad divinam voluntatem, sed objectivam, & respectivè ad merita. Sic autem Deum velle merita juxta præsentem providentiam patet ex dictis merita era-

gō non sunt īmmediatē volita propter divinam bonitatem, sed īmmediatē solum est volita propter divinam bonitatem gloria, & mediante gloria sunt volita merita.

20 Dices octavo, nostram rationem convincere, quando finis est unicus, non verò quādo sunt plures, ut in præsenti contingit, nām Deus nō solum vult merita hominum propter gloriam, sed etiam propter communicationem suā bonitatis. Et sic sufficit, quod intentio communicandi suam bonitatem sit efficax, ut ex ea procedat electio efficax meritorum. Sed præter dicta contra solutionem præcedentem, contra hanc sic ad hominem insurgo: ideo electio efficax meritorum procedit ex intentione efficaci communicandi suam bonitatem, quia intentio finis est ratio, & causa electionis mediorum: ergo ex eadem ratione, si gloria etiam intenditur, ut finis ad minus partialis meritorum, horum electio debet etiam procedere ex intentione efficaci dandi gloriam. Præterquamquād communicatio divinę bonitatis est finis formaliter, & subjectivus voluntatis divinę, & propterea universalissimus, propter quam Deus omnia vult: sola ergo gloria est finis objectivus meritorum, seu propter quem Deus ex parte objecti vult merita juxta præsentem providentiam, & sic est finis specialis, & proprius prædestinatorum: non ergo sufficit intentio efficax communicandi suam bonitatem; sed ulterius requiritur intentio efficax dandi gloriam, ut ex ea procedat electio efficax meritorum.

21 Dices nono, nostram rationem convincere intentionem efficacem gloriae præcedere electionem efficacem meritorum in genere cause finalis; cum hoc tamen componitur merita præcedere intentionem gloriae in genere cause materialis, & dispositivae, sicut & voluntas puniendi, seu manifestandi suam justitiam in genere cause finalis præcedit permissionem peccati; peccata tamen illam præcedunt in genere cause materialis, & occasionalis. Sed contra est; nām proprium finis est movere: ergo si merita non præcedunt intentionem gloriae in genere cause finalis, nec illam præcedunt in genere cause motivae: non ergo juxta hanc solutionem merita movent divinam voluntatem, ut efficaciter eligat prædestinatos ad gloriam; sed potius ex intentione gloriae, ut finis movetur ad electionem meritorum. Hinc consequenter illa præcedentia in genere cause materialis, & dispositivae est præcedentia solum in ordine executivo; non verò intentivo, quatenus merita constituant subjectum dispositum, & dignum, ut ei in executione detur gloria, ut corona, quod & nos fatemur.

22 Dices tandem nostram rationem convince-re intentionem efficacem gloriae præcedere elec-tionem efficacem mediorum, & consequenter præcedere voluntatem dandi auxilia efficacia ad perseverandum; non tamen præcedere elec-tionem meritorum; nām merita non sunt me-dia efficacia ad consecutionem gloriae, nisi sub perseverantia. Sed præterquamquād, dum non prævidentur sub perseverantia, non possunt mo-vēre divinam voluntatem ad conferendum præ-mium, ut coronam, est contra prædictam solu-tionem, quod, ut in principio diximus, electio prædestinatorum ad perseverantiā finalē non fit ex prævisis meritis: ergo si intentio efficax gloriae præcedit electionem perseveratię finalis, à fortiori præcedere debet electionem merito-rum. Nec valet illud esse verum de perseveran-tia sumpta pro tota serie, & collectione auxilio-rum, quæ requiruntur ad conservationem gra-tiae usque ad finem vitę, non de perseverantia sumpta pro ultimo auxilio ad finiendam vitam in gratia; hæc enim licet non cadat sub merito de condigno, cadit ad minus sub imprestatione: unde hujus prævisionem præcedit electio præ-destinatorum ad perseverantiam finalē. Non, inquam, valet, nām perseverantia finalis sumpta pro tota serie, & collectione auxiliorum inclu-dit etiam ultimum auxilium ad finiendū vitam in gratia: ergo si illa fit ante prævisa merita, etiā de congruo, à fortiori hęc. Nec valet ita esse de tota illa collectione adæquate sumpta, non verò si sumatur inadæquate, quatenus includit primū auxilium, vel primam vocationē. Non, inquam, valet, nām primum auxilium, ut præscindit ab ultimo, non dicitur perseverantia, siquidem hæc non est, nisi conjugat gratiam cum morte: unde præcisso ultimo auxilio, cetera auxilia com-munia sunt reprobis, & prædestinatis.

23 Hucusque excogitaverunt recentiores: ut tamen omnino additus præcludatur eorum objectionibus, est maximè notandum, quod quia Deus eo modo, quo confert gloriam in tēpore, voluit eam ab æterno cōferre, aliás volūtas Dei efficax non impletetur, sicut Deus in tēpore, & in executione confert gloriam per modum corona, & ex justitia, tanquam justus judex, & per justum iudiciū, proindeque post merita prævisa in particulari, & sigillatim, ut patet ex illo Paul. *Reposita est mibi corona justitie, quam reddet mibi Dñs in illa die justus judex.* Sic eam voluit ab æterno cōferre: attamē non ita, quod ly posse merita prævisa apellet supra divinam volunta-tem, seu volitionem, ita ut hęc subjectivę, & in se formaliter sit post merita prævisa, ac si Deus ex meritis prævisis moveatur, ut his potius, quam alijs yelli cōferrere gloriam in tempore,

ira, quod ly *pōst merita p̄c̄isa* appellet supra verbum conferre in tempore, quod significat actum potentia executiva, qui est objecum diuinæ dilectionis. Itaque ex misericordia motus vult efficaciter ab æterno conferre gloriam in tempore, tanquam iustus iudex, & per justum iudicium, proindeque per modum coronæ, & post merita prævisa. Cujus sunt aliquantia exempla in humanis: ex charitate enim, & misericordia confessarius, qui non tenetur ex officio, vult addire confessionem, qui eo ipso vult exercere actum iustitiae, sed non nisi post auditam confessionem, & post peccata prævisa; similiter iudex arbitrè ex charitate, & misericordia vult proferre sententiam in causis pauperum, sed non nisi post cognitionem causæ, & prævio jure in ipsis fundato: parvissimè instituens certamen poeticum ex liberalitate, & religione vult conferre præmium, sed non nisi ad mensuram meritorum. Quibus in casibus voluntio est subjectivæ, & formaliter gratuita; habet tamen præobjecto actum iustitiae post merita prævisa. Nec valet, quod si confessarius ante auditam confessionem vellet determinatè absolvere pœnitentem, & ei determinatam pœnitentiam imponere, foret iustius, & consequenter illa voluntio non esset actus misericordie: & similiter si iudex arbitrè vellet proferre sententiam in favorem hujus potius, qua alterius; & consequenter ex prædictis exemplis solum videtur colligi posse Deum motum ex misericordia, & ante prævisa merita velle efficaciter exercere actum iustitiae conferendo gloriam ad mensuram meritorum; sed non istis præ illis determinatè; nec similiter in hoc, vel illo determinato gradu. Non, inquam, valet: nam ideo quamvis confessarius possit ante auditam confessionem ex misericordia velle efficaciter exercere actum iustitiae, non potest ante auditam confessionem ex misericordia velle efficaciter determinatè absolvere pœnitentem, vel ei determinatam pœnitentiam imponere, quia confessarius non habet in sua potestate dispositionem pœnitentis; si autem haberet, licet, & sine in iustitia posset, quia ex vi prædictæ intentionis, eo ipso ei tribueret dispositionem, qua prævisa ipsum iuste in executione absolveret, & determinatam ei imponeret pœnitentiam; & similiter est de iudice, qui non habet in sua potestate melius jus alterius: Deus autem habet in sua potestate merita, & jus ad gloriam, & sic potest ex misericordia velle efficaciter his præ illis gloriam, & determinata in gloriam conferre, liquide eo ipso ex vi prædictæ intentionis eis confert merita, & jus proportionatum. Hinc Theologi distinguunt inter Deum gratis velle conferre glo-

riam, & Deum velle conferre gloriam graciæ; in prima enim ly *gratiæ* appellat supra velle, & sic est vera; in secunda autem appellat supra conferre, & sic est falsa. Similiter distinguunt inter Deum propter merita, velle conferre gloriam, & Deum velle conferre gloriam propter merita, in prima enim ly *propter merita* appellat supra velle, & sic est falsa; in secunda autem appellat supra conferre, & sic est vera.

24. Hinc consequenter est maxime notandum, quod quia Deus, quamvis motus ex misericordia, non vult ab æterno conferre gloriam, nisi post prævisa merita, antequam gloriam in executione conferat, oportet, quod prævideat merita in speciali, & sigillatim, quæ signillatim, & in particulari non erant prævisa ante intentionem. Hanc autem prævisionem meritorum sequitur voluntas efficax, qua Deus ut iustus iudex, & per justum iudicium vult in exercitio, seu in executione coronam gloriae conferre ad mensuram, & aequalitatem talis proportionalem meritorum, quæ voluntas pertinet ad ordinem executionis, & dicitur decretum executivum, quia est ipse usus activus, quo post merita prævisa moveret, & applicat potentiam Dei executivam ad collationem gloriae, eamque infallibiliter infert, qui usus activus in nostra sententia antecedit imperium secundum omnem suam formalitatem, unde non distinguitur ab electione mediorum: in aliorum vero sententia ab electione adæquatè distinguitur, imperiumque supponit secundum munus dirigen-  
tis, licet eum præcedat secundum munus exequentis, ut late ostendimus dubio præcedentis in aliquorum autem sententia non distinguitur adæquatè ab ipso decreto intentivo; dicunt enim, quod intentio efficax finis, quæ præcedit electionem mediorum, perseverat cum sua efficacia adhuc post mediorum electionem: unde licet pro primo signo, quo antecedit, non moveat potentiam Dei executivam; bene tamen pro secundo signo, quo perseverat: in omnium ergo Thomist. sententia datur decretum executivum ab intentivo adæquatè, vel inadæquatè distinctum. Ex isto ergo duplici notabili fere aditus præcluditur principis objectionibus contrariorum.

*Objiciuntur, & solvantur argumenta.*

25. **E**T in primis objiciunt aliqua loca sacra Scriptura:nam Matth. 25. dicitur: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum ab origine mundi; euri etiæ deditis mibi manducare. Quibus ultimis verbis redditur ratio, nedeni*

ob quam accepturi sunt Regnum, verum, & ob quam accepturi sunt paratum Regnum, proindeque redditur ratio, nedum possessionis Regni, sed etiam præparationis illius. Et 1. ad Corinth. habetur: *Oculis non videt, &c. que præparavit Deus his, qui diligunt illum.* Ubi dilectio ponitur ratio præparandi prædestinatis bona gloria. Et Jacobi secundò dicitur: *Non ne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes Regni, quod promisit Deus diligentibus se.* Ubi habetur Deum elegisse Apostolos ad gloriam, quia ipsos prævidit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes Regni per gratiam. Et ut judicarer sermonem procedere de aeterna electione, subdit: *Quod promisit Deus diligentibus.* Et ad Rom. 8. dicitur: *Quos præsecoivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui.* Et sensus est, quos præscivit futuros per bona opera conformes imagini Filii Sui, hos, & prædestinavit. Et Petri 2. habetur: *Satagit, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciat.* Ex quibus verbis habetur certitudinem vocationis, & electionis ex bonis operibus dependere.

26. Sed ad hęc testimonia sufficientissimè satilit dicendo, ea omnia procedere de voluntate efficaci pertinente ad ordinem executionis, quæ merita prævisa supponit, ut patet ex dictis; non vero de voluntate efficaci pertinente ad ordinem intentionis, ut patet ex locis allegatis in favorem nostrę sententia. Deinde responderetur ad primum, quod licet Deus pure ex misericordia, & non propter merita prævisa præparaverit Regnum prædestinatis; præparavit tantum illud, ut conferendum in executione propter merita, ac proinde recte assignantur merita pro ratione, ob quam, nedum accepturi sunt Regnum; sed etiam paratum Regnum, quamvis merita non sint, ratio præparationis illius. Similiter ad secundum dicimus, quod quia Deus bona glorie præparavit, ut conferenda in executione propter meritum dilectionis, ideo dicitur, quod ea præparavit his, qui diligunt illum; quamvis ea præparaverit; ut conferenda in executione his, qui diligunt illum sine prævisione dilectionis. Ad tertium dicimus longe distare: *Deus elegit pauperes in hoc mundo; divites in fide, & heredes Regni, &c.* Ac Deus ipsos elegit ad gloriam, quia ipsos prævidit pauperes in hoc mundo, divites in fide, heredes Regni per gratiam; ibi enim solum habetur Deum elegisse Apostolos, & ad merita, & ad gloriam; non vero illam electionem esse rationem istius, sed potius ē contra. Unde August. de prædestinatione Sanctorum cap. 17. ait: *Deum non elegisse Apostolos, quia erant divites in fide, sed ut essent, quia*

*eligendo ipsos ad gloriam fecit divites in fide.* Cum autem additur: *Quod promisit Deus diligentibus se.* Inteligendum est juxta dicta, quatenus Deus illud promisit, ut conferendum in executione diligentibus illum. Ad quartum dicatur, illam constructionem non esse legitimam: ut patet ex D. Thom. ibi lect. 6. ubi ait: *Convenientius sic ordinatur littera, ut ista conformitas non sit ratio prædestinationis, sed terminus, vel effectus.* Unde dicimus, quod verbum *præscivit* refertur ad homines futuros, non vero ad merita, ut sensus sit, quos præscivit futuros, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Ad quintum responderetur, quod ex illo testimonio non aliud colligitur, quam quod homines Deus vocaverit; & elegerit ad gloriam, ut conferendam in executione per bona opera, & propterea exhortatur Apostolus ad ea: ex quo solum sequitur, quod certitudo vocationis, vel electionis ex parte objecti, seu effectus dependeat ex bonis operibus, non vero subjective, & ex parte actus.

27. Secundo objiciunt plura loca Sanctorum Patrum, & præcipue Div. August. lib. 1. ad Simplicianum q. 2. ubi ait: *Secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio, id est, non quia invenit Deus bona opera in hominibus, que eligat, ideo manet propositum justificationis; sed quia illud manet, ut justificet credentes, ideo invenit opera, quæ jam eligat ad Regnum Cœlorum, nam si non essent electi, nec recte diceretur, quis accusabit adversus electos Dei, non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatione: nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur.* Unde quod dictum est, quia elegit nos ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientia. Hęc August. in quibus aperte videtur contradicere nostrę sententia, cum afferat ex proposito justificandi homines, ortam fuisse electionem ad gloriam, & ideo homines à Deo electos esse ad vitam aeternam, quia Deus post justificationem invenit bona opera, quæ jam eligat ad Regnum Cœlorum, & neminem eligi, nisi jam distans inveniatur ab illo, qui rejicitur, & quod Deum homines eligere ante mundi constitutionem, non est dictum, nisi præscientia. Et Ser. 7. de Verbis Domini secundum Matth. admittit duplex genus electionis, unum scilicet absque examine, aliud vero præmisso examine, & ait: *Elegit autem Deus sicut inquit Apostolus, Secundum suam gratiam, & secundum illarum justitiam. Ubi illud secundum suam gratiam.* Denotat electionem ad gloriam justificantem, illud vero secundum justitiam denotat electionem ad gloriam ex operibus.

28 Sed quantum ad testimonium August. ad Simplicianum, ait Belarminus lib. 2. de gratia, & libero arbitrio cap. 15. quod est parum congruens cum scripturis, & libris Aug. posterioribus, & subdit: Porro Sanctus Augustinus, cum scripsit libros ad Simplicianum, adhuc juvenis erat, nec multa invenerat in hac difficultate questione, que postea majori diligentia investigavit. Sequutus est ergo Vazquez in predicto testimonio August. juvenem, non senem. Et Magister sententiarum similem auctoritatem Augustini sibi objiciens in 1. dist. 41. nimirum, quodlib. 37. questioni exponens illud Malachie: Jacob dilexi. &c. ait: Sed hec voluntas Dei injusta esse non potest, venit enim de occultissimis meritis. Dicit Magister: Sed quid intelligere voluerit, ignoratur, nisi forte hoc dicoatur intellexisse, quod supra diximus cum retractasse, nam ibidem quedam alia continua subdit, que in libro primo retractionum aperte tractat, at legenit patebit. Quod etiam manifeste colligitur ex locis supra allegatis, ubi contradictorie ad testimonium adductam loquitur doctior factus. Et quod dubitando, & non resolvendo illud dixerit, aperte indicant illa verba: Non video quomodo sit dictum, nisi præscientia.

29 Potest tamen adhuc interpretari, vel quod loquitur de electione pertinente ad ordinem executionis, vel cum D. Thom. q. 6. de veritate art. 2. ad 10. ubi ait: Quod si predicta auctoritas debet sub itineri, referendum est ad effectum reprobationis, & predestinationis, quod habet aliquam causam meritoriam, vel dispositivam. Est tamen notandum, quod Vazquez præcipue nititur illis verbis: Nemo enim eligitur, nisi eam distans ab illo, qui rejicitur. Cum tamen predicta verba sequuntur procedant contra electionem ad primam gratiam, & perseverantiam finaliem, per quam eligitur non distans ab illo, qui rejicitur, siquidem predicta electio non sit ex prævisis meritis.

30 Quantum ad secundum testimonium dicimus, vel quod August. electionem ad gloriam, quæ est talis in ordine executionis vocat electionem præmisso examine, & secundum justitiam, vel quod illam sic vocat, quatenus Deus non elegit homines ad gloriam, nisi, ut conferendam præmisso examine meritorum, & secundum justitiam, modo explicato. Et pari modo interpretari debent cætera testimonia Sanctorum Patrum, quæ adducit Vazquez in favorem sua sententia: notat tamen noster Navarrete multas ex auctoritatibus ab eo adductis legendas esse cauteles; videtur enim ponere electionem, non solum ad gloriam, verum etiam ad gratiam ex meritis. Ceterum pie interpretanda sunt,

quod loquantur de gratia perfecta, & consumata.

31 Objicient tertio ratione: collatio gloriae in tempore est actus externus justitiae secundum nos, & constat ex illo Pauli: Reposta est mihi, &c. Ergo, & voluntas efficax dandi gloriam etiam est actus justitiae, & consequenter post merita previsa. Probat. conseq. nam actus externus ab interno participat moralitatem, nec actus potentia executiva habere potest aliam honestatem præter honestatem virtutis, à qua imperatur. Et confirmat ex eo, quod quia collatio primæ gratiae, & perseverantie finalis in tempore procedit ex voluntate efficaci gratuita, & liberali, talis collatio est actus liberalitatis, & misericordia: ergo si è contra, collatio gloriae in tempore est actus justitiae, procedere nequit à voluntate efficaci gratuita, & liberali, sed tali ex justitia,

32 Sed hoc argumentum non probat intentionem efficacem dandi gloriam esse in Deo actu justitiae, sed solum dari in Deo voluntatem efficacem dandi gloriam post merita prævisa, & quæ sit actus justitiae, à qua paticipet honestatem justitiae collatio gloriae in tempore, quam libenter admittimus, & dicitur decretum executivum. Sed objicies: decreto intentivo dandi gloriam aliquid debet correspondere ex parte effectus, cum sit illius causa; sed si semel decretum illud intentivum est purè gratuitum, & liberale, & collatio gloriae in tempore sit actus justitiae, nihil ei correspondet ex parte effectus: vel ergo collatio gloriae non est actus justitiae, vel decretum intentivum dandi gloriam non est gratuitum, & liberale. Respond. disting. minor. si collatio gloriae in tempore sit actus justitiae pro meritis habitis viribus naturæ, & independenter à decreto intentivo liberali Dei, concedo: si sit actus justitiae pro meritis gratis à Deo donatis ex vi decreti intentivi liberalis, & gratuiti, nego. Itaque quia Deus ex vi intentionis efficacis omnino gratuitæ dandi gloriam donat etiam omnino gratuitè merita, & perseverantiam finalem infallibiliter ex justitia inferentia consecutionem gloriae, semper verificatur, quod collatio gloriae in tempore est effectus intentionis efficacis gratuita dandi gloriam, siquidem, quod isti salvantur, & non illi, semper reducitur in divinam voluntatem: scilicet autem contingenter, si collatio gloriae in tempore est actus justitiae pro meritis habitis viribus naturæ, & independenter à decreto intentivo liberali, & gratuito Dei, quia in tali casu, quod isti salvantur, & non illi, reduceretur purè in voluntatem humanam.

33 Sed objicies: ergo collatio gloriae in

gem-

tempore, nendum est actus iustitiae; sed etiam liberalitatis, siquidem, nendum habet honestatem à decreto executivo dandi gloriam post merita prævisa, sed etiam à decreto intentivo dandi gloriam ante prævisa merita; at hoc implicat, sicut, & implicat aliquid conferri, ut debitum, & indebitum ergo. Respondetur, quod sicut non implicat gloriam conferri, ut debitam meritis donatis à Deo ex vi decreti intentivi omnino gratuiti, & liberalis, sic non implicat collationem gloriae in tempore esse actum iustitiae formaliter, & immediate, & esse actum liberalitatis mediare, & radicaliter. Itaque dicimus collationem gloriae in tempore habere honestatem à decreto intentivo omnino liberali, & gratuito, sed non immediatè, sed mediante decreto executivo, nam sic, & non aliter intendit Deus efficaciter conferre in executione gloriam, ut supra diximus; & sic formaliter, & per ordinem ad actum internum, à quo immediatè imperatur, prædicta collatio est actus iustitiae; radicaliter vero, & per ordinem ad actum intentivum, à quo solum imperatur mediata, est actus liberalitatis.

34 Sed adhuc dices; implicat, quod intentione sic actus iustitiae, & executio ex ea procedens sit actus liberalitatis: ergo & è contra. Respond. neg. conseq. nam hoc ipso, quod intentione sic actus iustitiae, orum habet ex debito, & obligatione intendenter: unde sicut executio intentionem supponit, supponit etiam prædictum debitum, & obligationem, & consequenter nequit esse actus liberalitatis, de cuius ratione potius est carentia obligationis, & debiti: attamen quamvis intentione sit actus liberalitatis, post intentionem ante executionem potest supervenire debitum, & obligatio in intendente, sicut & in altero meritum, & jus, ut patet in eo, qui ex intentione dandi alicui hereditatem, ipsum adoptat in filium, quæ intentione, & adoptatio omnino est gratuita; illa tamen supposita sequitur in adoptato jus ad hereditatem, & in adoptante debitum, & obligatio, ratione cuius in executione hereditatem confert ex iustitia, & sic contigit in nostro casu.

35 Et tamen valde notandum esse omnium Theologorum unanimem sententiam, quod actus exterior in esse moris est unus, & idem cum actu interior, à quo imperatur. Est tamen controversia, an cum actu internus immediate imperans actum externum elicitor à voluntate ex imperio alterius virtutis, talis actus habeat duplē bonitatem, aliam ex objecto, seu ex fine operis, & aliam ex fine operantis, seu ex motivo virtutis, à qua imperatur; alijs assertentibus solum habere bonitatem ex fine extrinseco operantis: alijs autem solum habere boni-

tatem ex objecto: alijs denique habere bonitatem ex utroque, nimirum accidentalem ex fine extrinseco operantis, & specificam ex fine intrinseco operis: ita communiter Theologi, sicut v.g. volitio efficax dandi eleemosynam ex imperio penitentie ad satisfaciendum pro peccatis essentialiter, & ex objecto est actus misericordiae accidentaliter, verò: & ex fine extrinseco operatis est actus virtutis penitentiae: in hoc ergo modo dicensi, qui communior est, non inconvenit voluntatem illam efficacem dandi gloriam post merita prævisa, quæ ad ordinem executionis pertinet, & immediatè imperat externam collationem gloriae, esse essentialiter, & ex objecto actum iustitiae, & accidentaliter esse actum misericordiae, quatenus procedit ex motivo illius, seu esse actum misericordiae, ut imperantis, & esse actum iustitiae, ut eliciuntur: collatio tamen gloriae, quæ est actus externus, & actus potentiae executive, sicut non est actus virtutis, ut eliciuntur; sed solum, ut imperantis, est solum actus virtutis illius, à qua imperatur: unde quia imperatur immediate ab actu interno iustitiae, & mediata ab actu interno misericordiae, talis actus formaliter, & immediatè est actus iustitiae; mediata vero, & radicaliter est actus misericordiae, seu liberalitatis.

36 Objicies quarto: quamvis voluntas qua vult Deus omnes homines salvos fieri communis, & indifferens sit reprobis, & prædestinatis, potest ex illa procedere voluntas efficax dandi illis praे illis determinatè merita, seu media efficacia ad consequationem gloriae: non ergo opus est ad prædictam meritorum electionem præcedere electionem prædestinatorum ad gloriam. Consequentia patet, & anteced. prob. à paritate, voluntas efficax, qua Deus vult manifestare attributum suę misericordiae communis est etiam, & indifferens reprobis, & prædestinatis, siquidem non est determinata ad electionem horum praे alijs: sicut enim salvatur manifestatio divina misericordiae eligendo, quos de facto elegit, sic salvaretur, si eligeret, quos de facto reprobavit; at quamvis predicta voluntas communis, & indifferens sit reprobis, & prædestinatis, ex illa de facto secundum nostram sententiam procedit voluntas efficax, qua Deus hos praे alijs determinatè elegit ad gloriam: ergo à simili.

37 Sed in primis constat disparitas ea parte, qua intentione, qua Deus vult manifestare suam misericordiam ponitur efficax intentione eiusa efficax finis efficaciter, & infallibiliter infert electionem mediorum; secūs vero intentione inefficax; non autem datur electio, quæ non sit unius pro alio, & consequenter determinata: qualiter

## De Prædestinatione

autem ex intentione efficaci communi, & indifferenti reprobis, & prædestinatis ori si possit electio determinata horum præ alijs, dicimus ex eo esse, quia prædicta electio non procedit ex illa intentione, nisi ut determinata speciali dilectione erga istos potius, quam alios, eo ferè modo, quo dubio præcedenti latè expendimus, quod cum intentio finis communis, & indifferens est ad plura, quæ à quæ condicere possunt ad illius consequitionem, voluntas non se mouet ad electionem hujus medij præ alio ex sola intentione finis, sed ex illa, ut determinata per quandam liberam affectionem voluntatis, secundum quam magis inclinat in unum medium, quam in aliud: sicut enim principium universale, ut determinatum per particulare infert conclusionem particularem in Darij; sic intentione indifferens finis, ut determinata per particularem affectionem voluntatis, infert electionem determinatam unius medij præ alio, quæ proinde affectio dicitur electio inchoata, à qua intellectus determinatur, ut judicet hoc medium præ alio esse eligendum, quod iuditum sequitur electio perfecta. Sic ergo in nostro casu ex efficaci intentione, qua Deus vult manifestare suam misericordiam, ut determinatam speciali dilectione erga istos potius, quam alios, procedit electio determinata istorum præ illis, qua ratione ait D. Thom. in præsenti, quod dilectio Dei præsupponitur electioni secundum rationem. Unde argumentum factum ad summum probat, quod ex voluntate inefficaci, & antecedenti, qua Deus, vult omnes homines salvos fieri, ut determinata divina electione, qua Deus hos præ alijs elegit ad gloriam, procedere possit electio determinata, qua hos præ alijs eligat ad merita, ex quo nihil contra nos.

38 Sed objicies: ex intentione illa indifferenti, ut determinata speciali dilectione Dei erga istos potius, quam illos non potest divina voluntas determinari ad electionem horum præ alijs ad gloriam, nisi mediante iudicio determinato divini intellectus, quo prædictè judicet hos præ alijs esse determinatè eligendos ad gloriam; at divinus intellectus hoc judicare non potest, nisi prævideat eorum merita, sicut & noster intellectus non potest prudenter judicare hoc medium præ alio esse eligendum, nisi in eo adinveniat maiorem aptitudinem, & conducedam ad consequitionem finis: ergo.

39 Resp. neg. min. nam ut ait Div. Thom. in præsenti: *Hec est differentia inter divinam dilectionem, & humanam, quod in nobis voluntas diligendo non causat bonum, sed ex bono pre-existenti incitat ad diligendum, & sic eligimus aliquem, quem diligamus;* unde electio dile-

ctionem præcedit in nobis; in Deo autem est è convergo, nam voluntas ejus, qua vult bonum alicui diligendo, est causa, quod illud bonum ab eo præ alijs habetur. Licet ergo voluntas humana propterea eligat hoc medium præ alio, quia in eo intellectus adinvenit maiorem utilitatem in ordine ad executionem finis; non tamen voluntas divina, cum potius illa sit causa, quod bonum gloria, & eo mediante, merita ab his præ alijs habeantur; sed judicat intellectus divinus hos præ alijs esse determinatè eligendes ad gloriam purè, quia Deus hos potius, quam illos vult dirigere; horum potius, quam illorum vult misereri: unde reducitur prædicta electio purè in voluntatem Dei, qui cuius vult miseretur, & quem vult indurat, ut ait Apostolus.

40 Objecies quinto: secundum nos non minus repugnat, quod in Deo ex intentione inefficaci finis procedat electio efficax mediorum, quam quod procedat electio inefficax mediorum ex intentione efficaci finis, quia nimis in utroque casu electio esset imprudens, ut potè non proporcionata intentioni finis; at non repugnat in Deo electio inefficax mediorum procedens ex intentione efficaci dandi gloriam: ergo nec repugnat in Deo electio efficax mediorum procedens ex intentione inefficaci dandi gloriam, qualis est, qua vult omnes homines salvos fieri. Prob. min. nam secundum probabilem sententiam Thomistæ, vocationes inefficaces in prædestinatis sunt effectus prædestinationis, proindeque procedentes ex intentione efficaci dandi gloriam; at illarum electio est inefficax, sicut & illæ inefficaces sunt, quia ut supra diximus, electio non dicitur efficax, quia veratur circa medium, ut ponendum in re, sed quia versatur circa medium efficacem: ergo.

41 Sed de hoc latè Thomistæ, dum inquirunt, an vocationes inefficaces sint effectus prædestinationis. Ex doctrina tenentium partem affirmativam prònunc dicimus, quod media, quæ elicitive procedunt ex intentione efficaci dandi gloriam, debent esse efficacia immediate, & effectivè erga consequitionem gloria: unde de eorum electione procedit doctrina supra allegata: media tamen, quæ solùm procedunt imperativè ex intentione efficaci dandi gloriam, non oporret, quod sint efficacia immediate: & effectivè, sed sufficit, quod aliquomodo conducedant ad consequitionem gloria, etiam media, vel dispositivè, & hujus generis sunt vocationes inefficaces, quæ licet fructentur suo effectu, & sic immediatè, & effectivè non conducedant ad consequitionem gloria; benè tamen mediatis, & dispositivè, vel quatenus paulatim emoliant cor hominis, ut tandem Deo vocanti

respondet, vel quatenus excitant timorem Dei considerando pigritiam, qua sepius vocationes illius despexit, quo timore disponitur ad penitentiam, & humiliatur.

42 Objecies sexto: stat in Deo voluntas efficax dandi predestinatis merita, tanquam media propter gloriam predestinatorum, quin illam praecedat intentio efficax dandi gloriam predestinatis: ergo ratio nostra non convincit. Prob. anteced. Sat in Deo voluntas efficax dandi Christo merita, tanquam media propter gloriam predestinatorum, quin talem voluntatem praecedat intentio efficax dandi gloriam predestinatis: ergo à simili. Anteced. patet, cum potius electio predestinatorum ad gloriam sit ex meritis Christi.

43 Respond. neg. merita Christi fuisse à Deo efficaciter volita propter gloriam predestinatorum, tanquam propter finem cuius gratia, sed solum tanquam propter finem effectum. Unde negamus illa fuisse efficaciter volita, tanquam media proprieta in ordine ad gloriam predestinatorum, sed paré fuerunt volita, ut cause efficientes morales illius, nam merita Christi altioris ordinis sunt, quam gloria predestinatorum, cum sunt estimabiles infinitæ, quam desumunt ab infinite persona, ratione cuius solum amantur: cum tunc media proprieta habeant bonitatem, & estimabiles infinitæ, derivatam, & dependentem à fine, proindeque amantur solum ratione illius, & propterea electione meritorum Christi non processit ex intentione efficaci dandi gloriam predestinatis, sed potius hæc fuit ex meritis Christi, ut argumentum fatetur. E contrario vero merita nostra sunt à Deo efficaciter volita propter gloriam predestinatorum, tanquam propter finem cuius gratia, proindeque tanquam media proprieta talia, & nendum ut cause efficientes illius: unde & ratione illius amantur, & ex illius efficaci intentione procedunt, nec posunt non eam supponere.

44 Objecies septimo: si electio predestinorum ad gloriam esset in Deo ante prævisa merita, etiam reprobatio esset ante prævisa demerita; hoc autem in sententia Thomist. est falsum: ergo. Prob. mihi. nam qui elegit, eo ipso alterum accipit, & alterum rejicit, in quo reprobatio consistit: unde per electionem, ut diximus, manet certus numerus salvandorum etiam materialiter, proindeque eo ipso ceteri manent exclusi à gloria: non ergo potest electio aliquorum esse ante merita prævisa, quin & ceterorum rejectio sit ante prævisa demerita. Confirmat sicut se habet meritum ad premium, ita culpa ad poenam; sed intentio insigendi poenam sup-

ponit prævisionem culpæ: ergo & intentio danni gloriam supponit etiam prævisionem meriti.

45 Respond. quod Theologi duplē distingunt reprobationem, aliā positivam, & aliam negativam, negativam dicunt consistere in exclusione hominū à gloria in ratione doni indebiti, sub qua ratione exclusio à gloria non habet rationem poenæ damni, quidquid sit, an talis exclusione consistat in negatione, seu omissione electionis ad gratiam, ut ait Scotus, vel in voluntate efficaci, & positiva non conferendi gloriam, ex qua provenit voluntas efficax non conferendi gratiam efficacem, in cuius denegatione consistit permisso peccati, ut dicunt Thomist. loquendo ergo de hac reprobatione, de qua argumentum procedit, potius dicunt Thomist. esse ante prævisa demerita, ad minus personalia, ut rectè argumentum probat, nam qui elegit, eo ipso alterum accipit, & alterum rejicit, & ulterius patet ex verbis supra allegatis D. Paul. ad Rom. 9. ubi inducit: *Jacob nomine electorum, & Esau nomine reprobatorum.* Et probat etiam D. Tomh. ad Anibald. dist. 41. q. 1. art. 2. & q. 6. de veritate art. 2. in corp. & ad 8. natu ad non concedendum, vel negandum, quod aliqui non debet, non requiritur aliqua causa, vel culpa ex parte illius, cui negatur, sed sufficit voluntas Domini nolentis gratiam, aut beneficium conferre juxta illud Matth. *Amice, non facio tibi injuriam, tolle, quod tuum est, & vade, an non licet mihi, quod volo facere?* Qua ratione Deus sine injurya alterius denegat primam gratiam, & donum perseverantie tam hominibus, quam Angelis, vita autem æterna, nec hominibus, nec Angelis debetur etiam supposita eorum elevatione ad finem supernaturalem, & voluntate antecedenti salvandi omnes homines, cum nec eis etiam in predicta suppositione debeat auxilium efficax ad perseverandum usque in finem. An autem prædictæ reprobationis negative in hominibus fuerit causa, vel ratio, prævio originalis peccati, sive remendi, sive non remendi, dicunt magis communiter Thomist. quod peccatum originale potest duplicitate considerari, & ut demeritorum est gloria conferenda, & ut reddit magis indebitam gloriam: quamvis enim gloria ex se sit indebita hominibus, sit magis indebita ratione peccati originalis etiam remissi, nam offensa contra aliquem commissa, quamvis remissa, reddit offendentem minus aptum, ut ab offendo ei conferantur beneficia gratuita; amico enim reconciliato minus debentur speciales gratiae, & favores; licet ergo reprobationis negative fuerit ratio, & causa prævisio peccati originalis, sed non

non ut demeritorum est, nam ei prout sic correspondet exclusio à gloria, ut pena est damni: & sic eo ipso non eset reprobatio negativa, sed positiva; est ergo reprobationis negativa causa, vel ratio, prævisio peccati originalis, purè quatenus reddit gloriam magis indebitam, & sic de reprobatione negativa loquendo negamus eam esse post prævisa demerita,

46 Reprobationem verò positivam dicunt consistere in depuratione hominum, vel Angelorum ad pœnam æternam, scù in voluntate efficaci, qua Deus vult eis infligere pœnam eternam. Et de hac, de qua procedit confirmatio argumenti, aliqui Thomistæ probabiliter assenserunt esse etiam ante prævisa demerita, nam sicut Deus ex motivo manifestandi suam misericordiam intendit dare gloriam prædestinatis, & ex hac intentione movetur ad electionem meritorum, ratione cuius justè in executione confert gloriam, ut præmium, & coronam; ita ex motivo manifestandi suam iustitiam intendit pœnam infligere reprobis, & ex hac intentione movetur ad permittendum peccatum finale, scù ad negandum auxilium efficax ad finaliter perseverandum, ratione cuius justè in executione infligit pœnam.

47 Magis tamen communiter docent Thomistæ eam esse post prævisa demerita, ita tamen, quod prævisio peccati originalis, ut demeritorum est gloriarum conferenda, sit ratio solùm reprobationis positivæ, quatenus dicit voluntatem infligendi pœnam damni, peccato enim originali non debetur pena sensus: prævisio tamen demeritorum personalium fuit ratio, & causa reprobationis positivæ, etiam quatenus dicit voluntatem infligendi pœnam sensus. Negatamen conseq. Quod intentio dandi gloriam per modum præmij, & corona fit post merita prævisa. Ad probationem, quod sicut se habet meritum ad præmium, sic culpa ad pœnam, concedimus in ordine executionis; & negamus in ordine intentionis: in ordine executionis certum est, quod sicut præmium confertur propter meritum, sic & pœna infligitur propter culpm, atamen in ordine intentionis est diversitas, tam ex parte merentis, & demerentis, quam ex parte conferentis præmium, vel infligentis pœnam; ex parte quidem merentis, & demerentis, nam ut ait Div. Thom. infra q. 48. art. 6. ad 1. & q. 1. de malo art. 3. ad 1. *Quilibet operatur ex intentione consequendi præmium; nullus tamen peccat, ut puniatur. Ex parte vero conferentis præmium, vel infligentis pœnam; nam pœna ratione sui non est amabilis, sicut præmium, præmium enim ratione sui est bonum, ac proinde ratione sui est amabile: unde & ratione*

*sui potest intendi, & consequenter ante prævisionem meritorum: pœna tamen ratione sui est malum hominis, vel Angelii, ac proinde ratione sui non potest licet volita, nec in ordine intentionis, nec in ordine executionis. Solùm autem est bona, in quantum debita culpæ, & habet rationem justi vindicativi, nimirum in quantum per eam reparatur equalitas iustitiae, consequenterque solùm est bona, in quantum præsupponitur prævisionem culpæ: unde & solùm prout sic potest intendi, allas erit illicita intentionis, nimirum contra charitatem, & clementiam, contra charitatem quidem nam charitas est, quia quis vult bonum proximi, quia bonum ipsius est, cum igitur pena non sit bonum proximis, sed malum, velle proximo pœnam ratione sui, & ante prævisionem culpæ, erit contra charitatem, hinc D. Thom. 2. 2. q. 157. art. 1. ad 2. ait: *Ex hoc autem, quod aliquis amat aliquid, provenit, quod non placeat ei per se pœna ejus, sed solùm in ordine ad aliquid, putat ad iustitiam, vel ad correctionem ejus, qui punitur: O ideo ex amore provenit, quod aliquis sit promptus ad diminuendum pœnas, O ex odio diminuitur talis diminutio. Contra clementiam autem nam ut ait D. Thom. loco cit. ad 3. Qui in pœnis hominum propter se delestantur, etiam sine causa possunt dici sevi, O feri, O quasi affectum humanum non habentes, ex quo naturaliter homo diligat hominem. Non ergo pœna per se, & ratione sui potest licet intendi, sicut nec prout sic est bona, sed solùm ut præsupponens prævisionem culpæ, qua ratione dicitur bonum occasionatum.**

48 Tandem objec: intentio efficaciter dandi gloriam, solùm aliquibus ante prævisa merita non componitur cum voluntate antecedenti salvandi omnes homines; at hac in Deo negari non potest: ergo. Prob. maj. 1. quia alijs Deus purè motus ex sua bonitate, & sine novo motivo velle salutem omnium hominum, & non vell. Secundò, quia Deus per voluntatem antecedentem vult quantum est ex se, omnes homines salvos facere: ergo nisi novum se offerat motivum ex parte hominum, non potest efficaciter velle aliquos solùm, & non omnes salvare; illud autem motivum respectu Dei non potest esse aliud, quam merita aliquorum, & aliorum demerita. Tertiò, quia voluntas antecedens salvandi omnes homines est solùm conditionata, nimirum, si per ipsos non sterterit; sed hæc voluntas esset omnino ficta, & simulata, si ante prævisa merita, vel demerita Deus velle efficaciter solùm aliquibus dare gloriam, & ceteros à gloria excludere, sicut si iudex manus ante prævisa criminis velleret efficaciter alio

aliquem in force suspendere, nullo modo habet voluntatem veram conservandi vitam illius sub conditione, quod mortem non mereatur: ergo. Quartò, quia cum voluntate antecedenti salvandi omnes homines non compatitur alia voluntas antecedens salvandi solum aliquos, & non omnes ante prævisa merita, vel demerita: ergo multò minus erit compatibilis voluntas efficax, cum hac majorem ex terminis dicat oppositionem cum illa voluntate antecedenti salvandi omnes homines.

49 Sed in primis hoc argum. æque target adversarios, nam æque procedit contra voluntatem efficacem dandi media efficaciter conductientia ad consecutionem gloriae solum aliquibus, & non omnibus ante prævisa merita, vel demerita: qui enim de industria querit, & ponit media efficacia ad aliquem finem, non habet veram, sed solum simulata voluntatem de fine opposito: quomodo ergo Deus habet veram voluntatem salvandi omnes homines, si solum aliquibus præbèt merita, & perseverantiam finalem; alijs verò negat ante prævisa merita, vel demerita? Respond. ergo neg. primum anteced. Ad primam probationem, nego, quod Deus sine novo motivo ex parte sui vellit inefficaciter salutem omnium hominum, & efficaciter solum salutem aliquorum, nam salutem omnium vult motus ex sua bonitate, inadæquatè solum considerata, nimurum quatenus includit misericordiam, & benignitatem; attamen salutem aliquorum, & non omnium, vult efficaciter, motus ex sua bonitate adæquate considerata; secundum quod etiam includit supremum dominium, & rationem universalis provisoris: ad manifestandum enim supremum dominium, & servandum modum proprium universalis provisoris, ad quem pertinet permittere, quod natura defectibilis in aliquibus individualiis à consecutione ultimi finis deficiat, ut ait D. Thom. hic art. sequenti ad secundum, expedit, ut Deus quatinus attenta sua misericordia, vellit omnes homines salvos facere, efficaciter solum vellit aliquos salvos facere, & certatos à gloria excludere:

50 Ad secundam probat. respond. quod si illa voluntas antecedens salvandi omnes homines, quantum est ex se esset efficax affectivè ita, quod Deus toto affectu, & conatu possibili ex parti sui veller omnes homines salvos facere, & ad huc finem tribueret omnia auxilia, quæ potest, eo fere modo, quo, ut supra diximus, pater toto affectu, & conatu desiderat efficaciter affectivè filium suum doctum evadere, tributens ei omnia subsidia, quæ potest, non posset Deus efficaciter effectivè aliquos solum,

M. Carrafo.

& non omnes salvare; nisi ex parte hominum se offerret novum motivum: attamen Deus nullo modo vult efficaciter, etiam affectivè omnes homines salvos facere, sed prædicta voluntas est purè simplex complacentia de salute omnium hominum attenta sua misericordia: & sic ut efficaciter vellit solum aliquos, & non omnes salvare, sufficit, quod sit novum motivum ex parte Dei, quod est manifestatio supremi dominij, & universalis provisoris, ut jam diximus.

51 Ad tertiam probationem respond. primò ex dictis negando, quod illa voluntas antecedens sit conditionata, nimirum si per homines non steterit, sed est absoluta, licet inefficax, nimirum simplex complacentia de salute omnium hominum attenta purè misericordia Dei: unde ex illa absolute procedunt auxilia sufficientia ad consequendam gloriam. Deinde dicimus, quod ut prædicta voluntas, quamvis conditionata, non sit simulata, & facta, sufficit, quod exclusio aliquorum à gloria sit post præsumum peccatum originale, non in ratione demeriti, ut supra diximus, sed ut reddit gloriam magis indebitam: eo enim ipso verificatur, quod illos excludit à gloria, quia per ipsos stetit, quatenus per peccatum originale efficiuntur minus apti ad recipiendam gloriam ipsius omnino indebitam. Hinc valde notandum prædictam conditionem non esse admittendam in voluntate antecedenti salvandi omnes Angelos, siquidem in eis peccatum originale non fuit; unde de hac voluntate loquendo, dicendum est esse omnino absolutam, quamvis inefficacem.

52 Ad quartam probationem respondet. concedit anteced. & negando conseq. nam cum ex voluntate antecedenti salvandi omnes homines procedant tanquam effectus auxilia sufficientia ad consequendam salutem, voluntas antecedens salvandi omnes homines, & voluntas antecedens salvandi solum aliquos, & non omnes, haberent effectus incompossibles, & omnino oppositos, nimirum collationem gloriae, dico, auxiliorum sufficientium, & illorum denegationem. Ex voluntate autem efficacia solum procedunt auxilia efficacia, & sic voluntas antecedens, & inefficax salvandi omnes homines, & voluntas efficax, & consequens salvandi solum aliquos, & non omnes, non habent effectus incompossibles: non enim est incompossibilis collatio auxiliorum sufficientium cum denegatione auxiliorum efficacium. Alia sunt argumenta minoris momenti, & ferè ex dictis manent soluta. Aliud argumentum restat de incompatibilitate prædicti decreti intentivi cum

libertate creata meritorum. Sed de hoc fuisse egimus 2. p. dub. 6. quæ nunc omittimus, ne eadem repetamus.



## DE TRINITATE

### Dubia V.

#### DUBIUM I.

*Cur processio Verbi in divinis generatio sit, & non processio Spiritus Sancti.*

**S**upponimus tanquam fide certum processionem Verbi esse generationem, non verò processionem Spiritus Sancti. Et procedit sermo de generatione non latè, & communiter, quæ nempe communis est etiam corruptibilis, & definitur à D. Thom, 5. Phys. tex. 7. quod est mutatio de non esse ad esse: in Deo namque non est mutatio, neque vicissitudinis obumbratio: sed de generatione verè, & propriè accepta, quæ tantum convenient viventibus, & definitur à D. Thom, quod est origo viventis à vivente coniuncto in similitudinem naturæ. Duplex ergò duntaxat est difficultas in præsenti, quæ utraque titulo dubij correspondet, unde sit.

#### RESOLUTIO I.

*Fundamentum, & radix cur processio Verbi in Divinis est generatio, est quia Verbum procedit per intellectum.*

**E**s contra Aliacensem, Bonaventuram, Alensem, Ricardo à Sancto Victore, Zunigam, Canariensem, Joannem de Portugal, Vazquez, Turrianum, Alarcou, & alios recentiores. Est tamen communis omnium Thomist. & expressa Div. Thom. pluribus in locis, præcipue 1. p. q. 27. art. 2. & 4. & fundatur reducendo ad formam illius rationem sic: generatio est origo viventis à vivente coniuncto in similitudinem naturæ, qua ratione dicitur quod generans generat sibi simile; sed Verbum Divinum, ex quo procedit per intellectum, habet procedere, ut vivens à vivente coniuncto in similitudinem naturæ: ergò. Prob. min. quoad secundam partem, in qua est difficultas, notando doctrinam philosophicam ab omnibus communiter

receptam: quod nempè intellectus ex genere suo constituitur in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem: in actu quidem primo, secundum suam similitudinem, quæ est species impressa; in actu autem secundo, secundum suam similitudinem, quæ est species expressa, & dicitur Verbum, quæ utraque est similitudo formalis objecti, proindeque ejusdem naturæ, & quidditatis, cum illo, & à fortiori inter se, qua ratione dicitur, quod intellectus intelligendo hominem, sit homo, & intelligendo lapidem, sit lapis, & in universum, quod quia intellectus est susceptivus omnium formarum, est etiam natus fieri omnia, utpote per intellectum producitur Verbum sibi formaliter simile in objecto quo ipsum secundante, & movente. Hoc ergo principio supposito, subsumitur, quod natura ipsa divina per se ipsam immediatè est species impressa, seu objectum quo movens, & secundans intellectum illius ad intellectionein, quæ est Verbi processio: ergò ex hoc ipso, quod Verbum procedit per divinum intellectum, habet, quod procedat similiter formaliter Patri in ipsis natura, & consequenter, quod ejus processio sit generatio.

*Objiciuntur, & saluantur argumenta.*

**S**ed contra nostram resolut. objecies. 1. Ex quo Verbum in Divinis procedat per intellectum, solùm sequitur, quod procedat ut simile in natura divina intelligibili, seu intentionaliter, non verò substantialiter, vel naturaliter; sed ad rationem generationis talis similitudo non sufficit: alias omnis Verbi processio esset generatio: ergò. Prob. min. Ex quo Verbum in Divinis procedat per intellectum, solùm sequitur, quod procedat, ut simile, ea similitudine, quæ est de conceptu formalis Verbi, ut sic; at de conceptu formalis Verbi ut sic solùm est, quod procedat, ut simile intelligibili, seu intentionaliter, non verò substantialiter, & naturaliter: alias non daretur Verbum, quod similitudo naturalis, & substantialis non esset: ergò.

4. Responderet. neg. min. Ad probationem dist. maj. solùm sequitur, quod procedat, ut simile ea similitudine, quæ est de conceptu formalis Verbi ut sic abstracto abstractione formalis, concedo, abstractione totali, subdistinguo, quæ est positivè de conceptu formalis Verbi ut sic, nego. Quæ est de conceptu formalis Verbi ut sic permissivè in supremo sui analogato, concedo, & dist. min. eisdem terminis. Sed de con-

ceptu formalis Verbi ut sic abstracto abstractione formalis solùm est, quod procedat ut simile intelligibilitè, seu intentionaliter, nego, abstracto abstractione totali sub distinguo; solùm est, id est, positivè non exigit, quod procedat, ut simile substantialiter, vel naturaliter, concedo, id est, non permittit in supremo sui analogato, nego. Pro cuius intelligentia est maxime notanda doctrina, quam supra tradidimus de Voluntate Dei, dub. 2. quod perfectio simplicitè simplex ex genere suo, & in sui abstractione potest considerari dupliciter, uno modo in sui abstractione totali, & quatenus analogicè communis Deo, & creaturis, alio modo in sui abstractione formalis ab omni subjecto, quo modo consideratur per modum per se subsistens, actus puri independentis intra propriam lineam, siquidem consideratur absque subjecto receptivo, quod est primum principium limitationis illius: in Deo ergò reperiuntur perfectiones simpliciter simples, nedum secundum quod eis competit in sui abstractione totali, quo modo etiam reperiuntur in creaturis, nimirum intellectus secundum quod est principium intellectivum, & voluntas secundum quod est principium volitivum, sed etiam secundum eam puritatem, & perfectionem, quae eis competit in sui abstractione formalis, quia in Deo non est, unde limitentur, sicut in creaturis, & sic qualibet perfectio simpliciter simplex in Deo est per se subsistens, independens, actus purus, & infinita, adhuc ex proprio, & formalis conceptu, & intra propriam lineam, & nedum ex ratione communis divini, vel ex identitate cum natura divina, & consequenter perfectio simpliciter simplex, quae est Verbum, nedum est in Deo secundum propriū, & formalem conceptum, & intra propriam lineam, ut similitudo expressa per intellectum, sed etiam ut similitudo substantialis, & naturalis, sicut & per se subsistens, independens, purissima, actualissima, & infinita, hinc consequenter dicimus, quod de conceptu formalis Verbi ut sic abstracto abstractione totali positive, solùm est, quod sit similitudo formalis expressa per intellectum, non vero, quod sit similitudo formalis patè intentionalis, vel simul substantialis, sed utrumque habet permissivè, primum prout in creatura, quae est minus principale analogatum, secundum prout in Deo, qui analogatum supremum est: nam perfectio simpliciter simplex secundum sui conceptum formalem abstractum abstractione totali permittit; immò petit, quod in supremo sui analogato participetur ea puritate, quam habet in sui abstractione formalis, sicut petit, quod participetur absque ulla sui limitatione, vel receptione.

5 Sed dices: ut Verbum Divinum sit supremum analogatum sufficit, quod procedat ut simile similitudine superexcedente similitudinem cuiuslibet verbi creati; sed ad hoc sufficit, quod procedat, ut simile similitudine infinita, & perfectissima in esse intelligibili, licet non in esse substantiali, & naturali, cum in sententia Div. Thom. repugnet adhuc de potentia absoluta similitudo creata infinita intelligibilitatis, sicut species impressa creata Dei: ergo.

6 Resp. dist. maj. Sufficit, quod procedat ut simile similitudine superexcedente similitudinem cuiuslibet verbi creati superexcessu proprio perfectionis analogicæ simplicitè simplicis, conced. perfectionis analogicæ admittentis imperfectionem, nego major. & nego suppositionem. Itaque de ratione perfectionis analogicæ simpliciter simplicis, quæ eo ipso communis est Deo, & creaturis, est, quod sit in supremo analogato, nimirum, in Deo, ea puritate, quæ sibi competit in sui abstractione formalis, & consequenter, quod supremum analogatum superexcedat in ratione analogata, ut actus purus independens, & per se subsistens superexcedit actum potentiale dependentem, & receptum. Hinc patet negand. esse supposit. min. siquidem nequit similitudo Verbi esse infinita, & perfectissima intra lineam intelligibilem, quia sit intra eam actus purus independens, & per se subsistens, & consequenter similitudo intelligibilis non purè intentionalis, sed etiam substantialis.

7 Sed dices: ex dictis solùm sequitur, quod Verbum Divinum, eo quod procedit per intellectum, ut supremum analogatum, procedat ut simile substantialiter intra lineam intelligibilem, non vero intra lineam naturalem; sed ad rationem generationis necesse est, quod procedat etiam ut substantialiter simile in natura intra lineam naturalem: ergo. Prob. min. Nam modus essendi intelligibilis est extra modum essendi naturalem, sicut & virtualiter ab illo distinguitur, cuius ponitur exemplum in sententia probab. aliquorum Thomist. afferentium divinam naturam non constitui per ipsum divinum intelligere, nec per intellectum, qui est principium proximum intelligenti, sed per ipsum esse immateriale, quod in Deo concipitur ut radix, & principium emanationis intellectus; in hac enim sententia, quamvis intellectus divinus, quia supremum analogatum intellectus, ut sic, per se sic subsistens, actus purus, & independens intra propriam lineam intelligibilem, adhuc tamen intelligitur, ut virtualiter

conditum à natura divina, & secundum modum essendi substantiam virtualiter conditum à modo essendi naturaliter illius.

8 Respond. Episc. Oxom. quod licet modus essendi intelligibilis naturę divinę virtualiter distinguitur à modo essendi naturali illius, nihilominus in Verbo intenditur similitudo naturalis per se primo, eoquod solus ille intellectus intendit per se primo communicare Verbo similitudinem pure representativam, & intentionalem, qui Verbum ex necessitate producit, ut in illo intelligatur objectum: hoc autem imperfectio est. Sed hæc solutio non est ad intentum præsens, siquidem argumentum factum non intendit, quod in Verbo per se primò intendatur similitudo pure representativa, & intentionalis; sed, quod licet per se intendatur similitudo simul substantialis, sed intra lineam intelligibilem, non verò naturalē, quod imperfectio non est, sicut nec est Verbum producere ex indigentia objecti. Initio hanc solam potest per se primò intendere divinus intellectus secundum proprium, & formalem illius conceptum, quippe prout sic non est assimilativus extra lineam intelligibilem.

9 Melius ergo respondet neg. modum essendi intelligibilem divinę naturę virtualiter, & adæquate distinguere à modo essendi illius naturali, sicut nec in natura divina sic virtualiter distinguitur ratio immaterialis, & ratio intelligibilis: unumquodque enim est intelligibile, in quantum est immateriale. Unde, quod natura aliqua per se ipsam, & intra propriam lineam non sit actu intelligibilis, provenit ex defectu, & potentialitate immaterialitatis ipsius, quatenus non habet intra propriam lineam immaterialitatem ita in actu, quod per se ipsam possit servire loco speciei: divina autem natura per se ipsam, & intra propriam lineam est summe immaterialis, sicut & actus purus: per se ipsam ergo adhuc intra propriam lineam naturalem est etiam actu intelligibilis. Ex quibus patet ex eadem ratione provenire similitudinem Verbi esse substantiam, ac esse naturalem, quamvis similitudo sit intra lineam intelligibilem. Nec est simile de intellectu, & intellectione, nam propter ea in illa sententia intellectus virtualiter adæquate distinguitur à divina natura, & similiter intellectio, quia de conceptu formalis intellectus ut sic est dimanare à natura, & similiter de conceptu intellectoris, ut sic est egredi ab intellectu, & conseqüenter divinus intellectus non potest non dimanare à divina natura virtualiter, & illam constitutam supponere, sicut & divina intellectio non potest non virtualiter egredi ab intellectu, illumque supponere, & à fortiori na-

curam; hæc autem ratio non militat de intelligibilitate, immò nec de ipso intelligi, de cuius ratione non est egressio, nec dimanatio.

10 Dices: similitudo intentionalis, & naturalis sunt differentia similitudinis ut sic: ergo implicat, quod aliqua similitudo simul sit similitudo naturalis, & intentionalis. Respondet. quod sicut habitus inferior dividitur in practicum, & speculativum; habitus verò prout abstractus ab inferiori, & superiori, dividitur in practicum tantum, & speculativum tantum, & practicum & speculativum simul, qualis est habitus Theologie, & fidei, sic similitudo in natura inferiori, & creata dividitur in intentionalem, & naturalem; attamen similitudo in natura prout abstractus à creata, & increata, dividitur in intentionalem tantum, ut est Verbum creatum, & naturalem tantum, ut est Filius creatus, & intentionalem, & naturalem simul, ut est Verbum increatum, increatusque Filius. Unde replica facta solum probat, quod nulla similitudo inferior, & creata possit simul esse intentionalis, & naturalis; non verò similitudo increata, & supræma.

11 Dices tandem probabilem esse sententiam assertentem intelligibilitatem divinę naturę ab ejus esse naturali virtualiter adæquate distinguere, at etiā in hac sententiā debet defendi, quod Verbum Divinum procedit ut simile in natura divina sub modo essendi naturali, cū de fide sit ejus processionem generationem esse: ergo. Resp. quod in præsenti procedimus tantum probabilitè, & congruerter, undē tenemur sequi sententiam illam, qua congruentius, & clarius explicatur hoc mysterium; congruentius autem explicatur modo predicto: & sic secundarius est sententiam illam non admittere; præcipue, quia sic opinantes non admittunt processionem Verbi ex proprio, & formalis conceptus esse substantiam adhuc intra lineam intelligibilem; sed esse pure intentionalem, & representativam, substancialemque solum esse, quia in Deo, seu ex ratione communi entis divini, vel per identitatem cum natura divina; unde inferunt etiā Spiritum Sanctum ex vi processionis, quia divina, procedere ut substancialiter similem in natura divina, & ex hac parte non excludi ejus processionem à ratione generationis, quæ doctrina ex diametro opponitur doctrinæ Thomistæ.

12 Objecit 2. Verbum Divinum, ex quo procedit per intellectum, non habet procedere ut simile in divina natura sub conceptu naturæ; at hoc est neceſſe, ut illius processio generatio sit: ergo. Prob. major 1. de ratione Verbi ut sic, solum est, quod procedat ut simile intellectui in

Specie impressa illum movente, & fecundante per modum formæ intelligibilis: ergo de ratione Verbi Divini solam est, quod procedat ut simile in natura divina, quatenus gerit munus speciei, seu formæ intelligibilis moventis, & fecundantis intellectum divinum ad intellectum; non vero sub conceptu naturæ. Secundo: Verbum ex vi processionis per intellectum solum habet id, quod pertinet ad formale illius constitutivum; sed ad formale constitutivum Verbi pertinet solum, quod sit ipsum intelligi in actu 2. quia est ultima objecti actualitas in genere intelligibili passivo, per quod distinguitur ab specie impressa: ergo, cum intelligi in actu 2. in natura divina virtualiter distinguatur à conceptu naturæ, Verbum Divinum ex vi processionis per intellectum non habet, quod procedat, ut simile in natura divina sub conceptu naturæ. Confit mat. Generatio est origo viventis à vivente in similitudinem naturæ: ergo ad generationem oportet, quod terminus productus procedat formaliter ut vivens, & à viventi formaliter ut tali, & consequenter, ut simile in natura formaliter ut viventi; at Verbum Divinum ex quo procedat per intellectum, non habet sic procedere, cum nec natura, ut movens ad intellectum, nec Verbum, ut illam terminans vivat in actu secundo: ergo.

13 Ad argument. respond. neg. major. Ad primam probationem respond. ex dictis, quod in divina natura ratio naturæ, & speciei non distinguitur virtualiter adæquatè, sed solum inadæquatè penes diversa munera intra eandem linéam specificam, sicut ratio immaterialis, & ratio intelligibilis, & similiter ratio essentie, & ratio naturæ: proindeque solum ex nostro imperferto modo concipiendi rationes divinas per analogiam, & similitudinem ad rès creatas: hæc autem distinctione, licet sufficiat, ut natura divina possit sub uno munere communicari formaliter ad extra, & non sub alio, qualiter unitur membris bætorum sub munere speciei, & non sub munere naturæ propter incapacitatem subjecti, non tamen sufficit, ut possit sub uno munere communicari formaliter ad intra, & non sub alio, alias posset Verbo communicari formaliter sub munera essentie, quin ei formaliter communicaretur sub munere naturæ, & similiter posset ei formaliter communicari ratio filiationis sub munere referendi, & non sub munere constituendi, vel è contra. Et ratio à priori est, nam unum ab alio solum virtualiter inadæquatè distingui, est illud ex proprio, & formalis conceptu includere, licet illud non explicet secundum proprium munus, ut late expendimus de voluntate, dub. 2. eo autem ipso, quod natura

divina ex proprio, & formalis conceptu naturæ includit rationem speciei, non potest sub conceptu speciei communicari formaliter, quia & communicetur formaliter sub conceptu naturæ, ut propter eandem rationem patet in exemplis allatis.

14 Secund. resp. quod de ratione Verbi nescit, quod procedat ut simile intellectui in specie impressa essentialiter considerata; non vero considerata accidentaliter, id est, quod procedat ut simile in natura, & quidditate speciei; non vero in modo essendi illius, nimirum, quatenus est forma intelligibilis intentionaliter movens, & fecundans intellectum ad intellectum: alias Verbum procederet, ut species impressa; non autem ut expressa: eo autem ipso, quod Verbum procedat, ut simile in natura, & quidditate speciei impressa, procedit ut simile in natura, & quidditate objecti sub conceptu naturæ: nám species impressa ejusdem est naturæ, & quidditatis cum objecto, cum sit illius formalis similitudo, ut suprà diximus. Hinc patet ad 2. prob. vel nego, quod ipsum intelligi in actu secundo distinguatur virtualiter adæquatè à natura divina sub conceptu naturæ, ut patet ex dict. ad argum. Vel dicendo, quod ad formale constitutivum Verbi, ut reduplicat mouendum formæ intelligibilis terminantis, pertinet, quod sit ipsum intelligi in actu secundo, non tamen ad formale constitutivum illius specificative, & absolute considerati; nám Verbum est etiam similitudo formalis objecti, immò perfectior, quam species impressa, sicut & expressior, & actualior: unde cum illo convenit in natura, & quidditate, & solum differt in modo, seu accidentaliter.

15 Est tamè validè notandum, quod, ut omnis vitetur & equivocatio, species impressa, v.g. hominis, species expressa illius, & ipse homo possunt duplicitè considerari, vel absolute, & in se, vel quatenus significantur prædictis nominibus: hoc secundo modo reduplicatur natura humana sub modo essendi proprio unicuiuslibet, & sic, quatenus prædictis nominibus significantur, essentialiter distinguuntur, sicut homo niger, quatenus significatur hoc nomine *etiops*, essentialiter distinguitur ab homine albo, quatenus significatur hoc nomine *biparus*, quia esse albū, vel nigrū, quod accidentaliter se habet ad hominem, reduplicatur ex vi significationis illorū terminorū. Attamè sicut homo albus, & niger absolute sunt ejusdē quidditatis, & naturæ, sic species impressa hominis, species expressa illius, & ipse homo sunt etiam ejusdē naturæ, & quidditatis. Et hoc maximè notent Dialect. pro signo formalis, an scilicet ut verè

& propriè signum: dubium enim procedit de conceptu, vel signo formalí non absolute, & specificativè considerato, sed quatenus significatur hoc nomine *conceptus*; licet autem conceptus absolute consideratus, sicut ex parte rei significatæ ejusdem sit quidditatis cum objecto, & solùm ab eo differat accidentaliter, & quoad modum; attamen ut significatur hoc nomine *conceptus* distinguitur essentialiter ab illo, quia ex vi significationis hujus nominis *conceptus* reduplicatur ipsa eadem quidditas objecti; quatenus stat sub modo essendi intentionali, proindeque modus essendi intentionalis, qui accidentaliter se habet ad naturam conceptus absolute consideratam essentialiter se habet ad illam, ut significatur nomine *conceptus*: sicut & modus essendi per modum moventis essentialiter se habet ad naturam, ut significatur per hoc nomine *species impressa*: & modus essendi naturalis essentialiter se habet ad eundem, ut significatur hoc nomine *homo*. Nec valet, quod absolute conceptus non erit signum: nam eo ipso, quod dicitur conceptus non significatur ejus quidditas absolute, sed reduplicative, ut stat sub modo essendi intentionali, sicut eo ipso, quod dicitur *et iops* non significatur natura humana absolute, sed reduplicative, ut stat sub nigredine.

16 Sed dices: licet doctrina hucusque data sit vera in creatis; non tamen in divinis: nam Pater, & Verbum specificè differunt, cum relationes ipsorum, scilicet paternitas, & filiatio differant specie. Sed hac replica potius intendit, quod processio Verbi non sit generatio, quam quod generatio non sit, quia procedit per intellectum, siquidem, ut processio Verbi generatio sit, oportet, quod procedat ut simile in eadem natura specifica, immò intendit processionem Verbi generationem non esse, supponendo eam esse generationem, cum supponat Verbum esse Filium, & Personam, à qua procedit esse Patrem. Denique respond. ex D. Thom, infra art. 3. in corp. ubi ait: *Quod licet paternitas, ut forma Patris significetur; est tamen proprietas personalis habens se ad Personam Patris, ut forma individualis ad aliquod individuum creatum; forma autem individualis in rebus creatis constituit Personam generantis, non autem est, quo generans generat, alioquin Socrates generaret Socratem: unde nec Paternitas potest intelligi, ut quo Pater generat, sed ut constituens Personam generantis, alioquin Pater generarei Patrem, sed id, quo Pater generat est natura divina, in qua sibi Fi-*

*lius assimilatur.* Hęc D. Thom. ex quibus habetur, quod licet Pater, & Filius constituantur individualiter, sicut in ratione Personę per relationes specificè distinctas; non tamen essentialiter, sed ut sic constituuntur per naturam divinam. Ad generationem autem non requiritur, quod genitum procedat simile generanti in forma individuali, vel illius proprietatibus individualibus, alias Socrates generaret Socratem, & Pater generaret Patrem, & Filius natus ex Virgine procederet, ut substantia substantia creata, quae est propria Virginis: solū ergo est de ratione generationis, quod genitum procedat ut simile generanti in natura, vel forma eum essentialiter constitutente, quia hęc tota est principium, quo generationis, quo modo etiam procedit Verbum in Divinis.

17 Nec valet, quod eadem natura, quae est in Patre, est in Filio, & ejusdem ad se ipsum non est similitudo, quia hęc importat unitatem cum disconvenientia. Non, inquam, valet: nam hęc disconvenientia non oportet, quod sit ex parte, in qua assimilantur; sed sufficit, quod sit ex parte extremonum: licet autem eandem numeri natura, quae est in Patre, sit in Filio, tamen realiter distinguuntur, sicut si Deus unam, & eandem numero albedinem poneret in Petro, & Paulo, Petrus, & Paulus essent similes in albedine, immò perfectiori similitudine, quia defacto, quia similitudo importat unitatem ex parte formae, & quo perfectior, & major est, est unitas major, & perfectior est similitudo.

18 Ex dictis etiam patet ad confirm. arg. dicendo, vel quod in natura divina conceptus moventis, & conceptus viventis non sunt adæquati, quia non movere per speciem superadiditam, sicut natura creata, sed immediate per se ipsam: unde in ea conceptus moventis formalissime est conceptus viventis, licet non explicitè secundum nostrum imperfectum modum cognoscendi. Et idem dicimus de conceptu viventis, & terminantis in Verbo Divino. Vel dicendo, quod de ratione Verbi non est, quod procedat ut simile in specie impressa quantum ad modum moventis, sed solū quantum ad illius naturam, & quidditatem, & Essentia divina essentialiter est vivens saltēm per modum radicis. Sed dices: etiam natura humana essentialiter est vivens per modum radicis, & Verbum ex illius cognitione procedit, ut in ea simile essentialiter, & nihilominus non procedit, ut simile in ea quatenus viventi. Respond. hoc ideo esse, quia natura humana non movere intellectum secundum suum esse substantiale, sed purè intentionale, siquidem movere media specie realiter distincta, & similiter Verbum ex illius,

illius cognitione non procedit, ut simile substantialiter, sed pure intentionaliter, & propterea ratio viventis in natura se habet materialiter respectu processionis. E contra tamen natura divina secundum suum esse substancialiter movet intellectum divinum; & similiter Verbum divinum procedit, ut in ea simile substantialiter, ut pater ex dict. ad 1. arg. Alia argumenta, quæ contra hanc resolut. militare videntur, commodiūs proponentur resol. seq.

## RESOLUTIO II.

*Fundamentum, & radix, cur processio Spiritus Sancti non est generatio, est, quia procedit per voluntatem.*

19 **E**st etiam contra relatos in praedicti resolutione, & communis omnium Thomist. expressaque D. Thom. hic art. 4. & fundatur etiam reducendo ad formam illius rationem sic: generatio est origo viventis à vivente in similitudinem naturæ; sed Spiritus Sanctus, ex quo procedit per voluntatem, habet, quod non procedat in similitudinem naturæ: ergo. Prob. min. Notando etiam doctrinam philosophicam communiter ab omnibus receptam, nimirum quod voluntas non constituitur in actu, sive primo, sive secundo per hoc, quod res volita est in voluntate secundum suam similitudinem, sed in actu primo constituitur per inclinationem potentialem in objectum volitum, & in actu secundo per inclinationem actualē: unde volendo objectum non fit objectum, nec volitio fit per assimilationem, nec consequenter voluntas per volitionem producit terminum formaliter similem sibi in objecto, quo fœcundante, & movente ipsam; sed est pure impulsiva, & agit solū per modum impellentis, & moventis in aliquid, prout aliquis dicitur moveri, vel impelli ad aliquid faciendum, qua ratione producit terminum formalissimè, ut impulsum, seu spiritum, nam nomine spiritus quædam vitalis motio, & impulsio designantur: ergo ex quo Spiritus Sanctus procedit per voluntatem habet, quod non procedat in similitudinem naturæ, & consequenter quod ejus processio generatio non sit.

20 Pro cuius majori intelligentia est adverendum, quod illa particula *in similitudinem naturæ* posita in definitione generationis est intelligenda in sensu formaliter, id est, ex vi processionis, scilicet secundum proprium, & formalem conceptum processionis, & nedium materialiter, & identice: qua ratione ait D. Thom. in 4. contra gentes cap. 23. *Quod si quis homo virtute sibi divini-*

*tus ad hoc concessa hominem ficeret ex aliqua sui parte, productus homo producentis Filius non diceretur, quia non procederet ab eo, ut natura, eo quod naturam ab eo acciperet, & non per genituram. Id est non ex vi processionis, id est secundum proprium, & formalem illius conceptum; sed solū materialiter, sicut homo factus per creationem, ex vi illius non procedit, ut homo formaliter, sed per modum totius entis ex nihilo, licet revera per creationem ei communicetur natura humana. Nec valet, quod in definitionibus rerum nihil est addendum: nam hoc non est addere pattem aliquam, sed eam explicare juxta legitimum sensum, sicut & contrarij eam exponunt de similitudine per modum imaginis: alias in exemplis allatis falvaretur vera, & propria ratio generationis.*

21 Licet ergo Spiritus Sancto per processionem, quæ est per voluntatem, communicetur eadem natura Patris, & Filij; sed non formaliter & ex vi processionis, seu secundum proprium, & formalem conceptum illius, cum voluntas assimilativa non sit, sed pure impulsiva: communicatur ergo natura identice solū & materialiter, quatenus ei communicatur impulsus, & quidquid in Deo invenitur, est unum, & idem cum natura divina: Sic D. Thom. q. 10. de potentia, art. 4. ad 2 z. his verbis: *Per processionem amoris non producitur aliquid, ut recipiens formam ejus à quo procedit, & ideo processio amoris non habet rationem generationis, sed quod Spiritus Sanctus naturam, & formam Dei Patris accipiat sua processione, hoc habet, in quantum est amor Dei, in quo non est aliquid, quod non sit natura ipsius. Et art. 4. cit. ponit primum argumentum, quod id, quod procedit in divinis per modum amoris, procedit in similitudinem naturæ, alias eslet extraneum à natura divina; & sic esset processio ad extra, & respondet: Quid quid est in divinis, est unum cum divina natura: unde ex parte bujus unitatis non potest accipi propria ratio bujus processionis, vel istius, secundum quam una distinguitur ab alia; sed oportet, quod propria ratio bujus, vel illius processionis accipiatur secundum ordinem unius processionis ad aliam; bujus modi autem ordo attenditur secundum rationem voluntatis, & intellectus: unde secundum horum propriam rationem sortitur in divinis nomen utraque processio, quod imponitur ad propriam rationem significandam, & inde est, quod procedens per modum amoris, & naturam dicitur accipit, & non dicitur natum.*

22 Nec valer ex nostra ratione sequi processionem Spiritus Sancti ad minus esse generationem identicē, sicut & identicē ei competit dif-

difinitio generationis, quod est absurdum: non, inquam, valet nam adjunctum illud identicè potius removet, vel destruit diffinitionem generationis, & est, ac si fieret argumentum summilisticum, quod voci non significativa competit ratio termini materialiter, & propositioni competit ratio termini peraccidens, quia voci non significativa materialiter, & propositione peraccidens competit diffinition termini, nimirum quod sit pars constitutiva propositionis; ratio enim termini non est ratio partis, quomodo libet constitutiva propositionis, sed per se, & formaliter: unde si voci non significativa, solum materialiter, & propositioni solum peraccidens competit, quod si pars constitutiva propositionis, eo ipso nullo modo ei competit diffinition termini: à simili ergo. Quod etiā instat in exemplo cit. D. Thom. Nec similiter valet Spiritum Sanctum procedere, ut Deum identicè, quia procedit in similitudinem divinae naturae identicè: nam diffinition Dei non potest legitimè interpretari per hoc, quod sit habens naturam divinam ex vi processionis: alias Pater non esset Deus. Nec tandem valet, quod si Spiritus Sanctus solum procederet à Patre, esset Filius identicè: nam hoc non esset, quia procederet in similitudinem naturae divinae identicè, sed quia eo ipso, quod non procederet à Filio non disingugetur realiter ab illo, sed cum illo identificatur, ut afferunt Thomist.

### Objiciuntur, & solvuntur argumenta.

**23** **S**ed objicies contra nostram resolutionem, & priùs adversus immediate dicta: quod Spiritus Sanctus procedat per voluntatem non tollit, quo minus procedat in similitudinem naturae divinae identicè secundum nos; at hoc sufficit, ut ejus processio generatio sit: non ergo rectè excluditur processio Spiritus Sancti à ratione generationis, quia processio est per voluntatem. Prob. min. Homo procedens ab altero homine procedit solum in similitudinem naturae rationalis identicè; & tamen illius processio est generatio: ergo à simili. Prob. maj. Homo procedens ab altero homine solum procedit formaliter in similitudinem naturae rationalis secundum eum gradum, secundum quem ab illa dimittat potentia generativa, per quam procedit; at potentia generativa, per quam procedit, solum dimittat ab anima rationali secundum gradum sensitivum, non verò secundum gradum intellectivum, cum sit potentia sensitiva, & corporea, unde ab illa, ut intellectiva solum dimittant intellectus, & voluntas: ergo. Nec valet,

quod potentia generativa hominis solum instrumentaliter concurrit ad generationem: & sic licet corporeta sit, & sensitiva, potest virtute animi intellectiva producere hominem, ut formaliter intellectivum. Non, inquam, valet: nam pariter posset dici potentiam generativam hominis instrumentaliter producere animam rationalem, quia licet corporeta sit, operatur virtute animae formaliter, ut spiritualis, & rationalis est. Deinde est concors Philosophorum sententia, animam rationalem, ut formaliter intellectivam non uti instrumento, & organo corporeo, sicut nec intellectus.

**24** Ideò melius alij dicunt, quod gradus sensitivus, secundum quem ab anima rationali proeedit potentia generativa hominis, identificatur cum gradu intellectivo ipsius, & ex hoc resultat in gradu sensitivo quidam modus, seu elevatio quedam, ratione cuius potens est originare operationes nobiliores in homine, quam in alijs animalibus, quod expressè traditum à D. Thom. q. 2. de potent. art. 2. in corp. & q. 9. de potent. art. 9. & q. 3. de creatione art. 11. Sed contra hanc solutionem stat 1. quod non minus voluntas divina propter identitatem cum divina natura est potens originare processionem perfectiorem, quam voluntas creata, nimirum processionem, quæ assimilatio sit in divina natura: si ergo sufficit, quod potentia sensitiva, & corporea propter identitatē gradus sensitivi, & intellectivi producat hominem, quatenus intellectivū, ut ejus processio generatio sit, pariter in praesenti. Immò si voluntas divina solū est assimilativa Spiritus Sancti in divina natura identicè, quia est assimilativa non intra propriam lineam, sed propter identitatem impulsus cum divina natura, cur similitè potentia generativa hominis non erit etiā assimilativa identicè, si quidem, quod sit assimilativa in natura, non habet intra propriam lineam, nimirum sensitivam, sed propter identitatem gradus sensitivi cum gradu intellectivo. Deinde contra prædictam solut. stat manifeste, quod licet gradus sensitivus ex identitate cum gradu intellectivo possit originare nobiliores operationes, ut aperite testatur D. Thom. sed non extra gradum sensitivum, sed intra illum, v. g. propter hujusmodi identitatem phantasia in homine discurrit circa singulare, sed non discursu intellectivo, sed sensitivo.

**25** Melius ergo respond. ex doct. aliorum Thomist. in libr. de anima disting. illam min. Potentia generativa hominis procedit à natura rationali secundum gradum sensitivum genericè consideratum, nego: specificè consideratum subdist. secundum sui differentiam à

gradu

gradu intellectivo, seu ea limitatione, qua inventur in natura inferiori v.g. equi, nego: secundum quod eminenter formaliter continetur in gradu intellectivo, seu secundum esse magis elevatum, quod simul est sensitivum, & intellectivum, concedo. Itaque potentia generativa hominis non procedit a natura rationali secundum gradum sensitivum genericè consideratum; alias potentia generativa hominis non est propria hominis, ut homo est, sed communis ceteris animalibus: procedit ergo à natura rationali secundum gradum sensitivum specificè consideratum, sed non secundum sui differentiam à gradu intellectivo, seu ea limitatione, qua inventur in natura inferiori equi, cum natura rationalis sit superioris ordinis; sicut nec practicum, & speculativum inveniuntur in habitibus superioribus Theologiae, & Fidei secundum suas differentias, & limitationes, quibus inveniuntur in habitibus inferioribus: procedit ergo potentia generativa hominis à natura rationali secundum gradum sensitivum, quatenus eminenter formaliter continetur in gradu intellectivo, seu secundum esse elevatum, quod simul est intellectivum, & sensitivum. Unde infertur, quod homo procedens per potentiam generativam alterius hominis, procedit in similitudinem naturae ejus formaliter, nendum secundum gradum sensitivum, sed intellectivum. Nec valer, quod ab anima, ut intelectiva solum dimanant intellectus, & voluntas: nam anima ut intelectiva potest dupliciter considerari, uno modo inadequata, ut exprimere solum gradum intellectivum, & sic solum ab ea dimanat intellectus, & voluntas, & aliae operationes, quæ omnino spirituales sunt: alio modo adequata, ut exprimere gradum intellectivum, & sensitivum, & sic etiam est radix aliarum potentiarum, quæ simul sunt intellectivæ, & sensitivæ, quales sunt potentia ridendi, flendi, & loquendi: omnes enim hujusmodi potentiae, & earum actus sunt propriæ hominis, ut homo est: homo enim ut sensitivus, & rationalis est, loquitur, ridet, & flet, & sic hujusmodi operationes, nendum sunt sensitivæ, sed etiam suo modo sunt intellectivæ, & hujus generis est generationis alterius hominis.

26 Secundo objicies: Verbum Divinum non procedit, ut simile substantialiter in natura divina ex vi processionis, quia processio est per intellectum; sic enim omnis processio per intellectum est assimilatio substantialis, & generatio; sed quia processio est divina, & per divinum intellectum; at similiter Spiritus Sanctus, licet non procedat, ut substantialiter similis in natura divina, quia ejus processio est per voluntatem, bene tamen, quia processio est divina, & per

voluntatem divinam: ergo non misus Spiritus Sanctus procedit, ut substantialiter similis in natura divina per voluntatem, quam Verbum per intellectum.

27 Ad hoc argumentum, quod est præcipuum Vazquecij, respondet Magister Gonet, quod processio Verbi Divini est generatio, & assimilatio substantialis, quia divina, prout ly divina dicit rationem constitutivam divinæ naturæ, quæ est intellectio, & hoc modo non est divina processio Spiritus Sancti. Sed hec solutio diminutivè procedit, cum solum teneat in sententia assertorum divinam naturam constitutui per intellectionem actualem, cum tamen sententia contraria non minus sit probabilis in via Thomist. & mihi probabilius. Secundo alij respondent, quod in mojori argumenti ly quia reduplicat divinitatem attributalem, ut ait Oxomensis, vel emanativè talem, ut ait Magister Labat; in minori verò reduplicat divinitatem transcendentaliter, & identice talem. Sed hec solutio, quantu ad primam partem distinctionis non omnino placet sub terminis, quibus traditur, siquidem divinitas illa attributalis, seu emanativè talis convenit utrique processioni, in quantum emanat à divina natura; in hac autem emanatione potius explicatur convenientia, quam distinctio; cum tamen propria linea unius, vel alterius processionis attendi debeat non secundum id, in quo convenient, sed secundum id, in quo differunt, ut supra diximus ex D. Thoma,

28 Melius ergo respondetur sub terminis, quibus resolutione præcedenti responsum fuit ad 1. argument. disting. maj. sed quia processio est divina, & per divinum intellectum, ly quia reduplicante proprium, & formalem conceptum divinæ processionis intellectualis, & similiiter divini intellectus, concedo: ly quia reduplicante divinitatem trascendentaliter, & identice talē, nego, & eisdem terminis vice versa disting. minor, & nego conseq. Verbum ergo in divinis procedit, ut substantialiter simile in divina natura ex vi processionis, quia divina, & per divinum intellectum non ly quia reduplicante divinitatem trascendentaliter, vel identice talem; nam talis divinitas non pertinet ad proprium, & formalem conceptum processionis divinæ prout intellectualis, quatenus nimis distinguitur à processione per voluntatem, cum potius in ea utraque processio conveniat, sed procedit, ut substantialiter simile in divina natura ly quia reduplicante proprium, & formalem illius conceptum; ex quo enim est processio intellectualis est assimilatio Verbi in divina natura, & quia in Deo secundum proprium, & for-

malem conceptum, & intra propriam lineam est per modum subsistentis, independentis, & actus puri, est assimilatio substantialis; processio autem per divinam voluntatem, quamvis ratione divinitatis trascendentaliter, & identice talis, assimilet substantialiter terminum in divina natura; non verò secundum proprium, & formalem conceptum, & intra propriam lineam, quia processio per voluntatem ex genere suo non est assimilatio, sed inclinatio, & impulsio: & sic licet in Deo etiam secundum proprium, & formalem conceptum, & intra propriam lineam sit per modum subsistentis, independentis, & actus puri, prouidèque sit impulsus, & inclinatio substantialis, sed non substantialis assimilatio.

29 Sed dices contra 1. licet processio divina intellectualis ex genere suo non sit assimilatio substantialis; in Deo tamen secundum proprium, & formalem conceptum est substantialis assimilatio: ergo licet processio divina per voluntatem ex genere suo non sit assimilatio; in Deo tamen secundum proprium, & formalem conceptum poterit esse assimilatio. Secundodicet processio intellectualis creatæ sit processio per modum assimilationis purè intentionalis; processio tamen intellectualis divina secundum proprium, & formalem illius conceptum, est processio per modum assimilationis substantialis: ergo licet processio per voluntatem creatam sit processio per modum inclinationis; processio tamen per voluntatem divinam secundum proprium, & formalem illius conceptum, erit processio per modum assimilationis. Prob.conseq. Quia æquæ distant ista, ac altera extrema. Ad 1. respond. neg. min. nam quod competit divinæ processioni secundum proprium, & formalem conceptum, debet ei convenire per modum differentiæ intraneæ, quæ prouidè sit intra latitudinem generis: unde cum processio divina per voluntatem ex genere suo non sit per modum assimilationis, sed impulsoris: immò prout sic dividitur contra processionem intellectualis, consequenter implicat, quod adhuc in Deo pertingat, ut secundum proprium, & formalem conceptum sit per modum assimilationis: alias trahit de genere ad genus. Ad 2. negam. æquam esse distantiam inter illa, & alia extrema, siquidem processio per modum assimilationis purè intentionalis, & processio per modum assimilationis substantialis, & intentionalis procedunt in eodem genere proximo, seu ratione analogæ assimilationis intellectualis, quæ, quia perfectio simplicitè simplex est, petit, ut in minus principali analogato sit cum admixtione potentialitatis, prouidè

dèque per modum assimilationis purè intentionalis; è contra vero in supremo analogato, ut patet ex dictis. Attamen processio per modum inclinationis, & processio per modum assimilationis differunt genere, seu ratione analogæ, sicut processio per intellectum, & processio per voluntatem. Undè sicut processio per voluntatem pertingere non potest in Deo ad hoc, ut sit secundum proprium, & formalem conceptum processio per intellectum, sic nec ut sit processio per modum assimilationis, sed solum quod sit processio per modum inclinationis substantialis, quatenus in Deo est per modum actus puri, sicut è contra in creatura est purè accidentalis, quia in ea est cum admixtione potentialis, & dependentia.

30 Sed dices contra 1. processio amoris creati, & processio Spiritus Sancti, quatenus analogantur in ratione processionis amoris, ut sic habent suas differentias formales, & intraneas, quæ prouidè pertinent ad proprium, & formalem illarum conceptum; sed non alias, nisi esse creatam, & divinam: ergo si processio Spiritus Sancti, quatenus divina, est substantialis assimilatio, etiam est substantialis assimilatio secundum proprium, & formalem conceptum. Secundo: esse divinum est formale prædicatum Spiritus Sancti: ergo, quod convenit Spiritui Sancto ex vi processionis, quatenus divinæ, convenit ei formaliter ex vi processionis.

31 Ad 1. respond. neg. min. nam illæ sunt differentiæ formales, & intraneæ purè & quatenus analogantur in ratione universalissima entis, quatenus verò analogantur in ratione processionis amoris, ut sic sunt esse processionem amoris intra propriam lineam per se subsistentem, & actum purum, & esse intra propriam lineam accidentalem, & potentialiem; hæc enim est differentia formalis processionis amoris creati, illa verò processionis Spiritus Sancti. Ad 2. respond. quod esse divinum est formale prædicatum Spiritus Sancti; sed transcedens omnia divina attributa, & consequenter non pertinens ad proprium, & formalem conceptum, quatenus terminus est processionis divinæ per voluntatem: & sic quamvis Spiritui Sancto conveniat esse ens divinum ex vi processionis, quatenus divinæ, non tamen absolute ex vi processionis; nam ut supra diximus, ly ex vi processionis appellat proprium, & formalem conceptum processionis divinæ per voluntatem, quatenus distinguitur à processione divinæ per intellectum.

32 Sed dices: quod processio sit in Deo secundum proprium, & formalem conceptum, & intra propriam lineam, actus purus, & per se subsistens, provenit ex quo est divina, nec enim est assignare aliud caput, cum precisa divinitate non sit per se subsistens, & actus purus, sicut quod in creatura sit processio pure intentionalis, provenit ex quo est creata: ergo tandem, quia processio Verbi est divina, est substantialis assimilatio. Resp. quod licet processionem esse divinam, sicut & esse in Deo, sit conditio necessaria, ut sit actus purus, & per se subsistens secundum proprium, & formalem conceptum, & intra propriam lineam; non tamen ex hoc capite provenit, quod sit purus actus intra propriam lineam, & secundum proprium, & formalem conceptum: liquidem pura actualitas, & substantialis, quae processioni divinae convenit ex communione ratione divinitatis, communis etiam est ceteris attributis: unde hujus ratione potius est purus actus absolute, & simpliciter in omni linea, cum ratione illius omnia attributa invicem se includant: aliunde ergo investiganda est ratio hujus, quod est processionem Verbi esse intra propriam lineam, & secundum proprium, & formalem conceptum, actum purum, & per se subsistentem, sicut & aliunde investiganda est ratio distinctionis attributorum, nimirum, ex eo, quod ei convenit ex genere suo, & in sua abstractione, non quidem totali, sed formaliter, ut supra explicuimus resol. præced. ad i. argumen. quomodo consideratur exclusis imperfectionibus potentialitatis, & dependentiarum, ut sic enim, & non aliter divina attributa distinguntur in Deo: unde quia processioni Verbi Divini ex genere suo in sua formal abstractione convenit, quod sit actus purus, & per se subsistens, hoc idem ei convenit in Deo secundum proprium illius formalem conceptum, & intra propriam lineam, quia nimirum in Deo reperitur etiam secundum proprium, & formalem conceptum, & intra propriam lineam ea puritate, quam habet in sua abstractione formaliter; contra tamen in creatura propter subjecti imperfectionem, & potentialitatem.

33 Sed tandem dices: constitutivum rei non solum ingreditur ratio differentialis, sed ratio communis: ergo ex dictis solum sequitur, quod divinitas, seu ratio entis divini non pertineat ad proprium, & formalem conceptum processionis Spiritus Sancti per modum rationis differentialis, non tamen per modum rationis communis. Respond. conced. antec. de ratione communis generica, non tamen de trascendentali: nam praedicta transcendentalia non computantur inter praedicta metaphysica

inferiorum, proptereaque neque illorum distinctionem ingrediuntur. Et licet illud posset verificari de ratione trascendentali, quæ in inferioribus dividitur, & multiplicatur, qualis est ratio entis creati, quia eo ipso inferius in tali ratione prout sic divisa, & multiplicata distinguitur ab alijs; non tamen de ratione transcendentali, quæ in inferioribus non dividitur, nec multiplicatur; sed manet omnino eadem, ut est ratio entis divini, quæ nec in essentia, nec in attributis adhuc per rationem multiplicatur, sed conservat omnimodam unitatem; consequenterque sicut nullo modo distinguit naturam ab attributis, nec attributa inter se, ita nullo modo intrat metaphysicam illorum constitutionem. Nec vallet: quod multiplicato inferiori, non potest non multiplicari superius maxime transcendentis, de cùjus ratione est, quod imbibatur in ultimis differentijs: nam licet hoc verum sit, cum multiplicatur inferioris, tam quoad implicitum, quam quoad explicitum, non tamen quando solum multiplicatur quantum ad explicitum; cum enim inferius multiplicatur etiam quoad implicitum, ut multiplicatur in creatis ratio entis, substantiarum, & accidentis, tunc unum inferiorius, nemum non explicat aliud, verum nec illud includit, & sic nec includit rationem communem unam, quæ essentialiter in suo conceptu includat inferiora; quando vero inferiorius solum quoad explicitum multiplicatur, ut in divinis, implicitè includit aliud: & sic ratio communis imbibitur in illis absque ulla diversitate: immò propterea ratione illius inferiora invicem se includunt.

34 Objicies 3. Spiritui Sancto formaliter, & ex vi processionis communicatur natura divina, & nemum identice & materialiter: ergo formaliter, & ex vi processionis procedit in similitudinem naturæ, & consequenter illius processio per voluntatem ex hoc capite à ratione generationis excludi non debet. Prob. anteced. Illud formaliter & ex vi processionis communicatur Spiritui Sancto, quod ei per suam processionem communicatur primariò; at Spiritui Sancto per suam processionem communicatur primariò natura divina: ergo hec ei communicatur formaliter, & ex vi processionis. Prob. min. Implicit actionem, per quam communicatur natura cum proprietatibus, per prius non communicare naturam, quam proprietates; sed Spiritui Sancto per suam processionem communicatur natura divina cum suis proprietatibus, quarum una est ratio impulsus: ergo Maj. præterquamquod verificari possit in omnibus generationibus creatis, prob. Nam sicut res se habet ad esse, ita se habet ad produci, cum pro-

productio nihil aliud sit, quam communicatio ipsius esse; sed omnis res producta ita se habet ad esse, ut per prius habeat naturam, quam proprietates, ut potè cum illæ ad istam consequantur, & in ea radicentur: ergo.

35 Respond. disting. illam maj. implicat actionem, per quam communicatur natura, cum suis proprietatibus, per prius non communicare naturam, quam proprietates, cum proprietates distinguuntur a natura, ut in creatis, conced. ubi identificantur cum natura, ut in divinis subdivising. si sit actio procedens à 1. principio communicativo naturæ, conced. si à 1. neg. & de ejusdem terminis disting. min. & neg. conseq. Itaque non quidquid inventitur in creatura est idem cum natura illius, & propterea in creatura unicum datur principium communicativum naturæ, quod est potentia generativa; si autem quidquid est in creatura identificaretur cum natura illius, daretur etiam multiplex principium communicativum naturæ, nimirum potentia generativa, augmentativa, alterativa, &c. & tunc solum primum principium, quod est potentia generativa communicaret primariò, & formaliter naturam, & secundariò, & ex consequenti proprietates; cetera vero principia communicarent primariò, & formaliter proprietates, & naturam solum identice, nimirum propter illius identitatem cum ratione formali terminandi uniuscujuslibet, & hoc ideo quia solum primum principium est à natura destinatum ad secundum terminum in primordiali sui ratione, que est natura; secundum vero principium solum à natura destinatum ad illum producendum in secundaria ratione. Quidquid autem est in Deo est idem cum natura illius, & sic est duplex principium communicativum naturæ divine, nimirum intellectus, & voluntas: ergo ex sui formalis conceptu supponat intellectum, ad quem sequitur, & in quo radicatur, ut supra de voluntate dub. 1. demonstravimus, consequenter intellectus divinus est primum principium communicativum naturæ divine; voluntas vero est secundum principium, & sic solum per actum procedentem ab intellectu divino communicatur divina natura primariò & formaliter, & secundariò & ex consequenti illius proprietates; per actum vero procedentem à divina voluntate solum primariò communicatur ratio impulsus, & identice natura divina propter identitatem, quam cum illo habet. Ad prob. contra hoc respond. quod sicut res se habet ad esse in intentione, ita se habet ad produci, non autem sicut res se habet ad esse solum in executione: licet autem Spiritus Sanctus prius habet naturam, quam rationem impulsus in executione,

nón tamen in intentione, quia voluntas est solum à natura destinata ad communicandam secundariam rationem impulsus, eoquod à natura sua est impulsiva, & secundum principium, sicut si partialis quantitas esset idem cum natura creata, potentia augmentativa esset solum à natura destinata ad productionem majoris quantitatis, quamvis natura per se ipsam producetur, & quantitatem in executione præcederet. Nec valet: quod voluntas est primum principium communicativum naturæ respectu Spiritus Sancti, siquidem per eam primò accipit esse, & naturam; licet sit primum principium communicativum naturæ respectu Spiritus Sancti, respectu tamen naturæ, à qua dimanat, non est primum principium, sed secundum, & propterea ab eo destinatur ad productionem termini in secundaria ratione, quæ est ratio impulsus; non vero in primaria, nisi solum identice.

36 Sed dices: de ratione attributi est radicari in natura, & ab ea dimanare, sive formaliter ut in creatis, sive virtualiter ut in divinis: ergo non potest processio Spiritus Sancti terminari formaliter ad attributum impulsus, quin terminetur ad illud, ut virtualiter radicatum in divina natura, & ab ea virtualiter dimanans; at hoc ipso terminatur ad divinam naturam primariò & formaliter & ad divinum impulsus secundariò, & ex consequenti: ergo. Respond. quod licet de ratione attributi sit radicari in natura, & ab ea dimanare; non tamen est de ratione illius, quod per omnem sui productionem attingatur, ut sic radicatum in natura, & ab ea dimanans, sed solum per primam, qualis est generatio: sicut quantitas est attributum substantie, & solum per generationem producitur, ut in ea radicata; per augmentationem vero producitur, solum sub formalitate majoris quantitatis præscindendo ab eo, quod radicetur, vel dimanet à substantia: sic ergo similiter attributum impulsus solum per processionem Verbi, quæ est prima illius communicatio, communicatur, ut virtualiter radicatum in divina natura; processio vero Spiritus Sancti solum sub formalitate impulsus præscindendo à sui tadicatione, vel dimanatione à divina natura, quamvis revera ab ea dimanet, & in ea radicetur. Quod si dicas, ex hac solutione sequi processionem Spiritus Sancti non terminari ad impulsum divinum reduplicative ut attributum divinæ naturæ. Conced. conseq. sicut nec augmentatione terminatur ad quantitatem reduplicative ut attributum substantie, licet revera sit illius attributum, & in ea radicetur. Nec valet: objectum Theologiae esse Deum sub ratione Deitatis, quia prout sic est radix attributorum, quæ per eam de-

mon-

monstrantur: nam cum scire, sit rem per causam cogoscere, ad Theologiam pertinet attributa reiolvere in divinam naturam, & sic non potest non ea attingere ut attributa formaliter: immo licet accidens radicetur in substantia, non propterea attingitur à metaphysica sub ea ratione, siquidem attingitur sub abstractione ab omni materia. Tandem dices: ad naturam divinam pertinet esse in tribus personis, & consequenter communicari Spiritui Sancto; sed id, quod per se pertinet ad naturam divinam, est de primaria illius intentione: ergo. Resp. quod ad naturam divinam per se pertinet esse in tribus personis, sed non eodem modo, quia in Patre petit esse innascibiliter, seu ut non communicata ab alio, in Filio vero petit esse ut communicata ex vi processionis, in Spiritui autem Sancto solum ut communicata identice. Sed dices: sicut natura corporea propter sui imperfectionem petit communicari pluribus ut multiplicata, & divisa; sic natura divina propter sui infinitam perfectionem petit communicari pluribus una numero manens; sed natura corporea propter sui imperfectionem petit communicari pluribus formaliter ut multiplicata, & divisa: ergo natura divina propter sui infinitam perfectionem petit etiam communicari pluribus formaliter una numero manens. Respondet. vel quod ly sicut non potest parificare quam ad hoc, quod est communicari pluribus formaliter, quia natura corporea semel tantum ad hoc, quod est per unicum principium communicatur, quod est potentia generativa, quapropter non potest non communicari formaliter omnibus, quibus communicatur, è contra tantum natura divina, ut supra explicatum est. Vel dicendum, quod ly sicut parificat quantum ad hoc, quod est communicari formaliter pluribus, absolute loquendo; sed non ex vi processionis: licet autem Spiritui Sancto non communicatur natura divina formaliter ex vi processionis, hoc est, secundum proprium, & formale illius conceptum; attamen ei absolute per suam processionem, quatenus divinam, communicatur formaliter, siquidem identitas divinitatis, seu natura divina cum divino impulso non est purè materialis, sed formalissima.

37 Quarto objicies: Spiritus Sanctus ex vi sua processionis per voluntatem procedit formaliter ut persona divina: ergo ut similis in natura divina sub conceptu naturae. Conseq. patet, siquidem persona diffinitur, quod sit rationalis naturae individua substantia, & sic formaliter importat subsistentiam in natura rationali sub conceptu naturae, quod est naturam sub conceptu naturae ingredi factem de conno-

M. Carrafa.

tato constitutionem personae: anteced. autem probat, nam Spiritus Sanctus ex vi sua processionis per voluntatem procedit ut subsistens in aliqua natura; sed non creata: ergo divina; at subsistens in natura divina est persona divina, sicut subsistens in natura rationali est persona: ergo.

38 Ad hoc argumentum respondet Magister Serra, concedendo Spiritum Sanctum ex vi processionis procedere ut personam divinam, quia alias solum ex vi generationis, per quam formaliter communicatur natura, produceretur persona formaliter, & consequenter persona formaliter non latius pateret, quam filius: negat tamen consequentiam, quia ad rationem personae formaliter non requiritur, ut ei communicetur natura per se, & formaliter, sed haec solum praexigitur ad rationem personae, quae est Filius: quod patet in Angelo, qui procedit per creationem ut persona; & tamen per creationem non communicatur ei natura per modum naturae, sed potius per modum totius entis ex nihilo: sicut ergo ut Angelus procedat ut persona, sufficit, quod ei quomodo cumque communicetur natura intellectualis; sic in praesenti. Sed haec solutio non placet, quia semper urget probatio consequentiae supra facta, ad quam praedictus Author non respondet, nimirum naturam sub conceptu naturae saltem de connotato, & in obliquo ingredi constitutio- nem personae, ut ex illius definitione patet. Deinde ex quo solum ex vi generationis, per quam communicatur formaliter natura, producatur persona formaliter, non sequitur, quod latius non pateat persona, quia ad hoc oportebat, nedum Spiritum Sanctum ex vi processionis non procedere ut personam, verum nec in se esse formaliter personam; est autem persona formaliter, licet non procedat formaliter ut persona, sicut & est formaliter Deus, licet non procedat formaliter ut Deus: ac tandem falsum est, quod Angelus per creationem procedat formaliter ut persona; siquidem, ut ipse fatetur, procedat per modum totius entis ex nihilo.

39 Deinde alij respondent Spiritum Sanctum ex vi processionis procedere ut personam quantum ad id, quod persona importat in reto, quod est subsistentia; non vero quantum ad id, quod importat in obliquo, quod est natura; hoc autem sufficere, ut absolute concedatur Spiritum Sanctum formaliter ex vi processionis procedere ut personam: sicut ut Verbum Divinum unitatur naturae humanae ut persona formaliter sufficit, quod naturae humanae communicetur formaliter subsistentia Verbi, licet non communicetur natura: unde sicut haec

Xy

pro

propositio est vera absolute, unio naturae humanae est facta in persona Verbi, ita absolute haec est Vera, Spiritus Sanctus procedit ut persona, immo absolute conceditur per processionem intellectualem divinam produci personam Verbi formaliter ex vi processionis, etiam si per talen processionem producatur solum subsistencia Verbi, & non illius natura. Sed haec solutione, & si verissima sit quantum ad primam partem, nimis spiritum Sanctum procedere formaliter ut personam quatum ad id, quod persona importat in recto, est tamen falsa, quantum ad secundam partem, nimis hoc sufficere, ut concedatur absolute spiritum Sanctum formaliter, & ex vi processionis producere ut personam: nam subsistencia non constitutiva personam, nisi quatenus connotat naturam, ut patet ex definitione. Inter unionem autem personae Verbi cum natura humana, & processionem personae ad intra est magna dissimilitudo: cum quia in hac terminus formaliter non est subsistencia, sed natura; in actione vero unitiva natura non est terminus formalis, sed subsistencia: cum, quia ex incapacitate naturae humanae illa propositio de unione personae habet limitationem, ratione cuius conceditur absolute; attamen propositio, quae formatur de processione Verbi ad intra nullam habet limitationem, a qua reddatur absolute vera. Nec similiter convincit personam Verbi ex vi processionis formaliter produci, etiam si per talen processionem producatur solum subsistencia, & non natura: nam licet natura non producatur ex vi processionis Verbi, communicatur tamen ex vi illius sub conceptu naturae; non tamen spiritui Sancto, quod necessarium erat ad hoc ut procederet formaliter, ut persona.

40 Melius ergo respond. negand. Spiritus Sanctus formaliter, & ex vi processionis procedere ut personam divinam. Ad cuius probationem nego similitudem eum procedere ut subsistentem in aliqua natura, quia ad hoc oporterei naturam ei communicari formaliter, & ex vi processionis, procedit ergo solum ut subsistens in attributo naturae, qui est impulsus. Sed dices: Spiritus Sanctus ex vi processionis habet relationem, secundum quam opponitur relative suo principio, & ab illo distinguitur, sed praedicta relatio est constitutiva personae in divinis: ergo. Respond. quod Spiritus Sanctus auctor, ut procedens per modum impulsus, seu, ut in Divino impulsu subsistens, opponitur relative suo principio; & ab illo distinguitur, ratio enim impulsus ab alio etiam relativa est; & sic ex quo ex vi processionis habeat relationem, secundum quam opponitur rela-

tive suo principio, & ab illo distinguitur; non insertur ipsum procedere ex vi processionis, ut personam, quia ad hoc restat probare cum ex vi processionis procedere ut subsistente in natura divina, id est, habere relationem ut modificatam naturam, & nedum ut modificatam attributo naturae: immo relatio sub expresso concepu ad, seu referentis distinguit illam personam ab alia, sub illoque conceptu etiam una persona alteri relativè opponitur; & tamen sub illo conceptu personam non constituit, sed supponit constitutam, sicut & supponit actionem, in qua fundatur, & actio supponit agens constitutum. Unde in summa dicimus, quod spiritus Sanctus ex vi processionis habet relationem, quae est constitutiva personae; non tamen illam habet prout est personae constitutiva, quia praedicta relatio eum constituit subsistentem, hec dum in divina natura, sed etiam in divino impulsu, & secundum utramque rationem illum ab alijs personis distinguit, & solum secundo modo illam habet ex vi processionis; primò vero modo, secundum quem constituit personam, eam habet simul concomitantem, & identicè. Dices: quod spiritus Sanctus ex vi processionis procedit formaliter ut est; sed est formaliter persona divina: ergo prout sic procedit. Sed haec replica plures patitur instantias; nam Corpus Christi, prout est, terminat conversationem panis in ipsum, & est formaliter vivens, & animal, & solum terminat prout corpus, similiter homo prout est, terminat creationem, & generationem, & est formaliter ens, & homo; & tamen prout ens non terminat generationem, nec prout homo terminat creationem: patet ergo, quod non omne, quod se habet formaliter ad esse, se habet formaliter ad terminare: disting. ergo maj. spiritus Sanctus ex vi processionis procedit formaliter ut est adaequatè & sub omnibus ratione nego inadaequatè, & sub aliqua nimis impulsus, conced. & conced. min. & nego conseq.

41 Quinto arguitur: non minus spiritus Sanctus ex vi processionis per voluntatem procedit ut similis objecto amato, quam Verbum ex vi processionis per intellectum procedit ut simile objecto intellecto: ergo ex hoc capite nulla est differentia inter processionem Verbi, & processionem spiritus Sancti. Probat. anteced. ex eo Verbum ex vi processionis per intellectum procedit ut simile objecto intellecto secundum Div. Thom. quia intellectus constituitur in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu: sed etiam voluntas constituitur in actu per hoc, quod res amata est in voluntate: ergo. Probat. min. ex Div. Thom.

hic artic. 3. in corpore ubi probat, quod in divinis est alia processio à processione Verbi: *Quia secundum actionem voluntatis invenitur in nobis quedam alia processio, scilicet processio amoris, secundum quam amatum est in amante, sicut per conceptionem Verbi res intellecta est in intellectu.*

42 Ad hoc argument. respondet. ex doctrina ipsius Div. Thom. 4. contra Gent. cap. 14. quod tribus modis contingit unum esse in alio, vel scilicet secundum essentiam, & entitatem, sicut forma est in subjecto, vel media sui similitudine, & imagine, ut Cæsar dicitur esse, ubi est ejus imago, vel tandem media inclinatione, & affectione convenienti, ut locus deorsum dicitur esse in gravi media gravitate, quæ est ejus conveniens inclinatio. Et primo modo nec res intellecta est in intelligentie, nec objectum amatum in amante; secundo autem modo res intellecta est in intelligentie, quatenus unitur ei media similitudine impressa, & expressa; sed tertio modo res amata est in amante mediante termino producto per amorem. Dicimus ergo, quod Verbum procedit ex vi processionis per intellectum ut simile objecto intellecto, quia intellectus constituitur in actu per hoc, quod res intellecta est in intellectu media sui similitudine, ut patet ex contextu Div. Thom. hic artic. 4. non sic autem objectum amatum est in voluntate, sed media inclinatione, & impulsu, qui non est objecti formalis similitudo, sed solum tendentia in illum. Sed dices: voluntas constituitur in actu completo per illud, à quo specificatur ejus actio, & terminus per eam productus; sed actio voluntatis, & tertius per eam productus specificatur ab objecto media sui similitudine expressa, nam per hanc voluntas determinatur, ut potius vellit hoc objectum, quam illud: ergo. Respond. quod voluntas constituitur in actu completo per objectum media sui similitudine expressa, sed non ut eam intrinsecè informante, qualiter media ea constituitur intellectus, sed pure ut cognita, seu ut extrinsecè proposita, & ostensa; forma autem intrinsecè informantis proprium est determinare subjectum ad producendum terminum sibi similem; sed formæ cognitæ, extrinsecèque propositæ, & ostensæ proprium est solum illud allicere, & a trahere ad amorem objecti per eam representati, & consequenter illud determinare ad producendum terminum per modum impulsus.

33 Dices ulterius: omne agens intendit producere simile, ut inquit Phylosophus primo de generat. cap. 7. sed agens per voluntate

tem est verum agens: ergo. Responde. quod omne agens intendit producere sibi simile, sive similitudine formalis in principio quo radicali, sive similitudine proportionis in principio quo proximo. Agens enim per generationem intendit producere sibi simile similitudine formalis in principio quo radicali; per augmentationem autem solum intendit producere sibi simile similitudine proportionis in principio quo proximo: nec enim quantitas producta per augmentationem est formaliter similis subjecto agenti in principio radicali, immo nec in principio proximo: non enim ejusdem naturæ, & quidditatis est quantitas, ac ipsa potentia augmentativa: solum ergo est similis agenti in principio quo proximo similitudine proportionis, nam sicut principium proximum est potentia augmentativa, sic ejus actio est augmentation, & ejus terminus est quantitas major, seu augmentum: & in nostro casu voluntas est inclinatio potentialis, ejus actio est inclinatio actualis, & ejus terminus est impulsus, & consequenter specificè differunt, & solum in esse proportionantur.

44 Tandem dices: sicut intellectio ex propria ratione formalis facit simile, ita amor facit: unum ergo sicut perfectissima intellectio ex propria ratione formalis facit simile perfectissime in natura, ita amor perfectissimus ex propria ratione formalis facit unum perfectissime in tali natura. Respond. neg. conseq. quia unio, quam facit amor, est pure affectivæ; unde ex quo sit perfectissimus amor solum sequitur, quod ex propria ratione formalis faciat unum amatum cum amante perfectissime affectivæ, quia debet esse unio intra latitudinem generis, unio autem affectiva est extra lineam naturæ, è contra tamen similitudo intellectualis, ut patet ex dictis.

45 Sexto, & ultimo objicies: Verbo Divino formaliter ex vi processionis communicatur cognitione possibilium: ergo Spiritui Sancto formaliter, & ex vi processionis communicatur divina essentia. Probat. conseq. ideo Verbo Divino formaliter, & ex vi processionis communicatur cognitione possibilium, quia ei formaliter, & ex vi processionis communicatur cognitione comprehensiva essentiaz divinæ, quæ formaliter connectitur cum cognitione possibilium; at etiam Spiritui Sancto formaliter, & ex vi processionis communicatur amor comprehensivus, & divinus, qui formaliter connectitur cum divina essentia: ergo propter eandem rationem debet etiam ei formaliter, & ex vi processionis communicari divina essentia.

46 Sed hoc argum. ad summum convin-  
cit, quod sicut ad communicationem cogni-  
tio[n]is comprehensiva[re] divina[re] essentia[re] secunda-  
rio, & ex consequenti communicatur cogni-  
tio possibilium, sic ad communicationem com-  
prehensivi, & divini amoris communicetur  
etiam Spiritui Sancto secundario, & ex conse-  
quenti divina[re] essentia, quod non est contra  
nos: siquidem si semel essentia divina prima-  
rio non communicatur, quamvis formaliter  
communicetur, ejus processio nequit obtine-  
re rationem generationis. Deinde respond. vel  
quod cognitio comprehensiva essentiæ, nedum  
connectitur cum cognitione possibilium, ve-  
rum & prout sic conexa communicatur Verbo  
formaliter, & ex vi processionis, sicut &  
ei prout sic communicatur, quatenus compre-  
hensiva, & propterea non potest Verbo for-  
maliter, & ex vi processionis communicari co-  
gnitio comprehensiva essentiæ, quin & ei for-  
maliter, & ex vi processionis saltem secunda-  
rio communicetur cognitio possibilium. Atta-  
meh amor divinus, ut supra dictum est, licet  
connectatur cum divina essentia tanquam illius  
attributum, non tamen prout sic conexos  
communicatur Spiritui Sancto: sicut nec ut at-  
tributum illius reduplicative, sed solum sub  
formalitate impulsus, praescindendo à sui diman-  
natione, & radicatione in divina natura, &  
propterea ex illius communicatione non inser-  
tur communicatio divina naturæ formaliter, &  
ex vi processionis. Vel dicendo, quod cognitio  
comprehensiva essentiæ connectitur cum  
cognitione possibilium absque virtuali distinc-  
tione at minus adæquata, cum cognitio compre-  
hensiva essentiæ primario ad essentiam, &  
secundario ad possibilia terminetur, & propte-  
reà non potest non etiam Verbo communicari  
formaliter cognitio possibilium hoc ipso, quod  
ei formaliter communicatur cognitio essentiæ;  
atramen amor à divina essentia virtualiter adæ-  
quate distinguitur, & sic non est paritas. Ac  
tandem licet posterius communicetur formaliter  
ad communicationem prioris, sicut ad com-  
municationem essentiæ communicantur attri-  
buta, & proprietates, non tamen è contra:  
cognitio autem comprehensiva essentiæ com-  
paratur ad cognitionem possibilium, sicut prius  
ad posterius; è contra tamen amor comparat-  
ur ad divinam essentiam sicut posterius ad  
prius, & sic ex quo formaliter communicetur  
cognitio possibilium ad communicationem co-  
gnitionis comprehensiva essentiæ, non rectè  
infertur, quod ad communicationem divini  
amoris communicetur formaliter divina es-  
sentia.

## DUBIUM II.

*Utrum in divinis detur perfectio re-  
lativæ?*

**E**st idem, ac inquirere, an divina[re]  
relationes, quatenus virtualiter  
distinctæ ab essentia, dicant, &  
exprimant perfectionem à perfectione absoluta  
essentiæ condistinctam? Pro quo est maximè  
notandum, quod distinctio divina[re] relationis  
ab essentia duplicitè potest intelligi, vel quatenus  
distinguitur distinctione penes includens,  
& exclusum, quia nimur relatio includit  
essentiam, & aliquid amplius, scilicet respec-  
tum ad terminum, et si de ea prout sic distin-  
cta loquamur, ly ut distincta reduplicat, ne-  
dum conceptum explicitum respectus ad termi-  
num, sed etiam implicitum essentia in ea in-  
clusa, cuius distinctionis commembrum est  
ipsa divina essentia: sicut cum dicitur homo, ut  
distinctus ab animali reduplicatur, nedum con-  
ceptus rationalis, sed etiam conceptus anima-  
lis, quia est distinctio penes includens, & ex-  
clusum, cuius distinctionis commembrum est  
solum animal. Vel potest intelligi hæc distin-  
tio relationis ab essentia, quatenus ab ea di-  
singuitur distinctione penes implicitum, & ex-  
plicitum, quia nimur ipsa divina relatio li-  
cet secundum proprium, & formalem conce-  
ptum includat divinam essentiam; non tamen  
eam exprimit, sed solum respectum ad ter-  
minum. Et si de ea prout sic distinctam loqua-  
mur, ly ut distincta reduplicat solum con-  
ceptum explicitum respectus ad terminum, cu-  
jis distinctionis commembrum est ipsa divina  
essentia, quatenus in ea inclusa, & implica-  
ta. Unde obiter concordantur Authoræ, quo-  
rum aliqui negant relationem divinam ut vir-  
tualiter condistinctam ab essentia dicere per-  
fectionem absolutam essentiæ; alij vero affir-  
mant: nàm qui negant, loquuntur de divina  
relatione ut distincta ab essentia distinctione pe-  
nes implicitum, & explicitum, quod verissi-  
mum est, sicut & quod relatio divina secun-  
dum proprium, & relativum conceptum non  
exprimit divinam essentiam; qui vero affir-  
mant, loquuntur de divina relatione ut dis-  
tincta ab essentia distinctione penes inclu-  
dens, & exclusum, quod etiam verissimum est,  
sicut & quod relatio divina secundum  
proprium, & relativum conceptum divinam  
essen-

essentiam imbibit, & includit. Supponimus nāque divinam essentiam ad minus transcendentaliter, seu in ratione entis divini consideratam esse de proprio, & formal conceptu relationum. In præsenti ergo procedit dubium solum de divina relatione ut distincta ab essentia distinctione penes implicitum, & explicitum, quo in casu reduplicatur solum conceptus explicitus illius, & quia propter sic non potest exprimere perfectionem absolutam; sed si perfectionem exprimit, talis perfectio necessariò debet esse relativa, ideo consulto inquirimus, an in divinis detur perfectio relativa.

2. Deinde est maxime notandum perfectiōnem esse duplēcē, aliam transcendentalē, & aliam formalem. Perfectio transcendentalis ideo dicitur, quia convertitur cum ente, & entitatem consequitur tanquam passio illius, secundum quam res dicitur in se perfecta, & bona omni respectu, vel connotatione ad alterum præcissū, non autem consequitur entitatem, nisi quatenus est in actu: unde perfectio transcendentalis in actualitate rei consistit, ea autem actualitas non convenit rei, nisi per existentiam, vel per propriam illius formam, ut connotat existentia, cui subjicitur, & sic vel in existentia rei, vel in forma illius, ut connotat existentiam perfectiōnem transcendentalē, consistere necesse est. Ita D. Thom. pluribus in locis: nam 1. p. q. 5. art. 1. in corpore, ubi inquirit, utrum bonum differat secundum rem ab ente, ubi consequenter loquitur de bonitate, seu perfectione transcendentali, & quæ convertitur cum ente, sic habet: *In tantum autem est perfectum unumquodque, in quantum est in actu: esse enim est actualitas omnis rei, ut ex superioribus patet.* Et remittit se ad dicta in q. 7. & q. 4. art. 1. ad 4. ut constat ex nota possita in margine, quibus in locis loquitur de esse existentia: nam 1. loco probat: *Quod in Deo non sit aliud essentia, quam suum esse, quia esse est actualitas omnis forme, vel naturæ: unde bonitas, vel humanitas non significatur in actu, nisi prius significamus eam esse,* & sic oportet, quod esse comparetur ad essentiam, quæ est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam; in Deo autem nihil est potentiale, & in 2. loco: *Quod ipsum esse comparatur ad omnia ut actus; nihil autem habet actualitatem, nisi in quantum est, unde ipsum esse est actualitas omnium rerum.*

3. Deinde quæst. 6. artic. 2. in corpore sic habet: *Unumquodque dicitur bonum secundum quod est perfectum;* 3. perfectio autem alius rei triplices est, prima quidem secundum quod in suo esse constituitur, &c. Ex quibus habetur, quod prima rei perfectio transcen-

dentalis competit rei secundum quod in suo esse constituitur; quod autem per se intelligat esse existentia paterinam statim subiungit haec perfectionem ioli Deo competere per essentiam quia solus Dei essentia est suum esse. Quod etiam fit manifestum ex solutione ad 1. quod intendebat esse bonum per essentiam non esse proprium Dei, sicut nec esse unum: cum tamen non minus unum convertatur cum ente, quam bonum; unde patet argumentum procedere de bono transcendentali, & concludit solutionem, dicendo: *Et ideo oportet, quod qualibet res sit una per essentiam, non tamen bona, ut ostensum est:* sentit ergo bonitatem transcendentalē nulli rei creatæ competere per essentiam, & consequenter eam non consistere in esse essentia præcisivè ab existentia; sed vel in esse existentia, vel in esse essentia, quatenus connotat existentiam. Quod etiam patet ex solutione ad 2. quod procedebat, ex quo ipsum esse cuiuslibet rei est ejus bonum, & quilibet res est ens per suam essentiam, ubi etiam patet argumentum procedere de bonitate transcendentali, & respondet: *Quod licet unumquodque sit bonum, in quantum habet esse; tamen essentia rei creatæ non est ipsum esse,* & ideo non sequitur, quod res creata sit bona per suam essentiam. Non autem rectè concluderet Div. Thom. rem creatam non esse bonam per suam essentiam, ex quo essentia rei creatæ non est suam esse, si perfectio, seu bonitas transcendentalis non consistret in esse existentia, vel in esse essentia, ut connotat existentiam. Deinde quæst. 2. 2. de veritate artic. 2. ad 4. sic habet: *Dicendum, quod ea, de quibus Mathematicus considerat, secundum esse, quod habent in rebus, bona sunt; ipsum enim esse linea, vel numeri bonum est; sed à Mathematico non consideratur secundum esse, sed solum secundum rationem speciei; considerat enim, cum abstractione, non enim sunt abstracta in esse, sed solum secundum rationem; dictum est autem supra, quod bonum non consequitur rationem speciei, nisi secundum esse, quod habet in re aliqua,* & ideo ratio boni non competit linea, vel numero secundum hoc, quod cadunt in consideratione Mathematica, quamvis linea, & numerus bona sint: sentit ergo Doctor Sanctus essentiam quamlibet, vel speciem, seu formam cum præcissione ab existentia nullam habere bonitatem præcipue transcendentalē, sed hoc habere solum, quatenus connotat existentiam. Item eadem q. art. 5. in corpore, & ad 2. & 2. contra Gent. cap. 20. num. 3. docet D. Thom. creaturem esse bonas secundum quid per exi-

tenuiam substantialem, & bonas simpliciter per accidentia, qua ratione hominem inustum non dicimus bonum simpliciter, sed secundum quid in quantum ens, & homo, quæ est bonitas transcendentalis; hominem vero justum dicimus simpliciter bonum: ergo secundum Div. Thom. bonitas, & perfectio transcendentalis, quæ est talis secundum quid, nimirum rei in quantum est ens, competit rei per existentiam, seu per formam ut connotat existentiam.

4. Et quia præcipua controversia stat in eo, quod perfectio transcendentalis in actualitate rei consistat, sed an hæc actualitas salvetur in forma aliqua, existentia non intellecta, hoc etiam sit manifestum alijs locis D. Thom. nam q. 7. de potentia art. 3. ad 9. ait *Quælibet autem forma signata non intelligitur in actu, nisi per hoc, quod esse ponitur.* Et 2. contra Gent. cap. 5. ratione 6. ait: *Omnis forma, & actus est in potentia, antequam esse acquirat.* Et contra Gent. cap. 22. ait: *Quod esse actum nominat, dicitur enim aliquid esse ex eo, quod est in actu.* Et opusculo 15. cap. 8. expræsæ habet: *Quod essentia, vel forma præcisa existentia est nihil, prout ly nibil removet esse in actu; non vero prout removet esse in potentia.* Ratioque hoc ipsum suadet: nam existentia est actualitas entis; in quantum ens, seu in genere entis, sicut & subsistencia in genere subsistentia, & inherentia in genere accidentis, & operatio in genere operativo: ergo sicut in genere substantię non est aliquid actu, nisi per subsistentiam, nec in genere accidentis, nisi per inherentiam, nec in genere operativo, nisi per operationem, nec etiam erit aliquid actu in genere entis, nisi per existentiam.

5. Et licet ex præfata doctrina Div. Thom. satis clare convincatur actualitatem rei in ejus existentia consistere, hancque esse unicam rationem consti tuendi in actu, ita ut licet essentia, vel forma se ipsa sit actus; non tamen in actu, nisi per existentiam, unde poterat inferri in re non esse aliam perfectionem præter perfectionem existentia, quod videtur etiam expressum in D. Thom. qua ratione probavimus de voluntate art. 2. dub. 2. resol. 1. in creaturis possibilibus nullam dari actualem bonitatem, ubi objicimus, & solvimus argumenta, quæ contra hanc partem militare videntur; nihilominus, quia satis probabilis est sententia afferens existentiam, vel formam habere actualitatem, & consequenter perfectionem ab actualitate, & perfectione existentia condistinctam, sicut & entitatem, cum qua bonitas transcendentalis identificatur, propterea notanter ex doct. D. Tho. hucusque relata, soluvi deducimus actualitatem, & per-

fectionem transcendentalem competere rei per existentiam, vel essentiam, seu formam ut connotantem existentiam. Unde pro nunc omittimus existentiam, vel formam dicere actualitatem, & perfectionem formalem à perfectione, & actualitate existentia condistinctam; attamen hæc bonitas, seu perfectio non convenit existentia, vel forma, nisi quatenus connotat actualitatem, seu exercitum existentia, cui subjicitur, ita ut præcisâ existentia, seu existentia non intellecta nulla res consideretur in actu etiam actualitate essentiali, seu formali. Cujus AA. prædictæ sententiaz ponunt exemplum in unione materiæ cum forma, quæ cum utraque identificatur, cum tamén nec unius, nec alteri convenient, nisi quatenus connotat actionem agentis: unde sicut ex hujus defectu sine defectu alicuius intrinseci definit materia esse unita forme, ita ex solo defectu existentia sine defectu alicuius intrinseci definit essentia, seu forma substantialis esse in actu, & perfecta etiam propria, & formali perfectione, & actualitate.

6. Perfectio autem formalis est illa, quæ in convenientia ad alterum consilit, & quia qualibet res, vel forma per id, per quod in se est actu, & perfecta, est alteri convenientis, & ab eo appetibilis, ideo hæc perfectio super perfectionem transcendentalem solum addit respectum ad subjectum, cui conveniens est: qua ratione D. Thom. bonum, & perfectum, quod est aliquid in quantum est in actu, appellat appetibile perfectivum convenientis, & finem, ut vide re est in loco citato de voluntate, ubi probavimus contra Oxom. quod si semel creaturæ possibiles habeant bonitatem actualem transcendentalem non possunt non habere bonitatem formalem, & esse appetibilem: solum ergo bonitas, & perfectio formalis supra bonitatem, & perfectionem transcendentalem superaddit rationem convenientię perfectivę appetibilis, & finis: unde ex def. actu bonitatis, & perfectionis transcendentalis infertur etiam defectus bonitatis, & perfectionis formalis, qua ratione ait D. Thom. 1. contra Gent. cap. 18. n. 1. *Quod sicut omnis nobilitas, & perfectio inest rei secundum quod est; sic omnis defectus inest ei secundum quod aliqualiter non est:* unde inferrit, quod Deus sicut habet esse totaliter, ita ab eo absit tota lité non esse, quia per modum, per quem habet aliquid esse, deficit à non esse, & consequenter est universaliter perfectus.

7. His ergo prænotatis, & maximè ad intentum conductentibus, dubium in præsenti procedit de utraque ista perfectione, in quo est duplex difficultas, prima procedit de perfectione transcendentali, & secunda de formali.

## RESOLUTIO. I.

*In divinis non datur perfectio relativa  
transcendentalis.*

8 **E**st contra Gabrielem, Herbeum, Clitobeam, Suarez, Vazquez, Arrubal, Ruiz, Grahadum, Fósecam, Ledesmam, Zumel, Alveldam, Lisbonensem, & plures alios in manuscriptis: eam tamen tenent Ricardus, Durandus, Gregorius, Marsilius, Argentiña, Jabelus, Capreolus, Cajetanus, Ferráriensis, Valentia, Molina, Becanus, Bañez, Canariensis, Ripa, Torres, Cornejo, Nazarius, Serra, Araujo, Salmanticenses, Oxomensis, Gonet, Labat, & omnes Scotistæ.

9 Et fundatur i. varijs locis D. Thom. in quibus videtur expresse negare in Deo omnem perfectionem relativam, & consequenter transcendentalē: nam i. part. q. 52. art. 1. expresse habet: *Quantitas autem in Divinis non est aliud, quam ejus Essentia.* Ubi procedit sermo de quantitate perfectionis, & assumitur illa propositio Div. Thom. ut concludat in-equalitatem non habere locum in divinis, quia in-equalium non potest esse una quantitas numero: sentit ergo Div. Thom. quod non est in Divinis, nisi una numero perfectio, & quod hæc non est aliud, quam ejus essentia, & consequenter non relativa. Item art. 4. seq. expresse habet: *Quod magnitudo Dei non est aliud, quam perfectione naturæ.* Ubi procedit etiam sermo de magnitudine perfectionis, & assumitur hæc propositio à D. Thom. ut probet Filium esse equalē Patri secundū magnitudinem, quod neutiquam concluderet de magnitudine relativa, si hæc daretur in Deo, cum hec eo ipso aliud esset à perfectione naturæ; expresius autem loquitur ad 2. ubi sic habet: *Dicendum, quod paternitas est dignitas Patris, sicut & essentia Patris, nam dignitas est absoluta, & ad essentiam pertinet; sicut igitur eadem essentia, quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio, ita eadem dignitas, quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio;* verò ergo dicitur, quod quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius, nec sequitur: paternitatem habet Pater: ergo paternitatem habet Filius: mutatur enim quid in aliud: eadem est essentia Patris, & Filii, sed in Patre est secundum relationem dantis, in Filio secundum relationem accipientis. Argumentum autem procedebat ad probandum Filium non esse aqualem Patri ex quo paternitas pertinet ad dignitatem Patris, & paternitas non convenit Filio; casu autem, quod paternitas est perfectio relativa à perfectione

essentię condistincta; illa non esset dignitas, nec essentia Patris; nec esset dignitas aboluta, nec ad essentiā pertineret, nec verè diceretur, quod quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius: nec tandem cum fieret argumentum: quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius; sed paternitatem habet Pater: ergo paternitatem habet Filius: mutata est quid in aliud; sed conseq. esset bona, maj. autem falsa: Item ad 3. habet: *Quod omnes relationes sunt unum secundum essentiam, & esse, unde nec omnes relationes sunt maius aliquid, quam una tantum, nec omnes Personæ maius aliquid, quam una tantum, quia tota perfectione naturæ est in qualibet Personarum.* Argumentum autem procedebat, quod in Patre sunt tres notiones, in Filio autem tantum duas, ex quo autem omnes relationes sunt unum secundum essentiam, & esse, & tota perfectione naturæ sit in qualibet Personarum, solum sequitur, quod omnes relationes, omnesque Divinæ Personæ non sint maius aliquid, quam una tantum, quantum ad perfectionem essentiæ absolu-tam, quam includit, non verò quantum ad per-fectionem relatiuam, quam exprimit, si semel hæc datur. Item in quæsiunc. de Trinit. expresse ha-bet: *Fas non esse dicere tres bonos, aut magnos, li-ret reverè dicuntur tres Personæ.* Cujus reddit rationem: *Quia bonus, & magnus, sicut Deus, & omnipotens, & aeternus substantialia nomina sunt, & ad se dicuntur, &c. Pater autem, & Filius, & Spiritus Sanctus relativa nominata sunt.* Quod nec rectè concluderet abolutè, si daretur perfectio relativa, siquidem eo ipso bonitas, & magnitudo Dei abstraheret à bonitate, & magnitudine absoluta, & relativa, & sic absolute lo-quendo, bonus, & magnus non essent nomina substantialia, nec ad se dicerentur, sicut Deus omnipotens, & aeternus, quia ratione non dicitur absolute, quod entitas, realitas, & unitas sunt nomina substantialia, & ad se dicuntur, quia nimirum abstrahunt à relativo, & ab soluto. Non minus etiam fundatur nost. refolut. ab authorit. P. August. qui 6. de Trinit. cap. 2. ait: *Filius verò sicut est in se ipso, dicitur Filius, & in se ipso magnus, sed cum Patre.* Ubi clarè distinguit ratione Filij à ratione magni, quod illa dicitur ad Patrem, & non cum Patre, id est, non est com-munis sibi, & Patri, magnitudo verò è contra-dicitur ad se, & cum Patre, communisque est utrique, quod verum non est de magnitudine absolute loquendo, si daretur perfectio relativa. Ex quibus patet frivolum esse interpretationem contrariaorum, nimirum D. Thom. & Augusti, do-qui de perfectione, & magnitudine absolute, non verò de omni perfectione, & magnitudine in-venta in divinis. Patet inquam, siquidem taliter

loquuntur de perfectione absoluta; quod simul excludunt perfectionem relativam.

10 Secundo fundatur nos. resolut. ab inconvenienti: nam si semel admittitur in divinis perfectio relativa, necesse adhuc est in divinis concedere tres perfectiones relatives; at hoc est maximum inconveniens: ergo. Maj. prob. contra Nazquez, Zumel, & Lisbonensem, qui licet teneant dari in divinis perfectionem relativam, nihilominus negant eam realiter multiplicari, & prob. ex D. Thom. loco 1. cit. ubi probat in Deo non esse, nisi unam numero quantitatem, ex quo quantitas in divinis non est aliud, quam ejus essentia. sentit ergo D. Thom. quod si in divinis esset alia perfectio à perfectione absoluta essentia, nimirum relativa, illa non esset eadem numero in divinis. Secundo prob. ex eodem Div. Thom. in 3. loco, ubi probat, quod eadem dignitas, quae est in Patre, est in Filio ex eo, quod dignitas est absoluta, & ad essentiam pertinet: sentit ergo, quod si dignitas esset relativa, & ab essentia distincta, non esset eadem dignitas in Patre, & Filio. Tertio probatur ex 5. loco, ubi propterea negat D. Thom. fas non esse dicere in divinis tres bonos, aut magnos, licet recte dicuntur tres Personæ: quia bonus, & magnus, sicut Deus omnipotens, & æternus substantialia nominā sunt, & ad se dicuntur; Pater autem, Filius, & Spiritus Sanctus relativa sunt nomina; at si detur in divinis bonitas, & magnitudo relativa, jam illa nomina bonus, & magnus, quatenus significant bonitatem, & magnitudinem relativam, non essent nomina substantialia, nec ad se dicerentur: ergo de hoc loquendo fas esset dicere in divinis tres bonos, aut magnos, & consequenter tres perfectiones relatives.

11 A priori autem fundatur hoc inconveniens ex distinctione ipsarum divinarum relationum, nam in divinis dantur tres relationes realiter inter se distinctæ, licet identificatæ cum divina essentia: ergo si semel illæ secundum relatum conceptum, & quatenus virtualiter ab essentia distinctæ, dicunt perfectionem, quæ propriè est relativa, & distincta à perfectione absoluta essentia, necessariò etiam in divinis debent dari tres perfectiones relativæ realiter inter se distinctæ, licet identificatæ cum perfectione absoluta essentia. Confirmat. & explicat tota ratio quare in divinis ponitur à contrarijs perfectio relativa à perfectione absoluta essentia virtualliter conditincta, est quia in divinis datur entitas relativa conditincta ab entitate absoluta essentia, & hęc entitas relativa realiter multiplicatur in divinis: ergo in divinis multiplicari etiam debet perfectio relativa. Prob. conseq. Nam multiplicata entitate, ad quam sequitur

perfectio, non potest non multiplicari ipsa perfectio, sicut & in sententia contraria, quia essentia, vel forma substantialis creata habet entitatem ab entitate existentiæ distinctam multiplicatur etiam perfectio in essentia, & existentia.

12 Explicatur adhuc amplius: quia relatio divina ratione sui, & secundum relatum conceptum est ens, res, & una, sicut in divinis dantur tres relationes realiter distinctæ, datur etiam tres entitates, realitates, & unitates realiter distinctæ: ergo & tres perfectiones relativæ realiter distinctæ: siquidem non minus ratio perfectiois convenit diviis relationi ratione sui, & secundum relatum conceptum, quam ratio entitatis, realitatis, & unitatis. Quibus additæ regulam generalem apud Theologos, quod ea, quæ convenient divinis Personis ratione solius essentia, singulariter tantum dicuntur; ea vero, quæ eis convenient tantum ratione proprietatum, dicuntur tantum pluraliter quæ vero eis convenient ratione essentia, & proprietatum, dicuntur singulariter, & pluraliter: unde quia existentia, æternitas, duratio, & in universum omnia divina attributa convenient divinis personis ratione solius essentia, dicuntur tantum singulariter: unde non dicuntur tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus, & unus immensus; nec similiter tres æterni, nec tres omnipotentes, seu tres Domini, sed unus æternus, unus omnipotens, & unus Dominus: è tamen contra, quia ratio Personæ, & hypostasis convenient divinis Personis tantum ratione proprietatum, pluraliter tantum dicuntur, unde non dicuntur una Persona, nec una hypostasis, sed tres hypostases, & tres Personæ: ac tandem, quia ratio unitatis, realitatis, & entitatis convenient divinis Personis, & ratione essentia, & ratione proprietatum, hujusmodi dicuntur in divinis singulariter, & pluraliter: unde dicuntur una res, quæ est essentia, & plures res, quæ sunt relationes. Quæ regula non alia fundamenta habet secundum Theologos, nisi quod essentia est una, relationes vero multiplicantur. Et consequenter quæ convenient ratione essentia non possunt non retinere unitatem, quæ vero ratione relationum non possunt non pluralitatem retinere, & quæ ratione essentia, & relativorum competunt, non possunt non gaudere unitate, & pluralitate: si ergo perfectio divinis Personis competenter ratione essentia, & relationum, necessariò in eis deberet dici singulariter, & pluraliter: singulariter, quantum ad perfectionem absolutam essentia; & pluraliter quantum ad perfectionem relativam relationum, & absolute loquendo, ex quo perfectio in divinis abstraheret ab absoluta, & relativa, possent dici in divinis tres

tres perfectiones, sicut propter eandem rationem dicuntur tres entitates, realitates, & unitates.

13 Nec valet dicere cum Vazquez: quod omnes divinae relationes ad unam Dei integratem concurrunt, & sic adhuc multiplicatis relationibus non multiplicantur integritates, & consequenter nec perfectiones, si perfectio in integritate consistat; si autem perfectio in convenientia ad alterum consistat, ut sit realis perfectio, exposcit realem distinctionem à perfectibili: unde cum relatio divina à persona, quam perficit, non distinguatur realiter, non est realis illius perfectio, sed rationis tantum, & sic ex pluralitate relationum tantum sequitur pluralitas perfectionum secundum rationem, non vero secundum rem.

14 Non, inquam, valet: nam ex quo divinae relationes ad unam Dei integratem cōcurrant, solum sequitur, quod in Deo sit una integritas totalis; hæc tamen non potest non coalescere ex integratibus relativis realiter distinctis, quæ licet partiales sint respective ad integratatem Dei totalem, quælibet tamen in sua linea totali est: Pater enim ratione personæ integrè constituit per paternitatem, & hac integritas non potest non distinguari ab integritate filiationis, qua Filius in ratione personæ etiam integrè constituitur; nec ut sit realis perfectio, opus est, quod distinguatur à perfectibili realiter entitativè, vel realiter formaliter, sed sufficit, quod distinguatur eo genere distinctionis, quo perficit: ita ut si perficiat realiter entitativè, distinguatur à perfectibili realiter entitativè; si verò perficiat realiter formaliter, distinguatur realiter formaliter ab eo: ac tandem si solum realiter virtualiter perficiat, solum realiter virtualiter ab eo distinguatur. Qua ratione pròpter solum talem distinctionem attributa divina dicuntur reales perfectiones, & Deus per ea realiter perfectus, & est exemplum in ipsa divina relatione, quæ propter similem distinctionem est reale constitutivum personæ, & persona dicitur per eam realiter constituta. Exemplificatur etiam in actione, de cuius ratione est solum, quod distinguatur realiter à principio eo genere distinctionis, quo ab ipso egreditur: unde quia à divina potentia egreditur solum realiter virtualiter, solum ab ea realiter virtualiter distinguitur. Notant tamen nos. Thomist. loquendo de constitutivo personarum duplē esse modum constitutionis: scilicet per omnimodam entitatem, & per compositionem, vel admodum compositionis: juxta primum modum non requiritur distinctione constituentis à constitutivo, sed idem se ipso constituitur, qualiter Deus se ipso est

Deus, & Pater se ipso est Pater: juxta secundum requiritur distinctione constituentis à constituto, & juxta qualitatem distinctionis est qualitas constitutionis: unde cum divina persona à proprietatibus non distinguantur realiter entitativè, vel formaliter, sed solum realiter virtualiter; juxta secundum modum constitutionis, persona non constituuntur per ipsas constitutione reali entitativa, vel formaliter, sed solum reali, virtuali, & formaliter per rationem: bene tamen juxta primum modum: juxta quem secundum modum constituendi pariter in praesenti distinguimus duplē modum perficiendi: unde loquendo de primo modo perficiendi, persona divina dicitur realiter formaliter, & entitativè perfecta; loquendo vero de secundo est solum realiter virtualiter perfecta, supposita perfectione relativa.

15 Nec valet etiam dicere cum Lisboniensi: quod ratio perfectionis relativa non competit divinis relationibus per ordinem ad terminum, sed per ordinem ad subjectum, quod perficiunt, & ad fundationem, ex quo ostendunt habent, in ordine ad quod nullam oppositionem habent, cum sit unum, & idem respectu omnium relationum, utpote absolutum: unde cum relationum multiplicatio ex illarum oppositione procedat, consequenter principium multiplicationis relationum cessat in illarum relativa perfectione: Non, inquam, valet: nā ordo ille relationis ad subjectum, si semel est ordo competens relationi divina secundum propriū relativum conceptum, non est ordo ad subjectum sistendo in illo, sed quatenus illud ordinat, & refert ad terminum: similiter ordo divinae relationis prout sic ad suum fundamentum non est ordo absolutus, nisi sit ad fundamentum sistendo in illo, sed in ordine ad terminum, non quia fundamentum referat ad terminum, sed quia ab illo dimanat, ut entitas relativa ad aliud: ergo relatio divina adhuc prout dicit ordinem ad subjectum, & fundamentum importat, & dicit ordinem ad terminum, & consequenter importat oppositionem relativam.

16 Fatetur autem, quod in relatione adiquatè considerata secundum relativum conceptum est distinguere duplē conceptum inadiquatum: nā cum adiquatè considerata referat subjectum ad terminum, in ea est distinguere, & respectum inadiquatum ad subjectum, & respectum inadiquatum ad terminum; attamen hæc distinctione inadiquata est secundum nostrum modum concipiendi, non verò ex parte objecti, nisi quatenus correspondet nostro conceptui formaliter, vel, ut alii dicunt, reduplicata significacione terminorum, nām

rum quatenus significatur hoc nomine *personalitas*, vel hoc nomine *paternitas*: nam hoc nomine *personalitas* significatur purè, quatenus dicit respectum inadæquatum ad subjectum, quia sub illo solum Patrem in esse personæ constituit, & sub illo fortitur rationem formæ hypotheticæ; nomine vero *paternitas* secundum respectum ad terminum, sub quo constituit Patrem formalissimè in esse Patris, & sub illo formalissimam rationem; & proprium munus relationis, attamen objectivè, seu formaliter formalitate rei uterque ille inadæquatus respectus est unus formalissimus respectus: unde respectus relationis, sive ad subjectum, sive ad fundamentum, si adequate cōcipiatur, non potest concipi, quia in concipiatur etiam ut respectus ad terminum: ergo respectus divinae relationis ad subjectum, & fundamentum objectivè & formaliter formalitate rei oppositionem relativam, & consequenter principium multiplicationis divinarum relationum non cessat in illarum relativa perfectione: unde apparet statim instantia in ipsis divinis relationibus, quatenus personalitates sunt, seu constitutivæ personarum prout sic enim in Deo multiplicantur; & tamen prout sic non dicunt respectum ad terminum, sed solum ad subjectum, & hoc ideo quia respectus ille ad subjectum est formaliter relativus objectivè, seu formaliter rei, licet non formalitate significantis, vel modi concipiendi: ergo à simili.

17 Sed dices: secundum D. Thom. loco cit. ex 1.p.q.42.art.4, sicut eadem essentia, qua in Patre est paternitas, in Filio est filiatio: ita eadem dignitas, qua in Patre est paternitas, in Filio est filiatio: sentit ergo D. Thom. quod dignitas conveniens Patri ex paternitate est eadem, ac qua convenit Filio ex filiatione. Sed resp. ita esse; attamen hoc ideo, quia ut ait D. Thom. verbis precedentibus, paternitas est dignitas Patris, scit & essentia Patris: nam dignitas est absoluta, & ad essentiam pertinet: unde & negat D. Thom. hanc cōseq. quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius, paternitatem habet Pater: ergo paternitatem habet Filius: mutatur enim quid in aliiquid, id est, absolutum in relativum.

18 Item dices: secundum D. Thom. omnis perfectio sumitur ex ordine ad esse; sed esse omnium relationum est unum: ergo, & perfectio. Anteced. prob. ex D. Thom. q.8. de verit. art. 1.ad 22. ubi dicit, quod nullo modo concedendum est, quod aliud sit esse relationis in divinis, & aliud esse essentia. Respond. ita esse, quod esse relationum est esse essentia; attamen si semel datur perfectio relativa, haec non potest desummi ex ordine ad esse absolutum essentia; sed

ex ordine ad esse relativum, quod non potest non multiplicari multiplicatis relationibus, ut dictum est. Dices: quod ahdū esse relatum non multiplicatur multiplicariis relationibus, quod probatur ex D. Thom. in 1.dil. 33.art.1. ad 2. qualific. ubi inquit: *Quod sicut in Filio est esse essentia, est esse paternitatis, quia in divinis non est, nisi unum esse.* Ubi manifestum est, quod condistinguendo esse essentia ab esse paternitatis non potest accipi esse paternitatis, nisi pro esse relativō; at D. Thom. docet, quod sicut est in Filio esse essentia, ita est esse paternitatis: ergo illudmet esse relativum, quod est Patris, est Filii, & non solum esse absoluum, quod essentia.

19 Sed respond. quod juxta precedentem authorit. D. Thom. non est concedendum aliquo modo, quod aliud sit esse relationis in divinis, & aliud essentia, & loquitur de alietate virtuali: immò in verbis citatis ait, quod in divinis non est, nisi unum esse, & loquitur de unitate virtuali: nam unitas, vel identitas entitatis; vel formalis etiam reperitur inter paternitatem, & essentiam: ergo cum D. Thom. ait, quod sicut in Filio est esse essentia, etiam esse paternitatis, ly sicut non condistinguunt esse essentia ab esse paternitatis, sed solum condistinguunt ea, quibus esse essentia communicatur.

20 Minor autem principalis, nimirū tales tres perfectiones relativas inter se realiter distinctas in divinis concedere, esse maximum inconveniens, prob. contra ceteros Authores, & in primis est contra D. Thom. & contra P. August. nam D. Thom. ut dictum est in quælibet de Trinitate habet, fas non esse dicere in divinis tres bonos, aut magnos; licet recte dicantur tres personæ. Similiter August. 5.de Trinit. cap. 8: sic habet: quemadmodum Deus est Pater, Filius Deus est, & Spiritus Sanctus Deus est, non tamen tres Deos dicimus, sed unus Deus: ita magnus Pater, magnus Filius, magnus Spiritus Sanctus: non tres magni, sed unus Magnus. Tunc sic sed si darentur in divinis tres perfectiones relativa, fas esset dicere in divinis tres realitates relativa divinae personæ, dicuntur tres res ideo.

21 Dices cum quodam Dominicano Magistro in suis manuscriptis: quod quia Hæretici negant bonitatem, & magnitudinem aqualem in omnibus divinis personis quantum ad essentia, & magnitudo, vel bonitas indifferens est ad absolutam, & relativam: prop. t'era August. & D. Thom. negant absolute in divinis tres bonos, aut magnos, ne conveniamus cum Hæreticis in terminis: potest tamen absolute concedi in Divinis esse tres bonos, aut magnos inter Catholicos sapientes. Cujus poait exemplum in hoc

hoc termino *creatura*, quæ indifferens est ad suppositum, & naturam, & quia aliqui Hæretici assertebant Divinum Verbum esse creaturam, ne conveniamus cum illis etiam in verbis, non conceditur absolutè ista proposicio: *Christus est creature*, sed cum addito, scilicet in quantum homo, et si inter Catholicos sapientes absolutè posuit concedi.

22 Sed hæc solutio ad hominem impugnatur: nam si Hæretici negabant bonitatem, & magnitudinem æqualem in omnibus divinis personis quantum ad essentialia, eo ipso etiam negabant entitatem, realitatem, & unitatem æqualem quantum ad essentialia: ergo si quia magnitudo, vel bonitas indifferens est ad absolutam, & relativam, solum inter Catholicos sapientes potest concedi in divinis esse tres bonos, aut magnos: pariter solum inter Catholicos sapientes posset concedi in divinis esse tres unitates, realitates, & entitates. Deinde Hæretici, contra quos procebat August. & D. Thom. nedum negant in divinis personis æqualitatem quoad essentialia, verum & quoad personalia: ergo juxta solutionem non possunt concedi in divinis tres boni, aut magni, etiam cum addito, nimirum bonitate, aut magnitudine personali, ne cum haereticis conveniamus in verbis, et si inter Sapientes posuit concedi. Deinde in eodem sensu ait August. quod tres divinae persone non sunt dicenda tres boni, aut magni, iu quo ait, quod non sunt dicenda tres Dij, neque absolutè, nec cum addito, nec inter sapientes possunt dici tres Dij: ergo nec tres boni, aut magni. Similiter Div. Thom. reddit rationem, quia bonus, & magnus, sicut Deus, omnipotens, & aeternus substantialia nomina sunt, & ad se dicuntur: sentit ergo Div. Thom. quod praedicta nomina absoluta nomina sunt, & ad se dicuntur, non minus ac Deus, omnipotens, & eternus, & consequenter quod in eodem sensu, in quo non est fas dicere tres Deos, tres omnipotentes, & aeternos, non est etiam fas dicere tres bonos, aut magnos.

23 Deinde fundatur ratione, tres illas perfectiones in divinis concedere esse maximum inconveniens: nam sequitur, tres divinae personae non esse inter se æquales; at hoc est maximum inconveniens: ergo Min. patet: nam in Symb. Atanasij habetur: *Quod tres divinae persone coeterae sibi sunt, & coæquales*. Quod etiam videtur diffinitum in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 2. & habetur in cap. *Firmiter de Trinitate*. Seq. autem prob. 1. ex D. Thom. loc. cit. nam 1. p. q. 42. art. 1. concludit inæqualitatem non habere locum in divinis, ex quo in divinis est una tantum numero perfectio. Et art. 4. seq. concludit Filium esse æqualem Patri se-

cundū magnitudinem, quia magnitudo Dei non est aliud, quæ perfectio naturæ. Et lo. ad 2. habet: *Filium esse æqualem Patri*, quia quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius. Et ad 3. quod procedebat *Filium esse inæqualem Patri*, quia in Patre sunt tres notiones, & in Filio tantum duæ: respödet non propterea esse *Filium inæqualem Patri*, quia tota perfectio naturæ est in quilibet personarum, planè supponendo in divinis non esse aliam perfectionem præter perfectionem naturæ: ergo sistendo in doctrinal. Thom. non potest salvare æqualitas inter divinas personas, si in eis multiplicantur perfectiones, ut 1. D. Thom. concludit solum earum æqualitatem quantum ad absoluta, & æqualitatem quantum ad relativa intactam reliquit.

24 Ratione autem fundatur: nam si multiplicarentur praedictæ perfectiones in divinis, illæ essent specie, vel quasi specificè distinctæ, non minus ac relations ipsæ; at hoc ipso personæ per eas constituta se haberent tanquam excedens, & excessum juxtra Philosoph. atlerentem 8. Metaph. quod species sunt, sicut numeri, quorum quilibet excedit ab aliis species distincto: ergo.

25 Prima solutio est, relations in Divinis esse diversæ rationis, & sic inter se nec habere æqualitatem, vel inæqualitatem: Sed contra est: nam substantia, & accidentes etiam sunt diversæ rationis, & similiter Deus, & creature, & tamen est in eis formalis inæqualitas, & hoc ideo, quia ad formalem inæqualitatem præter differentiam essentiali unius, & alterius, sufficit convenientia analogica utriusque in ea ratione, intra quam differunt, v. g. in ratione entis: ergo cum sic analogice convenientia divinae relations in ratione communi relationis, vel personalitatis, ut communiter tenent Theologi, consequenter illa diversitas rationis non obstat eorum inæqualitatib. Cujus etiam pone exemplum in divinis attributis, quæ etiam sunt diversæ rationis, & sunt inter se formaliter inæqualia juxta veriorem sententiam. Nec valet: quod divinae relations adhuc in nostra sententia distinguuntur essentialiter, & tamen nullum habent essentiali excessum: nam hoc ideo est quia in nostra sententia, nec dicunt relativam perfectionem, cum tamen excessus, sicut & æqualitas, necessario fundetur in quantitate, sive numeri, sive virtutis.

26 Secunda solutio est, specificam distinctionem inferre inæqualitatem in creatis, ut et essentialis est essentialiter limitata, & si quilibet alia essentialis est extra rationem alterius formalis; in divinis autem omnes relations inæqualitatem. Sed contra est: quod licet relationes di-

vina sunt infinitae, una tamen est extra rationem formalem alius, nemus explicite, sicut attributa, verum etiam objective, & implicite: quia relationes non invicem se includunt propter oppositionem. Deinde propterea specifica distinctione inferat inaequalitatem formalem perfectionis, quia secundum Philosophum species sunt, sicut numeris; at inaequalitas in numero, nemus reperiatur in creatis, sed etiam in divinis, tres enim divinae per longinu[m] in numero excedunt unam, vel duas: ergo etiam debet reperiari in divinis inaequalitas perfectionis, si semel in divinis relationes multiplicentur.

27 Tertia solutio est non quamcumque distinctionem specificam constitutre inaequalitatem inter aliqua, sed illa sola, que habet gradualem latitudinem, seu quantitatem, aut extensionem virtutis, quam non habent personæ divine, ut patet ex August. relato à D. Thom. r. p. q. 42. art. 1. ad 1. dicente: *Filiu[m] esse aequali[m] Patri, quia Pater nec procedit dignitate, nec exceedit magnitudine, nec superat potestate.*

28 Sed in primis ex predictis verbis Augustini, ut D. Thom. loco cit. aequalitatem in divinis, quia quantitas virtualis attenditur primo in ipsa perfectione formæ, vel naturæ, quasi in radice: secundo in effectibus formæ: primus autem effectus est esse, secundus effectus est operatio, & sic quantitas virtualis attenditur secundum esse quidem, in quantum ea, quæ sunt perfectionis naturæ, sunt majoris durationis; secundum operationem vero in quantum ea, quæ sunt perfectionis naturæ, sunt magis potentia ad agendum. Sic igitur August. dicit, quod aequalitas intelligitur in Patre, & Filio, & Spiritui Sancto: ergo ex verbis Augusti, solùm sequitur secundum D. Thom. aequalitas in divinis quantum ad perfectionem naturæ, & quantum ad durationem pertinentem ad esse, & potentiam pertinentem ad operationem. Deinde aequalitas, vel inaequalitas secundum Philosoph. 5. Methaph. & D. Thom. loco cit. non attenditur, nisi secundum quantitatem, sive molis, sive virtutis: si ergo in divinis relationibus non est quantitas, sive extensionis virtualis, nec erit in eis aequalitas, vel inaequalitas, cum quantitas molis eis omnino repugnet. Item: quantitas perfectionis est quantitas virtutis, sive radicalis, sive formalis: si ergo in relationibus divinis non est quantitas virtutis, nec erit in eis quantitas perfectionis: tunc sic; sed ubi non est quantitas perfectionis, nec est perfectio, siquidem perfectio non potest esse, nisi parva, aut magna: ergo.

29 Tandem filium est in divinis relationibus non dari gradualem latitudinem, seu quantitatem, vel extensionem virtutis, si semel dicuntur

relativam perfectionem: tum quia eo ipso quælibet perfectio relativa esset iniuncta, & aequivalens omni perfectioni relativa create, omnemque eam eminenter continens, & in infinitum excedens: nec enim in alijs existere quicunque gradus latitudo, seu quantitas, vel extensionis virtutis divine, & cujuslibet attributi divini: tum quia in paternitate plura numera relativam distinguuntur, quam in filiatione: siquidem fundatur inseparabilitatem, respicit Filium, & radicaliter terminatur ad Spiritum Sanctum, cum ramen filiatione, & a fortiori passiva spiratio non tot munera exprimat: ergo si secundum hujusmodi munera dicunt perfectionem, non potest inter divinas relations adhuc inter se consideratas, & nemus relatae ad creature, non esse gradualem latitudinem, vel quantitatem, aut extensionem virtutis: immò si in divinis relationibus esset gradualis latitudo numeralis, cur non erit gradualis latitudo perfectionis? Cum in dicentibus perfectionem gradualis latitudo numeralis inferat gradualem latitudinem perfectionis, ut dictum est.

30 Secundo fundatur inconveniens sic: nam aequalitas inter divinas personas ita est summa, & infinita omnem excludens inaequalitatem, ut nedum una persona non sit aliquid majus altera, sed nec omnes simul sint aliquid majus una; ac haec, & infinita aequalitas nequit salvati multiplicatis perfectionibus relativi: ergo Min. videatur certa: siquidem tres perfectiones majus aliquid sunt, quam una tantum; maj. autem est expressa D. Thom. loco cit. ex 1. part. q. 42. art. 1. ad 3. ubi expresse habet, quod nec omnes relations sunt majus aliquid, quam una tantum, est que expressa D. August. lib. 15. de Trinit. cap. 5. ubi sic habet: *In substantia veritatis non solùm Patrem Filio esse majorem, sed nec ambo simul aliquid majus esse, quam solus Spiritus Sanctus, aut quoslibet duos in eadem dignitate majus aliquid esse, quam singulos.* Et Scim. 38. de temp. sic habet: *Tantus solus est Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus Sanctus, quantus est simul Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, quia non est, quo crescat illa perfectio immense Trinitatis.*

31 Dices: his locis fermone procedere de majoritate intensiva, non extensiva: nullum enim est inconveniens tres divinas personas extensivè esse perfectiores, quam quilibet illarum, sicut nec omnia attributa esse extensivè perfectiora, quam singula. Sed hanc solutionem non esse genuinam interpretationem, immò potius voluntariam, ex contextu ipso liquido constat: nam ly non sunt aliquid majus, omnem prorsus excessum excludit: quin immò August. expresse affirmat, quod non est, quo crescat illa major

perfectio. Deinde; nām perfectio proveniens à nova actualitate, & forma non est solum extensiva, sed intensiva: quilibet enim forma afferit secum suam intensivam perfectionem, sicut & actualitatem: unde major perfectio extensiva non sit per additionem novæ formæ, sed per maiorem extensionem formæ præexistentis; sed perfectio relativa in divinis non procederet ab essentia communi tribus personis, sed à relatione virtualiter ab illa dimanante: ergo. Ad exemplum attributorum negamus omnia attributa non esse intensive perfectiora, quam singula, siquidem quodlibet illorum afferit suam intensivam perfectionem à perfectione alterius distinctam, immò hac ratione divina essentia perfectior intensivè intelligitur pro signo continentia actualis, & formalis attributorum, quam pro signo continentia pure eminentialis, & radicalis; attamen hec intensiva inæqualitas non inconvenit in divinis, quia est solum attenta propria linea, proprioque, & explicito formalī conceptu uniuscujuslibet, quomodo essentia divina perfectior est attributis, & unum attributum perfectius est altero; cum tamen essentia divina, & attributa ex ratione communione entis divini, & puri actus in eis transcendentaliter, & implicitè imbibita invicem se includant, absolute, & simpliciter non sunt inæqualia, sed æqualia; nedum intensivè, sed etiam extensivè, ita ut quodlibet attributum in Deo objectivè, & implicitè est essentia, & cetera attributa, & totus Deus; attamen divinæ relations non se invicem includunt propter oppositionem, & sic si ad eārum multiplicationem multiplicarentur perfectiones, ratio unius non includeret perfectionem alterius relationis, & sic omnes relationes simili essent etiam intensive perfectiores, quam singula, absolute loquendo.

32. Sequitur 2. ex quo tres illæ perfectiones concedantur in divinis, in nulla ex divinis personis salvari rationem entis summe perfecti, & simpliciter infiniti, quod non est minus inconveniens, quam præcedens, quod sic ostendit: nām eo ipso aliqua perfectio esset in Patre, quæ non esset in Filio, & è contra, v. g. perfectio relativa paternitatis esset in Patre, & non esset in Filio, & relativa perfectio filiationis esset in Filio, & non in Patre; at de ratione entis summe perfecti, & simpliciter infiniti est continere omnem perfectionem simpliciter simplicem, & quæ non dicit imperfectionem, qualem non diceret perfectio relativa, alias Deo repugnaret: ergo.

33. Prima solutio est, quod licet perfectiones relative propriæ cujuslibet personæ non sint in alia formaliter, sunt tamen eminenter ratio-

ne divine essentia, in qua ob suam infinitam, & maximam perfectionem omnes, & singulæ relativæ perfectiones eminenter continentur, hancq; eminentiam continentiam sufficere, ut in quilibet divina persona salvetur ratio entis summe perfecti, & simpliciter infiniti. Sed contra stat semper argum: nām juxta communem Theologor. sententiam, de ratione entis summe, & infinite perfecti est, nedum eminenter, sed eminenter formaliter continere omnem perfectionem simpliciter simplicem. Unde quia Deus est summe, & infinite perfectus, probant Theologi cum D. Thom. i. p. q. 4. art. 2. Deum eminenter formaliter continere omnem perfectionem simpliciter simplicem, ut sapientiam, vitam, intellectionem, &c. Sed dices hanc impugnationem habere manifestam instantiam: siquidem etiam si relatio non diceret perfectionem per hoc quod relatio deficeret, Deus esset imperfectus, quia relatio est prædicatum pertinens ad constitutionem naturæ, ut aliqui adversarij volunt, vel est terminus essentialiter exactus ab ipsa natura, ut magis communiter tenent Thomistæ, quo deficiente necessario deficeret Deus, vel esset Deus alterius rationis, quam modo est: ergo independenter à perfectione relativa sequitur inconveniens propositum. Sed contra est: quod licet deficiente relatione, Deus esset imperfectus, etiamsi relatio non diceret perfectionem; sed hoc non est, quia carentia relationis esset carentia alicujus perfectionis in Deo formaliter non contentæ, sed quia argutive ex carentia relationis sequitur carentia perfectionis absolutæ divinæ essentia, quæ subsistere non potest sine sui summa fecunditate, & communicatione: unde sine relationibus nec esset Deus; in nostro autem casu non esset imperfectus ex carentia perfectionis absolutæ divinæ essentia, sed perfectionis relativæ, quæ etiam esset perfectio simpliciter simplex; unde & esset Deus, & non esset summe, & infinite perfectus, quod implicitorum est.

34. Sed dices: quod licet perfectiones relativæ sint perfectiones simpliciter simplices, quia tamen sunt relativæ, sunt etiam incommunicabiles propter eārum oppositionem, & sic non qualibet relatio est debita cuiilibet divinæ personæ, & propterea ut in qualibet salvetur ratio entis summe perfecti, & simpliciter infiniti, non opus est, ut formaliter contineat quilibet perfectionem relativam, licet semper necesse sit continere formaliter omnem perfectionem absolutam, & relativam eminenter. Sed contra instat semper nostra repugnantia: nam si semel persona divina est ens summe, & infinite perfectum, fictitia, & potius chimerica est perfe-

atio, quæ illi formaliter opponitur, & ei formaliter incomunicabilis est, sicut chimerica esset omnino perfectio etiam relativa, quæ Deo formaliter convenire non posset, quia Deus est summe, & infinite perfectus. Nec valet: quod Deus est infinitus in omni genere; Pater autem solum in linea determinata. Non, inquam, valet: nam perfectum in linea determinata non est absolute, & simpliciter perfectum, cum tamen Pater absolute, & simpliciter summe, & infinite perfectus sit. Dices: quod hoc est verum loquendo de Patre, ut Deus est; non vero formalissime de ipso ut Patre. Sed contram si semel Pater ut Deus est absolute, & simpliciter summè, & infinite perfectus, in Patre prout Deus deberet formaliter contineri omnis relativa perfectio; at hoc etiam est falsum: ergo. Patet min. nam, ut diximus ex D. Tho. in Patre est Deitas secundum relationem dantis, & ei prout sic modicata repugnat filiatione: sicut è contra ei prout in Filio, & filiatione modicata repugnat paternitas, quia in Filio est secundum relationem accipientis. Unde probat Div. Thom. quæst. 2. de potentia artic. 5. in corpore, quod licet eadem essentia sit communis Patri, & Filio, non tamen in utroque est principium quo generationis, sed solum in Patre propter oppositionem paternitatis cum filiatione.

35. Immo ex hoc ipso impugnatur solutio prædicta: nam continentia eminentialis relationum in divina essentia non est continentia causalitatis, quo modo perfectiones creatæ, quæ habent admixtam imperfectionem, continentur eminenter in Deo, sed est solum continentia radicalis, quatenus essentia divina est virtualiter radix, & principium illarum; at licet eadem essentia, quæ est in Patre, sit in Filio, non tamen prout in Filio radicat paternitatem, cum in Filio sit prout ab alio communicata, seu secundum relationem accipientis, proindeque paternitatem supponit pro priori originis: ergo

36. Nec valet sufficere, ut Filius sit infinite perfectus, quod in eo sit divina essentia continens eminenter, seu radicaliter perfectiones alias relativas, licet eas non contineat reduplicativè prout in Filio, quia eo ipso verificatur, quod in Filio sunt realiter eminenter, & radicaliter omnes perfectiones relativæ. Quod & exemplificatur in Spiritu Sancto: licet enim Spiritus Sanctus ex vi processionis non sit formaliter Deus, quia tamen concordanter est Deus, verificatur, quod Spiritus Sanctus absolute, & formaliter est Deus. Sed contra est: in primis exemplum non est ad rem: alias sicut de Spiritu Sancto absolute, & formaliter verifica-

tur, quod est Deus de Filio etiam verificaretur absolute, & formaliter quod sit Pater. Deinde: in Spiritu Sancto ex vi processionis est formaliter ratio impulsus divini, quæ per identitatem formaliter est ipsa natura divina, à qua proinde denominatur formaliter Deus; in Filio verò non est divina essentia, nisi prout ab alio communicata, quæ prout sic non potest radicare paternitatem, cum eam supponat. Tandem: nam non solum divina essentia reduplicative prout in Filio non radicat paternitatem, verùmetiam specificativè, nimirum in Filio non eam radicat, ut nuper dicebamus, siquidem in Filio paternitatem supponit. Unde sicut hæc consequentia non valet: eadem essentia, quæ est in Patre, est in Filio; sed essentia in Patre est paternitas: ergo & in Filio: ita nec valet: sed essentia, quæ est in Patre, radicat paternitatem: ergo & in Filio: immo cum essentia in Patre, nedum eminenter, seu radicaliter; sed etiam formaliter sit paternitas, sic etiam esset in Filio.

37. Tertiò impugn. prædicta solutio: nam data illa continentia eminentialis, seu radicali in qualibet persona ratione essentiæ, illa non sufficeret divinam personam constituiere in ratione entis summè perfecti absolute, & simpliciter, quod ostenditur i. quia perfectio propria aliquius personæ in hac sententia est formaliter relativa; sed ipsa eadem perfectio prout eminenter contèta in divina essentia non est formaliter relativa, sed absolute, sicut & essentia ipsa formaliter absoluta est: ergo nunquam verificatur, quod perfectio propria Patris est ullo modo in Filio, licet in Filio sit essentia continens eminenter perfectionem propriam Patris, immo perfectio sive effectus, sive proprietatis creatæ in se est distincta etiam quoad substantiam à se ipsa ut reduplicativè contenta in sua causa, vel radice: ergo à simili proportione servata de perfectione divina, quæ eminenter, & radicaliter continetur in divina essentia, & consequenter hac continentia non obstante, semper est verum, quod perfectio propria Patris deest Filio, & quod Filius non est summè, & infinite perfectus absolute, & simpliciter.

38. Secundo hoc ipsum ostenditur: nam illa continentia eminentialis non tolleret, quod perfectius contineretur perfectio paternitatis in Patre, quam in Filio: siquidem in Patre contineretur, nedum eminenter ratione essentiæ, sed formaliter ratione sui: ergo nec sufficit constituiere divinam personam in ratione entis summè perfecti absolute, & simpliciter: nam de ratione hujus est non quomodolibet, sed perfectissimo modo continere omnem perfectionem simpliciter simplicem, ac perinde modo ima-

gimabilis perfectioni. Cujus etiam ponitur exemplum in ipsa divina essentia: etenim pro signo continentia eminentialis, seu radicalis earumdem perfectionum non ita perfecta intelligitur, sicut intelligitur pro signo continentiae actualis, & formalis: nam perfectiones relativae essent debitas essentiae, & eam perficerent perfectione distincta à sua propria perfectione: continentia ergo actualis, & formalis perfectionis relativae perfectionem addit supra continentiam eminentialem, & radicalem ejusdem: unde Pater perfectius intelligeretur quatenus formaliter Pater, quam quatenus Pater solum eminenter: non ergo sufficit continentia illa eminentialis constituere divinam personam in ratione entis summe perfecti absolute, & simpliciter.

39 Nec valet: quod ut Deus, & homo, v.g. Christus non excedat se ipsum ut pure est Deus, sufficit perfectionem humanitatis in Deo eminenter contineri. Non, inquam, valet: tunc quia licet perfectio humanitatis in Deo solum eminenter continetur, & in homine formaliter; in Deo tamen continetur sine imperfectione: humanitas enim secundum esse, quod habet in Deo virtuale nullam imperfectionem includit; cum illud esse sit divinum; in homine vero continetur cum admixtione impecfectionis, & consequenter absolute loquendo, perfectius continetur perfectio humanitatis in Deo ex vi solius continentiae eminentialis, quam in homine ex vi continentiae formalis, & actualis, & sic non mirum, quod Christus, ut Deus homo non excedat se ipsum, ut Deum: divinae autem relationes in se, & formaliter nullam habent admixtam imperfectionem, & sic non est paritas. Tunc etiam: quia in praedicto exemplo fit additione boni finiti ad bonum infinitum, bonum autem finitum ad bonum infinitum comparatur, ut punctum ad lineam: unde sicut linea ex additione puncti non fit aliquid majus, sic nec bonum infinitum ex additione finiti. Ita Div. Thom. in 3, distinct. 6, quest. 2. artic. 3. ad 1. in nostro autem casu fieret additione boni infiniti, quia perfectio relativa infinita est, sicut & divina.

40 Secunda solutio est: quod ex quo omnes perfectiones relativae non sint in qualibet persona, solum sequitur quamlibet illarum non esse summe, & infinite perfectam extensive, non vero intensive. Sed haec solutio coincidit cum praecedenti: siquidem quamlibet personam in particulari esse summe, & infinite perfectam intensive, est secundum ipsos omnem relativam perfectionem continere eminenter, seu radicaliter. Deinde impugnatur ex dictis supra loquendo de excessu omnium divinarum personarum

supra quamlibet in particulari, quod nimis rurum perfectio proveniens à nova forma est, nedum extensiva, sed etiam intensiva. Et quis dicat Patrem per paternitatem solum extensivè perfici, si semel dicit relativam perfectionem, cum per eam constituantur, & distinguantur à qualibet alia persona? Et quis dicat essentiam divinam pro signo continentiae actualis, & formalis attributorum non intelligi perfectiorem etiam intensive, quam pro signo continentiae eminentialis in sententia, quod attributa important perfectionem à perfectione essentiae distinctam? At tandem si de ratione entis summe perfecti absolute, & simpliciter est formaliter continere omnem perfectionem simpliciter simplicem, quomodo stat intelligi summe, & infinite perfectum intensive, & non extensive? Alias posset Deus intelligi summe, & infinite perfectus absolute, & simpliciter intensive, quamvis non intelligeretur ut continens formaliter omnem perfectionem simpliciter simplicem.

41 Tertia solutio est: quod licet una persona non habeat formaliter perfectionem relativam alterius quantum ad modum, nimis relative, vel constitutive, bene tamen terminativè, vel principiatively, quatenus per circummissionem Filius est in Pater, ut terminus actionis immanentis in principio, & Pater in Filiō, ut principium in termino, & hæc reciproca existentia unius personæ in alia sufficit, ut in eis salvetur ratio entis summe, & infinite perfecti absolute, & simpliciter.

42 Sed haec solutio facile impugnatur, primum: quia juxta hanc solutionem in hac consequentia: Quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius; sed paternitatem habet Pater: ergo paternitatem habet Filius, non mutaretur quid in ad aliquid, sed solum modus ad aliquid, quod est contra Div. Thom. ut patet ex dictis. Deinde: paternitatem esse in Filio ut principium in termino, non est paternitatem esse in Filio, vel filiationem esse in Pater per modum formæ intrinsecè, & formaliter perficiens: alias Filius esset formaliter, & intrinsecè Pater, & formaliter Pater esset Filius. Tandem: modus habendi paternitatem, vel filiationem relative, & constitutive nobilior, & perfectior est, quam modus habendi eam pure terminative, vel principiatively: non ergo per illam circummissionem salvatur Patrem, vel Filium esse summe, & infinite perfectum absolute, & simpliciter.

43 Quarta solutio est: quod licet relativa perfectio unius personæ non sit in altera formaliter, est tamen equivalenter, quia tam infinitam perfectionem dicit paternitas in suo genere, sicut filiatio in suo, utraque enim est infinita.

ta perfectio. Sed hęc solutio impugnata manet ex dictis, & præterea specialiter impugnatur, ex quo Div. Thom. 1. contra Gent. cap. 42. probat non esse, nisi unicum Deum, quia si esset duplex Deus, aliqua perfectio deesset uni, quæ esset in alio. Sed juxta prædictam solutionem recte responderent Gentil. dicendo, quod perfectio unius Dei deficeret alteri formaliter, non tamen equivalenter, quia tam infinita esset in suo genere perfectio unius, sicut & perfectio alterius: ergo prædicta solutio non valet, sed dicendum necessario ad rationem entis summe, & infinite perfecti requiri, quod ei nulla desit formaliter perfectio.

44 Dices: quod si esset duplex Deus, non esset in utroque eadem numero natura, sed diversa, & tunc aliqua perfectio absoluta esset in uno, quæ non esset in alio etiam æquivalenter. Sed contra: nam in nostro casu propterea perfectio paternitatis esset æquivalenter in Filio, quia tam infinitam perfectionem relativam diceret paternitas in suo genere, sicut filatio in suo; at etiam in casu quod esset duplex Deus tam infinitam perfectionem absolutam diceret natura unius Dei in suo genere, sicut natura alterius in suo: ergo. Dices: quod in illo casu unus illorum non esset infinitus, sed finitus in suo genere absoluto, & sic esset Deus, & non esset Deus in nostro autem casu omnes divinæ personæ sunt simpliciter infinitæ, & divinæ. Sed contra: nam propterea unus illorum Deorum non esset infinitus, sed finitus in suo genere absoluto, & propterea esset Deus, & non esset Deus, quia unus illorum non contineret formaliter alterius perfectionem absolutam; at in nostro casu qualibet ex divinis personis non contineret formaliter alterius perfectionem relativam: ergo nec esset infinita in suo genere relativo. Dices Philosophum demonstrare in 8. Physicorum, quod in uno genere non est, nisi unum infinitum, & sic in genere essendi absoluто non est possibilis nisi unus Deus. Sed contra: nam hinc infertur, quod in genere essendi relativo non sit, nisi unum infinitum, & consequenter una infinita perfectio relativæ absque sui multiplicatione. Dices: quod in relatione currit specialis ratio propter oppositionem relativam, quæ ratio multiplicationis non currit in linea absoluta. Sed contra: nam ex hoc ipso, quod in relationibus currit ista specialis ratio multiplicationis, nos inferimus implicare quamlibet illarum esse infinitam perfectionem relativam, ut patet ex dictis. Item impugnatur prædicta solutio, ex quo si perfectio relativæ unius relationis æquivalenter in alia concineretur, proptereaque omnes divinæ personæ essent æquivalenter æquales, summeque, & in-

finitè perfectæ, sequeretur possibilem fore duplē visionem creatam æqualem ad minus æquivalenter, quod nec Authores hujus solutionis admittunt. Sequela probat. casu, quod posset videri una persona sine alia, tunc enim duplex visio ad duplē personam seorsim terminata esset æqualis ad minus æquivalenter, sicut & utriusque objectum esset æquale per æquivalentiam.

45 Tandem fundatur nostra resolutio ratione à priori specialiter procedente de perfectione transcendentali: nam, juxta dicta in 2. notabili, perfectio transcendentalis sequitur entitatem in actu, proindeque in actualitate consistit, quæ actualitas non convenit rei nisi per existentiam, vel propriam illius formam, ut connotat existentiam, ita ut praecissa existentia, seu non intellecta, nec res intelligitur in actu etiam propria actualitate formæ, vel essentiæ, nec consequenter in se perfecta, seu dicens perfectionem. Tunc sic; sed existentia divinæ relationis non est relativa, sed absoluta, quia omnes divinæ relations unica divinæ essentiæ existunt, quod & admittunt adversarij; deinde relatio secundum proprium, & relativum conceptum, nec connotat existentiam essentiæ, tum, quia hanc connotat ratione essentiæ, quam solum implicitè includit: tum, quia prout sic tota ad aliud se habet: unde nihil connotat prout sic, nisi referendo ad terminum; patet autem, quod existentiam divinæ essentiæ ad terminum non refert: ergo. Unde infertur, quod sicut existentiam, vel illius connotationem solum implicitè in bibit ratione essentiæ in ea transcendentaliter inclusæ; sic solum ratione essentiæ perfectionem importat, non vero ratione sui, & secundum relativum conceptum, & consequenter tota perfectio divinæ relationis est absoluta, non vero relativa.

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta ab autoritate.*

46 **C**ontra hanc resol. plurā possunt congeri argumenta ab autoritate, & ratione, quibus admīnūs convincitur dari in divinis perfectionem relativam transcendentalē. Et primò ab autoritate Conciliorum: nam in Concilio Constantinopolitano, quod habetur tomo 1. Conciliorum in Epist. ad Damasum, sic habetur: *Anicena Synodo dictum est, ut coeterum regnum in tribus perfectis subsistentijs unitatem quidem propter naturalem unionem, & trinitatem vero propter subsistentiarum perfectionem.* Si autem quæ

quilibet illarum subsistentiarum non esset perfecta perfectione ab alterius perfectione condititia, & consequenter perfectione relativa, non dicerentur tres perfectae, nec esset credenda Trinitas propter perfectionem subsistentiarum.

47 Sed hoc testimonio nec leviter urgent: siquidem nec in illis habetur, quod tres divinae subsistentiae sint tres perfectae, sed quod sint tres subsistentiae perfectae, nec quod Trinitas credenda sit propter perfectionem subsistentiarum, sed propter subsistentiarum perfectionem: cum enim dicitur de tribus divinis subsistentijs, quod sunt tres perfectae, ly perfectae sumuntur substantivè, & tunc denotat quamlibet illarum esse perfectam perfectione ab alterius personalitate condititia, proindeque in eis esse tres perfectiones; attamen cum dicitur de tribus divinis subsistentijs, quod sunt tres subsistentiae perfectae, ly perfectae sumuntur adjectivè, & tunc solum denotat quamlibet illarum esse perfectam, quod verisimilium est, licet non sint perfectae perfectione distincta; sed una sola perfectione essentiae in eis transcendentaliter inclusa. Sic ut licet una trium personarum sit omnipotencia, & propterea non sint dicendas tres omnipotentes; attamen dicuntur tres personae omnipotentes, quia qualibet illarum omnipotens est; similiter, cum dicitur Trinitatis Mysterium credendum esse propter perfectiones subsistentiarum, denotatur esse in eis plures perfectiones distinctas; attamen cum solum dicitur credendum esse propter subsistentiarum perfectionem, solum denotatur esse tres subsistentias cum una perfectione. Cùr autem non dixit Concilium Mysterium Trinitatis esse credendum propter tres subsistentias, sed propter illarum perfectionem? Dicimus esse, ut obiter assignaret radicem illarum trium subsistentiarum, nimirum perfectionem essentiae, que propter sui summam, & infinitam fœcunditatem petit ad intra tribus subsistentijs terminari, tribusque communicari personis.

48 Secundo objicies difficile testimonium Cyrilli lib. I. Thesauri cap. 6. paulo ante medium, ubi de Patre Æterno loquens ait: *Perfectus autem non solum quia Deus, sed etiam quia Pater;* ergò secundum Cyrrillum paternitas ut virtualiter distincta ab essentia perfectionem importat. Dices verum esse, quod Pater est perfectus, non solum quia Deus, sed etiam quia Pater; non tamen perfectione ab essentia in ratione perfectionis distincta, sed ipsissima essentiae perfectione in paternitate inclusa. Sed contra est: in Patre solum reperitur esse deitatis, & personalitas relativa à deitate distincta; sed secundum Cyrrillum ratione utriusque formalitatis

Pater perfectus est: ergo utraque formalitatis perfectionem dicit. Explicatur: nostra sententia tantum cognoscit unam perfectionem, quæ provenit ex deitate; sed Cyrrillus recognoscit duplēm perfectionem, unam, qua Deus est perfectus, aliam, qua Pater perfectus est: ergo secundum utramque formalitatem perfectionem dicit.

49 Ad hoc respond. ex primo notabili posito in principio de dupli acceptione distinctionis divinae relationis ab essentia, nimirum penes includens, & inclusum, & penes explicitum, & implicitum, in quarum prima reduplicatur, nedium conceptus explicitus; sed etiam implicitus; scilicet vero in secunda, in qua solum reduplicatur conceptus explicitus. Cyrrillus ergo loquitur de paternitate distincta ab essentia primo modo, non vero secundo: unde sensus illius est, quod Pater non solum est perfectus quia Deus, id est, ex ratione communi deitatis; sed etiam quia Pater, id est, ex proprio conceptu deitatis, qui objectivè includit deitatem ipsam suo modo: ac si diceret, hominem non solum esse sensibilem quia animal, id est, ex conceptu generico animalitatis, sed etiam quia homo, id est, ex conceptu specifico humanitatis, quia humanitas in proprio, & specifico conceptu includit animalitatem: immo majori ratione in nostro casu, siquidem licet homo in proprio, & specifico conceptu includat rationem animalis, hec tamen non includitur in conceptu differentiali illius, alias non esset vere genus, si cut nec objectivè contrahibile; attamen in nostro casu essentia divina includitur etiam in ultima differentia Patris, quia est transcendens. Hinc etiam negamus Cyrrillum recognoscere duplēm perfectionem, unam, qua Deus est perfectus, & aliam, qua Pater perfectus est, sed eadem perfectione, qua Deus est perfectus, est perfectus Pater propter inclusiōnem deitatis in paternitate.

50 Tertio objicies testimonium Damasceni lib. I. de fide cap. 21. ubi sic habet: *In proprietatibus paternitatis, filiationis, & processionis secundum causam, & causabilem, seu causatum, & personalem perfectionem, id est, existentis modum differentiam intelligimus;* ex quibus duo aperte demonstrantur, & quod in proprietatibus paternitatis, filiationis, & processionis datur personalis perfectio, & quod secundum hujus differentiam intelligenda est differentia in prædictis proprietatibus. Ex quibus ejus Commentator Clytaveus dedit, quod paternitas formaliter majorem perfectionem dicit, quam filatio; & filatio, quam processio, quia nimirum principalior est modus exist-

rendi Patris, qui à nullo est, quam cæterorum duorum, qui ab alio sumunt originem, & principalior item modus subsistendi Filij, & ratione ordinis perfectior, quam modus subsistendi Spiritus Sancti ab eo procedentis.

51 Cæterum testimonium Damasceni facile exponi potest: nam hoc ipso, quod nominat personalem perfectionem, subexplicat illam per illa verba, *id est*, existendi modum, quibus verbis aperte demonstrat illam perfectionem non dici personalem, nisi quantum ad modum existendi, quia nimirum in Patre est ut modificata paternitate, & consequenter ut à se, scilicet ut non ab alio communicata; è contra verò in Filio, & Spiritu Sancto. Unde cum concludit: secundum hujus personalis perfectionis differentiam intelligendam esse differentiam in predictis proprietatibus, debet etiam exponi, non solèm differentiam hujus personalis perfectionis, sed in modo essendi à se, vel ab alio. Expositio autem Commentatoris Clytovci ab omnibus authoribus etiam contraria sententia rejicitur, alias non salvaretur aequalitas inter divinas personas, immò in nulla illarum salvaretur summa, & infinita perfectio.

52 Quarò objicies autoritatem August. lib. 38. quæst. ubi ait: *Dignitates personarum esse tres*; sed dignitas est perfectio: ergò in divinis reperitur triplex perfectio, quæ consequenter non potest non esse relativa. Hoc idem videtur sonare illud dictum Basiliij apud D. Th. opusculo 1. ad Urbanum cap. 2. nimirum, *quod Spiritus Sanctus dignitate est secundas à Filio*, & exponit D. Thom. de dignitate personali. Sed respond. ex dictis ad præcedens argumentum, testimonium D. August. affere dignitates personarum esse tres quantum ad modum habendi, scilicet essendi, quia licet eadem dignitas sit in tribus personis, ut aperte testatur August. locis supra relatis: in Patre tamen est ut à se, non ut ab alio communicata, qua ratione dicitur tenere primatum inter personas divinas; in Filio autem est ut à Patre communicata, & sic dicitur secundus dignitate; in Spiritu autem Sancto est ut communicata à Patre, & Filio, & sic dignitate dicitur tertius. Hinc cum D. Th. interpretatur dictum Basiliij de dignitate personali, intelligendus est quantum ad modum, quia ratione proprietatis personalis convenit Spiritui Sancto, quod eadem dignitas Filij habeat à Filio, & sic sit secundus ab illo.

53 Quintò objicies plura loca D. Thom. nam q. 9. de potentia art. 5. ad 25. sic habet: *Licet tota, & perfecta divinitas sit in qualibet personarum secundum proprium modum existendi*; tamen ad perfectionem divinitatis per-

tinet, ut sint plures modi existendi in divinis, ut scilicet sit ibi, à quo aliis, & ipse à nullo, & aliquis, qui est ab alio; non enim esset omnimoda perfectio in divinis, nisi esset ibi processio Verbi, & Amoris; sed si divinæ relationes, scilicet modi illi diversi existendi non dicarent propriam, & relativam perfectionem, nec pertinerent ad perfectionem divinitatis, nec ob illorum defecitum in divinis decresset omnimoda perfectio: ergo. Item opusculo 1. contra errores Græcorum cap. 7. ait: *Patrem sine Filio non esse perfectum, nec Patrem, & Filium sine Spiritu Sancto*, refertque Athanasium dicentem Patrem sine Verbo fore mutum, & utrumque sine Spiritu Sancto non esse vivum. Quæ omnia videntur denotare relationes in divinis importare perfectionem propriam, & relativam. Item opusculo 9. q. 5. sic habet: *Quod verò huic oppontitur: in Deo procedere personas non esse de ratione perfectionis, sed in creaturis esse, simpli- citer falsum est, nisi addatur, quod non est de ratione perfectionis absolutæ, & ad se diel.* Ex quibus iste formatur discursus: D. Thom. concedit dicere perfectionem personas procedere in divinis; sed negat, quod hoc est de ratione perfectionis absolutæ: ergo concedit, quod est de ratione perfectionis relativæ. Tandem 4. cōtra Gent. cap. 9. probat relationem esse in Deo constituendam, ex quo perfectio est. Et 1. p. q. 29. art. 3. probat nomen *persona* esse ponendum in divinis, quia persona significat id, quod est perfectissimum in tota natura, scilicet, subsistens in rationali natura.

54 Ad 1. respondet. quod licet illi modi diversi existendi non dicant propriam, & relativam perfectionem, adhuc verificatur eos pertinere ad perfectionem divinitatis, vel quia perfectionem divinitatis in se imbibunt, qua ratione dicitur verum, ut tale, pertinere ad rationem entis, quia licet non superaddat perfectioni enti, eam imbibit, & includit: vel quia sunt termini divini fœcunditatis, & communicationis, sicut in sententia, quod divina voluntas non potuit manere suspensa erga fore, vel non fore creaturarum, ad ipsius libertatis perfectionem pertinet, quod terminetur ad creaturas secundum fore, vel non fore illarum, quamvis ex creaturis nulla divinæ volūtati perfectio acerescat: vel tandem pertinent ad perfectionem divinitatis argutivæ, quia scilicet inferunt divinæ naturæ summam, & infinitam fœcunditatem. Hinc dicimus, quod si in divinis non esset processio Verbi, & Amoris, decesset ibi omnimoda perfectio, non quidem à priori, quia scilicet carentia Verbi, & Amoris esset carensia perfectionis superaddita ad essentiam; sed argutivæ, &

à posteriori, quatenus illorum carentia infert carentiam divinæ fecunditatis, cum qua nequit subsistere infinita Dei perfectio, sicut ex carentia possibilitatis creaturarum à posteriori inferatur carentia summa, & infinita perfectionis, quatenus illa carentia infert carentiam divinæ omnipotentiae, quæ etiam cum infinita Dei perfectione esse non potest.

55 Ex his patet ad 2. salvatur enim Patrem non esse perfectum sine Filio, nec Patrem, & Filium sine Spiritu Sancto, et si nulla ex prædictis relationibus dicat propriam, & relativam perfectionem, ex eo nimis, quod deficiente Filio, & Spiritui Sancto deficeret summa, & infinita perfectio divinæ naturæ, à qua Pater dicitur perfectus, & similiter Filius; Patrem autem sine Filio fore mutum, & utrumque sine Spiritu Sancto non esse vivum, ut refert Athanasius, procedit non ex quo Verbum det Patrī, quod loquatur, nec utrique det Spiritus Sanctus, quod vivat, sed quia Verbum est terminus intrinsecus locutionis paternæ, & similiter Spiritus Sanctus est terminus intrinsecus actionis vitalis, nimis divini amoris, quo, Pater & Filius mutuo se diligunt, quæ correlative se habent.

56 Ad 3. respond. D. Thom. solum intendere personas procedere in divinis non esse de ratione perfectionis absolutæ præcisive considerata, nimis excluso respectu, & modificatione, seu quatenus communis tribus personis, sed solum esse de ratione illius, quatenus connotat relationem, & relatione modificatur, ita ut principium quo processionis in divinis ex perfectione absoluta, & relatione confletur, quod nos fatemur, dummodo solum perfectio absolute importetur in recto, relativo vero solum de connotato, & in obliquo. Ad 4. fatemur relationem perfectionem esse, propterea quæ constitueret esse in Deo; attamen est perfectio ratione essentia intimè inclusa, non secundum propriam rationem, & sic non est perfectio relativa. Ad ultimum respond. quod natura divina est de proprio, & formalis conceptu persona divina, & in recto quatenus transcendens, & in obliquo quatenus terminata, & sic licet persona divina perfectionem non dicat relativam, & à perfectione essentia condistinctam, adhuc de ea verificatur, quod significat id, quod perfectissimum est in tota natura.

*Objiciuntur, & solvuntur argumenta  
à ratione.*

57 **A**rguitur 1. à ratione, & 1. ex locis prædictis: Mysterium Trinitatis, ut tale dicit perfectionem admissus transcendentalis; sed Mysterium

Trinitatis, ut tale, coalescit ex tribus relationibus secundum earum proprios, & relativos conceptus: ergo. Respond. disting. maj. Mysterium Trinitatis, ut tale ly ut reduplicante naturam divinam in tribus personis, conced. maj. ly ut pure reduplicante ipsas relationes secundum earum proprios, & relativos conceptus, nego maj. & disting. min. sed Mysterium Trinitatis, ut tale coalescit ex tribus relationibus, &c. secundum quod eis subsistit, & terminatur una, & eadem natura divina, conced. min. ex eis solum, nego min. & conseq. Mysterium enim Trinitatis, ut tale, & dicit naturam divinam unam numero in tribus personis, seu personalites, quibus natura divina subsistit, & terminatur: ex hac ergo parte, quæ dicit naturam divinam unam numero in tribus personis, dicit infinitam perfectionem, & non solum transcendentalis, verum & formalem, sicut summam, & infinitam divinæ naturæ communicationem; attamen ex alia parte, quæ Mysterium Trinitatis dicit ipsas relationes secundum eārum proprios relativos conceptus, nullam dicit perfectionem, nisi vel implicite, vel terminative aut arguitivè, ut explicatum est.

58 Sed dices: naturam se communicare ei, quod nullam ex se dicit perfectionem, non est perfectio: si ergo naturam divinam se communicare tribus divinis personis, est infinita perfectio personæ, quibus communicatur, non possunt ex se, & secundum proprios, & relativos conceptus perfectionem non dicere. Respond. neg. anteced. nam communicatio, & diffusio ex proprio, & formalis conceptu dicit perfectionem, cum sit propria boni, & perfecti, & non plus exigit ex parte termini, cui communicatur, nisi quod capax sit recipiendi perfectionem, id est & communicatio naturæ divinæ ad extra dicit illam infinitam perfectionem per hoc præcise, quod creaturæ capaces sint recipiendi perfectionem à Deo, cum non habeant, nisi perfectionem à Deo participatam: & patet etiam in exemplo allato entis, cuius perfectio est vero communicari, & in eo imbibiri, quamvis hoc ex se non dicat perfectionem pure, ex quo capax est recipiendi, & includendi illam.

59 Arguitur 2. subsistencia divina personalis ratione sui, & secundum proprium, & relativum conceptum, & non ratione essentia, quam implicat, continet eminenter subsistentiam creatam; sed hoc ipso non potest non ratione sui, & secundum proprium, & relativum conceptum dicere perfectionem admissus transcendentalis: ergo. Maj. prob. 1. quia subsistencia divina personalis ratione illius, & secundum illum conceptum continet eminenter subsistentiam

etiam creatam secundū quod supplet, & præstat effectum illius v. g. terminationem naturæ humanae Christi Domini, & prædictum effectum supplet, & præstat ratione sui, & secundum proprium, relativū conceptum; tūm quia prout sic terminat naturam divinam, & sub eadem ratione, sub eodemque conceptu, sub quo terminat naturam divinam, terminat etiam humanam: tūm quia alijs prædicta terminatio communis est tribus personis: ergo. Secundò: nam divina personalitas ratione sui, & non ratione essentiaz, quam implicat, habet vim, & virtutem terminativam infinitam, alijs nec prout sic terminaret naturam divinam; sed hęc est tota ratio continendi eminenter virtutem terminativam finitam, & creatam: ergo. Min. vtrb̄ principialis prob. Nam subsistentia creata est perfectio naturæ humanae, ut paret; sed eminentialis continentia perfectionis necessariò dicit perfectiōnem in continente secundum eam rationem, & conceptum, secundum quem continens est: ergo.

60 Ad hoc argument. respond. Oxomensis, & Gonet, quod sicut quamvis personalitas divina relativa sit, continet eminenter subsistentiam creatam, quæ absoluta est, edquod licet non explicet rationem absolutam, implicat tamen illam: ita similiter quamvis perfectionem non explicet, quia implicat illam, potest perfectionem subsistentiaz creatæ continere, & illius effectum præstare. Sed hęc solutio potius est instantia, quam evacuat vim argumenti: nām cum aut sufficere perfectionem implicari in divina personalitate, ut hęc eminenter contineat perfectionem subsistentiaz creatæ, sicuti sufficere in ea implicari rationem absolutam, ut eminenter contineat rationem absolutam illius, vel intendit divinam personalitatem, non ratione illius, quod explicat, sed ratione illius, quod implicat continere eminenter perfectionem, & rationem absolutam subsistentiaz creatæ, vel non? Si 1. non respond. probat. maj. Si 2. non respond. probat. min. ergo prædicta solutio non evacuat vim argumenti.

61 Melius ergo respondet. cum communī doctrina Thomist. q. 3. de Incarnat. quam etiam sequuntur idem Oxomensis tract. 3. disp. 15. §. 3. & Gonet disp. 8. art. 1. §. 2. ubi idem argumentum proponitur in favorem Durandi assertoris humanitatem Christi defacto fuisse primò, & per se unitam Verbo ratione naturæ divinae, seu subsistentiaz absolute, licet secundario, & ex consequenti fuerit unita ei ratione proprietatis personalis, & supponunt: 1. subsistentiam sumi duplíciter, 1. pro per se existentia perfectitate independentiaz ab altero ut sustentante: 2. pro per-

fectate incomunicabilitatis alteri tanquam supposito, & in priori acceptione est aliquid absoluū, tamen Deo, nec personis convenient ratione proprietatis relativaz, sed tantum ratione essentiaz, in secunda tamen acceptione dicitur in Deo relativę, & non absolutę, 2. supponunt personalitatem, seu subsistentiam creatam ratione sui utramque perfectatem præstare: cum enim suppositum creatum independens sit ab altero, ut sustentante, & incomunicabile alteri, ut supposito, & natura creata ratione sui nulla ex his personalitatibus gaudeat, utramque ratione sui præstat personalitas creata.

62 Quibus suppositis ad argument. resp. disting. maj. subsistentia personalis divina ratione sui, & secundum relativum conceptum, & non ratione essentiaz, quam implicat, continet eminenter subsistentiam creatam secundum perfectatatem independentiaz ab altero, ut sustentante, nego maj. secundum perfectatatem incomunicabilitatis alteri tanquam supposito, concedo maj. & nego min. Ad cuius probat. disting. etiam maj. subsistentia creata est perfectio naturæ humanae secundum perfectatatem incomunicabilitatis alteri tanquam supposito, neg. maj. secundum perfectatatem independentiaz ab altero, ut sustentante, conced. maj. & min. & nego conseq. Itaque personalitas creata solum ea parte, quia præstat independentiam ab altero, ut sustentante dicit perfectionem, quia prout sic connotat existentiam; qua verò parte præstat incomunicabilitatem alteri tanquam supposito, perfectionem non explicat: in hoc enim quod est alteri non communicari, nulla splendet perfectio: subsistentia ergo divina personalis ratione sui, & secundum relativum conceptum continet subsistentiam creatam secundum perfectatatem incomunicabilitatis alteri tanquam supposito, sicut & prout sic naturam divinam incomunicabilem constituit; non tamen ratione sui, & secundum relativum conceptum continet eminenter subsistentiam creatam secundum perfectatatem independentiaz ab altero, ut sustentante, sed hęc continentia ei convenit ratione essentiaz, & subsistentiaz absolute in ea implicita, & imbibita, quia perfectas hęc absolute est, ut sepponimus. Unde consequenter dicimus: quod cum Christus, ut persona humana sit per se subsistens perfectate independentiaz, & perfectate incomunicabilitatis, & primam perfectatatem præstet personalitas Verbi ratione subsistentiaz absolute; quam implicat; secunda verò ratione subsistentiaz relativaz, quam explicat, consequenter ratio adæquata, qua personalitas Verbi unitur immediate humanitati, ex implicito, & explicito, id est, ex absoluto, & re-

lativo coalescit. Nota tamen, quod licet hoc ita sit, id tamen quod unitur immediate humanitati ut quod est sola personalitas Verbi, non vero subsistencia absoluta, sed haec solum est ei unita ut quo, nam ut quod non est immediate unitus hic Deus, ut dicebat Durandus, sed solum Verbum, ratione tamē utriusque substantie, ut explicatur est. Nota etiam, quod licet subsistencia absoluta fuerit humanitati immediate unita ut quo, non tamen absolute considerata, seu ut communis tribus divinis personis, ut etiam asserebat Durandus, sed solum quatenus inclusa, & imbibita in ipsa personalitate Verbi, & ut ea modificata. Et ex his soluta manet plura, quae lococit. objiciuntur contra nostram solutionem.

63 Sed nihilominus objicies contra 1. licet subsistencia creata secundum perfectatem incommunicabilitatis non dicat perfectionem; continentia tamen illius adhuc sub hac perfectate non potest non dicere perfectionem: sicut licet creature non dicant perfectionem sine imperfectione, continentia tamen illarum ex parte Dei dicit perfectionem absque imperfectione, & hoc ideo, quia continentia eminentialis ex proprio, & formaliter conceptu est perfectio simpliciter simplex, alias non repetiretur in Deo: ergo: Secundum subsistencia divina personalis, adhuc ut praestat naturae humanae incommunicabilitatem, se illi coniunctivat, & diffundit; at se communicare, & diffundere est proprium bonitatis, & perfectionis: ergo. Tertio: Divina personalitas adhuc ut praestat naturae humanae incommunicabilitatem, compleat, & satiat illius potentialitatem, non solum obedientiam, sed etiam naturalem, in sententia probabili; at potentialitas non completur, & satiat, nisi per actum, & perfectionem: ergo.

64 Ad 1. respond. neg. assumpt. Nam continentia eminentialis solum dicit perfectionem, cum est continentia dicens actualitatem, quae in existentia consistit, vel forma, ut connotante existentiam, quam actualitatem non dicit divina personalitas, seu relatio ratione sui, & secundum relativum conceptum, alias verum divinum sub formalissima ratione veri diceret perfectionem, cum sub ea dicar continentiam eminentiam veri creati, continentia autem eminentialis creature in Deo dicit purissimam, & infinitam actualitatem, & sic non est similis ratio.

65 Ad 2. respond. Saltmanticenses, quod hoc, quod est esse diffusivum sui uteisque non est proprietas boni, & perfecti, sed esse diffusivum, sui speciali modo, qui potest explicari per hoc quod ratione sui, seu ejus, quod per se primo diffunditur, & communicatur, habet proxime res, quae communicatur aliquid perfectionis;

quod antea non habebat, quod in praesenti non contingit. Sed hec solut. resp. cum conclusione: Unde melius dicitur ex dictis, quod se communicare, & diffundere est proprium bonitatis, & perfectionis talis in re, non tamen oportet, quod id, quod se communicat secundum omnem suam rationem exprimat bonitatem, & perfectionem. Cujus etiam pone exemplum in vero principue divino, quod formaliter tale est sui diffusivum, & communicativum, cum tamen prout sic perfectionem non exprimat. Ad 3. similiter resp. Quod potentialitas non satiat, nec completur nisi per actum, & perfectionem talem in re, non tamen est necesse, quod secundum omnem suam rationem id, per quod satiat, exprimat actualitatem, & perfectionem.

66 Tertiò arguitur: sequitur ex nostra sententia personalitatem creatam perfectiorem esse in suo genere, quam personalitas divina in suo; hoc non potest admitti: ergo. Prob. seq. Nam personalitas creata in suo genere ratione sui, & secundum proprium conceptum dicit perfectionem administris ea parte, qua praestat perfectam independentiam; at personalitas divina secundum nostram sententiam nulla ratione sui, & secundum proprium conceptum dicit perfectionem: ergo.

67 Respond. disting. maj. si collatio fiat inter personalitatem divinam, & creatam secundum perfectatem incomunicabilitatis, nego suppositum, nemirum subsistentiam creatam prout sic dicere perfectionem: si fiat inter personalitatem creatam secundum perfectatem independentiam, & personalitatem divinam secundum perfectatem incomunicabilitatis, conced. seq. Quod admittere nullum est inconveniens; sicut licet ratio substantiae perfectior sit ratiōne accidentis, si tamen fiat collatio inter substantiam, ut veram, & accidens, ut ens, non inconvenit admittere accidens perfectius esse substantiam, quia ex parte substantiae non sumitur ratio dicens perfectionem secundum proprium conceptum, bene tamen ex parte accidentis: similiter licet intellectus divinus magis cognoscitivus sit, quam intellectus Angelicus, si tamen collatio fiat inter intellectum divinum, quantum ad intelligentiam, & intellectum Angelicum quantum ad sapientiam, non inconvenit admittere intellectum Angelicum esse magis cognoscitivum, siquidem ex parte intellectus divini affluit virtus cognoscitiva solum principiorum, & ex parte intellectus Angelici affluit virtus cognoscitiva conclusionum ex principiis: a similiter ergo: cum collatio fiat inter personalitatem creatam secundum perfectatem independentiam, & personalitatem divinam secundum perfectatem

incommunicabilitatis, non inconvenit admittere personalitatem creatam esse perfectiorem personalitate divina, quia ex parte personalitatis creatae aslumitur ratio dicens in proprio, & formalis conceptu perfectionem, sicut & actualitatem, non vero ex parte personalitatis divinae.

68 Secundò potest etiam responderi diligenter. sequitur subsistentiam creatam perfectiorem esse excessu argente imperfectionem aliquam in divina personalitate, nego: argente absolute loquendo infinitam perfectionem in ea, & imperfectionem in personalitate creata, concedo. Quod enim personalitas creata dicat perfectionem in suo genere, procedit ex quo personalitas creata, nedium praestat naturae perfectatem incommunicabilitatis, sed etiam perfectatem independentie; hoc autem habet ex limitatione illius naturae, quam terminat, qua ratione sui, nec unam, nec alteram perfectatem habet, qua ulterius limitatio imperfectionem resaudiit in ipsam personalitatem creatam, nimicrum sui realem distinctionem à natura, quam terminat. E tamen contra, quod divina personalitas perfectionem non dicat in proprio genere, procedit ex quo natura divina solùm praestat perfectatem incommunicabilitatis, hoc autem ortum habet ex infinite naturae divinae, quam terminat, qua ratione sui perfectatem independentie habet, ratione cuius infinitatis etiam habet, quod intimè transcendat ipsam personalitatem divinam, & sic tam longè abest, quod excessus ille imperfectionem arguat, quod potius arguit absolute loquendo imperfectionem in personalitate creata, & perfectionem infinitam in personalitate divina.

69 Sed dices contra: hoc ipsum, quod est divinam personalitatem non dicere perfectionem, imperfectio est: ergo excessus ille arguit imperfectionem in divina personalitate. Prob. anteced. nam dicere ratione sui, & explicitè perfectionem perfectio est: ergo oppositum illius est imperfectio. Confirmat. & explicat. inter perfectum, & imperfectum non datur medium; sed per nos divina relatio ratione sui, & explicitè non est perfecta: ergo prout sic est imperfecta.

70 Sed hæc replica instatur aperte: nam ens ratione sui, & explicitè dicere perfectionem est perfectio: ergo verum ratione sui, & explicitè non dicere perfectionem est imperfectio: conseq. non valet, sed quod sequitur non esse perfectionem. Similiter essentiam divinam existere propria existentia est perfectio: ergo attributa divina non existere propria existentia, utpote quia existentia essentia est imperfectio: conseq. non valet, sed quod sequitur est attributa divina non existere propria existentia non esse per-

fectionem. Unde dicimus, quod dicere ratione sui, & explicitè perfectionem, & eam prout sic non dicere, opponuntur contradictoriæ & sic si primum est perfectio, secundum erit non perfectio, non vero imperfectio, quia perfectio, & imperfectio non opponuntur contradictoriæ, sed privativæ. Vel dicatur alijs terminis esse imperfectiō negativam, non vero privativam: nam imperfectio privativa est carentia perfectionis in subjecto apto habere illam; divina autem personalitas non est apta dicere ratione sui, & explicitè perfectionem, sed solùm est apta includere perfectionem essentiæ, qua defacto non caret, sed eam includit. Hinc patet ad confirmationem, quod inter perfectum, & imperfectum negativè, quod idem est, ac non perfectum, non datur medium; inter perfectum autem, & imperfectum privativè datur medium, nimirum non perfectum, seu imperfectum negativè, sicut inter videns, & cecum datur medium, nimirum non videns.

71 Sed dices: divina relatio ratione sui, & explicitè exigit perfectionem: ergo ratione sui, & explicitè est apta dicere perfectionem. Anteced. patet: nam ratione sui, & explicitè exigit identitatem cum essentia divina, & inclusionem illius: sed talis identitas, & inclusio perfectio est: ergo. Conseq. vero prob. Nam exigentia perfectionis in aptitudine ad perfectionem fundatur. Respond. quod aliud est divinam relationem ratione sui, & explicitè exigere perfectionem, & aliud ratione sui, & explicitè esse aptam dicere perfectionem: nam illa exigentia terminatur ad perfectionem implicitam, hæc vero aptitudo respicit etiam perfectionem explicitam: licet autem ratione sui apta non sit exprimere perfectionem, est tamen ratione sui apta eam implicitè includere, & in hac aptitudine illa exigentia fundatur. Sed dices: hæc ipsa exigentia perfectionis aliqua perfectio est: si ergo ratione sui, & explicitè exigit perfectionem, ratione sui, & explicitè dicit aliquam perfectionem. Resp. neg. anteced. loquendo de perfectione formaliter tali, licet verum sit de perfectione tali exactivè, seu illativè: nam exigentia illa non dicit actualitatem, sicut nec existentiam, & sic quamvis exigentia perfectionis sit, non est formaliter perfectio. Et instatur in vero, quod ratione sui exigit perfectionem, sicut & entitatem in eo transcendentaliter imbibitam, qua exigentia in vero formaliter perfectio non est.

72 Quarto objicies: si divina natura unica tantum est terminata subsistentia, hæc ratione sui diceret perfectionem administris transcendentalē: ergo et si triplici subsistentia sit de facto terminata, illarum qualibet etiam ratione sui

dicit perfectionem. Prob. conseq. nam quilibet harum personalitas ex sui multiplicatione non potest amittere perfectionem, quam haberet unicè terminando naturam divinam: sicut si per impossibile natura humana triplici subsistentia creata terminaretur, quilibet illarum non propterea amiteret perfectionem, quam defacto habet unicè terminando naturam humana: ergo. Respond. quod si subsistentia illa unica in eo casu esset ejusdem rationis cum tribus, que defacto dantur, convincit argumentum quamlibet harum ex sui multiplicatione non posse amittere perfectionem, quam haberet, si esset unica, attamen non esset ejusdem rationis, cum eo ipso esset absoluta, & non relativa. Unde dicimus, quod si per impossibile natura divina esset solùm terminata unica subsistentia ex tribus, que defacto dantur, adhuc prædicta subsistētia, quamvis unica, quia relativa non dicere perfectionem. Idem proportionabiliter dicimus de personalitate creata, si nimirū illa triplex personalitas esset ejusdem rationis cum ea, que defacto datur, secùs vero si esset relativa.

73 Objicies quintò: nani perfectio transcendentalis in integritate consistit juxta Aristotelem afferentem: *Perfectum esse illud, cui nihil deficit in proprio genere.* Quia definitio de perfectione transcendentali procedit, qua nimirū res est perfecta intra propriū genus, & speciem, quod est idem, ac esse perfectam in se; at divina relatio ratione sui, & secundum relativum conceptum est intra propriū genus, & speciem, nimirū integritate relativa v.g. paternitas ratione sui integrè Patrem constituit, cumque integrè refert ad Filium, nihilque ei prout sic deficit in proprio genere, seu ex proprijs illius prædicatis intrinsecis: ergo.

74 Ad hoc argumentum patet ex dictis neg. perfectionem transcendentalē in integritate consistere, sed consistit in actualitate entis in quantum ens, quæ ei competit, nisi per existentiam, vel connotationem existentiaz. Vel dicendum, quod consistit in integritate, ut in actu per existentiam, vel formam, ut connotantem existentiam: cum ergo Philosophus ait perfectum esse illud, cui nihil deficit in proprio genere, vel intelligitur de integritate prout in actu, vel loquitur de perfectione impropria, & metaphorice tali, non vero tali stricte, & proprie: alias peccatum diceretur absolute perfectum, cum nihil ei deficit ex pertinentibus ad propriū genus, quod absolute concedi nequic, sicut nec aliquam perfectionem subterfugere ciuinam causalitatem. Unde D. Thom. i.p.q.4. art.4. in corp. ubi probat Deum esse perfectum,

consequenterque loquitur de perfectione propria stricte tali, sic ait: *Secundum hoc enim dicitur aliquid esse perfectum, secundum quod est actu, nam perfectum dicitur, cui nihil deficit secundum modum sua perfectionis.* Ergo secundum D. Thom. ut aliquid sit perfectum propriè, & strictè non sufficit, quod nihil ei deficit ex pertinentibus ad propriū genus, sed ultius quod nihil ei deficit secundum modum sua perfectionis, id est, actualitatis. Unde ut vidimus supra D. Thom. probat Deum esse universaliter perfectum, quia sicut omnis nobilitas, & perfectio inest rei secundum quod est, ita omnis defectus inest rei secundum quod aliquid non est; Deus autem habet esse totaliter, & sic ab eo absunt totaliter non esse.

75 Objicies sexto ad idem: *relatio divina secundum propriū, & relativum conceptum est entitas relativa; sed perfectio transcendentalis sequitur ad ens: ergo relatio divina secundum propriū, & relativum conceptum dicit perfectionem relatiām trascendentalem.* Min. patet: quia perfectio transcendentalis est passio entis, cum bonum inter passiones entis numeatur, & bonum, & perfectum idem sunt, ut sapè docet D. Thom. maj. supponitur, & conseq. est legitima.

76 Ad hoc argumentum quod est precipuum, & à priori oppositæ sententiaz patet ex fundamento: nol. resolut. omnibz. inaj. & disting. min. Perfectio transcendentalis sequitur ad ens participantiter sumptum, seu reduplicativè prout existens, vel connotans existentiam, concedo min. ad eus purè sub conceptu entitatis, nego min. & conseq. perfectio enim transcendentalis, sicut & transcendentalis bonitas consistit in actualitate ut dictum est, quæ rei non competit, nisi ratione existentiaz, vel ratione connotacionis illius, licet autem relatio secundum propriū, & relativum conceptum sit entitas relativa, non tamen prout sic existit propria relativa existentia, nec prout sic potest existentiam connotare.

77 Sed dices: ut entitas aliqua perfectiōnem dicat, sufficit, quod sit existens existentia se habere per modum conditionis; sed relatio divina secundum propriū conceptum hoc modo est existens: ergo. Maj. prob. Nam esentia hominis in re existens non solū dicit perfectionem ratione existentiaz, seu perfectionem existentiam, sed etiam dicit perfectionem propriam distinctam realiter à perfectione existentiaz, cum dicat actualitatem esentiale positam extra causas, quæ se habet, ut entitas esentiaz, ut nos fatemur.

78 Sed respond. neg. maj. ratio enim propria

pria, & formalis perfectionis non potest intelligi non cointellecta existentia admittens de connotato: non ergo se habet pure per modum conditionis, sed rationem propriam, & formalem perfectionis admittens de connotato ingreditur, eo modo, quo dicunt Theologi paternitatem ingredi rationem propriam, & formalem principij quo divina processionis, quia licet divina essentia non habeat foecunditatem à paternitate, non tamen eam habet, nisi ut paternitatem connotat: unde paternitate non intellecta, non intelligitur ratio propria, & formalis principij quo; posset autem intelligi non intellecta paternitate, si paternitas pure se haberet per modum conditionis, sicut & in igne intelligitur ratio principij quo combustionis, non intellecta applicatione, quia hęc pure est cōditio: à simili in nostro casu. Unde ad probationem admittimus essentiam creatam dicere perfectionem essentialē realiter distinctam à perfectione existentię; hanc tamen perfectionem non dicit precissè, quia existens est existentia pure materialiter exercita, sed quatenus ratione sui, & secundum proprium, & essentialē conceptum eam connotat: unde existentia non intellecta admittens de connotato essentia non intelligitur in actu adhuc propria, & essentiali actualitate: hęc tamen existentia connotatio non convenit divina relationi secundum proprium relativum conceptum, ut probatum, & explicatum est.

79 Sed dices contra 1. relatio secundum proprium relativum conceptum est entitas relativa secundum nos; sed non in potentia: ergo in actu, & consequenter prout sic connotat existentiam. Secundò: relatio divina ratione sui, & secundum relativum conceptum est extra nihil; sed rem constitutę extra nihil est effectus formalis existentię: ergo prout sic est existens, seu connotans existentiam.

80 Ad 1. respond. relationem divinam secundum proprium relativum conceptum expressè non concipi, ut in potentia, nec ut in actu: non ut in potentia, quia existentiam implicitè includit, sicut & transcendentaliter imbibit essentiam: non ut in actu, quia existentiam explicitè non connotat, sed pure concipitur, ut entitas ad aliud se habens juxta ipsum definitionem: sicut à simili dicunt Theologi afferentes dari in Deo voluntatem per modum actus primi, quia nimis divina voluntas ex proprio, & formalī conceptu non explicat volitionem, tunc enim licet voluntas prout sic non dicat volitionem, non tamen propterea secundum proprium, & formale conceptum est in potentia ad illam, & per illam actuabilis, & perfectibilis, quia ad hoc oportet volitionem secundum proprium,

& formale conceptum, nedam explicati à voce luntate: sed nec ulterius voluntatem eam imbibere, & implicare ex ratione communis entis divini, & actus puri: hoc eum ipso, quod concipiatur, ut implicitè volitionem includens, concipi nequit, ut carens volitione, & consequenter nec ut in potentia ad illam: à simili ergo.

81 Nec valer, si objicias, quod inter esse acta, & esse in potentia non datur medium. Non, inquam, valet nam licet inter esse actu, & esse in potentia in re, & absolute non detur medium; benè tamen inter esse actu, & esse in potentia ratione sui, ut patet ab exemplo albi, & non albi absolute, & in re, inter quæ non datur medium, cum tamen homo secundum se, nec sit albus, nec non albus. Ad 2. respond. ex dictis, quod ut relatio divina secundum proprium conceptum sit extra nihil, sufficit, quod existentiam implicitè includat, sicut & hoc sufficit, ut non sit, vel intelligatur in potentia ad existendum, quia nihil formaliter ut tale positive excludit existentiam, & includit carentiam illius.

82 Tandem dices: non minus bonitas est passio entis, quam unitas, & veritas; sed entitatem relativam in divinis sequitur propria veritas, & unitas: ergo & propria bonitas. Sed quantum ad veritatem neg. min. alias multiplicatur realiter in divinis, cuius oppositum docet D. Thom. in 1. distinct. i. 9. q. 1. art. 3. ad 1. & ad Anibal. q. 5. art. 2. ubi docet, quod verum non multiplicatur in divinis, quia verum est essentialis; cuius ratio est: nam veritas consistit in entitate, ut intelligibili, & immateriali; intelligibilitas autem, & immaterialitas, sicut & ratio actus puri convenient divinis personis ratione essentiæ: unde hęc sola habet rationem speciei, & obiecti motivi: quantum ad unitatem autem conced. min. disparitatem autem assignat D. Thom. i. p. q. 6. art. 3. ad 1. quod unitas importat individuationem, quod cuiilibet relationi competit secundum propriam rationem; perfectio vero importat actualitatem, quæ divina relationi compete. re non potest, nisi ratione essentiæ: ac tandem sicut intellectus, & voluntas sunt passiones animæ rationalis in omni statu, potentie vero sensitivæ sunt tantum passiones illius in statu conjunctionis ad copus, sic bonitas est passio entis solùm quatenus existit, vel connotat existentiam, licet ceteræ illius passionis cum concordantem in omni statu: unde in creaturis possibilibus admittimus veritatem, & unitatem, non tamen bonitatem.

83 Objicies septimò, & est replica contra preced. solut. Divina relatio in ratione formæ hypostaticæ, seu constituentis personam connotat divinam existentiam: ergo prout sic dicit

perfectionem relativam. Prob. antec. Relatio divina in ratione formæ hypostaticæ connotat naturam divinam: ergo & divinam existentiam. Anteced. patet. Quia divina relatio in ratione formæ hypostaticæ terminat naturam divinam, & personam non constituit, nisi quatenus eam reddit subsistentem in divina natura. Conseq. verò prob. Tùm quia natura divina ratione sui est formaliter ipsa sui existentia: tùm quia natura divina non terminatur, nisi prout est existens.

84. Dices cum Oxomensi: quod divina natura est ipsa sui existentia realiter formaliter, non tamen virtualiter administris inadæquate, & hæc distinctio inadæquata sufficit, ut divina relatio in ratione formæ hypostaticæ connotet divinam naturam sub conceptu naturæ, & non sub conceptu existentiaz; sicut distinctio inadæquata relationis in ratione referendi, & suppositandi sufficit, ut divina relatio uniat humanitati Christi, ut hypostasis, & non ut relatio. Ad 2. prob. resp. quod ut terminetur natura, sufficit, quod in re existat, non tamen requiritur, quod formaliter ut exiliens à personalitate terminante reperiatur.

85. Sed hæc solutio non coincidit cum doctrina supra ab ipso, & nobis tradita, quod illud dictum D. Thom. *persona* significat id, quod perfectissimum est in tota natura, ne dum verificatur de persona ratione naturæ, quatenus est de proprio, & formalí illius conceptu, ut transcendentaliter imbibita, sed etiā quatenus est de proprio, & formalí illius conceptu, ut expressæ terminata, ut sic enim verificatur de persona, quod significat id, quod est subsistens in natura rationali, quæ inter omnes naturas perfectissima est: patet autem, quod hoc falsificatur, si natura divina non terminetur quatenus formaliter existens, siquidem existentia purè materialiter in re exercita non sufficit, ut natura dicat, & exprimat perfectionem, ut in solat. præced. diximus.

86. Melius ergo ex hoc ipso dicitur ad argumentum, quidquid sit, an natura divina adæquate, vel inadæquate distinguitur ab ejus existentia, quod divina relatio in ratione formæ hypostaticæ connotat divinam existentiam, non tamen ut ei subjectam, seu quatenus per eam constituitur in actu, sed quatenus naturam divinam existentem, & in actu constituit: natura enim divina, ut supra diximus, est in recto de proprio, & formalí conceptu divini relationis, quatenus est transcendentis, & in obliquo, quatenus terminata. Divina ergo relatio non existit ratione existentiaz, ut in obliquo importata, sed ratione illius ut in recto, & transcendentia-

litèr imbibita; & sic licet in ratione formæ hypostaticæ connotet divinam existentiam, sed non ut ei subjecta, seu per eam in actu constituta, quod necessarium erat, ut dicaret propriam perfectionem; sed pure eam connotat, quatenus naturam divinam existentem; & in actu constituit: ex quo solū sequitur, quod prout sic connotet perfectionem absolutam naturæ, quod non negamus.

88. Sed dices: ergo administris divina relatio in ratione formæ hypostaticæ connotat naturam divinam, quam terminat; & tamen eam non offert: ergo falsum est, quod divina relatio secundum proprium, & relativum conceptum non connotat, nisi referendo. Ad hoc respond. Oxomens. quod divina relatio connotat divinam naturam non sub conceptu ad, & referendis, sed sub conceptu in, & formæ hypostaticæ, & ideo illam non refert, sed terminat, & incommunicabilem reddit. Sed statim se offerat replica: ergo ut divina relatio connotet existentiam, non opus est, quod illam referat, siquidem hoc solū esset, cum illam connotaret secundum conceptum ad; non verò in ratione formæ hypostaticæ.

89. Sed respond. Quod ad hoc est necesse divinam relationem posse terminare divinam existentiam, sicut & terminare potest naturam divinam: est enim regula Theologorum, quod forma unita subjecto non praebet illi omnem effectum formalem, quem continet, sed illum cuius est capax; natura autem divina capax est, ut relatione constituantur terminata; non verò ut constituantur relata, quia ad hoc deberet à termino, ad quem refertur, realiter distinguere divinam autem existentiam, nec est capax, ut referatur, nec ut terminetur, ut patet, & sic non est idem.

90. Ultimo objicies: divina relatio ratione sui, & secundum relativum conceptum reddit suum contradictorium chimericum, & impossibile: ergo ratione sui, & secundum relativum conceptum connotat existentiam. Anteced. patet. Nam contradictorium paternitatis v. g. est non paternitas, & hæc redditur chimerica, & impossibilis per paternitatem ratione sui, & secundum relativum conceptum; conseq. verò probatur. Nam contradictorium paternitatis redditur chimericum, & impossibile per repugnantiam ad existendum; at hoc ipso non potest reddi chimericum, & impossibile per paternitatem ratione sui, & secundum proprium conceptum, quin hæc prout sic connotet existentiam; nam repugnantia ad existendum provenire nequit, nisi à forma necessario exigente existentiam: ergo

91 Respond. conced. anteced. & neg. conseq. Ad probationem dist. major. contradicitorum paternitatis tam explicitè , quam implicitè consideratæ , redditur chimericum , & impossibile per repugnantiam ad existendum, concedo: contradicitorum paternitatis solum explicitè consideratæ , nego. Itaque sicut paternitas solum dicit entitatem relativam sub conceptu entitatis , ita contradicitorum illius explicitè consideratæ est solum negatio entitatis relativæ sub conceptu entitatis , & sicut paternitas implicitè dicit eandem entitatem, ut existentem, sic contradicitorum illius prout sic est negatio ejusdem entitatis, ut existentis. Patet ergo , quod solum contradicitorum paternitatis tam explicitè , quam implicitè consideratæ redditur chimericum , & impossibile per repugnantiam ad existendum; non verò contradicitorum illius purè explicitè consideratæ : unde cùm paternitas ratione sui , & secundum relativum conceptum dicat entitatem relativam, non opus est , quod prout sic connotet existentiam , ut reddat suum contradicitorum chimericum , & impossibile , cuius pone exemplum in vero necessario , quod etiā ratione sui , & secundum proprium conceptum reddit suum contradicitorum chimericum , & impossibile , & tamen prout sic non connotat existentiam.

92 Sed dices , etiam repugnantia negationis entitatis relativæ sub conceptu entitatis provenire nequit nisi à forma existente , vel connotante existentiam: ergo. Prob. anteced. Prædicta repugnantia provenire nequit , nisi à forma , vel entitate necessaria ; sed entitas necessaria dicitur talis ab existentia , quam necessariò connotat , sicut entitas contingens dicitur talis ab existentia , quam non necessariò , sed contingenter connotat : necessarium enim est , quod non potest non esse , sicut & contingens , quod potest esse , & non esse: ergo. Resp. quod illa repugnantia non potest non provenire à forma necessaria in re , non tamen est necesse , quod proveniat à forma necessaria secundum omnem sui conceptum , & formalitatem: sicut patet in exemplo veri, quod ratione sui , & secundum proprium conceptum non est necessarium , sicut nec prout sic connotat existentiam , & tamen sufficit , quod in re , & ratione entitatis , quam implicat , sit necessarium , ut ab eo ratione sui , & secundum proprium conceptum proveniat repugnantia sui contradictorij.

93 Sed dices: divina relatio ratione sui & secundum proprium relativum conceptum , & medium implicitè , & ratione essentiæ est en-

titas necessaria : ergo prout sic necessariò connotat existentiam. Prob. antec. ratione sui , & secundum relativum conceptum est entitas non contingens : ergo necessaria , quia inter necessarium , & contingens non datur medium. Sed resp. quod inter contingens , & necessarium in re non datur medium ; bene tamen inter contingens , & necessarium eum addito ratione sui: Unde hac ratione diximus supra , quod divina relatio ratione sui nec est in actu , nec in potentia ; & inter album , & non album in re etiam non datur medium : unde homo in re necessariò est albus , vel non albus ; attamen inter album , & non album cum addito ratione sui , vel secundum se datur medium ; nam homo ratione sui , & secundum se nec est albus , nec non albus.

## RESOLUTIO II.

*In divinis non datur perfectio relativa etiam formalis.*

94 **Q**Uæ etiam fundatur primò ex dictis in secundo notabiliter: nam perfectio formalis in perfectione transcendentali fundatur, & solum super eam addit convenientiam al alterum , nam ut ibi diximus, per id ipsum , per quod res est in se actu , & perfecta , est alteri conveniens , & ab eo appetibilis: si ergo divine relationes secundum proprium relativum conceptum non dicunt perfectionem relativam transcendentalē , à fortiori infertur , quod nec dicant perfectionem relativam formalem. Secundo: nam perfectio formalis hoc ipso; quod in convenientia ad alterum consistat , dicitur per ordinem ad subiectum per se , & formaliter , seu propter se , & ratione sui inspectum ; at divina relatio secundum proprium relativum conceptum non sic respicit subiectum , sed materialiter & ratione termini , seu propter terminum: unde & à termino specificatur , & solum per ordinem ad terminum definitur , nimirum quod sit , cuius totum suum esse est ad aliud se habere: ergo Maj. prob. Nam perfectio formalis hoc ipso , quod in convenientia ad alterum consistit , dicit ordinem ad subiectum , quatenus habet modum essendi ei convenientem , consonum , & proportionatum; at quod habet talem modum essendi , attenditur penes naturam subjecti , quia nimirum est juxta exigentiam , & debitum illius , sicut penes naturam ejus attenditur , quod aliquid sit ei disconveniens improprietatum , & dissontum , quia nimirum est contra illius debitum , & exigentiam ergo.

Quod

95 Quod fundamentum fulcitur doctrina D. Thom. 1. p. q. 38. art. 2. dum probat contra Gilbertum Porrectanum relationes in divinis non esse pure assistentes, sed extrinsecus affixas, sed esse in Deo idem, quod sua essentia, sic enim ait: *Ad cuius evidentiam considerandum est, quod in quolibet novem generum accidentis est duo considerare, quorum unum est esse, quod competit unicuique ipsorum secundum quod est accidens, & communiter in omnibus est inesse subiecto, accidentis enim esse est inesse: aliud, quod potest considerari in unoquoque est propria ratio uniuscujusque illorum generum, & in alijs quidem generibus à relatione, utpote quantitate, & qualitate etiam propria ratio generis accipitur secundum comparationem ad subiectum, nam quantitas dicitur mensura substantiae, qualitas vero dispositio substantie, sed ratio propria relationis non accipitur secundum comparationem ad illud, in quo est, sed secundum comparationem ad aliquid extra. Si igitur consideremus etiam in rebus creatis relationes secundum id, quod relationes sunt, sic inveniuntur esse assistentes, & non intrinsecus affixas quasi significantes respectum quoddammodo contingentem ipsam rem relatam, prout ab ea tendit in alterum; si vero consideretur relatio, secundum quod est accidens, sic enim est inherens subiecto, & habens accidentale esse in ipso. Sed Gilbertus Porrectanus consideravit relationem primo modo tantum; quidquid autem in rebus creatis habet esse accidentale, secundum quod transfertur in Deum habet esse substantiale, nihil est Deo ut accidens in subiecto, sed quidquid est in Deo est ejus essentia: sic igitur ex ea parte, qua relatio in creatis habet esse accidentale in subiecto relato realiter existens, in Deo habet esse essentiae divinæ idem omnino ei existens; in hoc vero, quod ad aliquid dicitur, non significatur aliqua habitudo ad essentiam; sed magis ad suum oppositum. Et sic manifestum est, quod relatio realiter existens in Deo est idem essentiae secundum rem, & non differt, nisi secundum intelligentia rationem prout in relatione importatur respectus ad suum oppositum, quod non importatur in homine. Hec D. Thom.*

96 Ex quibus fulcitur tam fundamentum hujus, quam praecedentis resolut. nam in primis loquendo de relatione creata, distinguit D. Thom. id, quod ei competit, secundum quod est accidens, & id, ei competit secundum rationem propriam relationis, & de relatione, secundum quod est accidens, ait quod prout sic est commune cum ceteris accidentibus, quod inhæret subiecto, qua ex parte consequenter connotat

existentiam, quia accidentis esse est inesse, deinde etiam prout sic respicit subiectum per se, & formaliter, quia prout sic respicit subiectum ut sui causam materialem; patet autem subiectum ratione sui, & non ratione termini esse causam materialem relationis, quam sustentat, siquidem eam sustentat ratione propriæ subsistentie, & entitatis, seu actualitatis. De relatione autem creata quantum ad id, quod ei competit secundum propriam rationem, ait hoc esse in ea speciale præ ceteris accidentis generibus, quod licet in alijs generibus ratio propria generis accipiatur secundum comparationem ad subiectum, ratio tamen propria relationis non accipitur secundum comparationem ad illud, in quo est, sed secundum comparationem ad aliquid extra, nimirum ad tertium: ex quibus habetur relationem adhuc creatam secundum proprium, & relativum conceptum non respicere subiectum per se, & formaliter, id est ratione sui, sed materialiter, & per accidens ratione termini.

97 Deinde subdit, quod secundum hanc propriam rationem relatio invenitur esse assistens, & non intrinsecus affixa quasi significans respectum quoddammodo contingentem rem ipsam relatam prout ab ea tendit in alterum, in quibus fatetur, quod relatio creata, si secundum propriam rationem relationis consideratur, non connotat sui nonexistentiam, nimirum intrinsecum in esse subiecto. Unde subdit, quod Gilbertus consideravit solum relationem secundum propriam illius rationem; nimirum secundum quod respicit subiectum in ordine ad terminum; non vero secundum id, quod ei competit in ratione accidentis una cum ceteris praedicamentis, scilicet secundum quod habet inesse subiecto, & propterea affirmavit relationem esse assistentem, & extrinsecus affixam. Tandem ad relationem divinam ex creata ascendendo ait, quod quia quidquid in rebus creatis habet esse accidentale, secundum quod transfertur in Deum, habet esse substantiale ex ea parte, qua relatio in rebus creatis habet esse accidentale in subiecto relato realiter existens in Deo habet esse essentiae divinæ. Ex quibus constat, quod relationi creata, quatenus accidens est habens esse in subiecto, correspondet in divina relatione ratio substantia, & essentia divinæ habens esse in se, & ad se, ac proinde, quod sicut relatio creata ea parte, qua accidens est, communiter cum ceteris praedicamentis accidentis connotat ipsum inesse subiecto: sic divina relatio ea parre, qua essentia, & substantia est, communiter cum ceteris praedicamentis divinis connotat existentiam substantiam in se, & ad se.

98 Ecce utrumque nostrum fundamen-  
tum falsum doctrina expressa D. Thom. quod  
nimurum relatio secundum proprium relativum  
conceptum non connotat existentiam, nec pro-  
ut sic respicit subjectum per se, & formaliter, &  
consequenter nec prout sic dicat perfectionem,  
sive trancendentalem, sive fornalem, quamvis  
utramque dicat relatio creata ex parte, qua in-  
se imbibit transcendentaliter rationem accidentis,  
& simpliciter relatio divina ea parte, qua in  
se imbibit transcendentaliter rationem divinæ  
substantiæ, seu essentiæ, quod & explicat ad  
primum: cum enim objecisset argumentum ex  
D. August. 15. de Trinit. quod non omne,  
quod dicitur de Deo, dicitur secundum sub-  
stantiam, dicitur enim ad aliquid, sicut Pater  
ad Filium, respondet: *Quod verba Augustini  
non pertinent ad hoc, quod paternitas, vel alia  
relatio, quæ est in Deo secundum esse suum, non  
sit idem cum divina essentia; sed quod non pre-  
dicetur secundum modum substantiæ, ut existens  
in eo, de quo dicitur; sed ut ad alterum se habes,*  
& propter hoc dicuntur duo tantum esse prædi-  
camenta in divinis, quia alia prædicamenta  
important habitudinem ad id, de quo dicun-  
tur tam secundum suum esse, quam secundum  
proprij generis rationem. Hæc ibi: ex quibus  
patet, quod licet cetera prædicamenta divina,  
utpotè absoluta, dicant habitudinem ad su-  
bjectum tam secundum esse, quam secundum  
propriam rationem, proptereaque prædicen-  
tur de illo secundum modum substantiæ, nim-  
rum ut in eo existentia; relatio tamen divina  
non prædicatur secundum modum substantiæ,  
& ut existens in eo, de quo dicitur; sed ut ad  
alterum se habens, consequenterque prout sic  
nec connotat existentiam, nec respicit subje-  
ctum per se, & formaliter. Item D. Thom. q.  
2. de potentia artic. 4. in copore sic habet:  
*Nec tamen sequitur, quod quamvis paternita-  
tem Filius non habeat, quam Pater habet, ali-  
quid habeat Pater, quod non habeat Filius.*  
nam ipsa relatio secundum rationem sit gene-  
ris, in quantum est relatio, non habet, quod  
sit aliquid; sed solùm, quod sit ad aliquid, quod  
sit verò, aliquid habet ex illa parte, qua inest,  
vel ut idem secundum rem, ut in divinis, vel  
ut habens causam in subjecto, ut in creatis. Hæc  
Div. Thom. quibus clarissimè docer relatio-  
nem secundum propriam rationem in quantum  
relatio est, non esse aliquid, sed ad aliquid;  
proindeque nec prout sic respicere subjectum  
per se, & formaliter, nec prout sic connotare  
actualitatem existentie, licet totum hoc habeat  
ex ea parte, qua inest.

Objiciuntur, & solvantur argumenta.

99 **O**bijices primò: personalitas di-  
vina ratione sui, & secundum  
relativum conceptum sanctifi-  
cat humanitatem Christi formaliter; at hæc san-  
ctitas, bonitas, & perfectio formalis est, cum  
de conceptu sanctitatis sit constituere subje-  
ctum, quod sanctificat amore amicabili ama-  
bile; objectum autem amoris est bonum: ergò  
personalitas divina ratione sui, & secundum  
relativum conceptum dicit bonitatem, & per-  
fectionem formalem. Minor, & conseq. pa-  
tent, major autem est plurimum Thomist. 3.  
part. quæst. 7, de gratia Christi, eamque tenent  
Vincentius, Nazarius, Cepulius, Lisbonien-  
sis, & plures alii in manuscriptis; sed quia  
principium fundamentum opposita sententiae  
desumitur ex nostro fundamento in præsentि,  
quod nimirum divinæ relationes ratione sui, &  
secundum relativum conceptum non dicunt  
perfectionem, & consequenter prout sic per-  
sonalitas Verbi sanctificare nequit humanita-  
tem Christi, ex quo liquet eandem prorsus es-  
se ibi, ac in præsenti difficultatem, fundamen-  
taque opposita ad hoc tendere, ut Verbi per-  
sonalitas ratione sui, & secundum relativum  
conceptum sit perfectio saltem ad extra, & re-  
spectu humanitatis: unde facile potest deduci  
esse etiam perfectionem ad intra, ideo ad ma-  
jorem nostræ sententiae confirmationem non  
erit abs re confirmare argumentum rationibus,  
quibus major suadetur, & obiter nostra sen-  
tentia impugnatur.

100 Confirmatur ergò 1. gratia unionis,  
prout gratia unionis est, formaliter bonitatem,  
& perfectionem dicit saltem respectu humani-  
tatis; at personalitas Verbi ratione sui, & se-  
cundum relativum conceptum est gratia unio-  
nis, sicut & prout sic est donum communica-  
tum humanitati Christi, cum eam terminatam  
constituit: ergò. Secundò: humanitatem esse  
terminatam per subsistentiam Verbi quatenus  
relativam, est effectus amoris divini, & conse-  
quenter prout sic est objectum divini amoris;  
sed hoc est formaliter bonum: ergò. Tertiò:  
humanitatem esse Deo summè conjunctam, &  
unitam, est maxima bonitas, & perfectio for-  
malis; at sic unita est ratione personalitatis se-  
cundum proprium, & relativum conceptum:  
ergò. Quarto: forma, quæ ratione sui, & se-  
cundum proprium conceptum est essentialiter  
pugnans, & incompatibilis cum omni immuni-  
ditia, & peccato, ratione sui, & secundum  
proprium conceptum est bona, & perfecta sed  
hu-

hujusmodi est personalitas divina: ergo. Quinto, personalitas Verbi ratione sui, & secundum relativum conceptum constituit Verbum Filium Dei naturalem per essentiam, & Christum ut hominem Filium Dei naturalem per gratiam; at Verbum, & Christum ut hominem esse Filium Dei naturalem maxima perfectio est: ergo. Sexto: personalitas Verbi ratione sui, & secundum relativum conceptum infinitè dignificat operationes Christi, easque constituit infinitè meritorias: ergo prout sic est formaliter dignitas, & perfectio. Septimo: personalitas Verbi ratione sui, & secundum relativum conceptum est in Christo ut homine prima moralis radix amandi, & videndi Deum, totiusque rectitudinis operationum ipsius, siquidem praedicta dona primo debentur ei ratione personalitatis Verbi secundum proprium conceptum; at hoc est maxima perfectio: ergo.

101 Argumento varie occurunt defensores nostræ sententia: nàm plures non renunt concedere personalitatem Verbi ratione sui, & secundum relativum conceptum sanctificare formaliter humanitatem Christi: & ad minorem respondent prædictam sanctitatem esse bonitatem, & perfectionem formalem, non quidem ad intra; sed ad extra, quam non inconvenit admittere in personalitate Verbi ratione sui, & secundum relativum conceptum, let inconveniens sit eam admittere ad intra, nia ex hac sequitur necessario in divinis personis concedendas esse tres perfectiones realiter formaliter distinctas, utpote quia divinæ relationes inter se realiter formaliter opponuntur: & illa verò solum sequitur dari in eis tres perfectiones materialiter distinctas, quia in perficendo ad extra non opponuntur inter se relatiæ, siquidem omnes simul possunt terminare unam numero humanitatem.

102 Moderniores tamen Thomistæ non ident majorem concedere; Oxomensis enim p. q. 7. de gratia personali Christi tractatu disp. 21. §. 5. non percipit, qualiter compo- i posse personalitates divinas ratione conce- tus expliciti ad essentiam superadditi non dire perfectionem, & quod ratione talis conce- tus exprimant sanctitatem: siquidem sanctitas esse necessariò bonitas est, & consequenter perfectio. Hoc ipsum alijs terminis profert Gonet, & invehit contra Magistrum Cipulum, & Lisbonensem; cum tamen Lisbonensis adver- bus nos concedat in Deo perfectionem relati- ram licet, non multiplicatam.

103 Fateor hanc esse legitimam solutio- nem, ut enim diximus, præcipuum, immo unicum fundamentum sententia afferentis per-

sonalitatem Verbi ratione sui, & secundum re- lativum conceptum non sanctificare formaliter humanitatem Christi, desumitur ex nostro fundamento in præsenti, quod nimirum divi- ne relationes ratione sui, & secundum relativum conceptum non dicunt bonitatem, & per- fectionem: unde admittere in præsenti personali- tatem divinam sub ea ratione formaliter san- tificare naturam humanam, censeo esse contra- dictorium nostræ sententiae admittere, & juxta solutionem hoc sit manifestum, nam si quantu- vis dicant perfectionem illam ad extra; nihilominus prædicta perfectio in eis non multiplicatur, quia licet inter se opponantur; non ta- men opponuntur in perficiendo humanitatem, ex eadem ratione, quia non opponuntur in perficiendo divinam naturam, pariter ex illa distinctione, vel oppositione non sequeretur perfectionis realis multiplicatio. Deinde, si illa perfectio ad extra convenit personalitatì Verbi ratione sui, & secundum relativum conceptum, eo ipso necessario, & prout sic respiceret subje- ctum per se, & formaliter, simulque prout sic connotaret existentiam; juxta nostram senten- tiam personalitas Verbi ratione sui, & secun- dum relativum conceptum, nec potest respi- cere subjectum per se, & formaliter, nec exi- stentiam connotare: ergo prædicta solutio ne- cessariò imbolvit contradictionem, immo si semel perfectio illa ad extra non multiplicatur reali- ter relationibus multiplicatis, non po- tes non virtualiter adæquatè à divinis relatio- nibus distingui, sicut propter eandem ratio- niem sic distinguitur essentia divina à relatio- nibus.

104 Sed dices ex quodam Magistro in ma- nuscriptis, qui defendit personalitatem Verbi ratione sui sanctificare formaliter humanitatem adhuc admissa, relationes divinas ratione sui no- dicere perfectionem, quod fundat duplice pati- tate: prima est in ipsa personalitate Verbi, quæ ut est forma sanctificans humanitatem, sive hoc habeat ratione sui, sive ratione naturæ, habet, quod sit radix beatitudinis supernaturalis crea- te; & tamen per ordinem ad propriū suppositum non potest considerari, ut radix beatitudinis prædictæ. Similiter subsistentia absoluta divina reddit naturam divinam subsistentem perfeita- tè independentia, non vetò incomunicabilita- tis; & tamen si Deus per illam terminaret hu- manitatem, ut potuit, redderet humanitatem su- bistentem utroque modo: ergo potest forma explicare aliquem effectum in subiecto extra- neo, quem non potest explicare in subiecto connaturali, & consequenter poterit personali- tas in ratione sui dicere perfectionem aliquam

in subiecto extraneo humanitatis, licet in proprio subiecto nullam exprimit.

105 Sed ad primam respondeo illud esse, quia proprium suppositum Verbi incapax est beatitudinis creatæ; attamen in nostro casu capax est perfectionis: immò cum sit infinitè perfectum non posset non denominari à perfectione relativa propriæ personalitatis. Ad secundam negamus, quod si Deus per subsistentiam absolutam terminaret humanitatem, prædicta subsistentia redderet humanitatem subsistentem incommunicabiliter, sed prout sic redderetur humanitas subsistens solum per subsistentias relatives, quibus secundario, & mediate uniretur: unde talis humanitas ut immediate terminata per subsistentiam absolutam non esset formaliter incomunicabilis; sed solum independens ab altero ut sustentante. Sic communiter omnes tenentes potuisse Deum per subsistentiam absolutam assumere naturam humanam, quo in casu eam etiam assumerent secundario tres divinæ personæ, quia eam assumeret Deus, uecis communis.

106 Ad argum. ergo negatur major: quod enim ratione sui, & secundum proprium conceptum sanctitas non est, non potest naturam humanam sanctificare formaliter: personalitas autem Verbi ratione sui, & secundum relativum conceptum sanctitas non est: tum quia prout sic non est perfectio: tum quia alias in tribus divinis relationibus essent res sanctitates, essentque inter se inæquales, utpote specificè distinctæ, cuilibetque divinæ personæ deesse sanctitas alterius, nec consequenter esset infinitè, & simpliciter sancta, quæ sunt inconvenientia secuta ex sententia nostræ opposita: sed dicimus personalitatem Verbi sanctificare formaliter humanitatem Christi ratione divinæ naturæ in ea transcendentaliter inclusæ reduplicative prout sic: hæc enim est ratione sui, & secundum proprium conceptum formalem sanctitas substantialis, sicut & est radix substantialis videndi, & amandi Deum, cuius est formalis participatio, gratia, quæ est sanctitas accidentalis. Ad primam confirmat. respond. quod sicut negamus personalitatem Verbi ratione sui esse bonam, & perfectam, sic negamus eam prout sic esse gratiam unionis, vel donum communicatum; sed hoc solum habet ratione divinæ essentia in ea transcendentaliter inclusæ, nec oppositum convincit, quod eam ratione sui terminatam constitut: nam solum eam constituit terminatam quantum ad incomunicabilitatem; non vero quantum ad independentiam, & prout sic solum est perfectio, donum, & gratia.

107 Ad secundam respond. humanitatem Christi ut terminatam per subsistentiam Verbi quatenus relativam esse effectuum amoris divini, objectumque illius ly quatenus reduplicante rationem sub qua respective ad terminationem naturæ; respectivè vero ad terminationem amoris reduplicante solum rationem qua, ita ut licet personalitatem Verbi ratione relativi terminare humanitatem Christi sit effectus, & objectum divini amoris; ratio tamen sub qua predictum amorem terminat, est solum absolutum in ea inclusum: sicut à simili personalitas Spiritus Sancti adhuc ut relativa, & constituens tertiam personam, producitur ut quod per mutantum amoris Patris, & Filii; ratio tamen terminandi illum est absolute inclusum: unde solum valet inferri terminationem relativam esse botam, non tamen ratione relativi, sed absolute. Ad tertiam respond. quod licet humanitas Christi unitatur Deo ratione personalitatis Verbi secundum proprium relativum conceptum, & eam esse Deo sic intime unitam maxima perfectio sit, non tamen sequitur hanc perfectiōnem præstare ipsam Verbi personalitatem ratione sui, sed eam præstat deitas ipsa unita, licet ratione nisi ut adjuncta, & applicata ratione personalitatis Verbi: unde hæc secundum relativum conceptum se habet ut ratio formalis unendi humanitatem Deo, à quo ipsa humanitas unita maxime perficitur.

108 Ad 4. respond. quod illud potest convenire divinæ personalitati, et si ratione sui non sit bona, & perfecta, quia prout sic petit includere divinam essentiam, quæ est puritas per essentiam, & incompatibilis cum omni immunditia, & peccato, sicut vice versa materiale peccati prout est à Deo incompatibile, est cum gratia: undè in sensu composito, quo homo peccat, nequit gratia cum materiali peccati etiam prout à Deo, & secundum entitatem, & actualitatem, quam importat conjungi, ex quo tamen non licet inferre eum, prout sic esse malum: alias prout sic non esset à Deo, & hoc idèo quia licet prout sic malum non sit, prout sic tamen hic, & nunc habet infallibiliter annexam malitiam infallibilitate consequentia, licet non oita ex meritis actus, quatenus à Deo est. Quanto ergo melius erit è converso divina personalitas ratione sui incompatibili cum omni immunditia, & peccato, si ratione sui, quamvis nec perfecta, nec bona sit, habet infallibiliter annexam naturam divinam in ea transcendentaliter inclusam? Qua ratione dicitur prout sic purissima negativè, licet non positivè. Ad 5. respond. quod Verbum Dei esse ipsius Filium naturalem per essentiam, & Christum, ut hominem esse Filium

Dei naturalem per gratiam, est maxima perfe-  
ctio secundum id, quod filatio, seu personalitas  
Verbum constituens in ratione Filii importat in  
obliquo, nimirum divinam naturam: unde ad  
constituendum Filium Dei naturalem ingredi-  
tur in recto Verbi personalitas, & natura in obli-  
quo; ad perficiendum tamen, & sanctificandum  
ingreditur etiam in recto natura.

109 Nec valet, quod si per impossibile uni-  
tetur humanitati Christi personalitas Verbi se-  
parata à natura, adhuc per eam Christus, ut ho-  
mo constitueretur Filius Dei naturalis. Non va-  
let: quia personalitas Verbi non constituit Filium  
Dei naturalem, nisi ut terminans divinam natu-  
ram, in eo autem casu non communicaretur, ut  
divinam naturam terminans, & sic nec consti-  
tueret Christum, ut hominem Filium Dei natu-  
ralem. Ad 6. pariter neg. personalitatem Verbi  
ratione sui, & secundum relativum conceptum  
infinitè significare operationes Christi, easque  
constituere infinitè meritorias, sed utrumque  
præstat personalitas Verbi ratione naturæ di-  
vinæ, quæ infinitè digna est, & sancta. Ad ultimam  
respond. pariter neg. assumptum, & quod  
dona prædicta debeantur Christo, ut homini ra-  
tione personalitatis secundum conceptum rela-  
tivum, sed solum ratione naturæ divinæ, quæ est  
per essentiam radix videndi, & amandi Deum:  
unde licet personalitas ratione sui, primò uniat-  
ur phisicè, & secundario natura divina, è con-  
tra tamen moraliter loquendo.

110 Objicies 2. & est replica contra præ-  
cedentia: personalitas tertiarum personarum ratione sui,  
& secundum relativum conceptum constituit  
tertiam personam in ratione Spiritus Sancti, sed  
non sic eum constitueret, si prout sic non esset  
perfectio, & sanctitas, ut patet ergo. Ad hoc argu-  
ment. respond. ex doctrina D. Thom. i. p. q. 36.  
art. 1. quod processio, quæ est per modum amo-  
ris, non habet proprium nomen: unde dicitur  
ionominata, propter quod persona hoc modo  
procedens non habet proprium nomen, attamen  
sicut ex usu loquentium accommodatur prædi-  
cta processioni nomen spirationis, quæ secundum  
proprietatem significationis magis signi-  
ficat actum notionalem, quam relationem: ita  
ad significandum prædictam personam, quæ  
procedit per modum amoris, impulsus, seu Spi-  
ritus, accommodatum est ex usu Scripturæ hoc  
nomen Spiritus Sanctus; non tamen hic accipi-  
tur complexè, & in vi duplicis dictionis, quia  
prout sic commune est Patri, & Filio: uterque  
enim est Spiritus ratione immaterialitatis divi-  
nae substantia, & uterque Sanctus ratione puri-  
tatis divine bonitatis; sed accipitur incomplexè,  
& in vi unius dictionis, quatenus nimirum signi-

ficat subsistentem in divino impulsu, vel amore:  
unde negamus personalitatem tertiae personæ  
eam constituere in ratione Spiritus Sancti, ut ar-  
gumentum intendit.

111 Objicies tertio: ratio formalis perfe-  
ctionis in convenientia ad alterum consilic; sed  
divina relatio ratione sui dicit convenientiam  
ad alterum: ergo & perfectionem. Maj. patet ex  
dictis in secundo notabili, min. verò prob. nam  
relatio divina ratione sui constituit divinam  
personam in esse personæ, eamque prout sic ab  
alia persona distinguit; sed id, quod alterum  
constituit, & distinguit, non potest non dicere  
convenientiam respectu illius prout sic, siqui-  
dem nihil potest esse alteri magis conveniens,  
quam proprium constitutivum, & distinctivum:  
ergo.

112 Ad hoc argument. aliqui respondent  
probare relationem divinam in ratione formæ  
hypostaticæ dicere perfectionem; non tamè sub  
expresso conceptu relationis, sub quo potius  
personam constitutivam supponit, sicut & pro-  
cessionē, in qua fundatur. Sed hęc solutio com-  
muniter rejicitur: nam relatio divina nequit  
forti rationem formæ hypostaticæ, vel consti-  
tuens personam ratione alicujus absoluti, sed  
relativi, siquidem personam constituit in quan-  
tum constituit subsistens incomunicabile, &  
distinctum in natura divina, quod ratione abso-  
luti nequit præstare, quia absoluta in Deo com-  
munia sunt tribus personis. Verum quidem est,  
quod non constituit personam sub respectu,  
quem dicit ad terminum, qui dicitur conceptus  
ad; sed solum sub respectu, quem dicit ad subje-  
ctum, qui dicitur conceptus, in, seu formæ hy-  
postaticæ; attamen quia relatio formaliter ut re-  
latio adæquatè considerata utrumque respicit,  
nimirum subiectum, terminum, siquidem munus  
adæquatum illius est subiectum ad terminum  
ordinatè; idèò illi respectus sunt solum inadæ-  
quatè distincti, nimirum distincti penes nostrum  
modum concipiendi; non verò objectivè, vel,  
ut alij dicunt, sunt distincti penes diversam si-  
gnificationem terminorum, seu objectivè, qua-  
tenus significantur per nomina, quo in sensu air  
D. Thom. q. 7. de potent. art. 4. in corp. Quod  
persona divina formalis significatione significat  
distinctum subsistens in natura divina, & quia  
hoc non potest esse, nisi relatio, vel relativum, ideo  
materiali significatione relationem significat,  
vel relativum. Quod interpretantur nosti. Tho-  
misti. non quod significatum formale hujus no-  
minis persona divina, vel divina personalitas,  
non sit formaliter relativum formalitate rei, vel  
objecti, sed quod non sit formaliter relativum  
formalitate nostri modi concipiendi, vel objec-  
tivi.

Et ut significari per nomen, quatenus hoc nomen *persona divina* est impositum solum ad significandam personam, v. g. Patrem, ut subsistens distinctum in natura divina, & non formaliter ut Patrem, & similiter nomen *personalitas divina* est impositum ad significandam divinam relationem solum sub munere constituentis, & non sub munere referentis: non ergo potest relatio divina adhuc in ratione formæ hypostaticæ, & constituentis personam dicere perfectionem, siquidem adhuc sub eo conceptu est formaliter relativa formalitate rei, vel objecti, nec conceptus ille, si adæquatè consideretur, est ad subjectum per se, & formaliter, sed ratione termini, & propter terminū, & solum est ad subjectum per se, & formaliter significativè; seu attento nostro modo concipiendi personalitatem divinam per analogiam, & similitudinem ad personalitatem creaturæ. Immò si relatio divina in ratione forma hypostatica diceret perfectionem, sequeretur etiam inconveniens multiplicationis perfectionis in divinis, cui principaliter nititur nos. resolut. cum etiam in ratione formæ hypostaticæ divina relatio multiplicetur.

113 Unde melius resp. i. disting. maj. ratio perfectionis formalis consistit in convenientia prout existenti, vel connotati existentiā, conced. cum præcisione ab illa neg. Quia ut diximus, perfectio formalis supra transcendentalem, quæ in actualitate rei consistit, non superaddit, nisi respectum ad alterum, cui conveniens est: unde perfectio formalis in recto dicit etiam actualitatem formæ, quæ ei convenit per existentiam, vel illius connotationem, & solum secundo modo divina relatio, quatenus constitutiva persona dicit convenientiam ad alterum, non vero primo modo, ut ex dictis patet.

114 Secundò resp. conced. maj. & neg. min. ad cujus prob. conced. maj. & disting. min. Id, quod alterum constituit, & distinguit relativè, neg. min. absolutè, & ad se conced. min. Ut enim supra diximus, quod aliquid habeat modum essendi convenientem, & proportionatum subjecto, attenditur penes naturam illius, & consequenter prout sic dicitur per ordinem ad subjectum per se, & formaliter, & propter se, & ratione sui inspectum; licet autem relatio divina ratione sui constituat personam in esse personæ, cum eam constituat relativè, non eo ipso respicit subjectum per se, & formaliter sed materialiter, & ratione termini: unde adhuc prout sic esto dicat constitutionem, non dicit convenientiam, & patet juxta subjectam materiam: etenim quod paternitas sit conveniens Patri, & non Filio penes utriusque naturam mensuratur, quia primirum natura divina prout in Patre non est,

ut ab alio communicata, & sic est in eo, ut principium generationis; in Filio vero est, ut communicata ab alio, & sic potius est in eo, ut generationis terminus.

115 Nec valet: quod habere modum essendi convenientem subjecto in se, & absolutè attenditur penes naturam subjecti, non tamen habere modum essendi convenientem subjecto relativè, nam hoc attenditur penes subjectum, quatenus dicit ordinem ad terminum, & prout sic illud per se, & formaliter respicit relatio secundum relativum conceptum, sicut omnis relatio prout sic respicit suum relativum, v. g. similitudo per se, & formaliter respicit simile, & paternitas Patrem. Non, inquam, valet: nam habere modum essendi convenientem subjecto non potest attendi, & mensurari penes subjectum, ut stat reduplicativè sub forma convenienti, ve illius effectu formaliter: alias nulla esset forma violenta, cum nulla forma possit non esse conveniens subjecto, ut stat reduplicativè sub effectu formaliter illius, v. g. calor aquæ, ut calefactio: erga relationem habere modum essendi convenientem subjecto non potest attendi penes subjectum, quatenus reduplicativè relatum ad terminum, sed solum penes naturam illius. Unde dicimus, quod relatio secundum relativum conceptum per se, & formaliter respicit suum relativum reduplicativè ut tale, quia prout sic idem est illud respicere per se, & formaliter, ac illud respicere ratione termini, & propter terminum, cum relativum formaliter ut tale à correlativo specificetur.

116 Nota tamen ut occuperemus probat. min. argument. nos in presenti non negare relationem divinam ratione sui, & secundum relativum conceptum esse convenientem personæ divinæ, quia ut rectè probat argumentum, nihil potest esse alteri magis conveniens, quam ejus constitutum, & distinctivum; sed dicimus cum hoc stare non exprimere ratione sui convenientiam quia primirum ratione sui est conveniens solum ut quod, non vero ut quo, ita ut propria ratio constituendi sit ratio convenientiæ, sed ratio convenientiæ est absoluta in divina relatione inclusa, ratione cujus respicit subjectum per se, & formaliter & non in ordine ad terminum, ut explicatum est. Cujus pone exemplum in essentia creata, de qua verificatur, quod ratione sui, & secundum proprium, & essentiale conceptum extitit, sed non ut quo, ita ut ratio essentiæ sit ratio existendi, hac enim est realiter ab essentia distincta, sed ut quod, quatenus ratione sui, & secundum proprium, & essentiale conceptum est subjectum existentiaz: à simili ergo proportione servata.

117 Quartò objicies, & est replica contrā præced. solut. Divinæ relationi ratione sui, & secundum relativum conceptum convenit diffinitio perfectionis simpliciter simplicis: ergo prout sic dicit perfectionem. Prob. anteced. perfectio simpliciter simplex diffinitur, quod melior sit ipsa, quam non ipsa; sed divinæ relationi ratione sui, & secundum relativum conceptum convenit, quod melior sit ipsa, quam non ipsa, melior est enim prout sic persona, quam parentia illius: ergo. Respond. quod divina relatio ratione sui, & secundum relativum conceptum est melior divinæ personæ, quam parentia illius solum negative; positivè vero non est melior, nisi in sensu, in quo diximus divinas relationes conducent ad perfectionem in divinis, nimirum terminativè, seu arguitivè. Vel dicatur juxta præced. solut. quod divina relatio ratione sui est melior ut quod, sicut & prout sic est conveniens, non verò ut quo, quia ratio conveniendi est sola perfectio absoluta inclusa in ea.

118 Objicies quintò: relatio creata secundum conceptum ad dicit perfectionem formalem; sed quidquid reperitur in relatione creata perfectiori modo debet reperiri in relatione divina, cuius est participatio: ergo. Prob. maj. quia ex eo relatio creata secundum conceptum ad non diceret perfectionem formalem, quia prout sic non habet respicere subjectum; sed hoc est falsum: ergo. Prob. min. i. de formalissima ratione accidentis est respicere subjectum; sed hæc formalissima ratio in relatione reperitur determinata per proprium conceptum relativum, ita ut ipsa ratio superior pertineat ad ipsam lineam relativam, quia hoc est proprium predicati transcendentalis secundum rationem: ergo. Secundo prob. min. subjectum relatum habet respicere terminum; sed illum respicit ratione relationis: ergo relatio respicit subjectum: Prob. conseq. respicere terminum est effectus formalis relationis, quem relatio communicat subjecto; sed illum communicare non potest, si non respiciat subjectum, quia effectus primarius, & formalis forma nihil aliud est, quam ipsa forma communicata: ergo:

119 Quod argument. confirmat. authorit. D. Thom. q. 7. de potent. art. 9. ubi probat dari in rebus relationem secundum esse: *Quia perfectio, & bonum, que sunt in rebus extra animam non solum attenditur secundum aliquid absolute inherens rebus, sed etiam secundum ordinem unius rei ad aliam, &c.* Et post pauca concludit: *Oportet ergo in ipsis rebus ordinem quendam esse; hic autem ordo relatio, quedam est: unde oportet in rebus ipsis relationes quasdam esse secundum quas unum ad alterum ordinetur.* Colli-

git ergo D. Thom. dari in rebus relationes secundum esse, quia perfectio, & bonum non solum attenditur secundum esse absolute, sed etiam secundum esse relativum, loquitur enim D. Thom. de esse relativum per contrapositionem ad esse absolutum.

120 Ad hoc argument. in quo maximè fidit quidam in suis manuscriptis, respóder Magister Serra concedit: relationem creatam dicere perfectionem relativam, & neg. conseq. de divina relatione, quia nimirum relatio creata habet existentiam propriam, entitatem quoque, ac existentiam relativam, relatio vero divina, nec existentiam propriam habet, nec existentiam, aut entitatem relativam, sed solum rationem relativam, quæ quantum ex parte sui, nec perfectionem, nec imperfectionem dicit, ex parte vero esse divini, quod intrinsecè includit, perfectionem dicit, absolutam tamen sicut & ipsius esse absolutum est. Sed hæc solutio non coheret cum nostra fundament. quod fundatur in eo, vel quod relatio secundum proprium relativum conceptum non dicit ordinem ad subjectum per se, & formaliter sed per accidens, & ratione termini, vel quod secundum proprium relativum conceptum non connotat existentiam, quod utrumque falsificatur admissa perfectione relativâ in relatione creata.

121 Melius ergo respond. nos non negare in præsenti relationem secundum proprium relativum conceptum dicere perfectionem formalem, quia prout sic non habet respicere subjectum, sed quia prout sic non habet respicere subjectum per se, & formaliter, hoc est ratione sui; sed solum materialiter, & per accidens ratione termini; vel quia secundum proprium relativum conceptum non connotat existentiam, quod verum est adhuc loquendo de relatione creata, ut patet ex dictis:

122 Sed contra hanc solutionem sic ex dictis, & ex probatione minoris argum. facti non leviter potest argumentari: secundum nos, & securidum Div. Thom. relatio creata ea parte, qua accidens est, dicit perfectionem formalem; sicut & prout sic respicit subjectum per se, & formalem, & connotat existentiam; at talis perfectio nequit non esse relativa. Prob. min. formalissima ratio accidentis in relatione non potest esse absoluta; sed necessario debet esse relativa: ergo si prout sic dicit perfectionem, talis perfectio nequit non esse relativa. Prob. antec. ex communī doctrina, quod id, quod est commune communicate rationis per modum transcendentalis, nec virtualiter distinguitur ab eo, in quo transcindit, qua ratione ens inclusum in rationalitate non distinguitur virtualiter ab illa, nec

nec constituit peculiarem lineam, sed est linea illius rationis formalis, in qua transcendorit, & propterea ens imbibitum in relatione creata non constituit peculiarem lineam à linea relativa, sed inclusum ibi est formaliter relativum, sicut inclusum in re absoluta est formaliter absolutum: ergo cum ratio accidentis communis sit relationi creata, & ceteris prædicamentis communitate rationis per modum transcendentis, prædicta ratio, ut inclusa in ratione, non potest virtualiter à relatione distingui, nec potest non ad lineam relativam pertinere, & consequenter nequit esse absoluta, sed relativa.

123 Sed hoc argumentum apertè procedit contra doctrinam D. Thom. supra relatam: nam ibi expresse affirmat hoc esse speciale in prædicamento relationis præ alijs generibus accidentis, quod in relatione sola ratio accidentis accipitur secundum comparationem ad subjectum per se, & formaliter; ratio vero propria relationis secundum comparationem ad terminum, quod non salvatur, si ratio accidentis in relatione absoluta non sit, sed relativa. Deinde D. Thom. affirmit, quod secundum propriam rationem relatio invenitur esse assistens, & non intrinsecus affixa, quod falsificatur, si ipsa formalissima ratio accidentis sit relativa, cum eo ipso relatio secundum propriam rationem inveniatur intrinsecè inherens subjecto. Tandem est evidens instantia in relatione divina: nam secundum D. Thom. relationi creatæ, quatenus accidens est habens esse in subjecto, correspondeat in divina relatione ratio substantiæ, & essentiæ divinae; sed ratio substantiæ, & essentiæ divinae, sicut esse ad se, & in se, ad lineam absolutam pertinet; cum tamen ad lineam relativam pertineat divina relatio secundum propriam illius rationem: poterit ergo relatio creata secundum propriam rationem ad lineam relativam pertinere, & ratio accidentis pertinere ad lineam absolutam. Immo aliter D. Thom. non concluderet relationem in Deo esse idem, quod sua essentia, siquidem non concluderet, quod relationi divinae corresponderet ratio absoluta substantiæ, si ratio accidentis in relatione creata non esset absoluta, sed relativa.

124 Igitur ad argumentum, resp. quod convincit, si ratio accidentis communis relationi creata, & ceteris prædicamentis transcenderet relationem creatam secundum ad, vel in relativum; non autem sic eam transcendorit, cum ratio accidentis communis relationi creatæ, & ceteris prædicamentis positivè absoluta sit, utpote quæ desumitur per ordinem ad subjectum, ut sui causam materialem, proindeque in illo-sistendo, sed transcendorit solum relationem creatam se-

cundum quoddam speciale, & a themum in absolutum, cuius propria rasio differentialis ab alijs rationibus absolutis inventis in alijs prædicamentis accidentis est exigentia alterius posterioris respectus, qui dicitur ad, seu in relativum, ita ut illum indispensabiliter inferat, proindeque licet sit formaliter absolutum; est tamen exactivè seu initiativè relativum, & hoc est, quod superaddit supra in absolutum, quod est specialissimum prædicamenti relationis præ alijs prædicamentis accidentis: nam in illis ut ait D. Thom. ratio propria ipsorum adæquatè considerata accipitur secundum comparationem ad subjectum, & sic ea omnia ratio accidentis adæquatè transcendere potest, secus autem relationem: cujus adæquata, & veluti ultima ratio desumitur solum per ordinem ad terminum, ut explicatum est.

125 Nec valet hinc inferri essentiam, seit divinam substantiam correspondentem rationi accidentis in relatione creata non transcendentaliter imbibiti in divina relatione secundum ipsum ad, seu in relativum. Non, inquam, valet: quia ex creatis colligimus in divinis substantiis imperfectionibus, quod autem in relatione creata ratio accidentis, ut sic non transcendentaliter imbibatur secundum conceptum ad, seu in relativum, procedit, ex quo prædicta ratio est finita, quæ propterea transcendere non potest rationem absolutam, & relativam, è tamen contra, quia essentia divina infinita est: unde & hac ratione probant Theologi essentiam divinam transcendere postea tres divinas relationes una numero manens, ita ut eis communis sit communitate rei, cum tamen hoc competere non possit ratione accidentis propter sui limitationem: immò hac ratione probat D. Thom. q. 8. de potentia art. 2. ad. 1. quod licet relatio creata non possit esse substantia, sicut nec quantitas; benè tamen relatio divina, quia nimis divina substantia propter sui infinitatem est super omnem genus comprehendens omnium generum perfectiones.

126 Sed objicies: relatio diffinitor per hoc, quod sit, cuius totum suum esse ad aliud se habere; at non potest salvari totum esse relationis esse ad aliud se habere, si præter in relativum ei conveniat essentialiter in absolutum: ergo. Immo alias prædicamentum relationis esset compositum ex illo duplice in relativō, & absoluto virtualiter inter se distincto, cum tamen genus generalissimum cuiuslibet prædicamenti debeat esse simplicissimum, & absque aliqua compositione, ut in alijs prædicamentis patet. Tandem ex eo secundum nos relatio creata in ratione accidentis respicit subjectum absolute, & non

relativè, quia respicit illud, ut sui causam materialē; sed etiam subjectum est causa materialis relationis secundum conceptum purē respectivū, quia secundum illum etiam illam respicit, & ex illo educitur: ergo.

127 Ad 1. dicatur, quod licet utrumque in tam absolutum, quam relativum ingrediatur propriam rationem relationis creatæ, in tamen absolutum pertinet ad eam initiativę, ultimatae autem ad illam pertinet in relativum, seu ad: unde hoc veluti formalizat ad aliud, & sic ex utroque in conflatur propria differentia relationis; in tamen relativum consideratur in ea formalissimè, & per modum ultimæ differentiæ, & propterea diffinitur relatio per hoc, quod totum suum esse sit ad aliud se habere, licet revera inadæquate respiciat subjectum sistendo in illo. Vel dicendum, quod licet secundum illud esse absolutum non sit ad aliud formaliter, est tamen ad aliud initiativę, & exactivę, & hoc sufficit, ut salvetur totum esse relationis esse ad aliud se habere. Ad 2. respond. quod, ut dictum est, hoc est speciale in prædicamento relationis, quod ejus propria ratio coalescat ex duplice illo in virtualiter distincto: unde licet alia prædicamenta sint omnino simplicissima, relatio tamen solum dicitur simplicissima quoad ipsum ad, quod in ea se habet per modum constitutivi formalis, & ultimati, ut declaratum est: immo genus generalissimum cuiuslibet prædicamenti dicitur simplicissimum per exclusionem compositionis ex genere, & differētia, quam non admittimus in relatione, quoniam in absolutum ut sic non se haberet, ut superioris respectu in relativi, à quo virtualiter distinguitur, sed solum respectu in specialis absoluti, à quo, ut diximus, non distinguitur virtualiter, quia illud transcendet: distinguitur ergo illud duplex in non per modum rationis superioris, & inferioris, sed per modum duplicitis differentiæ inadæquatae, eo fere modo, quo in Deo distinguitur intelligere radicale, & actuale in sententia afferentem naturam divinam per utrumque constitui, ut ait Cornejo, ita ut intelligere actuale sit inadæquata differentia, veluti ultimia, & priorem formalizans.

128 Sed dices ex quodam Magistro in suis manuscriptis: accidentis contrahitur per absolutum, & relativum tanquam per duas differentias formaliter oppositas: ergo implicat, quod conceptus in absolutus, & conceptus in relativus ingrediantur ad constituendam relationem. Probat. conseq. quia naturale, & supernaturale dividunt rationem entis tanquam duæ differentiæ oppositæ, implicat, quod idem actus sit naturalis, & supernaturalis essentialiter etiam secundum conceptus in adæquatos. Ita nostri

Thomistæ supra q. 12. afferentes, quod intellectus non concurret per suam virtutem simul cum lumine gloriae ad visionem Dei, quia virtus intellectus cum sit naturalis, visio beatifica saltē inadæquatae esset naturalis, & cum ex alia parte, quia procedit à lumine gloriae, sit supernaturalis, jam simul esset naturalis, & supernaturalis, quod implicat. Sed respond. differentias essentialiter oppositas dividentes accidentis, ut sic esse absolutum non exigens, nec inferens in relativum quale est id, quod invenitur in alijs prædicamentis à relatione, & absolutum illud inferens, & exigens, quale est, quod invenitur in relatione ipsa, quod quia relativum est, tum exactivę, seu initiativę propter infallibilem nexum illius cum in formaliter relativō, tum identicę propter identitatem cum illo, ideo communiter accidentis dividitur in accidentis absolutum, & relativum; re tamen vera primum extrellum intelligitur de absoluto exigentiam relativi excludente: secundum verò dicitur relativum propter exigentiam, connexionem, & identitatem cum illo, ex quo solum, & ex paritate convincitur utrumque illum conceptum, qualiter reputatur in alijs à relatione, & in relatione ipsa; nou posse ingredi ad constitutandam relationem, quod & nos fatemur.

129 Ad 3. respond. neg. min. si intelligatur in sensu formalis, sūly secundum, nedum reduplicante entitatem respectus, sed formalissimam rationem illius, ita quod prout sic dicat, & explicet ipsum inhārere subjecto, & ab eo sustentari; licet vera sit in sensu identico, quia secundum utramque rationem est una, & eadem entitas. Hinc tandem dicendum ad authoritatem D. Thom. initio positam, quod ibi loquitur de esse relativō per contrapositionem ad esse absolutum adæquate tale, non verò tale prout inadæquate, quale est, quod invenitur in relatione. Unde sensus D. Thom. est perfectionem, & bonum non solum attendit secundum id, quod adæquate secundum propriam rationem inhāret rebus, ut sunt cetera prædicamenta accidentis, de his enim verificatur absolute, quod inhāret; sed etiam secundum id, quod adæquate, nedum dicit ordinem ad subjectum, sed etiam ad terminum, ut est relatio, de qua proinde absolute non verificatur, quod inhāret, sed quod sit ad aliud. Hinc tamen non licet inferre predictam bonitatem, & perfectionem attendi in ea ex ea parte, qua ordinem dicit ad aliud, sed sufficit in ea attendi ex alio capite, quo inest.

130 Objicies denique: Omnipotētia secundum proprium, & formalem conceptum dicit perfectionem formalem: ergo & divina re-

latio. Probat.conseq. Omnipotentia secundum proprium, & formalem conceptum nec dicit ordinem ad subiectum,nec ad existentiam:si ergo cum hoc stat ipsam secundum proprium, & formalem conceptum dicere perfectionem, statbit similiter hoc ipsum in divina relatione,quāvis secundum proprium , & relativum conceptum non dicat ordinem ad subiectum, nec ad existentiam. Anteced. in quo est difficultas prob. Omnipotentia secundum proprium , & formalem conceptum consilit in vi productiva creaturarum; sed omnipotentia quatenus virtus productiva creaturarum solum dicit connexionem,& connotationem ad creaturas:ergo prout sic nec dicit ordinem ad subiectum , nec ad existentiam. Hoc idem argumentum fit de quolibet alio attributo divino Deo convenienti per ordinem , & connotationem ad creaturas , ut sunt misericordia,& iustitia.

131 Ad hoc argument. respond.Oxomensis , quod in proprio , & differentiali conceptu omnipotētiae est duplex inadequatus conceptus, & connexionis cum termino , & ordinis ad subiectum, & licet sub primo non exprimat ordinem ad subiectum , & existentiam , benē tamen sub secundo : unde adaequatē concepta ordinem ad subiectum, & existentiam exprimit. Sed contra hanc solut.replica offertur , quod secundum inadequatum conceptum connexionis cum termino dicit etiam omnipotentia perfectionem, sicut & vim productivam creaturarum : si ergo secundum hunc inadequatum conceptum non exprimit ordinem ad subiectum , & existentiam non erit , cur ex hoc defectu relatio divina secundum relativum conceptum non dicat perfectionem.Sed dico connexionem cum termino adaequatē conceptam exprimere ordinem ad subiectum , & existentiam , licet concepta inadæquatē talem ordinem non exprimat.

132 Sed hæc solutio argument.non solvit: siquidem omnipotentia, nedium secundum connexionem adæquatē consideratam , sed etiam consideratam inadæquatē prout dicit manus formalissimum connexionis cum termino , non exprimendo ordinem ad subiectum , & existentiam , dicit , & exprimit perfectionem. Deinde contra est : nam in ejus sententia relatio creatrix licet secundum inadequatum in,quod est absolutum , dicat ordinem ad subiectum , & existentiam , quia tamen secundum inadæquatum in,quod est relativum , ordinem ad subiectum , & existentiam non exprimit , secundum hunc inadæquatum conceptum non dicit , nec exprimit perfectionem: ergo vel tenetur consequenter dicere, quod licet omnipotentia secundum inadæquatum conceptum ordinis ad subiectum , &

existentiam dicat perfectionem , non tamen secundum inadæquatum conceptum connexionis cum termino , quia sub hoc ordinem ad subiectum,vel ad existentiam non exprimit,vel tenetur dicere. etiam relationem creatam secundum inadæquatum cōceptum in,quod est relativum, dicere perfectionem,ex eo,quod secundū alium inadæquatum conceptum in,quod est absolutum , ordinem ad subiectum , & existentiam exprimit.

333 Melius ergo ad argum. resp.dist.min. sed omnipotentia quatenus virtus productiva creaturarum solum dicit connexionem, vel cōnotationem ad creaturas omnino absolutam, concedo : respectivam subdistingo : pure secundum nostrum modum concipiendi , concedo: ex parte rei concepta , nego , & nego conseq. Fatemur enim; quod intellectus noster cōexionem illam , vel connotationem concipit per modum cuiusdam respectus omnipotentiae ad creaturas, qua ratione illa connexionis, & connotationis secundum nostrum modum concipiendi non exprimit ordinem ad subiectum , & existentiam , sed pure ad terminum ; attamen in cognitione divinorum corrigenda est nostra apprehensio , ne aliquid imperfectionis Deo attribuamus: nam in divina omnipotentia connexionis illa cum creaturis est formalissima ratio absolute, prouindeque dicens ordinem ad existentiam , & ad subiectum in se , & ratione sui insperatum. Unde D. Thom. 1. p. q. 25. art. 1. in corp. probat in Deo esse potentiam, quia unūquodque , secundum quod est actu , & perfectum , secundum hoc est principium activum alicuius ; Deus autem est infinitè in actu: Immo aliter omnipotentia secundum proprium , & formalem conceptum non esset attributū , cum de hujus ratione sit respicere essentiam , à qua virtualiter dimanat in se , & ad se , & prout sic eam perficere : unde et si relations à divina essentia dimanant ; non tamen propterea sunt illius attributa.

134 Tandem doctrina D.Thom. notetur; quod est speciale in relatione creatæ , quod licet secundum rationem accidentis dicatur per comparationem ad subiectum in se , & formaliter ; non tamen secundum propriam rationem, quia prout sic solum per se , & formaliter respicit terminum ; è tamen contra extera prædicamenta etiam secundum propriam rationem dicuntur per ordinem ab subiectum : ergo cum divina relatio relationi creatæ comparetur , & attributa divina ceteris prædicamentis à relatione , dicendum est divina attributa , qualibet illa sit , secundum propriam rationem dicere per se , & formaliter ordinem ad subiectum.

## DUBIUM III.

*Virum Verbum Divinum per se, & formaliter procedat ex cognitione omnium possibilium?*

**D**icitur aliquid per se concurrere ad alterius productionem, quando per se exigitur tanquam principium illius; cum vero per se non exigitur, quantumvis se tencat ex parte principij, dicitur solum concurrete materialiter, seu identice, vel concomitante, eo fere modo, quo Deus ut trinus dicitur ad productionem creaturarum non concurrere per se, sed solum concomitante, quia licet identificetur cum Deo ut uno, & omnipotente; creaturæ tamen non pertunt, ut sui principium Deum ut trinum; sed solum ut unum. Unica est in praesenti dubio difficultas titulo dubij correspondens: unde sit.

## RESOLUTIO UNICA.

*Verbum per se, & formaliter procedit ex cognitione possibilium.*

**E**st contra Alarcon, Arrubal, Turianum, Pesantum, Scotum, & omnes ejus discipulos. Eam tamen tenent omnes Thomistæ, & extra scholam Div. Thom. Molina, Valencia, Suarez, Granados. Suadeturque 1. ex doct. D. Thom. nam in praesenti q. art. 1. ad 3. sic expresse habet: *Pater enim intelligendo se, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, qua in ejus scientia continentur, concipit Verbum ut sic tota Trinitas Verbo dicitur, & etiam omnis creatura; sicut intellectus hominis Verbo, quod concipit intelligendo lapidem, dicit lapidem.* Dices cum Vazquez ex prefata doctrina solum convinci Verbum procedere ex cognitione possibilium; non tamen per se, & formaliter, alias etiam per se, & formaliter procederet ex cognitione futurorum, siquidem complexum illud *omnis creatura* ambit, nendum creaturas possibiles, verum & futuras: sed præterquamquod D. Thom. pariter docet Patrem concipere Verbum intelligendo Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia à se, quæ in ejus scientia continentur, cum tamen in sententia Vazquez Pater admittatur.

*M. Carrasco.*

intelligendo se, & Filium per se, & formaliter concipit Verbum. Immò subjungit exemplum, quod Pater intelligendo prædicta omnia, concipit Verbum, sicut intellectus noster intelligendo lapidem, concipit verbum illius, quæ lapidis intellectio ad illius verbum per se, & formaliter concurrit. Præter hoc, inquam, patet ex contextu, quod D. Thom. nomine omnis creaturæ intelligit solum creaturas possibiles, non verò futuras; nam creaturæ non habent esse futurum, nisi per scientiam Dei omnino liberam, quæ communis est toti Trinitati, & non propria Patris, proinde supponit productionem Verbi; at D. Thom. loquitur de creaturis omnibus, quæ continentur in scientia Patris ut Patris, quæ proinde antecedit productionem Verbit ergò.

**3** Ratio autem fundamentalis est duplex: prima est, nam Verbum Divinum per se, & formaliter procedit ex cognitione omnium, quæ ex vi suæ processionis exprimit; at ex vi suæ processionis exprimit etiam creaturas possibiles: ergò. Major est per se nota: minor vero suadetur primò, quia Verbum Divinum ex vi suæ processionis exprimit quidquid in scientia Patris continetur, & eo modo, quo in ea continetur; alias non est verum Verbum suo principio correspondens, nec ei aequaliteretur; sed scientia Patris per se licet secundario terminatur ad creaturas: tum quia unico actu Pater se, & omnia alias intelligitum quia scientia Patris per se terminatur ad ea, ad quæ necessario terminatur; terminatur autem necessario ad creaturas sub esse possibili: ergò. Secundò: quia Verbum Divinum ex vi suæ processionis procedit ut Verbum perfectissimum: ergò, ut Verbum, nendum speculativum, verum etiam practicum, sicut quia scientia Dei per se, & in propria linea est perfectissima, per se, & in propria linea est, nendum speculativa; sed etiam practica; sed Verbum Divinum non habet esse practicum seu factivum, nisi respectu creaturarum: ergo, ex vi suæ processionis exprimit creaturas.

**4** Hinc D. Thom. in praesenti quæst. art. 3. probat, quod in nomine verbi importatur respectus ad creaturas intellige fundamentaliter, id est, representatio creaturarū, quia Deus cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam: verbum igitur in mente conceptum est representatio omnis ejus, quod actu intelligitur. Unde in nobis sunt diversa verba secundum diversa, quæ intelligimus. Sed quia Deus uno actu se, & omnia intelligit invicem, verbum ejus est expressum

vum non solum Patris; sed etiam creaturarum. Et sicut Dei scientia Dei est cognoscitiva tantum; creaturarum autem cognoscitiva, & factiva, ita Verbum Dei ejus, quod in Patre est, est representativum tantum, creaturarum vero expressivum, & operativum. Et q. 4. de veritat. cap. 4. in fine corp. sic habet: In Deo ad hoc, ut Verbum ejus perfectus sit, oportet, quod Verbum ejus exprimat quidquid continetur in eo, ex quo oritur, & praevipue cum Deus omnia uno intuitu videat non divisim. Sic igitur oportet, quod quidquid in scientia Patris continetur, totum hoc per unum ipsum Verbum exprimitur, & hoc modo, quo in scientia continetur, ut sit verum Verbum suo principio correspondens per scientiam, & Verbum ipsum exprimitur ipsum Patrem principaliter, & consequenter omnia alia, quae cognoscit Pater cognoscendo se ipsum, & Ite Filius ex hoc ipso, quod est Verbum perfecte exprimens Patrem, exprimit omnem creaturam. Et ad 1. ait: Quod cum dicitur Pater dicit se, in hac dictione includitur etiam omnis creatura, in quantum scilicet Pater scientia sua continet omnem creaturam, vel ut exemplar creaturae totius. Hec omnia exprasse tradit Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 14. ubi ait: Nihil est in scientia Patris, de qua Verbum genitum est, quod non sit in ipso, & nihil amplius, vel minus est in Verbo, quin sit in illa scientia, de qua genitum est. Et reddit rationem: Non enim Pater integre, perfecteque se ipsum dixisset, si aliquid amplius, vel minus esset in ejus verbo, quam in ipso. Et paulo infra addit: Novit itaque Deus Pater omnia in se ipso, novit in Filiῳ, sed in se ipso tanquam se ipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus, que sunt in ipso. Hec Augustinus.

5 Secundum, & principale fundam. simus que præcedens confirmatio est: quod Verbum Divinum per se, & formaliter procedit ex cognitione comprehensiva Patris, qua nimirum comprehensive cognoscit suam essentiam, & omnipotentiam; sed divina essentia, & omnipotencia cognosci comprehensive non potest, non cognitis possibilibus: ergo Verbum Divinum etiam procedit per se, & formaliter cognitione possibilium. Maj. pat. tūm quia per se, & formaliter procedit ex cognitione perfectissima, sicut & infinita essentia, & omnipotencia: tūm quia alias nos procederet ut Verbum perfectissimum, insinuum & comprehensivum illius, & consequenter nec ut Filius Dei. Conseq. etiam constat: nām si semel procedit per se, & formaliter ex cognitione comprehensiva divinæ essentie, & omnipotentie, non potuit non per se, & formaliter procedere ex cognitione illorum, sine quic-

bus comprehendendi non potest divina essentia, & omnipotencia. Min. verò, in qua est difficultas, probatur; nām virtus productiva cognosci perfectissime, & comprehensive non potest, non cognitis omnibus in ea contentis; sed divina essentia est virtus productiva radicalis creaturarum; omnipotencia verò est virtus illarum productiva proxima: ergo. Min. pat. maj. auten probat. nām virtus productiva non cognoscitur perfectissime, & comprehensive, dum non cognoscitur quantum cognoscibilis est; sed virtus productiva, nedum cognoscibilis est secundū predicata quidditativa, & formalia; verum & secundum omnia ea, quae eminenter, vel virtualiter continet: ergo, dum prout sic non cognoscitur, non cognoscitur perfectissime, & comprehensive.

6 Hinc Augustinus ait: Illud comprehenditur, quod ita totum videtur, ut nihil ejus taceat videntem. Et D. Thom. supra quest. 14. artic. 5. probat, Deum alia à se cognoscere quia se cognoscit ut causam, virtus autem causa comprehendendi non potest, non cognitis effectibus in illa contentis. Et 1. contra gent. cap. 19. ait, Deum non habere peculiarem scientiam, se aliam verò communem omnia comprehendentem, quia cognoscendo se tanquam causam, reliqua omnia cognoscit. Deinde ut argumentabimus de visione Dei, perfectius, vel imperfectius cognoscere virtutem, est eam cognoscere secundum plura, vel pauciora, in quæ potest; siquidem diffinitio, & quantitas virtutis attenditur secundum ea, in quæ potest. Ergo perfectissime, & comprehensive cognoscere virtutem, est eam cognoscere secundum omnia in quæ potest. Hinc D. Thom. supra. q. 12. a. 8. probat videntes Deum per essentiam omnia in Deo non videre: nām alias comprehendenderetur ab intellectu creato divina virtus: Quia quando aliqua causa perfectius videtur, tanto plures effectus in ipsa videri possunt, ille igitur intellectus potest in causa cognoscere omnes causæ effectus, & omnes rationes effectuum, qui causam totaliter comprehendit. Quod etiam tradit 3. contra gent. cap. 56. loquend. de scient. animæ Christi 3. p. q. 10. art. 2. & q. 20. de verit. art. 5. in corp. & de cognit. Angel. q. 8. de verit. art. 5. in corp.

7 Prima adversariorum solutio est divinum Verbum per se, & formaliter procedere ex cognitione comprehensiva intensiva divinæ Essentie, & Omnipotentie; non verò extensiva: illa dicitur, quæ attingit virtutem omni intensione, claritate, & certitudine, quæ petit attingi: hec verò, quæ se extendit ad omnes effectus in ea contentos. Sed contra est:

nam intensior causę cognitionis, & extensior atten-  
ditur secundum ideam, at in tractatu de visione  
latè ostendimus; namque cognoscere causam  
intensius est magis penetrare illius eminentiam,  
& efficaciam, plus attingere de his, quæ latentes  
in ipsa, quod est eam extensus, seu secun-  
dum plures effectus in ea contentos cognos-  
ceret: non ergo potest Verbum divinum per  
se, & formaliter ex cognitione intensiva com-  
prehensiva divinae essentiae, & omnipotentie  
procedere, & non procedere ex cognitione  
illius comprehensiva extensiva.

8 Secunda solutio est verum esse essentiam  
divinam, & omnipotentiam comprehendendi non  
posse non cognitis possibilibus: non tamen ita,  
ut eadem formaliter cognitione comprehensiva  
essentiae, vel omnipotentiae cognoscantur  
possibilia: sed taliter quod essentiae comprehensiva  
cognitionis inferat cognitione possibilium  
virtualiter à cognitione comprehensiva essentiae  
distinctam. Et ita pro illo priori, quo divina  
cognitionis intelligitur terminata ad essentiam, in-  
telligitur perfectissima, & comprehensiva  
cognitionis essentiae, & ex ea prout sic Verbum formaliter,  
& per se procedit, alia cognitione pure  
concomitante se habente.

9 Sed hæc solutio ex dictis manet impugna-  
ta, & in primis falsum est eadem formaliter cognitione  
comprehensiva essentiae, vel omnipotentiae non cognosci possibilia: tum quia  
oppositum Div. Thom. docet locis præallegat.  
nimirum Deum unico actu, & intuitu se, &  
omnia alia intelligere. Nec valet Div. Thom.  
intelligi de unico actu realiter formaliter; non  
vero virtualiter. Non, inquam, valet: nam ex  
quo Deus unico actu, & intuitu se, & omnia  
alia intelligit, infert Divus Thomas unicum  
verbum ejus esse expressivum non solum  
Patris; sed etiam creaturarum; sed idem verbum  
nendum realiter formaliter; sed etiam virtualiter  
est expressivum Patris, & creaturarum:  
ergo & eodem actu etiam virtualiter Deus,  
vel Pater se, & creaturas intelligit: tum etiam  
quia creature, & divina essentia comparantur,  
ut objectum primarium, & secundarium divinae  
cognitionis; sed idem omnino actus sine  
distinctione virtuali adæquata sufficit ad attin-  
gentiam objecti primarij, & secundarij, cum  
actus non multiplicentur penes objecta mate-  
rialia, & secundaria; sed penes objecta prima-  
ria, & formalia: ergo. Immo etiam Pater,  
Verbum, Spiritus Sanctus, & omnia attribu-  
ta sunt objecta secundaria divinae cognitionis,  
cum sola essentia sit objectum primarium,  
ut tenet communior sententia; & tamen ea-  
dem cognitionis comprehensiva essentiae sine

virtuali distinctione adæquata terminatur ad  
essentiam, & ad attributa, & relationes, & ex  
illa prout ad relationes terminata per se, & for-  
maliter procedit Verbum, ut tenent aliqui ad-  
versarij, & in sententia Scoti, sic procedit ex co-  
gnitione attributorum: ergo.

10 Tandem ut patet ex nostro fundamen-  
to, cognitionis comprehensiva virtutis est illa, quæ  
nemuna terminatur ad virtutem purè secundum  
ea omnia, quæ formaliter continet, sed etiam  
secundum ea omnia, quæ continet eminenter  
aliter non cognoscitur quantum cognoscibilis  
est, sed si cognitionis eadem, quæ termina-  
tur ad essentiam, non terminatur ad crea-  
turas, eo ipso non terminatur ad es-  
sentiam secundum ea omnia, quæ continet  
eminenter; sed solum secundum ea, quæ  
continet formaliter, quamvis hæc cognitionis ul-  
terius cognitionem creaturarum inferat: er-  
go. Immo continentia ipsa ementalis crea-  
turarum est de formalissimo conceptu essentiae  
divinae: ergo ipsa formalissima cognitionis essentiae  
divinae sine sui virtuali distinctione termi-  
natur ad hujusmodi continentiam, & conse-  
quenter etiam ad creaturas, cum non possit  
cognosci continentia saltem comprehensivæ,  
non cognito termino contento.

11 Tertia solutio est ex nostro fundamen-  
to non sequi Verbum divinum per se, & for-  
maliter procedere ex cognitione omnium pos-  
sibilium in particulari; sed solum in communii,  
seu sub ratione entis possibilis, & creabilis:  
nam hæc cognitionis sufficit ad comprehensionem  
divinae omnipotentiae, sicut ad comprehensio-  
nem potentiae visivæ sufficit cognoscere om-  
nes visiones sub ratione communii visionis, &  
non est necessæ cognoscere eas in particulari, &  
similiter ad comprehensionem potentiae intel-  
lectivæ creatæ sufficit cognoscere intellectio-  
nem, ut sit quin necessæ sit ad cognitionem  
in particulari descendere. Sed contra hanc so-  
lutionem est 1. quod cognoscere aliquid in  
communi, & non in particulari est illud im-  
perfectæ cognoscere, unde intellectus nosfer,  
dum de potentia in actum reducitur, per-  
tingit prius ad cognitionem universalem, &  
confusam de rebus, quam propriam illarum  
cognitionem, sicut de imperfecto ad perfectum  
precedens, ut docet Div. Thom. supra q. 14.  
art. 6. repugnat ergo divina cognitionis termina-  
ta ad possibilia in communii, & non in parti-  
culari. Unde Div. Thom. ibi, resolutiore docet  
Deum in essentia sua cognoscere alia à se pro-  
pria cognitione, id est, nemum secundum ratio-  
nem communem, sed etiam secundum pro-  
prias rationes particulares, secundum quas

inter se distinguntur. Deinde ex doctrina Div. Thom. ibi tradita 2. impugnatur prædicta solutio: nám , ut comprehendatur virtus aliqua, vel potentia, requiritur , quod cognoscatur secundum omnes effectus , quos continet , & eo modo, quo in illa continentur ; aliter non cognoscitur quantum cognoscibilis est ; sed omnes creature possibles continentur in divina essentia, vel omnipotentia , nedum secundum rationem communem entis , sed etiam secundum proprias illarum differentias , quia prout sic etiā dicunt perfectionem , & Deus cum sit summe, & in infinito perfectus , omnes rerum perfectiones in se eminenter continent: ergo. Immò ratio universalissima entis , sub qua Deus causat, vel continet creature , est ratio transcendens omnium rerum differentias specificas , & individuales : necesse ergo est , ut comprehendatur divina essentia , vel omnipotentia , quod cognoscantur omnes creature possibles , nedum in communi , sed etiam in particuli.

12 Nec est simile de potentia visiva , vel intellectiva creata : nám hæc ex se non continent omnes visiones , seu intellectiones in particuli , seu secundum proprias illarum differentias ; sed solum in communi , seu secundum rationem communem visionis , vel intellectonis , sicut , nec ex se est cognoscitiva omnium visibilium , aut intelligibilium prout sic; sed hoc habet medijs speciebus superadditis , que representant objecta secundum proprias illarum differentias : unde intellectio , vel visio aliquius objecti in particuli potest considerari , & ut intellectio , vel visio est , & ut visio , vel intellectio est talis objecti : primò modo attribuitur potentia ex proprijs meritis: secundo modo attribuitur ei ut secundata per speciem illius , & sic non mirum , quod possit potentia , sive visiva , sive intellectiva crea- ta comprehendendi , non cognitis omnibus visionibus , seu intellectibus in particuli; sed sufficiat omnes eas cognoscere in communi,

13 Vel alijs terminis potest assignari disparitas: quod nimirum potentia visiva , seu intellectiva creata non est causa completa suarum actionum in particuli; cum in illarum elicita dependeat ab alijs causis , que in potentia ipsa virtualiter , vel eminenter non continentur , scilicet ab speciebus. Et propterea in ea attenta propria vi , & virtute non sunt cognoscibiles omnes ejus actus in particuli; sed solum in ea , quartenus secundata speciebus illorum; & sic non mirum , quod comprehendendi possit , non cognitis in particuli omnibus illius actibus ; si autem comprehendenderetur po-

tentia visiva , seu intellectiva creata , ut secunda data omnium visibilium, aut intelligibilium speciebus , negamus comprehendendi posse , non cognitis illius actibus , aut objectis in particuli: divina autem essentia , vel omnipotentia est causa completa , & ad aquata omnium creaturarum , & sic non est simile.

14 Quarta solutio est virtutem productivam comprehendendi non posse, non cognitis omnibus effectibus in ea contentis, quando est virtus per se relata ad effectus ; non vero quando est ab omni respectu absoluta , ut est omnipotentia , quæ licet accepta pro per se significato, id est , ut à nobis significatur , & concipitur, importet respectum rationis ad creature , non tamen accepta pro per se denominato , id est , secundum se , & in se. Sed contra hanc solutio- et : quod licet omnipotentia pro per se denominato , seu secundum se , & in te nullum dicat respectum realem ad creature possibiles ; adhuc tamen prout sic est continens eminenter creature , potensque active terminari ad illas, com illisque essentialiter ut possibilibus conne- citur , illaque ut possibiles infallibiliter inferit , & consequenter prout sic est cognoscibilis ab intellectu divino: ergo cum prout sic non cognoscitur , non cognoscitur quantum cognoscibilis est , & comprehendere non autem potest prout sic cognosci , non cognitis possibilibus; ut ex terminis patet: ergo. Antec. constat nam omnipotentia si- ne respectu reali ad creature participat verum , & proprium conceptum virtutis : immò perfe- ctius , quam creata , cum sit potentia pure activa , & nullo modo passiva : de conceptu autem formalissimo virtutis est continentia eminentia- lis suorum effectuum , activeque terminatio pos- sibilis ad ipsos , & cum illis ut possibilibus con- nexio , cum in plere virtus productiva fine pos- sibilitate productionis , & possibilitatis produc- tionis fine possibilitate , seu producibilitate termini , sicut & actualis productio sine existen- tia termini produci. Immò omnipotentia non aliud addit supra essentiam , quantum omnia hujusmodi , per idque ab alijs attributis dislin- guitur , aliter consideratur pure subjective , & secundum id , quod dicit actualitatem , & existentiam , in quo cum essentia , & alijs attri- butis convenit : immò in virtute creata non cognoscitur effectus ratione relationis trans- cendentalis , quam dicit ad ipsum ; sed ratio- ne continentia virtualis ipsius : non enim virtus creata refertur ad effectum , quatenus ipsum virtualiter continet , vel potens active ad ipsum terminari ; nám hæc conti- nentia , & activa terminatio ad perfectionem virtutis pertinet , sicut ad ipsum actualita- tem;

...quia ut ait D. Th. sup. q. 25. art. 1. *Unum quodque secundum quod est actu, & perfectum, secundum hoc est principium acticum alicujus, patitur autem, in quantum est disciens, & imperfectum.* Unde probat Deo maximè competere esse principium activum, & nullo modo pati, prouidèque in eo esse maximè potentiam activam, & nullo modo passivam, quia est purus actus, & universaliter perfectus: relatio ergò transcendentalis virtutis creaturæ ad effectum potius pertinet ad ipsius imperfectionem, eamque dicit, non quatenus potentia activa, sed quatenus potentia passiva est, in quantum scilicet est actuabilis, & perfectibilis per actum, quem producit.

15 Quinta solutio est, divinam Omnipotentiam non esse virtutem productivam creaturarum per se, & absolutè, sed solum sub conditione non repugnantia: unde nec per absolute cum creaturis connectitur: ergo si per impossibile repugnarent creaturæ, adhuc omnipotentia invariata maneret: unde nec per se absolutè, ut comprehendatur, cognitionem petit. Sed contra hanc solutionem est: quod chimera omniò est virtus productiva termini impossibilis sub conditione possibilis illius, si quidem impossibile nequit esse possibile: ergo esse virtutem productivam termini impossibilis sub conditione possibilis illius est esse virtutem productivam termini sub conditione impossibili; chimera autem omnino est virtus productiva termini sub conditione impossibili, ut per se notum est, cum esset virtus productiva nullius, & irreducibilis ad actum; qua ratione chimera omniò esset in divinis potentia generativa duplicitis filij sub conditione possibilis duplicitis filij, & chimera esset virtus radicativa naturæ sub conditione possibilis passionis absolutè impossibilis. Item chimera esset virtus productiva effectus non contenti virtualiter in ea sub conditione, quod in ea continetur, qua ratione chimera esset in homine potentia generativa equi; sed virtus productiva termini impossibilis sub conditione possibilis illius est virtus productiva termini non contenti in ea, sub conditione, quod continetur: ergo. Et hinc summittur ratio à priori hujus implicantia: namquæ virtus productiva non est talis, nisi respectu termini virtualiter in ea contenti; terminus autem virtualiter contentus in causa absolute est possibilis, proptereaque virtus productiva ex hoc ipso, quod continet effectum à priori, & tanquam causa, infert absolutam producibilitatem, & possibiliter effectus: unde effectum non esse absolute possibilem est signum à posteriori in-

ferens non continentiam illius in causa, & consequenter nec virtutem productivam illius. Et sic dicere, omnipotentiam esse virtutem productivam creaturarum sub conditione non repugnantia carum, si creaturæ ponantur non repugnantes, ut de facto contingit, est dicere. Omnipotentiam esse virtutem productivam creaturarum sub conditione necessaria, & quam infallibilitè infert ipsa Omnipotentia, sicut si diceretur Solem lucere sub conditione, quod dies sit; & sic non probatur, Omnipotentiam per se non connecti absolute cum possibilibus, sicut nec probatur lucem Solis cum die absolute non connecti; si verò ponantur creaturæ repugnantes, est dicere Omnipotentiam esse virtutem productivam creaturarum sub conditione impossibili, possibiliter scilicet, & continentia in ea, quod esset chimericum.

16 Sexta, & ultima solutio est connexio nem omnipotentia cum possibilibus esse posteriorem Personis, nec divinitas omnipotentia pro priori ad originem personarum conveniret unde pro priori ad illas non potest omnipotentia cognosci, ut connecta cum possibilibus, nec pro illo priori sunt creaturæ possibles in omnipotenti cognoscibiles, & consequenter omnipotentia, ut pro illo priori cognoscibilis potest comprehendendi, non cognitis possibilibus.

17 Sed hæc solutio impugnata manet ex dictis: nam pro priori originis convenit divinitas essentia, & omnipotentia quidquid pertinet ad ejus formalem conceptum; pater autem, quod ad formalem conceptum divinitatis essentia pertinet radicalis continentia creaturarum, cum eiusque radicalis connexio, proximaque ad formalem conceptum omnipotentia: ergo. Immo si pro priori originis comprehensivè cognoscitur divina omnipotentia subjectivè, & entitativè ut ipsis dicunt, ex ipso non potest non cognosci terminativè, seu denominativè, quantum scilicet potest terminari ad creaturas, nam omnipotentia sic subjectivè sumpta essentialiter connectitur cum se ipsa terminativè, seu denominativè sumpta, cum hæc terminatio ei conveniat, non contingenter, sed necessario; non autem potest cognosci comprehensivè unum extrellum essentialiter connexum cum alio, non cognito extremo connexionis. Item prius in Deo intelligitur omnipotentia, quatenus attributum, quam ut potentia generativa, vel spirativa est, quia potentia spirativa, vel generativa non est, nisi ut modificata relationibus; absoluta autem sunt priora notionalibus; sed terminatio ad personas convenit omnipotentia, quatenus potentia genera-

tiva, vel spirativa est; terminatio vero illius ad creaturas ei convenit, quatenus attributum est: pro priori ergo originis ad personam competit Omnipotentia possibilis terminatio ad creaturas, & consequenter connexio cum illis. In modo si ad Omnipotentiam, ut attributum est, non pertinet esse actuum principium creaturarum, Omnipotentia, ut attributum est, non convenit Spiritui Sancto. Si autem dicas non ei convenire quantum ad actum primarium, nimirum productionem personarum; secus vero quantum ad actum secundarium, scilicet, productionem creaturarum. Contra est: nam cui repugnat actus primarius alicujus potentiae, non potest non repugnare ipsa potentia, cum haec per ordinem ad actum primarium specificetur: immo actus secundarius non elicetur a potentia, nisi ratione primarij. Ac tandem, cum Spiritus Sanctus procedat per voluntatem, Verbum vero per intellectum, eo ipso Omnipotentia in intellectu, & voluntate ex a quo consisteret, vel erit alia potentia adaequata distincta ab intellectu & voluntate, contra communem Theolog. sentent.

*Objiciuntur, & solvantur argumenta.*

**X** dictis ferè omnia argumenta manent soluta; ea tamen ad majorem claritatem, & intelligentiam appono, & in primis objicies testimonium Anselmi in Monolog. cap. 31. & 32. ubi ait Verbum divinum non esse Verbum creaturarum; patet autem, quod Verbum non potest non esse Verbum illius, ex cuius cognitione procedit: ergo. Sed ad hoc testim. resp. Div. Thom. q. 4. de verit. art. 5. ad 2. Quod procedebat ad probandum Verbum non importare relationem ad creaturas, quia oportet, quod in aliquo casu ad creaturas referretur, quod non invenitur: maximè enim inveniretur referri per genitivum casum, ut dicitur, Verbum est creature, quod Anselm. in Monolog. negat, & post pauca resp. Possimus enim dicere, quod est Verbum creature, id est, de creatura, non a creatura, in quo sensu Anselmus negat: id est, ut ipse explicuerat art. antec. ad 7. potest dici, quod est Verbum creature prædictæ, & manifestata per ipsum; non tamen potest dici, quod est Verbum creature, ut principij productivi: ad hoc enim esset necesse, ne dum quod per se procederet ex cognitione creaturarum possibilium; verum & quod per se procederet ab ipsis creaturis possibilibus, quod negamus, ut ex sequentibus patebit.

**19** Secundo objicies celebre testimonium

D. Thom. q. cit. de verit. art. 5. in fine corp: ubi sic habet: *Quia Pater principaliter dicit se generando Verbum suum, & ex consequenti dicit creaturas, ideo principaliter, & quasi per se Verbum refertur ad Patrem, sed ex consequenti, & quasi per accidens refertur ad creaturas; accedit enim Verbo, ut per ipsum creatura dicatur.*

**20** Sed resp. quod notanter D. Thom. non dixit Verbum per accidens referri ad creaturas, sed quasi per accidens, ut designaret Verbum non ferri ad creaturas omnimoda pertinente, id est, per se primario, nec omnino per accidens, id est contingenter, vel accidentaliter, sed medio modo, quod est referri ad creaturas per aliud, & ratione alterius, qua nimirum Verbum primo, & per se representat Patrem, & ejus essentiam, & ratione utriusque representat creaturas. Nos autem non intendimus Verbum per se primario representare creaturas, sed solum per se secundario. Hinc cum subiungit verbo accidere, quod per ipsum creatura dicatur, verbum accedit pro eodem usurpati debet, ac non competit per se primario. Sed dices: D. Thomas in praefato art. in solut. ad 3. quod procedebat sic: *Nomen importans respectum ad creaturas, non potest intelligi non intellecto, quod creatura sit actu, vel potentia, quia qui intelligit unum relativorum petit, quod intelligatur reliquum, sed non intellecta aliquam creaturarum esse actu, vel potentia, Verbum intelligitur in Deo, secundum quod Pater dicit se ipsum: ergo. Resp. ad 3. dicend. Quod ratio illa procedit de illis nominibus, quæ per se important respectum ad creaturam; hoc autem nomen est hujusmodi, ut ex dictis patet: ergo secundum D. Thom. Verbum potest intelligi, non intellectis creaturis, nec actu, nec potentia; at si per se eas representaret, non posse sine illis intelligi, sicut propter eandem rationem non potest sine possibilibus omnipotencia intelligi: ergo. Deinde in eodem sensu Div. Thom. negat Verbum per se referri ad creaturas, in quo affirmat Verbum per se referri ad Patrem, siquidem hoc ipsum, quod de Verbo negat relate ad creaturas, affirmat de illo relate ad Patrem; & Verbum non refertur ad Patrem per se primario, sed solum secundario, & ratione essentiae, sicut cognitio ex qua procedit: negat ergo D. Thom. Verbum per se etiam secundario referri ad creaturas. Immò iuxta han solut. posset etiam dici per accidens Verbum representare attributa, cum attributa sint etiam objectum illius secundarium, sicut & cognitio, ex qua procedit. Sed ad 1. respond. quod secundum D. Thom. Verbum ut tale potest intelligi.*

telligi ab intellectu creato non intellectis creaturis, quia ab intellectu creato non intelligitur comprehensivè, sed ad summum quidditativè, ad quod sufficit, quod intelligatur objectum illius primarium, & consequenter, quod per se primariò non representet creaturem; ab intellectu autem divino intelligitur comprehensivè, & sic nec ab illo intelligi valet, non intellectis creaturis ad minus sub esse possibili. Ad 2. resp. vel quod Verbum non refertur per se primariò ad Patrem per se virtualitatis, benè tamen per se formalitatis, vel identitatis cum divina essentia, ratione cuius terminat representationem Verbi, cum identificetur etiam formaliter cum Patre, & solum ab eo virtualiter distinguitur; à creaturis autem realiter distinguitur, & sic non est simile, & idem dicimus de attributis. Vel dicatur juxta verba antecedentia D. Thom. quod sicut scientia in quantum scientia refertur ad scibile; sed in quantum accidentis, vel forma refertur ad scientem: ita hoc nomen Verbum habet respectum, & ad dicentem, & ad id, quod per Verbum dicitur, Pater autem & est dicens, & est dictum per Verbum: dicit ergo Verbum respectum ad Patrem, & ut dicentem, & ut dictum; ad Patrem, ut dicentem dicit respectum per se primariò immò unicè; ad Patrem vero ut dictum dicit respectum per se non primariò, sed secundario & ratione essentiae, ut argumentum factum convincit. Cum ergo Div. Thom. affirmat Verbum per se, & principaliter referri ad Patrem, intelligitur ut dicentem; non vero ut dictum. Quod videtur colligi, ut dixi, ex verbis antecedentibus, nam postquam distinguit hunc duplē respectum Verbi ad dicentem, & ad objectum dictum subjugit, ad quod potest dici dupliciter: uno modo secundum convenientiam nominis, & sic Verbum dicitur ad dictum: alio modo ad rem, cui convenit positio dicti, id est, cui convenit producio Verbi, seu dicere, vel proferre Verbum, & quia Pater principaliter dicit generando Verbum suum, &c. Quæ sunt verba relata in argumeto.

- 21 Tertio objicies: sequitur ex nostra sententia Verbum esse imaginem creaturarum possibilium; hoc dici nequit: ergo. Probat. seq. Nam hoc ipso, quod Verbum per se procedat ex cognitione creaturarum possibilium, per se etiam procedit à creaturis possibilibus in esse intelligibili: sed hoc sufficit, ut sit illatū imago, ut patet in imagine Imperatoris, quæ non alia ratione dicitur imago illius, nisi quia ab illo procedit in esse intelligibili: ergo. Resp. negand, quod hoc ipso, quod Verbum per se procedat ex cognitione creaturarum possibilium, per se etiam procedat à creaturis possibilibus, nam

secundum D. Thom. q. 4. cit. de verit. art. 4. ad 7. tunc Verbum ex objecti cognitione per se procedens procedit etiam per se ab objecto in esse intelligibili: *Quando cognitio, vel scientia ex qua procedit, est causata à rebus, quod in Deo non accedit, & ideo ratio non sequitur.* Sed dices: ergo eadem ratione non debet dici Verbum creaturatum, siquidem Verbum, imago, & Filius ex eadem proprietate personali dicuntur, nec inter se differunt etiam virtualiter ad minimū adaequatè: unde secundum August. *Filius eo Verbum dicitur, quo imago.* Sed ad hoc respond. D. Thom. loc. cit. ad 6. quod cum dicit August. *Quod Filius eo dicitur Verbum, quo imago, intelligitur quantum ad personalem proprietatem Filii, quæ est eadem secundum rem, sive secundum eam dicitur Filius, sive Verbum, sive imago, sed quantum ad modum significandi non est eadem ratio nominum prædictorum: Verbum enim non solum importat rationem originis, & imitationis, sed etiam manifestationis, & hoc modo est aliquo modo creatura, in quantum scilicet per Verbum creatura manifestatur.* Unde juxta supradicta Verbum non dicitur Verbum creaturæ, ut principijs productivi, à quo procedit, quod esset necesse, ut esset illius imago, quia imago originem, & imitationem importat, sed dicitur Verbum creaturæ purè ut objecti manifestati per ipsum.

- 22 Sed & oppones: ergo Verbum, quod format Angelus de alio Angelo, non est illius imago, nam solum est Verbum illius, sicut objecti manifestati per ipsum, non vero ut principijs productivi, siquidem species aqua procedit, non est ab objecto causata, sed à Deo insusa. Nec valer, quod licet non sit causata ab objecto, est tamen causata à divina Idæa, quatenus continet objectum. Non, inquam valet: nam etiam cognitione creaturæ, à qua Verbum procedit, licet non sit causata à creatura, est tamen causata à divina essentia, quatenus continet creaturam: si ergo illud sufficit, ut Verbum, quod format Angelus, sit imago sui objecti: etiam sufficiet, ut Verbum divinum sit imago creaturæ. Melius, ergo respond. quod licet species Angeli non sit causata ab objecto in genere cause efficientis, est tamen ab eo causata in genere causa formalis, cum ab objecto specificetur, & hoc sufficit, ut Verbum procedens ab specie Angeli sit, & dicatur imago objecti, & ab eo intelligibiliter procedens. Cognitione autem creaturarum, ex qua Verbum divinum procedit, in nullo genere cause causatur à creaturis: alias ab illis dependet, & sic non est similis ratio.

- 23 Quartò objicies: etiam si divinum Verbum non procederet per se ex cognitione possi-

billum, salvaretur perfectissimè ratio Verbi; ergò ex illorū cognitione per se, & formaliter non procedit. Conseq. pat. & anteced. probat, etiam si creaturæ omnes redderentur impossibles, salvaretur perfectissima ratio Verbi; sed in eo casu Divinum Verbum non procederet ex cognitione possibilium: ergò etiamsi Divinum Verbū nō procederet per se ex cognitione possibilium, salvaretur perfectissima ratio Verbi. Probat. maj. etiamsi creaturæ omnes redderentur impossibles, salvaretur perfectissimè divina essentia, vel Omnipotentia: ergò & ratio Verbi. Prob. anteced. divina essentia, vel Omnipotentia non habet connexionem per se cum possibilibus: ergò etiamsi creaturæ omnes redderentur impossibles, salvaretur perfectissimè divina essentia, vel Omnipotentia. Anteced. prob. tum quia non ex eo, quod creaturæ omnes essent impossibles, Deus non esset Deus, cum Deus sit primum ens, ac proinde ita summe perfectus, ut nulla creatura indigeat ad sui subsistentiam: tum quia divina essentia, sicut & Omnipotentia habet esse immutabile, cum sit infinita, & actus purus; creaturæ verò habent esse mutabile, sicut & huius, & quod habet esse immutabile non potest habere per se connexionem cum eo, quod est mutabile: tum etiā, quia magis necessarium non potest per se connecti cum minus necessario; necessitas autem divinitatē essentiae, vel Omnipotentiae major est necessitate possibilitatis creaturarum, cum illa sit necessitas entis à se; hęc verò entis ab alio: tandem, quia eo ipso divina essentia, vel Omnipotentia diceret ordinem realem ad creaturas, siquidem non alia ratione potentia creatrix dicit ordinem realem ad suum objectum, nisi quia necessatio connectitur cum illo. Confirm. 1. Deus non dicitur Omnipotens, quia potest creaturas producere, sed ex eo, quod est ens ita perfectum, ut possit facere quidquid non imbutur contradictionem: ergò Omnipotentia solū nō est virtus productiva sub conditione non repugnantiæ creaturarum: quamvis ergò creaturæ omnes redderentur impossibles, non sequitur Deum non fore Omnipotentem, siquidem, quod in eo casu non posset creaturas producere, eveniret, ex quo omnes supponuntur repugnare, & consequenter Omnipotentia per se non connectitur cum possibilibus. Confirm. 2. nam si lapis, v.g. qui defacto est possibilis, redderetur impossibilis, adhuc Deus maneret Omnipotens: ergò similiter, et si omnes creaturæ, quæ defacto sunt possibilis, redderentur impossibles. Antec. pat. tum quia adhuc Deus maneret potens producere alia possibilia infinita sicut theorematice: tum quia, ut diximus,

Deus dicitur Omnipotens, quia potest quidquid non implicat contradictionem: in eo autem casu Deus posset quidquid non implicat contradictionem, siquidem non posset in eo eventu producere lapidem, esset, quia supponitur implicans. Conseq. verò prob. nam si semel in eo eventu maneret Deus Omnipotens, eo ipso Omnipotentia per se non connectitur cum hoc possibili in particulari, sicut si in casu, quod omnes creaturæ redderentur impossibles, Deus maneret Omnipotens, non etiam per se connecteretur cum omnibus possibilibus, ut nos fatemur; at eo ipso, quod Omnipotentia non connecteretur cum hoc possibili in particulari, nec connectitur per se cum collectione omnium possibilium: ergò. Major prob. nam Omnipotentia aequi connectitur cum aliquo possibili in particulari, ac cum collectione omnium possibilium, siquidem eatenus connectitur cum omnibus, quia ea omnia eminenter continet, sed etiam eminenter continet quodlibet possibile in particulari: ergò.

24. Ad argumentum respond. Magister Serra admittendo, quod si creaturæ omnes redderentur impossibles, adhuc salvaretur perfectissimè essentia, & omnipotentia in Deo, & consequenter ratio divini Verbi; & negat conseq. nimirum Verbum divinum per se ex cognitione creaturarum possibilium non procedere, quia scilicet Verbum divinum non potest non procedere ex cognitione comprehensiva divinitatē essentiae, vel omnipotentiæ, nec divina essentia, vel omnipotentia comprehendendi potest non cognitis omnibus, quæ in ea continentur, sive formaliter, sive eminenter, atque à Deo dato illo impossibili creaturæ non continerentur in Deo, non mirum si Verbum absque cognitione illarum procederet ex comprehensiva cognitione divinitatē essentiae, vel omnipotentiæ: cum tamen de facto in divina essentia, vel omnipotentia continentur, non potest de facto essentia, vel omnipotentia comprehensivè cognosci, quin in illa cognoscantur creaturæ possibles, unde nec potest Verbum de facto per se non procedere ex illarum cognitione.

25. Sed hęc solū non est conformis doctrina Thomist. in principio dubij notata, siquidem non aliunde probat, quod Trinitas Personarum ad productionem creaturarum non concurredit per se, sed solū concomitanter, & materialiter, nisi quia ablato per impossibile Deo, ut trino, & remanente, ut uno, adhuc esset principium productivum creaturarum, & è contra probant personam Verbi per se peti ad productionem Spiritus Sancti, quia sublata per impossibile Persona Verbi, eo ipso tollitur Spiritus

rus Sancti processio: si ergo dato impossibili, quod creature possibles non essent, nec illarum cognitio, adhuc salvaretur processio Verbi, cognitio creaturarum per se non potest exigi, nec conducere ad Verbi productionem.

26 Melius ergo negatur, quod si creature omnes redderetur impossibles, salvaretur perfectissimè ratio Verbi, & similiter quod salvaretur perfectissimè essentia divina, vel omnipotentia, ac tandem quod per se non habeat connexionem cum possibilibus, quod totum patet ex dictis in impugnatione quartæ, & quintæ solutionis. Ad 1. prob. in cōtrā resp. quod non ex eo, quod creature omnes non essent possibles, Deus non esset Deus, ly *ex eo dicente causā*, & rationem à priori; bene tamen ly *ex eo dicente signum à posteriori*: nam cum omnipotentia infallibiliter à priori, & ut causa inferat possibilitatem creaturarum, sicut & virtus productivā possibilitatem sui termini, negatio possibilitatis ipsarum est signum à posteriori inferens negationem omnipotentiae, & consequenter divinitatis. Nec obstat, quod Deus sit primum ens, ac proinde ita summè perfectus, ut nulla creatura indigeat ad sibi subsistentiam; nam quamvis Deus non indigeat creaturis ad sibi subsistentiam indigentia strictè sumpta, prout nimirum significat dependentiam, indiger tamen creaturis indigentia latè sumpta, scilicet prout significat connexionem, seu non posse esse sine creaturis. Nec enim connexio, vel unum non posse esse sine alio ex proprio, & formalī conceptu dicit dependentiam unius ab alio, alias secundum proprium, & formalē conceptū Deo repugnaret; cum tamen inter divinas Personas detur necessaria, & infallibilis connexio, ita ut una non possit subsistere sine alia, sicut Pater sine Filio, & sine utroque Spiritus Sanctus; immò principium necessario, & infallibiliter connectitur cum conclusione, & ab illa non dependet, & similiter quilibet essentia cum suis proprietatibus, ut possibilibus, à quibus independens est, & objectum cum scientia, vel potentia, cuius est specificativum, & perfectivum. Solum ergo connexio dicit dependentiam, quando est connexio ratione subordinationis, quomodo creatura connectitur cum omnipotentia, & conclusio cum principio, & passio cum essentia, & omne specificatum cum suo specificativo, v.g. scientia cum scibili, quod in allatis exemplis non contingit; sed est connexio purè ratione relationis, vel continentia, quae in formalī conceptū perfectionem dicit sine imperfectione. Nec valet, quod potentia creatura connectitur cum suo actu ratione continentia: & tamen est connexio dicens dependentiam ab actu, cum ab eo speci-

ficeret. Non, inquam, valet, nam, ut supra diximus in impugnatione quartæ solutionis, potentia creata non dependet ab actu ea parte, qua activa, & contentiva effectus, quia ut sic solum dicit perfectionem, sicut & actualitatem; sed dicit imperfectionem, & dependentiam ea parte, qua passiva, & perfectibilis per actum: unde D. Thom. q. 4. cit. de verit. art. 6. ad 3. ait: *Quod potentia activa perfectior est, quam actus, qui est ejus effectus, & hoc modo dicuntur esse creature in potentia, & Verbo.* Dato autem quod potentia creata, ut activa dependeat ab actu, hoc ideo est, quia non est purè effectiva, sed etiā defectiva, quae ratio non procedit de omnipotentia, quae purè activa, & effectiva est, sicut, & actus purus. Ad 2. probat. neg. quod id, quod habet esse immutabile, non possit habere per se connexionem cum eo, quod habet esse mutabile, quia cum predicta connexio sit sine dependentia, nullam arguit in Deo imperfectionem. Nec valet, quod si immutabile per se connectitur cum mutabili, eo ipso, sicut immutabile non potest non esse, etiam mutabile non potest non esse, & sic eo ipso quantum ad esse non est mutabile, sed immutabile. Non, inquam, valet: nam immutabile non per se connectitur cum mutabili in actu sic existenti, de quo verificatur, quod potest non esse, sed possibili, quod ideo dicitur mutabile, quia potest transire de statu possibilitatis ad statum existentia; non vero quia possit non esse possibile; unde quantum ad negationem possibilitatis, verum est, quod creatura possibilis est immutabilis, licet non per essentiam, cum hęc immutabilitas in ea derivetur ex divina omnipotentia, tanquam ex causa.

27 Ad 3. probat. negam. etiam magis necessarium non posse sine dependentia per se connecti cum minus necessario, ut patet in exemplis allatis. Nec ex quo omnipotentia non possit esse sine possibilibus, sequitur Omnipotentiam, & possibilia quae necessaria esse, quia adhuc verum est, ut argum. prob. quod omnipotentia est necessaria à se, possibilia vero ab alio, utpote quia Omnipotentia propterea connectitur cum possibilibus, quia ea à priori, & ut causa infallibiliter infert. Sed dices: si semel creatura possibiles sunt minus necessaria, quam Omnipotentia, etiam cognitio creaturarum possibilium non est ita necessaria, sicut cognitio omnipotentis, & consequenter sicut Verbum divinum, siquidem cognitio nequit habere majorem necessitatem, quam suum objectum; at hoc ipso nequit Verbum per se procedere ex cognitione possibilium, quia principium quo alicujus, qualis esset predicta cognitio res-

pectu Verbi, si ex ea per se procederet, debet habere tantam necessitatem, quantum habet terminus productus, cum quidquid necessitatis est in termino prodotto, ei communiceatur per predictum principium: ergo. Sed ad hoc patet ex dictis, quod cogitio nequit haberemajorem necessitatem, quam suum objectum primarium, bene tamen quam suum objectum secundarium, ut sunt creaturae possibles, quae secundario attinguntur cognitione comprehensiva essentia, & omnipotentiæ. Ad quartam probat. resp. potentiam creatam dicere ordinem realem ad suum objectum, quia connectitur cum illo ratione dependentia, & subordinationis, cum ab eo specificetur: non autem sic connectitur omnipotentia cum possibilibus, ut patet ex dictis,

28 Ad primam confirm. resp. non esse idem Deum esse omnipotentem, quia potest facere, quidquid non imvolvit contradictionem, ac Deum esse. Omnipotentem sub conditione non repugnatiæ creaturarum; nam in eo, quod dicitur Deum posse facere quidquid non imvolvit contradictionem, importatur necessariò, quod dentur creature non imvolentes contradictionem, sicut & quod dentur creature eminenter contentæ in Deo, quod necessariò non importatur in conditionali, nisi conditio ponatur necessaria, & ut infallibiliter illata ex Divina Omnipotentia, sicut si dicerem, Sol lucet, sub conditione, quod dies sit.

29 Sed dices: ex quo Deus nequeat facere chimera, non definit esse Omnipotens, quia non posse facere chimera, non ex defectu virtutis est; sed ex defectu connexionis terminorum, seu ex repugnantia illorum inter se, ut docet D. Thom. supra q. 25. att. 4. ergo à simili, quod in eo eventu Deus nullam posset facere creaturam, non argueret negationem omnipotentia, sicut illud proveniret ex repugnancia terminorum, non ex defectu divinae virtutis. Immò si Deum non posse producere chimera non procedit ex defectu virtutis, sed ex repugnancia terminorum, eo ipso omnipotentia quantum est per se est productiva chimeræ, si chimera non repugnaret, & consequenter omnipotentia non est productiva creaturarum absolute; sed sub conditione non repugnantiæ illarum.

30 Sed in primis, ex quo Deus sit defecto Omnipotens, quamvis non posse facere chimera, & alia impossibilia, non rectè inferatur fore Omnipotentem, etiamsi omnia essent impossibilia, siquidem defecto Deus, quamvis non possit facere impossibilia; potest tamen infinita alia producere possibilia, & hoc ex nihilo: in

illo autem casu nihil esset producibile à Deo, cum omnia supponantur impossibilia. Deinde negamus Deum non posse producere chimera non procedere ex defectu virtutis, sed ex repugnancia terminorum tanquam ex ratione à priorinam sicut creaturam esse possibilem procedit ex Omnipotentia, tanquam ex ratione à priori; ita ut Omnipotentia ipsa tanquam causa à priori inferat adhuc ipsam habitudinem, seu non repugnantiam terminorum, aliter possibilis creaturis cōveniret ex se, & non à Deo; similiter esse impossibilem procedit tanquam à ratione à priori ex defectu virtutis omnipotentiae, ita ut predictus defectus tanquam ratio à priori inferat ipsam repugnantiam terminorum, & sit verum, quod chimera est impossibilis, quia Deus non potest eam producere; nō vero è contra, nisi per modum signi, & à posteriori: iste tamen defectus nullam arguit imperfectionem in divina omnipotentia, quia non est defectus privativus, utpote quia omnipotentia non est nata producere chimera, sicut nec eam eminenter continenter, eo fere modo, quo defectus potentia generativa alterius Filij nullam dicit imperfectionem in Patre, & Filio, quia nimis potentia generativa Patris non est nata producere, nisi Filium infinitum, qui eo ipso debet esse unicus, utpote in quo necesse est, quod exahuriatur tota activitas, & efficacia potentiae. Unde cum D. Thom. ait chimera non esse producibilem non producere ex defectu divinae omnipotentiae, intelligitur de defectu privativo, non verò negativo.

31 Ad secundam confirm. aliqui non resnuunt concedere Deum in eo casu fore Omnipotentem Omnipotentia ejusdem rationis, ac modo est, quia objectum per se materiale divinae omnipotentiae non est collectio possibilitatis creaturarum, ut resultat ex his specie, & numero creaturis possibilibus, & non ex alijs; sed est cumulus creaturarum possibilium, quocumque ille fuerint, & in quocumque numero sint constat autem, quod divina omnipotentia non debet variari adhuc à posteriori ex objecto materiali, quod non est tale per se, sed solum ex objecto materiali, quod est per se tale. Ita Salmant. Hanc tamen solut. reputo difficilem, ne dicam improbabilem: tūn quia secundum D. Thom. q. 2. de verit. art. 13. *Si Deus posset facere plura, quam potuit, ejus potentia augeretur, minueretur autem si posset in pauciora:* qua ratione probat, quod si plura, vel pauciora sciret Deus, quam prius scivisit, ejus scientia esset variabilis: ergo secundum D. Th. in eo eventu, quod aliaqua creatura, quae defacto est possibilis, redderetur impossibili, esset

omnipotentia Dei diminuta, & consequenter variata. Deinde continentia eminentialis lapidis, qui modo es possibilis intrinseca est divinae omnipotentiae; at hæc intrinseca continentia ei deesset in eventu, quod redderetur impossibilis: ergo. Hinc negamus objectum per se materiale divinae omnipotentiae non esset cumulum creaturarum possibilium resultantem ex his specie, & numero possibilibus, quæ de facto sunt, sicut & objectum per se materiale divinae scientiae sunt omnia scibilia creata, quæ de facto sunt scibilia, & non plura, vel pauciora, & similiter objectum materiale per se divinae essentiae in ratione speciei sunt omnia creata, quæ de facto per eam representantur, & non pauciora, vel plura.

32 Melius ergo alij respond. Deum in eo eventu fore omnipotentem; sed non omnipotentia ejusdem rationis, ac de facto est propter rationes nuper adductas: nec Deus dicitur de facto Omnipotens, quia potest quidquid non implicat utsimque, & in quolibet eventu, sed quia potest quidquid non implicat de facto: in eo autem casu non posset quidquid non implicat de facto, sed quidquid in illo eventu non implicat: nec inde sequitur omnipotentiam variari ad variationem creaturarum, quasi hæc sit illius causa, & ratio à priori; sed solum quia à posteriori ex variatione creaturarum colligimus omnipotentiam variatam fore; quia tamen omnipotentia alterius rationis, quam modo est, omni non est fictitia, & chimerica, ideo liberius responderem, quod in eo eventu esset omnipotens, & non esset omnipotens: esset quidem propter rationes ibi factas: & non esset, quia esset omnipotens omnipotentia alterius rationis, quam modo est, quæ eo ipso esset fictitia, & chimerica, sicut & chimericus, & fictitius esset alter Deus.

33 Quinto objicies, & est replica contra solut. præced. argum. Meritum Christi constituit infinitum, ex quo quantum est ex se habet vim meritoriam præmij infiniti, si esset possibile, quamvis absolute præmium infinitum possibile non sit: ergo potest similiter constitui in Deo potentia infinita, seu omnipotentia, ex quo quantum est ex se habet vim producendi creaturas omnes, si possibles essent, etiamsi absolute possibles non sint. Idem argumentum fit de satisfactione Christi, quæ vim infinitam arguit ex eo præcisè, quod si essent infinita peccata hominum, pro omnibus satisfaceret, licet absolute infinita hominum peccata possibilia non sint.

33 Ad hoc argumentum resp. juxta dicta dub. 3. de Incarnatione in solut. ad 6. negando

antec. vel quia de facto merito Christi correspondet premium infinitum, nimurum reunitio totius humanitatis ad Verbum, quæ facta fuit in sui Resurrectione; hec enim non minus moraliter infinita est, quam ipsa unio hypostatica, cum fuerit restitutio illius, vel quia licet ei correspondere solum possit premium finitum; modus tamen tendendi in illud infinitum est, quia est modus tendendi in illud sine termino, taliter ut premio nullo dato exhaustiri possit, sed adhuc possit ad majus, & majus præmium usque in infinitum extendi, quod & parificamus exemplo actionis creativæ, & omnipotentiae, quæ infinitæ sunt, non quia illarum terminus, vel effectus infinitus sit, sed propter similem modum tendendi illud. Hinc ibi negamus in merito Christi efficaciam subiectivæ absolutam, & objectivæ conditionatam ad præmium infinitum, nimurum sub conditione, quod esset possibile: sed dicimus, quod si tale præmium absolute impossibile poneretur possibile, ad illud Christi meritum se extenderet; sed cum intrinseca sui variatione, pariter ac in præsenti dicimus de omnipotentia respectu chimerae, si possibilis ponetur.

35 Sexto objicies: in casu quod aliqua, vel omnes creature, redderentur impossibilis, & si deficeret omnipotentia divina quantum ad denominationem ex defectu extrinseci cónotati; non tamen quantum ad actualitatem, & perfectionem illius: ergo pariformiter quantum ad actualitatem, & perfectionem maneret Verbum divinum intrinsecè, & essentialiter invariatum, seu ejusdem rationis, ac modo est. Prob. anteced. in casu, quod nulla esset creatura futura, vel existens, non propterea deficeret divinum decretum, quod in Deo de facto datur quantum ad actualitatem, & perfectionem illius; sed purè quantum ad denominationem ex defectu extrinseci connotati: ergo à simili. Anteced. est communis doctrina Thomist. & conseq. videtur bona, siquidem non minus decretū connectitur intrinsecè cum existentia, vel futuritione objecti, quam omnipotentia cum possibilibus; qua propter hanc omnipotentia est medium, in quo Deus cognoscit possibilia; sic decretum est medium, in quo Deus cognoscit futura.

36 Confirmatur: decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte objecti nullam arguit imperfectionem in Deo: ergo nec omnipotentia absoluta ex parte virtutis, & conditionata ex parte termini, nimurum sub conditione non repugnantia creaturarum, nullam arguit imperfectionem in Deo. Antecedens est omnium Thomist. assertorium Deum futura conditionata cognoscere in decreto ab soluto

ex parte actus, & conditionato ex parte objecti: conseq. verò probat. probation. præced. argum.

3 Ad hoc argumentum patet ex dictis de Voluntate Dei loquendo de constitutivo actus liberi, quod decretum Dei liberum nullam superaddit actualitatem, & perfectionem supra actualitatem, & perfectionem actus necessarij, sed solum connotationem passivæ mutationis creatoræ ad fore, vel non fore, ratione cuius si mutet ad fore, dicitur volitus, & si ad non fore dicitur nolitus: unde cum actus necessarius in Deo per se non connectatur cum futuritione, vel existentia objecti, actus liber Dei quantum ad actualitatem non etiam per se connectitur cum existentia, vel futuritione objecti; sed solum cum ea connectitur denominative, seu terminative, vel connotative consideratus: cum autem connotatio, vel denominatio connotativa deficere possit ex defectu extrinseci connotati sine intrinseca mutatione subjecti, propterea deficere potuit divinum decretum, quod in Deo de facto datur sine intrinseca Dei mutatione ex defectu solum passivæ mutationis creatorum; divina tamen omnipotentia superaddit ad essentiam, actualitatem, & perfectionem virtualiter distinctam, & secundum eam essentialiter, & per se connectitur cum possibilibus; & sic deficere nequit per se ex defectu creatorum possibilium sine intrinseca Dei mutatione.

38 Ad confirmat. respond. quod decretum non dicitur conditionatum, quia respicit objectum sub conditione futuritionis, cum potius objectum non sit, nec possit esse futurum, nisi ab ipso decreto; sed dicitur conditionatum, quia respicit objectum sub conditione alia, cum qua non habet necessariam connexionem v.g. conversio Tyrorum sub conditione predicationis Christi. Unde ex hoc non licet inferre posse in Deo constitui omnipotentia conditionata ex parte termini sub cōditione possibilitatis illius. Immo decretum illud non est conditionatum sub cōditione impossibili, sed possibili, & quod non sit futura, etiam est, & provenit ex libero decreto Dei, & propterea nullam dicit imperfectionem in Deo, immo maximam perfectionem, sicut & exercitium divina libertatis: si semel autem omnes creature reddantur impossibiles, conditio possibilitatis est impossibilis; imperfictio autem est maxima, quod in Deo sit omnipotentia sub conditione impossibili; cum eo ipso non sit reducibilis ad actum.

39 Septimo objicies: salvatur cognitione perfectissima Dei sine cognitione possibilium: ergo & quod Verbum procedat ex cognitione Dei perfectissima, quin per se procedat ex co-

gnitione possibilium. Anteced. prob. Salvatur Beatitudo Dei sine cognitione possibilium; sed Beatitudo consistit in cognitione perfectissima, ut docent Thomistæ cum D. Thom. 1.2. q.2. ergo. Prob. maj. Deus non redditur Beatus per hoc quod videat possibilia, sed solum per hoc quod videat divinam essentiam: ergo salvatur Beatitudo Dei sine cognitione possibilium. Probat. anteced. Deus solum dicitur Beatus per consecutionem summi boni, quia in hac Beatitudo formalis consistit; at sola visio devinæ essentiaz est consecutio summi boni; non vero visio creatorum possibilium, cum illa sola sit summum bonum; creature vero possibiles, nec sunt actu bona, & ad summum sunt bona bonitate finita, & limitata: ergo. Confirmat. Idein est objectum Beatitudinis creataz, ac beatitudinis increaz, cum illa sit hujus participatio; sed Beatitudo creata salvatur in sola visione divina essentiaz, etiamsi nulla in divina essentia videatur creature possibilis saltem in particulari, ut est etiam communis Thomistæ sententia: ergo.

40 Ad argument. respond. neg. assump. Ad probat. neg. maj. Ad probat. conced. anteced. & disting. conseq. ergo salvatur Beatitudo Dei sine cognitione possibilium, ut objecti beatifici, ita quod possibilia nec partialiter ingrediantur objectum formale Beatitudinis, conced. ut objecti per se connexi cum objecto beatifico, ita quod possit divina essentia videri à Deo, non cognitis possibilibus, neg. Fatemur enim Beatitudinem formalem in consecutione summi boni consistere, in solaque divina essentia salvari rationem summi boni, hancque consequenter esse objectum totale, & ad æquatum Beatitudinis formalis, proindeque solum per illius visionem constitui Deum formaliter Beatum: hinc tamen non licet inferre salvari Beatitudinem Dei sine cognitione possibilium quantum ab hunc sensum, quod posset ab eo videri divina essentia, non cognitis possibilibus: nam ad hoc non est necesse, quod creature possibiles partialiter ingrediantur objectum formale Beatitudinis; sed sat est, quod per se connectantur, & in eo continantur eminenter: cum enim visio divinæ essentiaz, qua Deus beatus constituitur, non possit non esse comprehensiva, sicut & infinita, consequenter non potest terminari ad essentiam, quin terminetur ad creaturas, quas eminenter continet, & cum quibus per se connectatur, licet non ideo beatificet prædicta cognitione, quia terminatur ad creaturas; sed ex eo præcise, quod terminatur ad divinam essentiam. Hinc patet ad confirmat. Nam Beatitudo creatæ non est visio comprehensiva, sed solum quid-

dictativa, nec cognitio Dei terminatur ad possibilia ex conceptu formalis beatitudinis; sed quia comprehensiva, & infinita est.

41 Octavo objicies: Spiritus Sanctus non procedit ex amore possibilium: ergo nec Verbum per se procedit ex cognitione possibiliu. Anteced. supponitur in probabiliu sententia, conseq. verò tenet à paritate. Dices Spirit. Sanctum non procedere ex amore possibilium, quia creature possibles non amantur à Deo, ut supponit illa sententia, cogitosuntur tamē, quod late expendimus de Voluntate Dei, quia nimis, ut creature possibles sint actu cognoscibles, non requiritur quod sint actu in se ipsis, sed sufficit esse virtuale, quod habent in divina essentia quia cognitio fit, secundum quod cognitum est in cognoscente: è tamen contra, ut amentur, quia amor terminatur ad res, secundum quod sunt in se ipsis. Sed contra est: ergo stat amor Dei perfectissimus, & comprehensivus sine amore creaturarum: stabit ergo similiter cognitio Dei perfectissima, & comprehensiva sine cognitione creaturarum: prima conseq. patet, siquidem Spiritus Sanctus non potest non procedere ex amore Dei perfectissimo: secunda verò probat, non minus de ratione cognitionis perfectissimæ, & comprehensivæ est cognoscere divinam essentiam quantum cognoscibilis est, quam de ratione amoris perfectissimi, & comprehensivi est eam amare quantum amabilis est: si ergo stat amor divinae essentiae perfectissimus, & comprehensivus sine amore creaturarum, stabit etiam cognitio divinae essentiae perfectissima, & comprehensiva sine illarum cognitione.

42 Sed ad hoc patet disparitas juxta dicta quod divina essentia non est amabilis prout connexa cum possibilibus, alias ipsa etiam possibilia secundum esse objectivum, quod habent distinctum à divina essentia, amantur à Deo; est tamen prout connexa cum possibilibus cognoscibilis, sicut & possibilia ipsa secundum esse objectivum, quod habent distinctum à divina essentia, cognoscibilia sunt: & sic potest divina essentia amari quantum amabilis est sine amore possibilium; non tamen cognosci quantum cognoscibilis est sine illorum cognitione. Et nota instantiam in peccnitentia, quæ ut connexa cum peccato est à Deo cognoscibilis; non tamen amabilis: non enim potest Deus peccnitentiam cognoscere, nō cognito peccato, propter connexionem peccnitentie cum peccato; potest tamen non obstante praedicta connexionem peccnitentiam amare non amando peccatum, quia peccatum co-

gnoscibile est à Deo; non tamen amabile. Eadem instantia fit in permissione aetiva peccati, quæ etiam infallibiliter infert peccatum, & cum eo connectitur, & illa est volita à Deo, non tamen hoc, cum tamen sine peccato cognosci non possit.

43 Sed dices: natura divina secundum omnia predicata formalia est amabilis; sed una ex predicatis illius formalibus est connexionem cum possibilibus: ergo prout connexa cum possibilibus est amabilis. Sed in primis patet instantiam in exemplis allatis. Deinde respondeatur, quod natura divina est amabilis secundum omnia predicata formalia, quatenus existentia, seu in actu; bonum enim, quod est objectum amoris, in actualitate rei consistit, quæ ei convenit per existentiam, vel connotationem existentia: unde solum infertur, quod divina natura sit amabilis, ut connexa cum possibilibus, ly ut reduplicante connexionem quantum ad actualitatem, & existentiam, quam importat in recto; non tamen quantum ad possibilia importata in obliquo: nam ad hoc oporteret amorem divinum terminari ad possibilia taliter in obliquo, & de connotato, cujus oppositum argumentum supponit.

44 Nono objicies: Verbum divinum per se, & formaliter procedit est prima Dei cognitione; sed prima Dei cognitio non terminatur ad creature, sed solum ad divinam essentiam: ergo. Probat. min. Prima Dei cognitio eū intelligentia; sed intelligentia in eo differt à scientia, quod hæc versatur circa conclusiones, illa vero circa principia: ergo prima Dei cognitio, quæ intelligentia est, solum versatur circa divinam essentiam, licet secunda Dei cognitionis, quæ scientia est, versetur circa creature possibiles. Confirmat. Cognitio divina intelligentia non est scientia, eum non sit cognitio illius per causam, vel rationem formalem; sed cognitio creaturarum in Deo est scientia, ut supponimus: ergo cognitio divinae essentiae in Deo virtualiter distinguitur à cognitione creaturarum: cum ergo illa sit prima Dei cognitio, & hæc solum sit principium per se, & formaliter processus Verbi, consequenter ex sola divinae essentiae cognitione Verbum per se, & formaliter procedit.

45 Ad hoc argum. patet ex dictis conced. major. & neg. minor. Ad probat. disting. maj. primo Dei cognitio est intelligentia comprehensiva, concedo: pure quidditativa, nego, & conc. minor: de distinctione inadæquata, & nego conseq. Un enim supra dictum est, cognitio divinae essentiae est comprehensiva, quæ eo ipso non potest non terminari ad divinam essentiam.

secundum omnia, quæ formaliter, vel eminenter continet, & consequenter non potest non terminari ad creaturas; prout tamen terminatur ad essentiam ratione sui, & non per causam, vel rationem formalem, dicitur intelligentia; quatenus vero terminatur ad creaturas ratione essentiae, dicitur scientia: unde una, & eadem formalissima cognitio in Deo est intelligentia, & scientia: intelligentia per ordinem ad objectum primarium: & scientia per ordinem ad objectum secundarium, proindeque intelligentia, & scientia in Deo solum virtualiter inadæquate distinguuntur, seu secundum nostrum modum concipiendi; non vero adæquate, & objective, licet è contra contingat in creatis. Cujus pone exemplum in actu divinæ voluntatis, qui per ordinem ad objectum primarium, nimirum divinam essentiam, est necessarius, & per ordinem ad objectum secundarium, scilicet creaturas, est liber absque virtuali distinctione adæquata, ut late expendimus de Voluntate Dei loquendo de constitutivo actus liberi. Et juxta subjectam materiam Verbum Divinum per ordinem ad terminum primarium, nimirum, Patrem dicitur Filius, & per ordinem ad terminum secundarium, scilicet creaturas dicitur Verbum; cum tamen ratio Filii, & Verbi non distinguantur virtualiter minus adæquate, ut est communis sententia; à simili ergo in nostro casu. Per quod patet ad confirmationem, licet enim cognitio divinæ essentiae per respectum ad ipsam non sit scientia; est tamen scientia per respectum ad creaturas.

45 Sed dices contra: cognitio intensiva causæ, & extensiva, nimirum effectuum, quos continet, non est formaliter eadem cognitio: ergo cognitio comprehensiva essentiae divinæ, & cognitio creaturarum non est eadem formaliter cognitio. Conseq. patet, & anteced. probat. cognitio intentiva causæ inferat cognitionem illius extensivam, sicut cognitio intensiva principij inferat cognitionem extensivam illius, nimirum conclusionam, quæ in eo continentur: ergo non est eadem formalissima cognitio, quamvis inter se connectantur, ita ut una sine altera haberi non possit, qua ratione communiter dicitur assensum præmissarum necessitare ad assensum conclusionis. Anteced. probat. nam quod intellectus cognoscat plures, vel pauciores effectus in causa, procedit, ex quo intellectus intensius, vel minus intensè cognoscit causam: cognitio ergo intensiva causæ inferat cognitionem extensivam illius, ita ut hæc posterior sit illa. Sed ad hoc patet etiam ex dictis, neg. cognitionem intensivam causæ distinctam

esse à cognitione extensiva illius, cum intensius causam cognoscere, sit formalissime magis illius efficaciam, & eminentiam penetrare, quod est plus attingere de his, quæ latent in causa. Ad probat. respond. quod cognitio extensiva causa infert cognitionem intensivam illius, non per modum causæ, vel rationis à priori, sed eo modo, quo Petrum esse hominem, infert esse animal rationale, vel è contra; cum tamen idem sit formalissime Petrum esse hominem, & animal rationale. Idemque dicimus de cognitione intensiva principij, quanvis in nobis præter cognitionem conclusionum in principio, quæ est eadem cum cognitione intensiva illius, detur alia cognitio, qua veluti signata per discursum formalem deducuntur conclusiones ex principio.

47 Sed dices: hæc causalis est vera, quia cognitio est comprehensiva causæ, ideo attinet omnes effectus contentus in illa: ergo cognitio comprehensiva causæ est causa, vel admissus ratio à priori cognitionis effectuum in illa. Sed respondeat. quod hæc causalis est solum secundum nostrum modum concipiendi; non vero ex parte rei cognitæ, sicut & hæc, quia Petrus est homo, ideo est animal rationale. Immò cum cognitio comprehensiva diffiniatur per hoc, quod terminetur ad objectum secundum omnia, quæ in eo formaliter, vel eminenter continentur: hoc enim est illud cognoscere, quantum cognoscibile est, rectius dicitur, quod ideo est cognitio comprehensiva causæ, quia causam attinet secundum omnia, quæ formaliter, vel eminenter continet, quam è contra; melius enim redditur ratio alicujus ex distinctione ad diffinitum, quam ex diffinito ad distinctionem.

48 Tandem dices: per hoc, quod cognitio divinæ essentiae inferat cognitionem aliam distinctam creaturarum, sufficienter constituitur in ratione cognitionis comprehensivæ illius: non ergo est necesse, ut sit comprehensiva, quod eadem formalissime attingat creaturas. Probat. anteced. Nam per illud distinguitur à cognitione quidditativa divinæ essentiae, siquidem hæc ita attingit, quæ formaliter sunt in divina essentia, ut non exigat, nec inferat cognitionem eorum, quæ in ea eminenter continentur. Sed respond. quod licet cognitio quidditativa divinæ essentiae ex communi conceptu, seu ut communis est creatæ, & increatae, non exigat, nec inferat cognitionem creaturarum; cognitio tamen quidditativa divina eam exigeret, & infallibiliter inferat, quia esset cognitio infinita; non autem stat divinam essentiam infinitè cognosci, nisi cognoscatur secundum omnian

nis, quæ in ea sunt formaliter, vel eminenter, vel eandem cognitione, si sit simul comprehensiva, ut nos dicimus, vel diversa cognitiones, si esset cognitione pure quidditativa, ut esset in causa argumenti.

49 Secundo tamen potest argumento à principio responderi supponendo pronunc divinam simplicem intelligentia virtualiter adaequate distingui à scientia Dei; attamen distinctione non stat in hoc, quod ex vi divinitatis simplificis intelligentie non attingantur creature; tunc enim non esset comprehensiva; sed in eo, quod per simplicem Dei intelligentiam cognoscuntur creature in divina essentia; per scientiam verò cognoscuntur ex illa, scientia enim in Deo virtualis discursus est; discursus autem non consistit in cognitione conclusionis in causa; sed ex vi cause, ita ut ex cognitione cause ad cognitionem effectus procedat.

50 Decimo objicies: & est replica contra solutionem præcedentis argumenti: divina cognitione prius intelligitur terminata ad objectum primarium, quam ad secundarium; sed essentia divina est objectum primarium, creature verò sunt objectum secundarium: ergo prius intelligitur divina essentia terminata ad divinam essentiam, quam ad creaturem: tunc sic; sed pro illo priori divina cognitione non potest non esse secunda ad productionem Verbi, cum infinita sit: ergo pro priori ad cognitionem creaturarum intelligitur Verbum procedere. Confirm. principium infinitum movens ad duos terminos finitum, & infinitum, prius ad infinitum, quam ad finitum movet, cum infinitus sit magis illi intrinsecus, & connaturalis; at divina essentia, ut secundans intellectum Patris, est principium infinitum movens ad dictiōnem Verbi, quod est terminus infinitus, & ad cognitionem creaturarum, quæ sunt terminus finitus: ergo prius movet ad dictiōnem Verbi, quam ad cognitionem creaturarum, & consequenter idem, quod prius:

51 Ad hoc argum. etiam patet ex dictis, quod cum objectum primarium per se connectitur cum secundario, & illud eminenter continet, non potest attingi sine secundario; unde quod objectum sit primarium, vel secundarium non in eo consistit, quod unum prius, & aliud posterius cognitionem terminet, sed in eo, quod primarium terminat cognitionem ratione sui, secundarium verò ratione primarij, quæ dicitur prioritas, vel posterioritas à quo objectiva. Nunquam tamen est concedendum signum aliquod etiam rationis, in quo essentia intelligatur comprehensive, non cognitis creaturis, sicut nec in quo intelligatur Pater, non

intellecto Filio; quamvis Pater sit principium Filii, quia hæc solum est prioritas, vel posterioritas à quo; in eodem enim signo rationis intelligitur Pater ut principium, & Filius ut tertius generationis Patris. Sic pariformiter in eodem signo rationis intelligitur essentia divina, & intelliguntur creature; sed essentia ratione sui, & creature ratione essentia. Instaurare que argumentum in cognitione attributorum, quæ etiam sunt objectum secundarium divini cognitionis, ut tenet communior sententia; cum tamen non prius essentia, quam attributa cognoscantur à Deo prioritate in quo etiam rationis, alias Verbum per se non procederet ex cognitione attributorum, cum ut argum. supponit, pro illo priori esset divina cognitione sufficiens etiam secunda ad productionem Verbi.

52 Ad confirm. respond. quod principium infinitum prius movet ad infinitum cognoscendum, quam ad cognoscendum finitum, & similiter prius movet ad producendum infinitum, quam ad finitum producendum: unde prius divina essentia movet ad cognoscendum se ipsum, quam ad cognoscendum creaturem prioritate nuper explicata, nimirum à quo, & prius movet ad productionem Verbi, quam ad productionem creaturarum etiam prioritate in quo, non tamen prius movet ad productionem Verbi, quam ad cognitionem creaturarum, siquidem non prius movet ad productionem Verbi, quam ad cognitionem comprehensive divini essentiae, vel omnipotentie, per quam non possunt non creature cognosci, ut explicatum est. Nec obstat, quod Verbum est terminus magis intrinsecus, & connaturalis divinae essentiae; quam creature: nam creature, non ratione sui; sed ratione essentiae, in qua continentur, terminant divinam cognitionem. Unde sicut non obstat, quod Verbum sit terminus magis intrinsecus, & connaturalis divinae essentiae, quam creature, ut divina essentia pro priori ad productionem Verbi sit continens creaturem, sic nec ut creature pro priori ad productionem Verbi terminant divinam cognitionem ratione essentiae comprehensive cognitione.

53 Tandem objicies: sequitur ex nostra sententia Verbum per se procedere ex cognitione non entium; at hoc videtur falsum: ergo. Sequela probatur, secundum nos Verbum procedit ex cognitione possibilium, quia per se procedit ex cognitione omnium, ad quæ per se terminatur divina scientia; sed divina scientia etiam terminatur ad non entia, ut docet D. Thom. hic art. 3. ergo.

54 Ad hoc argument. respond. ex dicti na ipsius D. Thom. ad quartum argumentum,

quod sub alijs terminis sic procedebat, si Verbum importat respectum ad creaturas, hoc non esset, nisi in quantum creature cognoscuntur à Deo; sed Deus non solum cognoscit entia, sed etiam non entia ergo in Verbo importatur respectus ad non entia, quod videtur falsum. Et resp. D. Thom. *Quod eo modo, quo scientia Dei est non entium, etiam Verbum Dei est non entium, quia non est aliquid minus in Verbo Dei, quam in scientia, ut August. dicit.* Sed tamen Verbum est entium, ut extressivum, Expressivum; non entium autem ut expressivum, Manifestativum. Ex quibus conceditur sequela propter argumentum factum, & negamus minor. taliter enim dicit D. Thom. Verbum per se exprimere creaturas, ac non entia sola distinctione, quod creaturarum est expressivum, & factivum; non entium autem pure expressivum, sicut scientia Dei non entium est pure cognoscitiva, entium vero cognoscitiva, & factiva.

55 Sed dices: ergo eadem ratione Verbum per se procedit ex cognitione impossibilium, quia ad impossibilia etiam per se terminatur divina scientia; at hoc est fallum: ergo. Probat. min. nam secundum nos Verbum Divinum solum procedit per se ex cognitione omnium, quibus non cognitis divina essentia, vel omnipotentia comprehendi non potest; at divina essentia, vel omnipotentia comprehendi potest, non cognitis impossibilibus: ergo. Probat. mia. divina essentia, vel omnipotentia solum comprehenditur per cognitionem omnium, quæ formaliter, vel eminenter continent, at impossibilia in divina essentia, vel omnipotentia nullo modo continentur: ergo.

56 Sed respond. neg. minor. Ad probationem neg. primò major. nam aliud est Verbum per se procedere ex cognitione omnium, quibus non cognitis non potest comprehendendi divina essentia, vel omnipotentia; aliud verò solum ex illorum cognitione procedere, pri-  
mum concedimus, & secundum negamus; sed dicimus procedere etiam ex cognitione omnium, ad quæ per se terminatur divina scientia, alias non esset verum Verbum suo principio correspondens, ut supra diximus ex Div. Thom. Secundo respondet. neg. divinam essentiam, vel omnipotentiam comprehendendi posse, non cognitis impossibilibus, non quia ea contineat; sed quia possibilia à Deo comprehendendi non possunt non cognitis impossibilibus, utpote quia impossibile in repugnancia possibilium, ut ad unius tertij compositionem confluant, consistit, nec est aliud cognoscere hoc impossibile Leo, Draco, quam cognosce-

re repugnantiam, quam habent inter se Leo, & Drago, ut componant unum tertium. Cum ergo cognitis omnibus possibilibus comprehensive in omnipotencia non possint non cognosci secundum omnes modos, rationes, & habitudines, consequenter non possunt non cognosci comprehensive in divina omnipotencia à Deo, non cognitis omnibus impossibilibus.

#### DUBIUM IV.

*Utrum, si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, realiter ab illo distingueretur?*

1 **V**tiliter hoc disputatur, quamvis hypothesis juxta fidem sit impossibilis: tum, ut sententiam negativam tenentes, quæ eos de suo errore convincant, qui ex una parte asserebant Spiritum Sanctum à Filio realiter distingui, & ex alia negabant ipsum à Filio procedere: tum ad investigandum efficaciam rationis D. Thom. qui loco citato probat Spiritum Sanctum à Filio procedere, quia aliter ab illo realiter non distingueretur. In quo dubio unica est difficultas titulo dubij corresponds; unde sit.

#### RESOLUTIO UNICA.

*Si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, realiter ab illo non distingueretur?*

2 **E**st contra Scorum, & omnes ejus discipulos. Eam tamen tenent omnes Thomistæ, quibus adhærent Suarez, Vazquez, Arrubal, Valentia, Becanus, & alij frequenter. Et fundatur unica ratione Div. Thom. loco citato. Nam in divinis omnia sunt unū, ubi non obviat relationis oppositio; at si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, non esset unius ad aliud relationis oppositio: non ergo distingueretur realiter. Conseq. patet, minor verò constat ex eo, quod in divinis relationis oppositio in origine, seu processione fundatur. Major verò est commune Theologorum proloquium ex principiis rellatis deductum: nam divinæ personæ in perfectionibus absolutis, sicut & in essentia sunt unum, solumq; realiter distinguuntur relationibus: ubi ergo non obviat relatio, seu relationis oppositio, omnia in divinis sunt unum. Quod etiam probat D. Th. ex eo, quod Pater habet duas relationes, quarum una refertur ad Filium, & alia ad Spiritum Sanctum, quæ tamen quia non sunt

oppositę non constituunt duas personas , sed ad unam personam tantum Patris pertinet : si ergò in Filio , & in Spiritu Sancto non esset intervenire , nisi duas relationes , quibus uterque referretur ad Patrem , illę relationes non essent ad invicem oppositę , sicut nec duas relationes , quibus Pater refertur ad illos ; unde sicut persona Patris est una , ita sequeretur , quod persona Filii , & Spiritus Sancti esset una habens duas relationes oppositas duabus relationibus.

3 Hinc Concilium Toletanum in professione fidei de divinis personis loquens sic habet: *Hoc solum numerum insinuat , quod ad invicem sunt*: distingui autem per esse ad invicem est distingui per relationis oppositionem. Similiter Concilium Florentinum hoc ipsum testatur , dum ait: *Nulla alia ratio distinctionis , aut discriminis est in divinis , nisi per hoc , quod persona aliqua est ab alia*: Ubi Joan. Theologus dicit: sola relatio apud omnes tam Gr̄ecos , quam Latinos. Doct. divina processione personas multiplicat. Et similiter , quod *substantia cum personis communicat* ; proprietates verò nequaquam *communicabiles sunt* , quod quidem ex relationis vi creditur evenire. Ricardus etiam 5. de Trinitate asserit divinas personas procedentes ab alio in eo distingui , quod una habet aliam de se procedentem ; alia verò non. Et 2. de Trinitate dicit: *Notandum , quod hujusmodi differentia proprietatum in solo consistit numero prudentium* , nam prima earum habet esse à nulla alia , altera ab una sola , tertia verò à gemina. Quod etiam expresse fatetur Dionisius cap. 2. de divinis nominibus dicendo : *Benignissimas personarum discretiones esse deitatis processus*. Idem Anselmus libro de processione Spiritus Sancti cap. 2. expresse habet , quod Pater , & Filius in omnibus unum sunt , nisi in his , in quibus inter eos distinguit relationis oppositio. Immò in Concilio apud Barium in Apulia coacto ab Urbano II. illo principio omnino convincit Gr̄ecos. Ac tandem Boecius libro de Trinitate affirmit , quod sola relatio in divinis Trinitatem multiplicat.

4 Sed huic rationi potest primo respondere cum Valentia , qui licet nobiscum sentiat Spiritum Sanctum in ea hypothesi à Filio realiter non distinguendum Theologice procedendo; seu stando principijs revelatis ; affirmit tamen eum realiter distinguendum à Filio , methaphysice procedendo ; seu stando lumini naturali , & principijs illius: unde ait prædicta Concilia loqui de distinctione , quę defacto est inter divinas personas ; hec enim subsistere nequit absque processione unius ab alia ; non tamen

de distinctione , quę intervenit in hypothesi facta. Sed hæc responsio sufficienter ex eo refutatur , quod in præsenti dubio non potest procedi , nūl Theologice , & stando principijs revelatis , namque lumen naturale non attingit pluralitatem personarum , nec earum distinctionem , immò impossibilem reputat , solumque Deum esse unum cognoscit , sicut & solum Theologice , & ex principijs revelatis cognoscimus personarum distinctionem , cum in dubium vertimus distinctionem Spirit. Sancti à Filio , casu , quod à Deo non procederet , necessario videtur ad Theologiam recurrendum , & illius principia , ut scilicet videamus , unde proveniat distinctione personarum , & an principium distinctionis , quo defacto divinae personae distinguuntur , perseveraret in eo casu ? Neque enim posset in ea hypothesi Spiritus Sanctus alia reali distinctione à Filio distinguiri , quam ea , quę defacto ab eo distinguuntur , namque prædicta distinctione esset divina , & implicat aliquid divinum non in actu , sed possibile.

5 Præterea : illa Verba Concilij Toletani , *Hoc solum numerum insinuat , quod ad invicem sunt*, faciunt sensum solum ex relationibus postea in divinis personis realem distinctionem provenire; & est , ac si philosophicè in corporalibus dicatur , hoc solum numerorum insinuat , quod divisa sunt : sicut ergò seclusa divisione continui , non potest numerus resultare , sic seclusis relationibus in divinis , non potest inter divinas personas illa esse realis distinctione. Quod adhuc expressius denotant verba Concilij Florent. in quibus ratio formalis distinctionis divinarum personarum ponitur processione unius personæ ab alia ; si autem semel defacta processione unius personæ ab alia est ratio formalis distinctionis realis earundem , in nulla hypothesi potest inter eas distinctione realis intervenire , seclusa illa processione , sicut propter eandem rationem nulla intervenire realis distinctione inter Patrem , & Filium , si Filius à Patre realiter non procederet , quia ratio formalis distinctionis utriusque defacto est processione unius ab alio : ratio enim formalis distinctionis , sicut & constitutionis in omni hypothesi debet esse eadem , aliter in hypothesi , quod homo non esset rationalis , posset ab equo distingui , licet defacto non nisi per rationalitatem ab eo distinguatur.

6 Subtilius ergò cum suo Magistro resp. Scotista disting. duplē relationis oppositionem , aliam relativam , & aliam disparatam , & dicunt illud proloquium , omnia in divinis sunt unum , ubi non obviae relationis oppositio de-

bere intelligi, vel de relationis oppositione relativa, vel de disparata, namque dispar ratio rationum formalium realium etiam distinguit realiter, ubicumque inventur, quæ dispar ratio esset inter Spiritum Sanctum, & Filium, et si ab eo non procederet propter diversum modum totalem accipiendi eandem naturam, scilicet per modum nativitatis, & processionis.

7 Subtilis, inquam, evasio. Sed contra eam sic efficaciter, ne dicam evidenter, primum proceditur: nam juxta Concilium Toletanum, non solum divinae personæ realiter distinguuntur per relations, sed per relations, quibus ad invicem sunt, id est, quibus ad invicem referuntur; sed relations, quibus ad invicem referuntur sunt relations, non ut oppositæ disparatae, sed ut oppositæ relative: ergo. Immò hoc esse ad invicem Concilium exponit, dum subdit: *Quod enim Pater est Pater, non ad se, sed ad Filium est, & quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est; similiter Spiritus Sanctus non ad se, sed ad Patrem, & Filium relative refertur:* intentum etiam Concilij Florentini Joan. Theologi, & Anselmi est, ut concludant Spiritum Sanctum à Filio procedere, quia aliter ab illo realiter non distingueretur. Immò Joan. Theologus expresse loquitur de oppositione, quæ ex vi relationis creditur evenire; ex vi autem relationis evenit oppositio propria relationis, id est, non communis linea absolute, & relativæ, qualis est oppositio disparata, sed relativæ tantum. Dionysius etiam, & Ricardus ad ipsos processus personarum recurrent, ut discernantur divinae personæ.

8 Deinde ratione 1. occurritur prædictæ evasioni ex Cajet: hic: nám illud proloquium: omnia in divinis sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio, procedit de oppositione relationis secundum propria relationis, & non secundum communia sibi, & absolutis, ut sic enim, & non aliter relations in divinis consti-tuunt, & distinguunt personas; inter rationem autem relativam ut talem, & absolutam hoc interest discrimen, quod ratio absoluta constituit rem in se; relatio vero constituit rem ad aliud, scilicet correlativum. Et quoniam unumquodque sicut est ens, ita est unum, & distinctum, ratio absoluta sicut constituit ens in se, ita distinguit illud secundum se, & consequenter ab omnibus alijs; relatio vero, quia constituit ens ad suum correlativum, solum illud à suo correlativo distinguit, alioquin distinctio non esset proportionata passio entis, siquidem plus faceret constitutivum distinguendo, quam constituendo, quod intelligibile non est. Sola ergo distinctio, & oppositio relativa est propria rela-

tionis, & quamlibet aliam habet ex communib; sibi, & absolutis: illud ergo proloquium intelligi debet non de oppositione tuncunque inter relations, sed de oppositione illarum relativa. Et hoc non advertere, aut penetrare, ait Cajet. fuit causa dissensionis in hac materia.

9 Secundo occurritur prædictæ evasioni ex D. Thom. q. 10. de potentia art. 5. in corp. nám illud proloquium: omnia in divinis sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio, intelligitur de relationis oppositione, quæ est prima ratio distinctionis in divinis, ita ut ibi primo inventatur distinctio, ubi primo occurrit relationis oppositio; sed hæc est solum relativa oppositio, non vero disparata: ergo. Prob. min. nám oppositio disparata est oppositio affirmationis, & negationis; oppositio autem affirmationis, & negationis sequitur distinctionem, non eam causat. Quod enim hoc sit hoc, & non aliud, sequitur ex eo, quod distincta sunt: è contra vero oppositio relativa non sequitur distinctionem, sed eam causat; non enim Pater, & Filius relative opponuntur, quia distincta sunt, sed potius distincta sunt, quia relative opponuntur. Deinde veritas cuiuslibet negativæ in existentibus supra veritatem affirmativam fundatur, sicut veritas hujus negativæ, Aetiops non est albus, fundatur supra veritatem hujus affirmativæ, Aetiops est niger: ergo omnis differentia, quæ est per oppositionem affirmativæ, negationis, reducitur in differentiam aliquius affirmativæ oppositionis: non ergo potest esse prima distinctionis ratio inter Filium, & Spiritum Sanctum ex hoc, quod Filius est genitus; non vero Spiritus, & Spiritus Sanctus est spiratus, non vero genitus, nisi preintelligatur distinctio inter generationem, & spirationem, & inter Filium, & Spiritum Sanctum.

10 Tertio occurritur prædictæ evasioni ex D. Thom. q. 8. de potentia art. 8. ad 4. nám in divinis non potest esse alia oppositio realis praeter relativam: ergo hæc sola est, quæ personas divinas realiter distinguit. Antecedens probat: ex D. Thom. tum, quia omnis alia oppositio est secundum affirmationem, & negationem; unde cum negatio removeat affirmationem in alijs oppositis, unum dicitur alteri opponi, in quantum ipsum removet, quod non contingit in relativis: non enim per hoc opponitur Filius Patri, quod ipsum removeat, sed propter rationem habitudinis ad ipsum, & ideo relatio magis potest attribui Deo, quam aliæ oppositiones, qua ratione inter creaturas, & Deum non alia ponitur oppositio, quam relativa in processione creaturarum à Deo fundata, cum ex eo sit magis creaturarum positio, quam earum re-

motio: tum etiam, quia in alijs oppositis semper alterum est imperfectum, quod accidit ratione negationis, quæ includitur in altero oppositorum. Hoc autem in relativis non oportet, immò utrumque considerari potest ut perfectum, sicut patet maxime in relativis æquiparentiæ, & in relativis originis, ut æquale, simile, Pater, & Filius. Unde cum in divinis nihil imperfectum esse possit, potest esse relativa oppositio, & non alia.

11 Nec valeat, quod ubicumque est aliqua distinctione, oportet inveniri negationis, & affirmationis oppositionem, quæ enim secundum nullam affirmatiohem, & negationem differunt, penitus indistincta sunt. Non, inquam, valet: nam ut docet Ferrara 4. contra gentes cap. 24: licet una relatio negationem alterius oppositæ relationis includat in eodem supposito; sicut tamen relatio non ponit aliquid in eo, quod relativè dicit ad aliquid, seu respectum ad correlative; sic negatio inclusa in relatione non negat aliquid in subjecto, sicut in alijs oppositis, sed tantum negat ad aliquid, & propterea nec removet alterum oppositorum, nec alterum oppositorum est imperfectum, sicut in alijs oppositis contingit. Sed dices: hoc ipso, quod unum relativum alteri opponitur, non habet esse relativi illius: ergo negat aliquid in proprio subjecto. Sed respond. neg. anteced. Namque quoad esse divina Personæ non distinguntur, licet inter se opponantur. Unde quod unum relativum non habeat esse alterius, non provenit ex eo, quod ei opponitur, sed ex alio capite, nimirum quia esse relativi est finitum, & limitatum, ut contigit in relativis creatis, de quo in sequenti impugnatione:

12 Tandem occurrit prædictæ evasionis falso: quod dispar ratio, seu oppositio disparata rationum formalium realium distinguat realiter ubicumque inveniatur, licet enim hoc verum sit in creatis ratione finitatis, & limitationis; non tamen in divinis, quod proba. Nam ex genere suo, & secundum proprios, & formales conceptus misericordia, & justitia, amor, & sapientia: ut pote pertinentes ad diversas lineas sine habitudine principijs producentis, & termini producti, disparate opponuntur, immo eadem oppositio disparata ex genere, & secundum proprios, & formales conceptus est inter paternitatem, & relationem spiratoris, ac inter filiationem, & relationem spirati: ac tandem major oppositio disparata ex genere, & secundum proprios, & formales conceptus est inter absoluta, & relativa, quam inter solum relativa; & tamen hæc omnia in divinis realiter identificantur: ergo. Ratio à priori hoc ipsum

demonstrat, nam ea, quæ ex genere suo, & secundum proprios, & formales conceptus disparate opponuntur in Deo ratione infinitatis, & purissima actualitatis, petunt identificari, & ad invicem includi; & contra verò in creatis ratione potentialitatis, & limitationis unum alterum excludit, nec potest non ab eo realiter distinguui, eique realiter opponi. Quod & fit etiam manifestum ex terminis: nam oppositio disparata, ut diximus, est oppositio affirmationis, & negationis consistens in eo, quod unum sit hoc, & non aliud; oppositio autem penes esse hoc, & non aliud fundatur in limitatione, & finitate ipsius esse, ut videre est in relationibus creatis similitudinis, & æqualitatis, quæ distinguuntur, quia habent diversum esse propter sui limitationem, & dignitatem. In divinis autem adhuc ipsi relations, nec habent esse limitatum, nec conquerenter diversum, & sic ex capite oppositionis disparata distingui realiter non possent.

13 Hinc evidenter occurrit contrarijs disparitatem reddentibus ex eo, quod oppositio disparata inter cætera divina prædicata est solum virtualis, seu ex natura rei, qua ratione non infert naturalem distinctionem inter illa, inter filiationem verò, & relationem spirati est oppositio disparata realis. Occurrit inquam, & directe: nam quod inter cætera divina prædicata sit solum oppositio disparata virtualis, non aliunde provenit, his ex infinitate, & summa illorum actualitate, quæ non minus transcendent filiationem, & relationem spirati. In modo inter filiationem, & relationem spirati non est oppositio disparata realis, quia oppositio disparata ex genere suo, & secundum proprios formales conceptus, aliter etiam erit oppositio disparata realis inter misericordiam, & justitiam, amorem, & sapientiam, intellectum, & voluntatem. Nec quia oppositio disparata relationum, aliter etiam erit oppositio disparata realis inter paternitatem, & relationem spiratoris, & similiter inter relationem spiratoris, & filiationem: ergo non est, unde proveniat, & relationem spirati sit realis.

14 Dicere autem esse realem propter diversum modum totalem accipendi eandem naturam, scilicet per modum nativitatis, & processionis, est supponere nativitatem Filij, & processionem Spiritus Sancti realiter etiam in illa hypotesi distinguui, immo cum processiones in divinis non sint realiter distinctæ, nisi ratione relationum, quibus modificantur, dicere inter Filium, & Spiritum Sanctum in ea hypotesi fore oppositionem disparatam realem propter diversum modum totalem accipendi eandem naturam, est dicere inter Filium, & Spiritum San-

Sanctum in ea hypotesi fore oppositionem disparatam realem propter distinctionem naturalem filiationis, & relationis spirati; cum tamen de hoc sit quæstio. Unde confirmat. impugnatio supra facta ex D. Thom, quod nimis oppositione disparata supponit distinctionem, non eam causat, nec potest esse prima distinctionis ratio inter Filium, & Spiritum Sanctum ex hoc, quod Filius est genitus, non verò Spiritus, & Spiritus Sanctus est spiratus, non verò genitus, nisi præ-intelligatur distinctio inter generationem, & spirationem, & inter Filium, & Spiritum Sanctum.

Ojiciuntur, & solvantur argumenta.

15 **S**ed contra resolut. objicies 1. etiam si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, processio Spiritus Sancti differret à processione Filii: ergo adhuc ab illo realiter distingueretur. Autecced. videtur certum, nam processio Filii esset à Patre per intellectum, unde procederet ut genitus; processio verò Spiritus Sancti esset à Patre per voluntatem, unde procederet, ut spiratus: conseq. verò probat. Nam in divinis Personæ realiter distinguuntur secundum diversum modum originis, unde Ricardus de Sancto Victore 4. de Trinit. dicit: Personæ secundum originem differunt, quod unus originem habet, alter origine caret, vel si originem habet, origo unius differt ab origine alterius. Si ergo in illa hypothesi processio, seu origo Spiritus Sancti distincta esset à processione Filii, adhuc procederet, ut realiter ab illo distinctus.

16 Confirmatur: impossibile est, quod una persona secundum unam naturam pluribus processionibus procedat, quia persona per id, quod procedit, naturam accipit, unde quia filius habet duas nativitates, eas habet secundum diversas naturas; sed in divinis in ea hypothesi essent duæ processiones, una, quæ esset generatio, & altera, quæ esset spiratio: ergo impossibile est, quod una, & eadem persona secundum unam, & eadem naturam in ea hypothesi illis duabus processionibus procederet: essent ergo personæ realiter distinctæ. Quibus adde autoritatem Ansælini lib. de processione Spiritus Sancti cap. 1. sic dicentis: Habet utique à Patre esse Filius, ac Spiritus Sanctus sed diversimode, quia alter nascendo, alter procedendo, ut per hoc sint adinvicem. Et postea subdit: Nam si per aliquid, non essent plures Filius, & Spiritus Sanctus.

17 Ad argument. resp. disting. anteced. Processio Spiritus Sancti differret à processione

Filii virtualiter, seu secundum proprium, & formale conceptum, conced. realiter, nego. Nec oppositum convincit probatio adducta, sed potius solutionem confirmat, namque activa processio Filii esset etiam per intellectum, sicut & activa processio Spiritus Sancti est etiam per voluntatem, illaque esset generatio; hæc verò spiratio; & tamen inde non licet inferre realiter inter se distingui, cum ad eandem personam Patris pertineat, & hoc ideo ut supra ponderavimus, quia distinctio ex genere, & secundum proprios formales conceptus non inferat in divinis distinctionem realem; sed tantum virtualem, seu ex natura rei ratione infinitatis, nisi aliunde ob sit relativa oppositio, quæ non obest in activa generatione, cum in ea non sit alterius principium, & propter eandem rationem nec obest in passiva generatione, & spiratione, si Spiritus Sanctus à Filio non procederet. Hinc consequenter in illa hypothesi processio Filii realiter esset spiratio; & similiter processio Spiritus Sancti realiter esset generatio, licet non virtualiter, seu secundum proprios formales conceptus, quia processio Filii, ut talis esset per intellectum; qui virtualiter & secundum proprium conceptum formale differt à voluntate, à qua esset processio Spiritus Sancti. Et similiter Filius in ea hypothesi esset realiter spiratus, licet non sub formalitate Filii; & Spiritus Sanctus esset realiter genitus, licet non sub formalitate Spiritus Sancti propter eandem rationem.

18 Nec valet: quod secundum Thomist. quamvis Spiritus Sanctus procedat in similitudinem naturæ identicè, non tamen propterea ejus processio est generatio identicè, quia generatio non est, quæ formaliter generatio non est: vel ergo processio Spiritus Sancti in ea hypothesi formaliter est generatio, vel nec esset generatio identicè. Non, inquam, valet: nam ideo ibi assertur: quod generatio non est, quæ formaliter generatio non est, quia generatio est origo viventis à vivente in similitudinem naturæ formaliter, & ex vi processionis, propterea que si non est origo in similitudinem naturæ formaliter, & ex vi processionis, eo ipso non est generatio, quamvis sit origo in similitudinem naturæ identicè. Nos autem non assertimus in praesenti processionem Spiritus Sancti in data hypothesi fore generationem realiter, & identicè, quia esset processio in similitudinem naturæ identicè, sed quia esset realiter cum generatione Verbi identificata, unde in eodem sensu assertimus Spiritum Sanctum fore in eo casu Filium, & identicè genitum.

19 Ex quibus patet ad 1. confirmation. est quidem impossibile, quod unam personam se-

undum unam rationem pluribus processionibus realiter distinctis procedat, & in hoc tenui nec assignat disparitatem Scotus inter activas, & passivas productiones, quod scilicet unum potest dare esse pluribus; non tamen potest accipere esse plures, nisi forte delierit esse: unde quia Christus duas habuit nativitates realiter distinctas, eas habuit secundum duas naturas. In hypothesi autem data non essent due passivæ processiones realiter distinctæ, sed solum virtualiter, seu ex natura rei unde possent pertinere ad eandem personam, & secundum eandem naturam; sicut & ad eandem personam Patris, & secundum eandem naturam pertinent activa generatio, & activa processio, seu spiratio; immo cum processio passiva adæquate cum termino identificetur, implicat, quod processiones passivæ virtualiter solum distinguantur, & termini distinguantur realiter.

20 Nec valet: quod in illa hypothesi Filius per generationem, quæ prior talitem origine virtuali esset processione Spiritus Sancti, supponeretur adæquate productus, & consequenter per processionem origine virtuali posteriorem, non Filius, sed persona ab illo realiter distincta producetur. Non, inquam, valet: nam licet supponeretur adæquate productus sub formalitate, seu virtualitate Filii, non tamen realiter secundum omnem formalitatem fibi identificatam; quia non supponeretur productus secundum passivam spitationem, seu relationem spirati, quam in ea hypothesi secum identificaretur: hinc licet generatio, tunc esset adæquata, & totalis actio productiva Filii secundum virtualitatem Filii, non tamen realiter considerati, quia tunc sicut procederet, ut secum identificans relationem spirati, sic adæquate realiter procederet per generationem, & spitationem, sicut, & per intellectum, & voluntatem.

21 Nec etiam valet: quod processio per voluntatem essentialiter petit pro termino proprietatem constituentem personam, nimis impudicum, seu amorem personaliter subsistente. Non etiam valet: nam licet hoc verum sit de processione à Patre, & Filio, ut de facto contingit, quia ex ipso procedit, ut amor relative oppositus Patri, & Filio, & consequenter ut Patri, & Filio incommunicabilis; non tamen de processione a solo Patre, quia tunc sicut non procederet, ut amor relative oppositus Filio, nec procederet, ut incommunicabilis Filio, proinde nec est proprietas personalis, nec personam constitueret, sed adveniret personæ Filii jam constitutæ per filiationem, sicut & ratio spiratoris advenit personæ Patris jam constitutæ per paternitatem.

22 Ad testim. Anselm. resp. D. Thom. q. 10. de potent. art. 5. ad 2. duplicitè: Primo, quod id, quod dicit Anselmus, quod Filius, O. Spiritus Sanctus per nos solum adivice in distinguntur, quod diverso modo procedunt, est omnino verum; sed sicut ostensum est, diverso modo procedere non possent, nisi Spiritus Sanctus a Filiu esset; unde remoto, quod Spiritus Sanctus à Filiu sit, omnino distinctione Spiritus Sancti removetur à Filiu. Ac si diceret: Si Spiritus Sanctus à Filio non sit, uterque nascitur, & uterque procedit; undè non possunt distinguui, quia alter nascendo, alter procedendo, à Patre habet esse, immo non est alter, & alter; undè si distinguuntur, quia alter nascendo, & alter procedendo habet esse, ideo est, quia Spiritus Sanctus est à Filio; & sic remoto, quod Spiritus Sanctus à Filio sit, omnino distinctione Spiritus Sancti removetur à Filiu.

23 Secundo resp. Div. Thom. quod intentione Anselmi in libr. de proces. Spiritus Sancti fuit: Prius ponere ea, in quibus nos convenimus cum negantibus, Spiritum Sanctum à Filio esse, quia tamen Spiritum Sanctum à Filio dicunt distinguiri: unde verba predicta Anselmi industa sunt magis, ut disputativa suppositio, quam veritatis affinitatio. Pro cuius declaracione nota, quod Anselm. cap. 1. citat. in argum. nondum intenderat sententiam suam contra Græcos manifestare, nemirum Spiritum Sanctum à Filio procedere; de hoc enim agit cap. 2. sequenti: solum ergo intendebat ponere ea, in quibus Latini cum Gracis conveniebant, quorum præcipuum erat realis Filii ab Spiritu Sancto distinctione: ac proinde, cum dicit Spiritum Sanctum per hoc solum à Filio sufficienter distinguiri, quod alter nascendo habet esse à Patre, alter vero procedendo, hoc non dicit ex propria sententia, & quasi veritatem diffinendo: alias sibi aperte contrariaretur, ut patet ex locis ipsius pro nostra sententia allatis, sed veluti disputationis gratia sententiam Græcorum supponendo.

24 Secundo objicies: in dicta hypothesi Filius maneret Filius: ergo & realiter distinctus ab Spiritu Sancto. Anteced. supponitur, conseq. vero prob. De facto Filius distinguitur realiter ab Spiritu Sancto per filiationem: si ergo in data hypothesi maneret Filius, maneret ab Spiritu Sancto distinctus. Conseq. patet. Namque perseverante ratione formalis distinctionis non potest non distinctione ipsa permanere. Antecedens autem probatur. Nam ea est ratio formalis distinguendi, que est ratio formalis constituerendi; unde, quia per relationes constituantur personæ, per relationes etiam distinguuntur, sed

ratio formalis constituendi Filium est sola filiatione ergo.

25 Nec valet: quod ratio formalis constituendi Filium est filiatio, ut relativè opposita, ut sic enim solum est proprietas personalis, sicut & incomunicabilis, in dicta autem hypothesi filatio nona constituere Filium, ut relativè opposita Spiritui Sancto, sed solum Patri, & sic licet esset ratio formalis constituendi Filium, sed non distinctum ab Spiritu Sancto. Non, inquam, valet: namque filiatio de facto constituit Filium realiter distinctum ab Spiritu Sancto: si ergo de facto per filiationem non ei opponitur relativè cum per filiationem non ad Spiritum Sanctum, sed ad Patrem solum referatur, consequenter oppositio relativa necessaria non est ad distinguendum realiter Filium ab Spiritu Sancto, sed sufficit disparata.

26 Ad argument. respond. communiter Thomist. disting. illud anteced. de facto Filius realiter distinguitur ab Spiritu Sancto per filiationem, quatenus radicantem relationem spiratoris, concedo: per filiationem sub expressio filiationis conceptu, nego. In hypothesi autem data maneret filiatio sub expressio filiationis conceptu, non vero sub conceptu, & munere radicis relationis spiratoris, & sic non perseveraret ratio formalis distinctionis, quae de facto est. Unde consequenter dicunt, quod licet de facto Filius per filiationem non opponatur relativè formaliter Spiritui Sancto, benè tamen radicaliter, seu connexivè, & exactivè, quatenus filiatio, sicut & paternitas ex proprio, & formalis conceptu radicat, & exigit relationem spiratoris referentem formaliter, & cum ea connectitur.

27 Sed hæc solutio mihi maximam ingredit difficultatem: tum quia hucusque Thomistæ per oppositionem relativam, sicut intelligunt oppositionem relationis formaliter ut relatio est, sic intelligunt oppositionem relativam formalem, & nedium radicalem, & de hoc procedit proloquium illud in divinis, omnia sunt unum, &c. Oppositio ergo radicalis filiationis cum relatione spirati non sufficit ad realiter distinguendum ab Spiritu Sancto. Immo hæc distinctione de facto est formalis: ergo ab oppositione formalis relativa provenire debet, namque distinctione in divinis in oppositione relativa consistit, eoque modo una persona ab alia distinguitur, quo ei relativè opponitur. Item essentia divina etiam est radix paternitatis, per quam Pater realiter à Filio distinguitur, eique relativè opponitur; & tamen non propterea Pater per essentiam divinam distinguitur realiter à Filio: ergo.

28 Nec valet: quod divina essentia est ra-

dix omnium relationum, omnibusque personis communis, filiatio vero est radix peculiaris relationis spiratoris, & non alterius, proindeque est forma specialis alicuius persona. Non, inquam, valet: tum quia quod essentia divina sit radix communis omnium relationum, non tollit, quod per eam Pater radicaliter referatur ad Filium: ergo nec quod per eam Pater radicaliter opponatur relativè Filio: si ergo hoc non obstante per eam Pater realiter à Filio non distinguitur, nec distinguitur etiam per filiationem realiter Filius ab Spiritu Sancto, quamvis per filiationem radicaliter Filius referatur ad Spiritum Sanctum, eique radicaliter relativè opponatur; unde quod insertur ex eo, quod divina essentia sit radix omnium relationum, tribusque Personis communis est, quod sicut per eam radicaliter adinvicem tres personæ referuntur, & opponuntur, sic per eam radicaliter adinvicem distinguuntur, si temel sufficit oppositio radicalis realiter distinguere personas.

29 Tum etiam, quia filiatio non eo distinguunt Filius ab Spiritu Sancto, quia forma specialis personæ, aliter etiam sub expressio conceptu, & munere filiationis eum ab Spiritu Sancto distingue: ergo quod essentia divina communis sit tribus Personis; filiatio vero sit forma specialis personæ, nihil facit ad propositum, & tota ratio distinguendi erit radicatio relationis spiratoris. Deinde singamus casum, quod in nostra hypothesi filiatio maneret radicaliter, & exactivè spirativa, non tamen haberet adjunctam actualem spirationem eo modo, quo in communi sententia natura humana de potentia absoluta potest manere radicaliter intellectiva, & volitiva, & non actualiter: in hoc ergo casu interrogo, vel Filius distinguatur realiter ab Spiritu Sancto, vel non? Si primum? Ergo distinguatur realiter ab illo, etiamsi ab illo non procederet, cum procedere non possit absque actuali spiratione; si vero secundum? Ergo signum evidens est filiationem per radicem actuæ spirationis non sufficienter realiter distinguere Filius ab Spiritu Sancto. Sed dices cum Lisbonensi: quod radicalis oppositio sine actuali relatione saltem comitante nihil operatur ad distinctionem, & modo filiatio radicaliter distinguere esse, quia retinet relationem spiratoris. Sed contra est. Nam si modo distinguunt, quia retinet relationem spiratoris, & in eo casu non distinguueret, quia non retinet illam, quamvis retineret esse radicaliter spirativam: ergo signum evidens est, quod non per radicationem spirativam, sed per ipsam actualem spiratoris relationem, sicut quia secundum ipsos modos distinguunt, quia radicaliter spirativa, & in nostra

hypotesi non esset radicaliter spirativa, quamvis esset filatio sub expresso munere filiationis non per eam at sic distinguit, sed per radicationem spirationis.

30 Tandem praedita solutio rejicitur; nam non minus communis est Patri, & Filio relatio spiratoris, quam commune est paternitati, & filiationi radicare relationē spiratoris; sed quia relatio spiratoris communis est Patri, & Filio, non potest Filium realiter ab Spiritu Sancto distinguere, ut enim ipsi dicunt, talis distinctio est personalis, & personalis distinctio Filii ab Spiritu Sancto non potest provenire à relatione communi Patri, & Filio: ergo non potest Filium a b Spiritu Sancto realiter distinguere filatio, ut radicans relationem spiratoris. Dices: quod licet conceptus radicis, ut sic communis sit paternitati, & filiationi; talis tamen conceptus radicis, scilicet per modum verbi peculiaris est filiationi, & iste est, sub quo filatio personaliter distinguit Filium ab Spiritu Sancto. Sed contra est 1. nam pariter & nos possumus respondere. Quod licet ratio spiratoris, ut sic communis sit Patri, & Filio, talis tamen relatio spiratoris scilicet radicata in filiatione, & ab ea radicaliter procedens peculiaris est filio, & sub hoc personaliter Filii ab Spiritu Sancto distinguit. Deinde cum dicitur, talis conceptus radicis, vel ly talis appellat supra filiationem sub expresso conceptu filiationis, vel supra filiationem sub conceptu radicis activae spirationis? Si hoc secundum, est dicere talem conceptum radicis peculiarem esse filiationi, quia talis concepus radicis peculiaris est filiationi. Si primum? Ergo jam peculiaritas reducitur in filiationem sub expresso conceptu, & munere filiationis, & consequenter etiam distinctio.

31 Hac ergo soluta relata respond. ad argumentum, cum Cajet. doctrina supra relata distinguit, illud anteced. ea est ratio formalis distinguendi, quæ est ratio formalis constituendi, si ratio formalis constituendi sit absoluta, concedo, si relativa sit, subdistingo: ea est ratio formalis distinguendi à correlativo, quæ est ratio formalis constituendi, concedo, distinguendi ab alijs preter correlativa, nego. Unde cum filatio sit ratio formalis constituendi Filium relativè ad Patrem, solum infertur, quod ratio formalis distinguendi Filium à Patre sit filatio; non vero ab Spiritu Sancto, qui Filii, ut talis correlativum non est. Itaque ut supra diximus ex Cajet. impugnando solut. Scotti, inter rationem absolutam, & relativam hoc interst. discrimen, quod ratio absoluta, sicut constituit rem in se ita illam distinguere secundū se, & consequenter ab omnibus alijs. Relatio vero sicut constituit

rem in ordine ad aliud, scilicet correlativum, sic eam solum à correlativo distinguit: cum ergo filiationis correlativum sit tantum Pater, solum per filiationem Filius à Patre distinguitur; ab Spiritu autem Sancto distinguitur per relationem spiratoris, quia per hanc solum ad Spiritum Sanctum refertur, sicut si Filius posset alterum Filium generare, non ab eo distinguere, quia genitus, & Filius sui Patris, sed quia genitor, & Pater illius.

32 Sed insurges contra r. relatio non solum à correlativo, sed etiam ab alijs preter correlativum distinguit: ergo filatio est nulla. Prob. antec. namque relatio similitudinis, qua unum album ad aliud album refertur, non solum illud ab alio albo sibi opposito distinguit, sed etiam à quibuscumque albis, sive relativis, sive absolutis: ergo. Secundò insurges cum Oxom. & Gonet: nam cum Div. Thom. quest. 10. de potentia art. 5. ibi objecisset, quod filatio est proprietas Filii illum distinguens realiter à processione, cui tamen relative non opponitur, respond. non negando filiationem illum distinguere realiter ab Spiritu Sancto; sed dicit, quod filatio, licet non opponatur relative, processio tamen relativè opponitur Filio; at si distinctio Filii ab Spiritu Sancto à filiatione non esset, sed à relatione spiratoris, facilius argumento facto occurret, negando filiationem realiter distinguere Filium ab Spiritu Sancto, licet ipsum in ratione personæ constitueret: ergo. Tertiò: distinctio realis Filii ab Spiritu Sancto personalis est: ergo à prioritate personali debet tanquam à ratione formalis præstari; at spiratio activa non est personalis proprietas, tūm quia id expressè docet D. Thom. 1. ad Anibald. dist. 27. quest. 1. art. 1. ad 3. tūm etiam, quia communis est Patri, & Filio; proprietas autem personalis unius personæ debet esse propria. ergo. Quartò: filatio ratione sui est incommunicabilis realiter Spiritui Sancto; alias ratione sui personalitas non esset: ergo ratione sui Filium realiter ab Spiritu Sancto distinguit. Tandem: nam distinctio realis Filii ab Spiritu Sancto est distincta à distinctione reali Patris ab eodem Spiritu Sancto; alias personalis distinctio non esset: ergo non à forma, quæ in Patre, & Filio eadem sit, sed à forma realiter distincta debet provenire.

33 Sed hæc omnia nullam mili ingerunt difficultatem, & ad 1. resp. ex dict. distinguend. anteced. ab alijs preter correlativum realiter distinguunt, ut relatio est, id est, distinctione propria relationis, quæ est relativa, nego anteced. ut hoc ens est, id est, distinctione disparata communis rationi relativæ, & absolutæ, subdividunt in ceteris propter illius finitatem, & limitatio-

nem, conced. in divinis neg. Quę solutio patet ex dictis:namque in divinis relatio ratione infinitatis, & summae actualitatis non realiter distinguit, ut hoc ens, sed ut relatio, proindeque distinctione propria relationis:omnia enim sunt unum, ubi non obviat relativa oppositio, licet in creatis ratione infinitatis, & limitationis realiter distinguat distinctione sibi, & absolutis communis, quatenus taliter est hoc ens, quod non sit aliud.

34 Ad 2. retorico argumentum, sicut enim Div. Thom. facilius argumento facto occurret, neg. filiationem realiter distingue Filium ab Spiritu Sancto, ita facilius ei occurret dizendo, quod licet filatio formaliter, seu expresso filiationis conceptu non opponatur relativè processioni, bene tamen radicaliter, seu sub conceptu radicis spirationis; & tamen hoc non respondet, quinimò potius absolute concedit, quod filatio non opponitur relativè processioni:ergo. Deinde secundum D. Thom. propterea Filius realiter ab Spiritu Sancto distinguitur, quia licet filatio non opponatur relativè processioni; processio tamen relativè opponitur Filio; sed processio relativè non opponitur Filio, ut Filio, sed ut spiratori, namque, ut ipsi dicunt contra Suarez, ratio formalis terminandi est ratio formalis referendi, quo circa relationes formaliter ad relationes terminantur, immo aliter relationi spirati duplex ratio formalis terminandi responderet, paternitas scilicet & filatio, quod est falsum, alias relatio spirati una specificè non esset, cum relationes speciem fortiantur à terminis formalibus: ergo in predicta solutione potius est pro nobis.

35 Ad 3. resp. distinguend. antec. distinctio realis Filii ab Spiritu Sancto est personalis; quia distinctio realis in persona Filii, conc. antec. quia distinctio realis à correlativo proprietatis personalis Filii, nego antec. & conseq. Namque proprietas personalis in divinis, cùm sit formaliter relatio, solum realiter à correlativo distinguit, ac proinde solum distinctio à correlativo proprietatis personalis ab ipsa proprietate personali procedit: unde quia distinctio realis Filii à Patre est distinctio à correlativo filiationis, quæ est proprietas personalis Filii, talis distinctio à filiatione tanquam à ratione formalis præstatur, cùm ergò distinctio realis Filii ab Spiritu Sancto non sit distinctio à correlativo proprietatis personalis Filii, quia hoc est solus Pater, consequenter à proprietate Filii procedere nequit: unde distinctio realis Filii ab Spiritu Sancto dicitur personalis, non quia à proprietate personali Filii procedat, sed quia est distinctio in persona Filii ratione rela-

tionis spiratoris. Pro cuius majori intelligentia nota doctrinam iphas Cajet.hic: *Quod distinguere personaliter, cum sit facere formaliter personam distinctam ab alia, contingit duplificiter, uno modo, ita quod faciat utrumque scilicet personam, & distinctionem: alio modo, ita quod faciat alterum scilicet distinctionem in persona, sicut diximus, quod duplice contingit facere donum albam, vel faciendo utrumque, vel jungendo unum alteri, quod igitur distinguit personaliter faciendo totum, & singulas partes, oportet esse de ratione personali; tale autem non est spiratio. Quod autem distinguit personaliter faciendum totum ratione unius partis in alia, non oportet esse de ratione personali, sed satis est, quod sit notio personæ relativa.*

36 Ad 4. neg. filiationem ratione sui esse realiter incomunicabilem Spiritui Sancto, namque filatio, ut sic solum suo correlativo, cum quo oppositionem haberet, incomunicabilis est, qua ratione non est incomunicabilis spiratori, quia cum eo oppositionem non habet. Nec inde infertur ratione sui personalitatem non esse, namque quod personalitas Filii sit incomunicabilis Spiritui Sancto, hoc non habet ratione sui, sed ratione adjuneti, nempè activæ spirationis, ratione cujus Spiritui Sancto relative opponitur: quod enim persona sit incomunicabilis, intelligitur alteri à se distinctor, ac proinde ratione illius, ratione cujus constituitur realiter distincta est ei incomunicabili, quo circa oportet prius probare, quod Spiritus Sanctus sit realiter distinctus à Filio, ut probetur filiationem esse ei realiter incomunicabilem.

37 Ad 5. tandem dicimus, quod distinctio realis Filii ab Spiritu Sancto est distincta à distinctione reali Patris ab eodem substractive considerata, hoc est quantum ad supposita, inter quæ versatur, quia suppositum Patris realiter distinguitur à supposito Filii, non tamen formaliter considerata; quia ratio formalis distinguendi est una, & eadem, nimis ratio spiratoris. Nec obstat, quod talis distinctio est personalis, nam solum est personalis, quia est distinctio in persona Filii, non verò quia procedit à proprietate personali illius; & sic quod sit personalis, non obest, ut à forma, quæ eadem est in Patre, & Filio, procedat.

38 Tertiò objicies: in hypothesi, quod Spiritus Sanctus à solo Filio procederet, adhuc distinguetur realiter à Patre: ergò etiam si à solo Patre procederet, distinguetur realiter à Filio. Antec. constat. Nam si Spiritus Sanctus in ea hypothesi identificaretur cum Patre, sicut Spiritus Sanctus à Filio realiter procede-

ret, etiam ab eo realiter procederet Pater cum eo identificatus: unde cum aliundē Filius realiter à Patre procederet, jam inter Patrem, & Filium esset mutua realis processio, quæ inintelligibilis est. Conseq. verò etiam pater, nam eo ipso salvaretur realiter distinctio inter Patrem, & Spiritum Sanctum sine relativa oppositione, & consequenter ex defectu prædictæ oppositionis, qui foret causa, quod Spiritus Sanctus à Filio non procederet, per terram infertur Spiritum Sanctum à Filio realiter distinguendum non esse. Confirmatur: in prædicta hypothesi catenus Spirites Sanctus distinguetur realiter à Patre, quia Pater ex se innascibilis est, nam ex hoc habet, quod non possit ab alia persona procedere, quod Spiritui Sancto convenire nequit; sed etiam Filius ex se inspirabilis est, est, quod Spir. Sancto convenire nequit: ergò etiam in nostra hypothesi Filius realiter distinguetur ab Spiritu Sancto.

39 Ad argum. respond. facile, quod in eō casu sicut Filius procederet à Patre, Spiritus Sanctus à Filio immediatè procedens mediate etiam à Patre procederet, licet non immediata. Ex hoc enim, quod Filius à Patre procedit, ab eo recipit virtutem ad spirandum Spiritum Sanctum; unde adhuc tunc salvaretur, quod Pater est fons, & origo personarum in divinis, & consequenter licet inter Patrem, & Filium non esset oppositio relativa immediata, esset tamen oppositio relativa mediata, vel licet non esset oppositio relativa formalis, esset tamen oppositio relativa virtualis, nam Pater hoc ipso, quod daret Filio relationem spiratoris, eam virtualiter contineret; proptereaque in ea hypothesi Spiritus Sanctus à Patre realiter distinguetur. In nostra autem hypothesi inter Filium, & Spiritum Sanctum neque esset oppositio mediata, vel virtualis, & consequenter nec inter se ullo modo distinguenter.

40 Nec valet, quod essentia divina dat Patri paternitatem, quia hæc immediate resulat ab essentia; & tamen non propter ea media-ta opponitur Filio. Non, inquam, valet: namque essentia non dat Patri paternitatem per processionem, & oppositionem cū Patre, sicut dat Filio relationem spiratoris per processionem, & oppositionem cū illo, sed solum per virtualem emanationem, sicut attributa emanant ab essentia, & sic non est eadem ratio. Nec hinc inferas Spiritum Sanctum in eo casu mediate solum, non verò immediate à Patre realiter intrinsecè distinguui, quod vide-tur fieri non posse, nam sicut unumquidque immediate per suam entitatem intrinsecè con-sistitur, sic immediate per suam entitatem à quolibet alio debet realiter intrinsecè distinguui.

M. Carrafo.

Non, inquam, inferas: nam Filius, medio quo relative opponitur Patri, non mediaret tunc tanquam forma intrinseca Spiritum Sanctum à Patre distinguens, sed hæc esset solum relatio spirati, sed mediaret solum ut principium extrinsecum productivum illius; & sic semper im-mEDIATE à Patre intrinsece realiter distinguere-tur, nedum ly immediate excludente Filium ut formam intrinsecam distingutivam illius, licet non ly immediate excludente ipsum ut princi-pium extrinsecum productivum.

41 Ad confirm. neg. quod Spiritus Sanctus in ea hypothesi distinguetur à Patre, quia Pater ex se innascibilis est, essentia enim divina ex se innascibilis est; & tamen non propter ea realiter à Filio, vel Spiritu Sancto distinguitur, & hoc ideo, quia essentia divina licet ex hoc, quod innascibilis est, habeat, quod non possit ab alia persona procedere, non tamen quod non possit persona procedenti communicari: ergò à simili Pater ex hoc, quod innascibilis est, non habet, quod non possit persona procedenti communicari, & cum ea identificari, licet ex hoc habeat, quod non possit ab alia per-sona procedere.

42 Quartò, & ultimò objicies. Etsi Spiritus Sanctus à Filio non procederet, adhuc tam-en Filius esset conditio, sine qua non proce-deret à Patre; at hoc sufficit, ut à Filio realiter distinguatur: ergò Maj. pat. Nam Verbum, scilicet, & intellectio obiecti administris est conditio, sine qua non ad elicientiam amoris, cū tam-en in Divinis Filius sit Verbum, & Spiritus Sanctus Amor. Min. verò prob. Nam quia Ver-bum creatum ad creatum Amorem requiritur, ut prævia conditio, licet ab eo efficienter non procedat, Amor creatus à creato Verbo realiter distinguitur: ergò à simili Amor increatus à Verbo increato propter eandem rationem. Quod & potest confirmari, ex quo Paternitas solum ut conditio, seu ut complementum prin-cipiij concurrevit defactò in divinis ad Filij pro-ductionem; non enim est principium produc-tivum illius, ut dub. 1. diximus, & tamen realiter à Filio distinguatur: ergò.

43 Sed respond. conced. major. & negan. minor. Namque etiam in Divinis intellectio essentialis est indispensabilis conditio ad amo-rem essentialem, cū tamen amor essentialis realiter ab intellectione essentiali non distin-guatur: utide ad probationem negamus, crea-tum amorem à Verbo creato realiter distinguui, quia Verbum ad illum requiritur, ut prævia conditio, sed ab eo realiter distinguuntur pu-re ratione finitatis, & limitationis; sicut & solum ratione finitatis, & limitationis distin-guitur in creatis intellectus, & voluntas, cū

Ddg

tamen

tamen in divinis propter infinitatem, & summa actualitatem realiter identificentur.

44 Et ex hoc patet ad confirmationē, quod enim paternitas à Filio realiter distinguitur, procedit, non ex quo concurrit ad generationē Filij ut conditio, seu ut complementum principij, sed quia est ipsa ratio referendi Patrem ad Filium, ipsaque Patis ad Filium relativa oppositio. Nec valet, quod paternitas ut forma est constitutiva Patris non est ratio referendi Patrem ad Filium, nec Patris ad Filium relativa oppositio, quia non est forma constitutiva Patris, nisi sub ratione formae hypostaticae, quod habet secundum conceptum in, & non secundum conceptum ad, & tamen adhuc ut constitutiva Patris à Filio realiter distinguitur. Non, inquam, valeat nam in relatione conceptus in, & conceptus ad, non sunt conceptus adæquate distincti, sed inadæquate solum, & penes diversa munera ejusdem formalitatis; sicut in natura distinguitur ratio naturæ, & ratio essentiæ, quia ut essentia est ad se, & ut natura est radix proprietatum, & operationum. Ac proinde prædicti conceptus sunt solum distincti quoad explicitum; non verò quoad implicitum, seu essentialiter, & objective; unde & conceptus in essentiæ implicat, & includit conceptum ad. Et hac ratione paternitas secundum conceptum in secundum quem solum fortitur rationem formæ hypostaticæ, realiter à Filio distinguitur, licet secundum eum nec sit explicite ratio referendi Patrem ad Filium, nec relativa unius ad aliud oppositio.



### DUBIUM V.

*Qualiter Divine Personæ constituantur per relationes?*

**E**X titulo patet controversiam esse inter Thomistas, pluraque supponere. Et quidem primo divinas personas habere sua propria constitutiva, quibus inter se distinguuntur, opponuntur, & incommunicabiles redduntur; quæ proinde vocantur proprietates personales: persona enim juxta Boetium, est rationalis naturæ individua substantia: individua, id est subsistens in natura rationali incommunicabiliter, quo modo etiam subsistunt in natura divina divinae personæ, quatenus propter oppositionem relativam cum alia una est alteri incommunicabilis, & cum ea incompossibilis. Hinc supponimus secundo tale constitutivum consistere non posse in aliquo absoluto essentiali, namque omnia

absoluta essentia communia sunt tribus personis; nemo enim discernitur ab alio per id, in quo convenit cum illo. Relinquitur ergo tale constitutivum debere pertinere ad notionalia propria uniuscujuslibet personæ. Quæ dividuntur in relativa, & absoluta, relativa ut relatio paternitatis in Patre, relatio filiationis in Filio, & relatio spirati in Spiritu Sancto. Absoluta, ut generatio in Patre, nativitas in Filio, & spiratio passiva in Spiritu Sancto. Notionaliaque absoluta ultra dividuntur in negativa, & positiva: positiva, ut relata, negativa, ut innascibilitas in Patre, inspirabilitas in Filio, & infæcunditas in Spiritu Sancto. Supponimusque tertio tale constitutivum consistere non posse in aliquo notionali negativo: ut pote negatio non potest esse forma constitutiva constituti positive talis, quale est persona divina. Et si dicas: quod concepta innascibilitate, vel ratione ingeniti in Patre, concipitur ut prima persona: respondeo, quod concipitur ut prima persona, negative duntur; id est, quod non sit alia prior ipsa, secus tamen positive, id est, quod alia persona illam subsequatur per generationem: immò concipitur ut prima persona, sed innominata, non Patris, sicut si dicerem primum hominem, non Adamum. Necnon etiam supponimus prædictum constitutivum consistere non posse in notionali aliquo positivo absoluto: namque constitutivum personæ debet significari, & concipi per modum permanentis; prædicta autem notionalia concipiuntur, & significantur per modum formæ transeuntis à re in rem: v. g. generatio à Patre in Filium; nativitasque, & spiratio passiva per modum tendentiae ad Filium, & Spiritum Sanctum tanquam ad terminum: immò ex hoc generatio supponit in Patre personam constitutam, quia unumquodque operatur, in quantum est in actu; & nativitas in Filio, & spiratio passiva in Spiritu Sancto antecedunt eorum constitutiva, sicut via, & tendentia ad terminum ex proprio, & formalí conceptu antecedit terminum.

2 Relinquitur ergo prædicta constitutiva pertinere debere ad notionalia relativa propria uniuscujuslibet personæ: v. g. Patrem constitui personaliter per paternitatem, Filium per filiationem, & Spiritum Sanctum per relationem spirati. Quam sententiam tenent communiter, & frequentius Theologi hujus temporis, & præcipue Thomista cum D. Thom. pluribus locis, ut videre est apud PP. Salmantenses, Lissbonensem, Oxomensem, & alios. Cujus fundamentum colligitur ex dictis: nempe eamesse rationem formalem constitutivam personæ, quæ est ratio formalis eam constituendī subsi-

stet.

Nentem incommunicabiliter, quæ non est alia præter relationem, quæ propter oppositionem relativam Patris cum Filio, Patrem reddit incommunicabilem Filio, unumque cum altero incompossibilem. Quia tamen statim se offert argumentum, quod paternitas supponit generationem tanquam illius fundamentum, & generatio supponit personam Patris constitutam, quia unumquidque operatur, inquitum est in actu: à fortiori ergò paternitas eam constitutam supponit. Authores in diversos modos dicendi abierunt, ut salvent personam Patris per paternitatem constitui, quamvis ante generationem, seu pro priori ad illam constituta supponatur. Et hoc est, quod inquirimus in praesenti: qualiter scilicet personæ divinæ per relationes constituentur.

3. Et quidem relictis alijs modis fere jam à recentioribus Theologis rejectis, & viribus impugnatis, præcipuis, quo in hac tempestate Thomistæ utuntur, est distinguere in relatione paternitatis duplē conceptum inadæquatum sub quorum unum supponit generationem, in qua fundatur, & consequenter personam constitutam; & sub alio eam præcedit, sub quo personam Patris constituit; fundati in D. Thom. hic q. 40. art. 4. in corp. ubi sic expresse habet: *Proprietas personalis Patris potest considerari dupliceiter: uno modo ut est relatio, & sic secundum intellectum præsupponit actum notionali-lem, quia relatio in quantum hujusmodi fundatur super actum: alio modo secundum quod est constitutiva personæ, & sic oportet, quod præintelligatur relatio actui notionali, sicut persona agens præintelligitur actioni.* Et ad i. ait: *Quod cum Magister dicit, quod quia generat, est Pater, accipitur nomen Patris, secundum quod designat relationem tantum, non autem secundum quod significat personam subsistentem; sic enim oportet e converso dicere, quod quia Pater est, generat.* Et q. 29. antecedenti art. 4. in corp. præmisserat: *Hoc nomen persona significat relationem in recto, & essentiam in obliquo; non tamen relationem, in quantum est relatio, sed in quantum significatur hypostasis.* Et ad i. *Hoc nomen persona dicitur ad se, non ad alterum, quia significat relationem, non per modum relationis, sed substantia, quæ est hypostasis.* Distinguit ergò D. Tho. in relatione paternitatis duplē conceptum inadæquatum, alterum illius, ut relatio est, & alterum illius, ut forma hypostatica est: nempe ut subsistens incommunicabiliter, qualiter personam constituit, & sub hoc præcedit generationem; sub alio vero eam ut fundamentum subsequitur.

4. Nunc autem est dissidium inter Tho-  
mistas: sub quo munere relatio sit forma hypo-

statica, seu constitutiva personæ? Namque si paternitas ut relatio est, non est constitutiva personæ, videtur tale constitutivum pertinere ad ipsam sub aliquo absoluto, & non sub aliquo relativo, contra id, quod in praesenti supponimus. Hinc noster Lezana, Oxomensis, Gonet, & alij in manuscriptis, distinguunt in relatione adæquate sumpta, prout nimis distinguitur ab alijs accidentibus absolutis, duplē conceptum inadæquatum, alterum *in*, & alterum *ad*. Munus enim adæquatum relationis, ut relatio est, est referre subjectum, cui inest, ad terminum correlativum; proindeque relatio ut relatio est, respicit subjectum, & respicit terminum, subjectum ut id, quod refert, & terminum ut id, ad quod refert, proindeque hoc secundum munus dicitur *ad*, primum vero *in*, non absolutum, sed relativum, non relativum, adæquate, sed inadæquate; & sic condistinctum ab omni *in* absoluto communi ei, & ceteris accidentibus, qui elicitor modus inherenter. Ex his ergò dicunt predicti AA. quod paternitas in divinis constituit personam secundum munus, seu respectum inadæquatum *in*, quia sub hoc habet eam constitutare in ratione subsistentis incommunicabilis, & sub hoc præcedere generationem. Secundum vero munus, seu respectum inadæquatum *ad*, nec respicit subjectum, nec eum consequenter subsistens incommunicabile constituit; proindeque sub hoc in generatione fundatur, eumque in ratione personæ constitutum præsupponit. Hinc dicunt Div. Thom. per paternitatem, ut relatio est, intelligere paternitatem secundum respectum inadæquatum *ad*; per paternitatem vero ut subsistentem, seu in ratione formæ hypostaticæ intelligere eandem paternitatem secundum respectum inadæquatum *in*. Unde concludunt nihil obesse paternitatem ut relationem præsupponere generationem ut illius fundamentum, ut personam Patris constituat.

5. Aliter autem Cajet, quem sequitur Ll. boniensis, cum alijs distinguat in relatione duplē conceptum inadæquatum, nempe utrumque pertinentem ad paternitatem secundum munus, seu respectum *ad*: namque dicunt paternitatem secundum respectum *ad* posse dupliceiter concipi: videlicet signate, & exercite; exercite, id est, ut exercens ipsum respectum *ad* Filium: signate, id est, ut concepta per modum cuiusdam formæ, & quidditatis, quatenus concipitur ut est id, quo Pater est Pater, seu cum constituit in ratione Patris. Tunc enim consideratur nullo in ea inspecto per modum exercitij relativity: namque licet non sit ratio constituendi Patrem, nisi per ipsum exercitium referendi; tunc tamen ip-

ipsum exercitum referendi concipitur, non ut exercitum est, sed ut quædam ratio formalis est; unde adhuc ipsum exercitum consideratur signate, non exerceite. Unde patet Paternitatem signate conceptam non distingui à se ipsa exerceite concepta, nisi per hoc, quod signate concepta importat ipsum exercitum referendi per modum cuiusdam formæ, & quidditatis; exerceite vero concepta importat illudmet exercitum per modum exercitij, seu ut exercitū est.

6 Quod sit clariss ab exemplis sicut enī relatio consistit in exercitio referendi, quapropter dicitur, quod totum suum est ad aliud se habere; sic pariter aetio consistit in exercitio egressionis ab agente, cuius est actio; quo non obstante possum eam exerceite considerare, ut cum video Petrum currere, & possum eam considerare signate, ut cum dico eam constitutere Petrum in ratione currentis. Pariter existentia consistit in exercitio, quam tamen conceptio exerceite, cām video Petrum à parte rei, & signate cum dico rationem formalē essendi Petrum à parte rei esse existentiam. Item propositio consistit in exercitio significandi, verum vel falsum, quam tamen possum considerare exerceite, ut cum audio, homo est animal, & signate, ut cum dico, homo est animal, est propositio vera, quia significat verum.

7 Nec dubium est, quod paternitas, sive creata, sive increata, constitutat Patrem in ratione Patris; ut sic autem constitutiva Patris necesse est concipi signate, nempe per modum cuiusdam formæ, & quidditatis, quo in conceptu etiam ingreditur exercitum referendi, quia eatenus eum constituit in ratione Patris, quatenus eum constituit relatum ad Filium, quem sic constituit per exercitum referendi. Ipsum ergo exercitum referendi ingreditur constitutivum Patris, sed non exerceite conceptum, prout videlicet exercitum est, sed signate ut forma, & quidditas quædam est. In sensu ergo, in quo paternitas etiam increata signate concepta constituit Patrem in ratione Patris, dicitur paternitatem increatam constituere Patrem in ratione personæ, quia nempe non est accidens, sed per se subsistens, & incommunicabilis proper oppositionem relativam, quam signate importat cum Filio. Et hinc respondent, quod paternitas adhuc secundum respectum ad signate conceptum antecedit generationem; secus vero secundum respectum ad exerceite consideratur, quia sic, & non alter in ea fundatur. Ac tamen D. Thom. nomine paternitatis ut relatio est intelligere paternitatem exerceite sumptam; nomine vero ejusdem, ut forma hypostatica, seu ut constitutiva hypostasis est, intelligere tamen signate conceptam. Inter illos

duos modos dicendi, quis sit probabilius, sequenti resolutione meam mentem aperio. Unde sit.

### RESOLUTIO UNICA.

*Probabilius dicitur divinas personas constitut per relationes secundum respectum ad signate conceptum, quam secundam respectum in.*

8 **E**t in primis slādo litterę D. Thom. hoc est certum: D. Thom. locis præallegatis non explicare, quid intelligat nomine paternitatis, in quantum relatio est, nempe esse eam sub respectu ad, ut sic sub hoc respectu personam non constitut. Nec pariter explicat, quid intelligat nomine relationis, in quantum forma hypostatica est, sub quo personam constituit ergo hoc aliud est investigandum. Et quidem in eadem q. cit. art. 2. cum posuisse secundum argumentum, quod hypostasis significat individuum substantia: non ergo relationibus hypostases distinguuntur. Respod. *Quod Personæ divinae non distinguuntur in esse, in quo subsistunt, nec in aliquo absoluto, sed solum secundum id, quod ad aliquid dicitur; unde earum distinctionem sufficit relatio.* Inutiliter autem Div. Thom. repeteret personas divinas non distingui in aliquo absoluto, si per esse, in quo subsistunt, intelligeret in absolutum: intelligit ergo in relativum; ac si diceret: personæ divinae non distinguuntur per relationem solum comparativè ad subjectum, in quo subsistunt, sed etiam secundum quod ad aliquid dicuntur: immo absolute habet hoc secundo modo per relationes personas distinguuntur cum ergo sub eadem ratione, & respectu, sub quo relationes divinæ distinguunt personas, eas constituunt, cum idem formalissime sit distinctivum, & constitutivum, videtur stando litterę D. Thom. relationes non secundum inadæquatum respectum in præscindendo à respectu ad constitutere personas. Immo D. Thom. clare, & expressè habet, quod personæ divinae distinguuntur per relationes: secundum quod ad aliquid dicuntur, & loquitur de distinctione primaria, & formalis; & sic distingui per relationes secundum respectum ad, sed non secundum ad exercitum, quia sic personam constituta supponit, sic eam primario, & formaliter supponit distinctam: ergo secundum respectum ad signatum, seu signatè conceptum. Præterea ibi in solut. ad 3. docet D. Thom: *Quod quanto distinctione prior est, tanto propinquior est unitati, & ideo debet esse minima.* Et ideo distinctione personarum non debet esse, nisi per id, quod minimum distinguit, scilicet per relationem. Minima au-

rem distinctio in relatione est secundum respectum ad, ut sic enim tota est ad aliud, propterea sic dicitur minimæ entitatis; unde & aliqui, ut refert D. Thom. dixerunt relations non importare aliquid intrinsecum, sed esse purè extrinsecus assidentes: per eam ergo secundum respectum ad personæ divinæ distinguitur. Item ad 4. etiam docet: *Quod relatio presupponit distinctionem suppositorum, quando est accidens, sed si relatio sit subsistens, non presupponit, sed secum afferit distinctionem.* Et quod loquatur de relatione secundum respectum ad, patet, ex quo immediatè subdit: *Cum enim dicitar, quod relatio esse est ab aliud se habere, per hunc aliud intelligitur correlatum, quod non est prius sed simul natura.* Et nota, quod nos non intendimus divinas personas non constitui per relations secundum respectum in, sed solum non distinguiri per eum praeciso respectu ad; sed per in, ut stat sub ad, ita ut hoc praeciso non intelligatur constitutivum divinae personæ.

9. Et ex his i. & principaliter fundatur nostra resolutio: namque sub eo munere, vel respectu paternitas constituit personam Patris, sub quo ipsam distinguit realiter à Filio; at distinguit realiter Patrem à Filio sub respectu ad: ergo sub illo constituit personam Patris. Majus patet, ut diximus ex communi principio: quod idem est formaliter constitutivum rei, & ejus distinctivum; hinc constitutivum rei attenditur penes ultimam illius differentiam; ut constitutivum hominis penes rationalitatem. Unde Ds. Thom. cum de relationibus loquitur in ordine ad divinas personas, indifferenter loquitur de illis, ut constituentibus, vel ut distinguentibus, ut patet ex art. 2. cit. in corp. ad illa verba: *Sic autem relationes distinguunt; vel constituant hypostases, vel personas.* Et ad illas: *Quia nomen Patris significat relationem, quae est distinctiva, & constitutiva hypostasis.* Et art. 3. seq. in corp. ad illa verba: *Cum igitur relatio sit, quae distinguit hypostases, & constituit, ut dictum est.* At tandem frequenter docet, quod relatio constitutiva personæ secum fert suam distinctionem; Hinc persona dicitur individua substantia: id est indivisa in se, & divisa à qualibet alia; per id enim per quod est indivisa in se, dividitur à qualibet alia, sicut & per id ipsum constituitur incommunicabiliis alteri substantia; constitutivum enim personæ in substantia, quatenus incommunicabili consistit. Nec in hoc debemus immorari, præcipue loquendo distinctione relativâ. Licet enim Filius per filiationem, quæ est illius constitutivum, realiter non distinguatur ab Spiritu Sancto, realiter per solam filiationem non distinguatur à Patre, quia per filiationem sunt taxata constitutur relativè in ordine ad Patrem.

trem. Quod & fatetur ipse Oxomensis, quidquid sit de alijs.

10. Minor vero, quod scilicet Paternitas distinguat Patrem à Filio sub respectu ad, videtur perspicua, nec probatione indigere; namque sub illo respectu paternitas distinguit Patrem à Filio, sub quo eum constituit in ratione subsistentis incommunicabilis Filio; at eum sic constituit sub respectu ad: ergo. Patet minor, namque sub eo respectu constituit Patrem in ratione subsistentis incommunicabilis Filio, sub quo eum constituit oppositum relative Filio; nec enim est alia ratio incommunicabilitatis in divinis præter oppositionem relativam, omnia enim sunt unam, nisi ubi obest relativâ oppositio; at paternitas sub respectu ad constituit Patrem oppositum relative Filio: ergo.

11. Sed respond. Oxom. quod sicut conceptus subsistentis in relatione repertus non est absolutus, nec abstrahens à relativō, & absolute, sed formaliter est relativus, quia licet expresse non referat, nec exprimat conceptum ad, illum tamen implicite includit, & cum illo connectitur; ita dicitur relative opponere, & relativam oppositionem præstare, non formaliter, & explicite, sed connexive, & implicite, quod sufficere, ut distinguat Patrem à Filio, constat clare in filiatione, quæ Filium non solum distinguit à Patre, sed etiam ab Spiritu Sancto; & tamen non refert Filium ad Spiritum Sanctum formaliter, nec formaliter relative opponit spirationi passivæ, sed tantum substractive, & connexivè, quia scilicet constituit Filium substractivè referibilem ad Spiritum Sanctum, & cum spiratione activa formaliter connectitur.

12. Sed de hoc in ultimo fundamento argumentum tamen manere in sua vi, liquebit, ex quo fatetur conceptum illum in, seu subsistentis expresse, & formaliter non distinguere Patrem à Filio, sed solum substractive, implicite, & connexivè. Unde infertur, quod distinctivum expressum, & formale sit paternitas sub respectu ad, quia sub hoc exprimit ipsam oppositionem relativam, ratione cuius distinguitur à Filio eique incommunicabilis redditur; ac paternitas sub illo respectu expresse, & formaliter constituit personam Patris, sub quo illam expresse, & formaliter distinguit à Filio: tandem ergo expresse, & formaliter paternitas sub respectu ad constituit personam Patris, & consequenter iste respectus nec quoad explicitum potest excludi à constitutivo personæ. Fateor enim, quod respectus in, seu subsistentis est objective, & essentialiter ipse respectu ad; unde conceptus objectivus relationis adequate ex utroque respectu conflatur. Attamen iste respectus adequatus semel divisus in duplum illum

inadæquatum conceptum, taliter se habet respectus *in*, quod formaliter, & quoad explicitum præcindat a respectu *ad*, semel autem sic partitus, seu præcilius solum exprimit respectum substantis ad subjectum, non referens ad terminum: ergo non exprimit id, quo Pater relative opponitur Filio, nec consequenter id, quo Pater est incommunicabilis Filio, ac tandem nec id, quo Pater personaliter distinguitur à Filio. Cum igitur constitutivum expressum personæ sic ipsum expressum distinctivum, planè ex solut. argum. relinquitur, quod constitutivum expressum personæ Patris in paternitate sit respectu *in*, seu substantis, non præcisso respectu *ad*, etiam explicitè, sed ut cum exprimens, ita ut ab eo explicitè præcisus non possit expressè personam Patris constituere.

13. Huic non potest respondēri, nisi neg. constitutivom expressum personæ esse illius expressum distinctivum; cuius oppositum videatur lumine naturali notum, ut videre est in cæteris rerum constitutivis, quæ eo prædicato, quo expressè constituent, expressè distinguunt, ut patet in rationalitate, in qua idem formalissimè est constituere, & distinguere. Et quidem ex terminis prædicatum constituens ex hoc ipso, quod constituit, distinguit: ergo ex quo expressè constituit, expressè distinguit.

14. His convictus Oxoniensis satetur constitutivum expressum personæ Patris ingredi distinctivum ejus expressum, & consequenter expressè prædictum constitutivum importare distinctionem relativam, sed non oppositionem relativam, nisi tantum implicitè, seu connexivè. Sed ex terminis hæc responsio refutatur: namque distinctione relativæ provenit, seu ut melius dicam, consultit in ipsa oppositione relativæ; eantibus enim Pater distinguitur relativè à Filio, quatenus ei relativè opponitur, quæ est sententia expressa Div. Thom. quest. 10. de parent. art. 5. in corp. ubi ut diximus dubio præcedenti illud proloquium, omnia in divinis sunt unum, ubi non obest relationis oppositio, intelligit de relationis oppositione, quæ est primaria distinctionis in divinis, ita ut ibi inventiatur distinctione, ubi primò occurrit relationis oppositio. Ibique distinctionem disparamat à distinctione relativæ distinguunt in eo, quod illa supponit distinctionem, & non eam causat: quod enim homo sit hoc, & non aliud, sequitur ex eo, quod distinctione sunt. E contra verò: oppositio relativæ non sequitur distinctionem, sed eam causat: non enim Pater, & Filius relativè opponuntur, quia distinctione sunt; sed potius distinctione sunt, quia relativè opponuntur. Et hinc inferunt Thomist. quod si Filius non procederet à Patre, quia relativæ ei oppone-

retur, nec realiter ab illo distingueretur.

15. Nec valet: quod ille conceptus substantis est formaliter relativus quoad inadæquatum rationem relationis, quamvis non referat expressè, & formaliter: namque si expressè, & formaliter non refert, quo modo expressè, & formaliter est relativus? Siquidem relativum dicitur ab eo, quod est referre, seu esse rationem referendi. Ex quo autem sit conceptus inadæquatus relationis, solum habetur, quod sit relativus objective, & essentialiter; secundum autem formaliter, & expressè: aliter propter eandem rationem conceptus inadæquatus essentialiæ erit etiam expressè conceptus radicis, quia objective, & essentialiter est conceptus naturæ, qui per conceptum radicis constituitur, & distinguitur à conceptu essentiali, quia hæc significatur, ut in se, & ad se. Præterea si constitutivum expressum Patris in ratione personæ ingreditur distinctione relativæ: ergo Pater, ut sic constitutus distinguitur expressè relative à Filio: ergo distinguitur expressè à Filio, ut correlativo; aliter erit distinctione disparata, qualiter distinguitur homo ab equo: ergo Pater, ut sic constitutus respicit Filium, ut correlativum; & consequenter conceptus ille expressus taliter erit relativus, quod expressè sit ratio referendi administrata, & importet ipsam oppositionem relativam. Ac tādem propterea in dicta sententia priori constitutionis personæ non preintelligitur oppositio relativæ, quia pro illo signo non intelligitur Filius: utpote filiatio generationem supponit, & generatio supponit personam Patris constitutam; at si pro signo constitutivis personæ non intelligitur Filius, nec potest intelligi distinctione relativæ à Filio, ut ex term. patet: ergo Ad exempl. sub junct. de Filio, qui per filiationem realiter distinguitur nedū à Patre, sed etiam ab Spiritu Sancto, cùm tamen per filiationem non opponantur relative Spiritui Sancto, sed solum Patri, resp. neg. assumpt. quidquid ipse doceat de quo in præced. dub. ubi teneo, Filium ab Spiritu Sancto solum per relationem spiratoris distingui realiter; & pariter Spiritum Sanctum à Filio per relationem spirati. Per filiationem autem præcisæ relatione spiratoris, seu casu, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio, solum distingueretur distinctione disparata, quæ non eo ipso est realis; sed potest esse virtuallis, vel rationis, nempè, penè diversa constitutiva, seu diversos conceptus formales, qualis est distinctione inter verum, & bonum, & attributorum inter se, & à relationibus.

16. Secundo fundatur nostra resolutio, fundamentumque præcedens reprobatur: namque sub eo respectu paternitas constituit Patrem in ratione personæ, sub quo eum constituit in ra-

tione Patris; at in ratione Patris eum constituit sub respectu *ad*, seu respectu *in*, ut stat sub *ad*, non tamen precisivè ab illo etiam quoad expressum: ergo Min. est nota: utpote Pater expressè constituit per ordinem ad Filium, ut sui expressum correlativum. Maj. verò convincitur: tum quia in praesenti loquimur de constitutivo persona Patris non in communi, sed ut talis persona est: id est, ut est persona Patris distincta à Filio, sensu in quo canit Ecclesia, quod alius est Pater, alius est Filius, & alius Spiritus Sanctus: id est, alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti, nec enim habent alia nomina, quibus prædictæ persona significantur, ut distincta præter nomina Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Deinde convincitur, ex quo paternitas, ut paternitas expressæ, seu sub respectu *ad* constituit Patrem in ratione Patris, tanquam forma subsistens incommunicabilis, ad differentiam paternitatis creatæ, quæ eum constituit in ratione Patris tanquam forma inhærens, proindeque personam Patris non constituit, sed constitutam supponit, quod & paßim repetit Div. Thom.

17 Sed Oxomensis hic 59. ad 3. probat docet, quod licet Pater pro priori ad generationem intelligatur persona, non tamen intelligitur Pater, nec pro illo priori intelligitur paternitas, quatenus constituit Patrem. Nec aliam assignat rationem præter argumentum à nobis factum, namque Pater non intelligitur, nisi cointellecto Filio simul cognitione, & natura. Unde negat maj. Et quidem ut initio dubij diximus, persona Patris erit innominata, sicut processio Spiritus Sancti dicitur innominata, quia eam significandam utimur solum nomine communis. Nec enim est assignare aliud nomen proprium hujus primæ personæ præter nomen *Pater*, vel *generans*; unde hoc seclusio in illius sententia solum nomen *Pater*, ut proprium illius personæ designativum relinquitur.

18 Ad probationem autem, quod paternitas pro expresso *ad* constituit Patrem in ratione Patris, ut forma quadam subsistens incommunicabilis, respond. num. 195. distinguo incommunicabilitate primaria, nego, secundaria, concedo. Ad modum, quo relatio spiratoris quamvis incommunicabilis sit, nou tamen personam constituit, quia illius incommunicabilitas prima non est, sed aliam priorem supponit. Sed contra hanc respositionem procedit doctrina Div. Thom. relata in primo fundamento: quod nempe in divinis invenitur distinctione, & consequenter, incommunicabilitas, ubi primò occurrit relativa oppositio: si ergo in paternitate pro expresso *ad* primò occurrit relativa oppositio, illa ut sic primariam incom-

municabilitatem præstabit. Nec enim, ut diximus, potest assignari aliud principium, seu ratio communicabilitati præter oppositionem relativam. Et inquirō, in quo fundat incommunicabilitatem paternitatis pro expresso *ad* esse secundariam, & non primariam? Nec aliam rationem assignat, præter quod paternitas ut sic generationem supponit, & hæc supponit constitutam personam; & ad hunc modum ceteris fundam. resp. Hoc autem est petitio principij, quia hoc intendit argumentum, quod si semel pro priori ad originem non intelligatur paternitas sub expresso respectu *ad*, nec possit constituere personam, quia hanc non potest constitutere, dum eam incommunicabilem non reddit, nec eam potest reddere incommunicabilem, dum relative oppositam non constituit. In nostra tamen sentent. totum præstat paternitas ante generationem sub expresso respectu *ad* signate concepto, licet eam supponat ut exercite consideratus. Et inde patet exempl. de relation. spirator. non esse ad prop. namque ista supponit filiationem, & paternitatem sub expresso respectu *ad*, & propterea personam Filii, vel Patris constitutam supponit, sicut & oppositam, & incommunicabilem. Nec incommunicabilitas, quam præstat relatio spiratoris, est secundaria, nisi ordine tantum; sed est primaria in propria linea, seu specie.

29 Tandem: illa incommunicabilitas, quæ primariam vocat, non potest non constituere personam Patris alicui incommunicabilem, alter nulli erit pro illo priori incommunicabilis, & sic decribit effectus proprius incommunicabilitatis, qui est incommunicabilem constituere; at si talis incommunicabilitas non procedat à relatione sub respectu *ad*, non potest personam Patris alicui incommunicabilem constituere: ergo. Maj. patet, min. probat. Namque si alicui incommunicabilem personam Patris constitueret, esset Filio; at si talis incommunicabilitas non procedat à relatione sub respectu *ad*, non potest personam Patris constituere incommunicabilem Filio: ergo. Pater min. Namque pro illo priori in hac sententia nondum intelligitur Filius: utpote filiatio consequitur ad generationem, quam antecedit persona Patris constituta.

20 Tertio, & ultim. fundat. nostr. resolut. & pariter fundam. præced. robor, namque, ut adversarij fatent. cum D. Thom. plurib. in locis divina Persona non potest constitui per aliquid absolutum etiam quoad expressum; at si divina persona constitueretur per paternitatem secundum in præcisso respectu *ad*, constitueretur per aliquid absolutum saltem quoad expressum: ergo. Probat. min. illud in dicitur absolutum quoad

quoad expressum, quod quoad expressum præscindit à respectu ad: si ergo illud in quoad expressum præscindit à respectu ad, erit consequenter absolutum quoad expressum. Consequatur, & anteced. probat. Nam illud in dicitur ab solutum quoad expressum; quod quoad expressum absolvitur à respectu ad; sed in præscindens quoad expressum à respectu ad, quoad expressum absolvitur à respectu ad: ergo est absolutum quoad expressum. Confirmat. & explicat. Namque propterea in albedinis objectivè, & essentialiter absolutum est, quia objectivè, & essentialiter absolvitur à respectu ad si militudinis v.g. absolutum enim ut ex terminis patet, dicitur aliquid ab eo, quod est absolvī, ceterus autem absolvitur objectivè, & essentialiter à respectu ad, quatenus objectivè, & essentialiter, & nēdum quoad expressum præscindit à respectu ad ergo à simili in præscindens quoad expressum à respectu ad, licet non objectivè, & essentialiter, quoad expressum absolvitur à respectu ad, & sic quoad expressum erit absolutum, licet objectivè sit relativum.

21 Explicatur amplius ex supra dictis: in conceptibus essentiæ, & naturæ, qui etiam inadæquati sunt, proptereaque unus objectivè, & essentialiter includit alium; quoad expressum tamen distinguuntur, quia ut conceptus essentia eam significat in se, & ad se; ut conceptus tamen naturæ eam significat, ut radicem proprietatum. Tunc sic argumentor. Quamvis conceptus essentiæ sit objectivè, & essentialiter conceptus radicis, quia tamen quoad expressum à conceptu naturæ præscindit, conceptus essentiæ quoad expressum non dicitur conceptus radicis, sed formæ in se, & ad se: ergo pariter quamvis in, seu conceptus subsistentis in relatione objectivæ, & essentialiter sit idem cum conceptu ad ejusdem: utpote sunt conceptus inadæquati; quia tamen conceptus in quoad expressum præscindit à respectu ad, non erit conceptus relativus. Quod si dicas prædictum conceptum in exclusi à ratione ab soluto per exigentiam conceptus relativi, quam habet ex objectiva inclusione illius. Contra ex exemplum allatum. Namque quamvis conceptus essentia exigat cōceptum radicis propter intimam illius objectivam inclusiōnem, non propterea excluditur à ratione essendi in se, & ad se: ergo pariter. Item: ex illa exigentia solum habetur, quod conceptus ille sit relativus exactive, & hoc ratione inclusiōne non vero actu, & formaliter, seu ratio-

ne expressi, quia quoad expressum non habet, unde fundet prædictam exigentiam. Ac tandem hoc est astleverare personam constitui per relatiū solum exactive tale, non vero actu, & formaliter tali, quod affirmari non potest stando doctrinæ D. Thom. ut constat ex dictis.

22 Ex hucusque dictis patet modum dicendi Oxomensis non coincidere cum modo Cajetani, ut aliqui dicunt; namque licet uterque conveniat in eo, quod est distinguere duplē conceptum relationis, alterum illius, ut subsistēt incomunicabiliter, & alterum ipsius, ut relatio est; & quoad secundum primum cōceptum personam constituit, & secundum alium eam constitutam supponit: attamen primus modus illum duplē inadæquatum conceptum distinguuit penes in, & ad relationis; secundus vero modus penes ad signatum, & ad exercitum, ita ut uterque ille in ad quatus conceptus pertineat ad relationem secundum respectum ad. Et propterea iste modus cōsetur probabilius, namque cum eo componitur constitutivum expressum personæ in divinis esse illius expressum distinctivum, quia respectus ad paternitatis realiter expressè distinguit personam Patris à Filio. Pariterque componitur, quod secundum id paternitas constituit Patrem in ratione personæ, secundum quod eum constituit in ratione Patris: utpote respectus ad signata concepius, etiam signata Patrem retinet ad Filium. Ac tandem componitur, quod Pater constituitur per aliquid relativum etiam quod expressum. Quæ omnia difficilime salvantur in alio modo dicendi, ut videre ex nostris fundamentis.

23 Nec contra hunc modum procedit argumentum aliquid, quod juxta nostram explicationem non sit solutum: namque sicut ipsi dicunt, quod paternitas solum secundum exercitum referendi Patris generationem, ut sui fundamentum supponit, pariter nos dicimus, quod illa solum petit, & supponit generationem secundum respectum exercitum consideratum, secus vero signata conceptum. Nec contra hoc aliud argumentum video preter illud, quod relatio secundum respectum ad dicit exercitum referendi: quod solvitur distingue exercitio per modum exercitij, id est, ut exercitium est, seu exercite consideratum, & de exercitio per modum cuiusdam formæ, & quidditatis, id est, ut ratio formalis est, seu signata conceptus, quod supra explicatum manet.

# INDEX

## RERVM NOTABILIVM, que in hac prima parte continentur.

P. PAGINAM. N. NUMERUM DESIGNAT.

### A

#### Aetio.

**A**etio creativa secundum actualitatem eterna, & necessaria est. p. 295.  
num.44

Dum dico, actio existit, tacite dico, & subintelligitur, agens existit. p. 325.n.92

Aetio Divine Omnipotentiae est solum virtualiter transiens, & formaliter immans. p.476.n.53

Quoad actualitatem est eterna, licet quoad exercitum, seu denominationem sit temporalis. ibi

De ratione actionis solum est, quod distinguit realiter a principio, eo genere distinctionis, quo ab ipso egreditur. p. 533.  
num.14.

#### Accidens.

Accidens est in statu supernaturali, dum non est in suo connaturali subiecto. pag. 49.  
num.16

Accidentia supernaturalia neque habent, neque petunt subiectum proprium, & connaturale. p.53.n.31

Accidentia supernaturalia solum petunt subiectum, cui inharent, sed non secundum naturalem, sed obedientiam. ibi

#### Aetus.

Ratio actus puri in indivisibili consistit. p.68.n.8.

Ratio actus puri excludit omnia objectivam distinctionem, nisi ubi obest relationis oppositio. p.69.n.9

Ratio actus puri adaequat invenitur in quolibet divino predicato. ibi.n.11

Implicit actum perfectiorem esse propter imperfectiorem, tanquam propter finem. pag. 53.n.61.

Vel dicatur, quod actus perfectior non potest esse propter imperfectiorem tanquam propter finem ultimum, bene tamen tanquam propter finem intermedium. ibi

Solum actus practicus intellectus est, qui movet, & regulat voluntatem. pag.254.  
num.69.

Actus intellectus practici non queritur propter se ipsum, sed propter opus ad extra. p.255.n.72.

De conceptu actus liberis non est, quod possit non esse quoad actualitatem, sed solum quoad denominationem. p.296.n.47.

Actus liber Dei est formaliter necessarius quoad terminationem ad fore, vel non fore indeterminate sumptam, secus verò sumptam determinate. p.301.n.7.

#### Actualitas.

Ex suo expresso conceptu dicit perfectionem. p.290.n.26.

#### Aestimativa.

Ad ipsam pertinet discernere inter conveniens, & nocivum, quoad utilitates, & nocimenta naturae. p.253.n.63.

#### Agens.

Agens liberum est illud, qui cum sit indifferens, se ipsum formaliter determinat ad operandum. p.342.n.176

Unde infertur agens primum liberum esse, quod se primum ad operandum determinat. ibi

Per generationem intendit producere sibi simile similitudine formali in principio quo radicali. p.527.n.43

Per augmentationem solum intendit producere sibi simile similitudine proportionis in principio quo proximo. ibi

### Amare, Amor.

- Amor Dei per se petit, procedere ab habitu charitatis. p.9.n.33  
Perfectus Dei amor non infert amorem pluriū cū: atiararum. p.84.n.31  
Amare non est aliud, quam velle bonum alicut. p.259.n.86  
Amor noster, quo bonum alicui volumus, non est causa bonitatis ipsius. ibi  
Deo repugnat amor purè affectivus. ibi  
Amor amicitiae terminatur ad bonum amici propter, ly propter non excludente ordinem ad ultimum finem. p.264.n.113  
Licet amor Christi aequetur divino amori extensivè, & quantum ad numerum amatorum, secus tamen intensive, & quantum ad modum amandi. p.280.n.63  
Amor neque petit presentiam objecti, neque illius absentiam. p.281.n.69

### Anima.

- Anima separata solum de Angelis habet deficientem, & imperfectam cognitionem, nempe connotativam. p.47.n.8

### Animal.

- Ad vitam animalium requiritur, ut querant convenientia, & fugiant nociva. p.253. num.63

### Appetitus.

- Appetitus est specialis anime potentia ab alijs omnibus condistincta. p.253.n.63  
Appetitus satiates aliquo volito, nequit aliud appetere nisi propter bonitatem voliti satiati. p.259.n.90  
Unumquodque est appetibile, in quantum est perfectum. p.267.n.10  
Appetitus intellectivus, & si feratur ad res, quae sunt extra animam singulares, fertur tamen in eas secundum quandam rationem universalem. p.281.n.71  
Appetitus sensitivus fertur in res singulares sub ratione communi adverbialiter. pag. 281.n.73

### B.

### Beatus Beatitudo.

- In Beatis datur triplex scientia. p.1.n.1  
Maxime, & principaliter consistit in contemplatione divinorum. p.255.n.72

### Bonum.

- Secundum bonitatem substantiam, dicitur aliquid bonum secundum quid, secundum accidentalem, dicitur bonum simpliciter. p.43.n.56  
Divina bonitas movet purè per modum rationis finalis. p.259.n.88  
Unumquodque est actu bonum, in quantum est appetibile. p.267.n.10  
Bonum simpliciter se extendit ad omnia, quae quomodolibet existunt. p.269.n.13  
Bonum, quod est passio entis, est objectum voluntatis. p.273.n.34  
Quod de bono communī debatur alicui in particulari præ alio tale, vel tale præmium, non ortum habet, ex quo est pars rotius, sed aliundē. p.457.n.34

Bonam primario, & principaliter intentum à Deo, est manifestatio sue bonitatis. pag. 489. num.16.

Absolutè msjus bonum est, bonum defacto illatum, quamvis finitum, quam malum purè affective illatum, quamvis infinitum. ibi

Aliquod bonum est, quod non potest elici, nisi ex malo. p.494.n.28

Unumquodque dicitur bonum, secundum quod est perfectum. p.529.n.3.

Nulla res creata est bona per essentiam. ibi

### C.

### Causa.

In causa intensior illius cognitio, & extensior, attenditur secundum idem. pag. 77.n.6. & p.563.n.7.

Ex cognitione quidditativa cause non potest provenire extensor illius cognitio. pag. 78.n.8.

Quæ eminenter continentur in causa, non apparent manifestè, sed latent. ibi

Ordo cause ad effectum non est rigurose talis, sed late. p.253.n.61

Cause universalissimæ debet correspondere effectus universalissimus. p.260.n.95

Causa ut in actu secundo intelligi non potest, non connotato effectu. p.298.n.56

Causa formalis non potest virtutem suam alteri communicare, bene tamen causa efficiens. p.484.n.90

Virtus cause comprehendendi non potest, non cognitis omnibus effectibus in illa contentis. p.562.n.6

Deus

*Deus cognoscendo se tanquam causam, reliqua omnia cognoscit.* ibi

*Quanto aliqua causa perfectius videtur, tanto plures effectus in ea videri possunt.* ibi

*Intensius causam cognoscere est formalissime magis illius efficaciam penetrare.* p.574. n.46

Charitas.

*Charitas per se, & essentialiter inamisibilis est.* p.11.n.38

*In via regulatur per fidem, in patria lumine glorie.* ibi

*Ex actibus procedentibus à charitate, non potest generari habitus.* p.25.n.20

*Charitas debetur gratis connaturaliter, tamquam proprietas.* p.59.n.51

*Actus charitatis est liber libertate contrarie- tatis pure extrinsecè, seu conconitanter.* p.66.n.30

Christus.

*Essentiam divinam Christus per scientiam inditam quidditativè non cognovit, sed tantum quoad an est.* p.5.n.19

*Christus Dominus in Verbo cognoscit omnia positiva, quæ Deus videt, secus verò omnia decreta negativa.* p.81.n.20

*Licet anima Christi cognoscat omnia, quæ Deus scientia visionis, sed non in ipsa scientia visionis.* ibi

*Meritum Christi est finitum in esse entis, secus verò in esse moris.* p.99.n.55

*Ea, quæ Christus defacto meruit, & quibus meruit, non cognoscit ut distincta.* ibi

*Ut Christus sit, & dicatur verè, & absolute Filius Virginis, sufficit fundamentum realis filiationis.* p.459.n.43

*Ex justitia legali tenebatur Deus acceptare satisfactionem Christi.* ibi.n.45

*In Christo non fuit dominium aliquod speciale, sed quo sic essent operationes Christi, quod non essent sub dominio Dei.* ibi. num.49

*Christus postulavit à Patre permissionem peccati, non secundum se, sed ut conducentem ad firmiorem salutem prædestinati.* p.491.n.20

*Christus ex vi presentis decreti fuit primò volitus, etiam quantum ad circumstantiam passibilitatis.* p.493.n.25

*Defacto merito Christi correspondet premium infinitum.* p.571.n.34

*Quia Christus habuit nativitates realiter di-*

*sinetas, eas habuit secundum distinctas naturas.* p.581.n.19

Cognitio, cognoscens.

*Cognoscientia eatenus à non cognoscientibus differunt, quatenus cognoscientia natura sunt habere præter propriam formam, etiam formam alterius.* p.91.n.2. & seq.

*Cognitio vaga dederet infinitam Dei sapientiam.* p.364.n.270

Collectio.

*Collectio plurium nihil est, præter singula si- mul sumpta.* p.316.n.54

Comprehensio.

*Ad comprehensionem requiritur, quod modus cognoscientis adaequat modum cognoscibiliatis objecti, vel quod eum excedat pag.* 79.n.13

*Stat objectum comprehendendi, & perfectius co- gnosci ab uno cognoscente, quam ab alio.* ibi

*Non potest aliquod prædicatum comprehendendi, quin totus Deus comprehendatur.* p.82.n.24

Consensus.

*Consensus noster à causa prima procedens, eatenus solum potest esse contingens propter voluntatem nostram, quatenus Deus per eam impediri potest, ne producat consensum.* p.381.n.348

Consilium.

*Ultra iuditium indifferens ante electionem, requiritur actus consilij.* p.464.n.3

*Consilium est discursus quidam intellectus practici.* ibi

*Consilium Deo non competit quantum ad in- quisitionem, sed solum quantum ad certitudinem iuditij.* p.465.n.4

Conveniens.

*Quicumque potens judicare conveniens, po- test illud, ut sic cognitum appetere.* p.239. num.4

Contingens.

*Contingens non dicitur aliquid, nisi secun- dum \** 2

dum entitatem, formalitatem, vel modum.  
p.290.n.24

## D.

### Decretum.

Decretum ab intrinseco indifferens, & inefficax, quod Deus concurrat ad nostros actus liberos, per totum dub. 6. rejicitur, & impugnatur.

Defectibile.

Contradicitionem involvit esse aliquid defectibile, & non esse defectibile, secundum aliud quod esse. p.290.n.24.

### Demonstratio.

Demonstratio à priori debet procedere per causam, vel rationem formalem. p.239.n.5

In demonstratione non demonstratur proprietas abolutè quoad existentiam, sed solum quoad exigentiam, & debitum. p.247.n.38

In demonstratione proprietatis non demonstratur proprietas abstractivè, & metaphysicè, sed solum concretivè, quantum ad rationem convenienti huic, vel illi subiecto. p.252.n.55.

### Denominatio.

Quæ est commutativa, potest deficere ex solo defectu extrinseci connotati. p.295.n.43.  
& sequentib. per tot. resol. 9.

### Deus.

Ex infinitate habet Deus diversos modos scientiarum. p.3.n.10.

Si darentur plures Dij, omnes essent ejusdem specifice immaterialitatis. p.35.n.17

Sicut Deus non potest non identificare suam operationem, sic non potest non identificare suum intelligi. p.36.n.22

Deus essentialiter sub modo effendi intentionali repugnat. p.37.n.31.

In Deo, nec virtualiter adæquate distinguitur modus effendi intelligibilis à modo effendi naturali. p.38.n.33

Deus non potest esse limitationis principium. p.44.n.62

Dato, quod Deus liberè se manifestaret creaturæ, nullum ei lumen supernaturale infundendo, adhuc non posset illum prout in se videre. p.59.n.53

In Deo omnia sunt unum, nisi ubi obest relationis oppositio. p.71.n.20

Per accidens est, quod Deus voluerit itas tantum creature, & non plures producere. p.80.n.17

In Deo datur potentia verè activa. p.109.  
n.13.

In Deo non datur alia potentia preter intellectum, & voluntatem. ibi

Quodlibet prædicatum in Deo est actus purus absolute, & simpliciter, & sic est totus Deus. p.112.n.26

Hac est vera causalis, quia Deus est infinitus, est incausabilis. p.126.n.24

Deus alia à se non vult, nisi propter suam beatitudinem. p.258.n.84

Deus non vult alia à se, nisi ut bonum suum alii per similitudinem communicasset. ibi  
Situs Deus secundum suam essentiam habet omnimodam perfectionem. p.266.n.5

Sicut habet esse totaliter, ita ab eo absit totaliter non esse. p.269.n.16

Necessario cognoscit possibilia necessitate orta ex ipsis intellectus divini infinitate. p.283.n.82.

Deus non vult, neque potest velie etiam inficaciter peccatum. p.307.n.6

Id, quod non dedecet Deum operari, non decet ipsum velle. p.327.n.102

Per similitudinem aliqua Deo dari dicuntur. p.451.n.5

Creatura nihil potest Deo dare, & erga Deum facere, quod non sit sub illius dominio. p.452.n.11

Tanta est erga homines bonitas Lei, ut eorum vellit esse merita, quæ sunt bona sua. ibi.n.12

Deus, dum coronat merita nostra, coronat bona sua. ibi.p.453.

Nendum in Deo est incapacitas ad relationem realem debitoris, formaliter sumptam, sed etiam fundamentaliter sumptam, p.459. n.44.

Quod redditur à Deo, ut iusto iudice, redatur ex stricta justitia, & nedum ex fideliitate, vel gratitudine. p.461.n.54.

Deus reddit iustis vitam æternam, ut mercedem, premium, & coronam. ibi.n.55

Quidquid potest facere creatura in obsequium Dei, ei debetur pluribus titulis. p.462.n.58.

Antecedenter ad pactum, & promissionem Deus potuit licite denegare gloriam iustis, post pactum, & promissionem non potuit. ibi.n.60

Deus per suam providentiam gubernat omnia, nia,

nia, que inveniuntur in finem. p.467.n.13.  
Potentia executiva in Deo non distinguitur  
ab intellectu practico illius. ibi.n.15  
In tempore Deus dicitur creator, gubernator,  
Dominus. p.476.n.54.  
Deus est causa rerum per suum intellectum.  
ibi.p.477.  
Deus immediatè omnibus providet, quia in  
suo intellectu habet rationem omnium, etiam  
minorum. ibi.n.55.  
Deus, ex modo, quo confert gloriam in tem-  
pore, voluit eam ab aeterno conferre. p.505  
n.23.  
Deus habet in sua potestate merita, & jus ad  
gloriam. p.506.n.23.  
Quidquid in rebus creatis habet esse acciden-  
tiale, secundum quod transfertur in Deum,  
habet esse substantiale. p.551.n.95  
Nil est in Deo, ut accidens in subiecto, sed  
quidquid est in Deo, est ejus esse. ibi.  
Deus, ut Trinus ad productionem creature-  
rum non concurrevit per se, sed solum conco-  
mitanter. p.561.n.1

### Dominium Dominus.

Ad perfectum dominium libertatis requiri-  
tur, posse occultare proprios actus libe-  
ros. p.59.n.53  
Dominium Dei erga noskos actus liberos  
exercetur per imperium. p.337.n.149  
Non se gerit ut Dominus, qui alteri solum  
proponit, fac, quod volueris. ibi.n.150.  
Dominium Dei supra actus liberos excedit  
dominium nostrae voluntatis supra eosdem.  
p.338.n.156  
Dominium Dei supra nostram voluntatem  
nendum est politicum, & civile, verum, &  
absolutum, & despoticum. p.339.n.15.  
Dominium, consistens in eo, quod aliquid non  
possit fieri sine voluntate alterius, est im-  
perfectum, & diminutum. p.340.n.163

### Donum.

Ad donum intellectus pertinet, quod intelle-  
ctus sane capiat ea, que proponuntur per  
fidem. p.10.n.37  
Omnia dona, ut ad finem, ordinantur ad per-  
fectionem Theologicarum virtutum ibi  
Dona Spiritus Sancti manent in patria qua-  
tum ad existentiam. ibi  
Sunt infusa ad sequendam motionem Spir-  
itus Sancti. ibi  
Objectum doni timoris non est malum culpe,  
vel penæ, vel si est, non tantum in se, sed ut

cotentum in divina eminentia. p.282.n.74

### E.

#### Effectus.

Effectus esse necessarios, vel contingenter re-  
ducitur in solam efficaciam divinæ volun-  
tatis. p.381.n.350

#### Esse.

Esse ab alio, tanquam à causa supponit natu-  
ram constitutam. p.126.n.23.

Esse comparatur ad omnia sicut actus. p.267  
n.10

Per modum, per quem habet aliquid esse, de-  
ficit à non esse. p.269.n.16

#### Essentia.

Essentia dicina, quatenus est à se, est essentia  
in lata acceptione. p.125.n.20

Conceptus essentiae est constituere. p.131.n.48

Conceptus essentiae, & conceptus naturæ solum  
sunt distincti inadæquate. ibi.n.1

Essentia, præcisa existentia, nullo modo est ens  
in actu. p.268.n.11

Probabilior est sententia afferens essentiam  
dum subest existentiæ, non habere bonita-  
tem realiter distinctam à bonitate existen-  
tiæ. p.272.n.27

#### Exæcatio.

Ex sui natura ordinatur in damnationem  
ejus, qui exceccatur. p.487.n.4

Ex dicina misericordia ordinatur medicina-  
liter ad salutem illorum, qui exceccantur. ibi

#### Exercitium.

Exercitium dum taxat interpretativum, &  
inanimatum in suo formalí conceptu dicit  
imperfectionem. p.301.n.9

#### Existentia.

Prima actualitas secundum quam attenditur  
prima rei bonitas, est existentia. p.266.n.3

Sola existentia est actualis in esse entis. p.268  
n.11

Existentia conditionata effectus non potest  
mentaler affirmari, quia affirmetur sub  
omnibus conditionibus existentiæ illius requisi-  
tis ad existentiam absolutam illius. p.324.  
& ibi frequenter. n.92

In statu absolute existentia rei per se ipsum  
innovescit, secus vero in statu condicio-  
nato. ibi

F.

Fidelitas.

*Debitum ortum ex fidelitate non propterea non est simpliciter tale, quia oritur adaequatè ab intrinseco, sed quia oritur ab intrinseco per modum simplicis promissionis.*

p.457.n.35

*Hinc debitum ortum ex illa est solum morale, & condecentia, non verò legale, & ex iustitia.* ibi

*Fidelitas non respicit debitum ut mercedem, premium, vel coronam.* p.461.n.55

Finis.

*Quia finis movet motu attractivo, ipse finis primario, & formaliter movens, primario etiam, & formaliter terminat.* pag.258. num.83.

*In his, quæ volumus propter finem, tota ratio movendi est finis.* ibi.n.84

*Finis perceptus à Deo, non est ut vellit alia à se purè affectivè, sed effectivè.* p.259. num.86

*Finis intermedius non sub eadem ratione est finis, & medium.* p.495.n.34

*Finis intentionem terminat, ut bonum honestum, electionem verò ut utile.* ibi

*Finis dicitur formaliter intermedius, non quia ut finis sit formaliter medium, sed quia formaliter subordinatur alteri perfectiori fini.* ibi

*Sicut se habet principia in speculabilibus, sic se habet finis in practicis.* p.502.n.11

*Finis solum inefficaciter intentus nequit esse causa efficacis electionis.* ibi

Forma.

*Formam intelligibilem sequitur habitudo natura intellectualis ad bonum per eam apprehensum.* p.239.n.2

*Quamlibet formam sequitur aliqua inclinatio.* ibi.n.3

*Sicut forma naturalis est fixa, invariabilis, & determinata, habitudo sequuta ad illā, invariabilis, & determinata est.* pag.241. num.10

*Quia forma intelligibilis est variabilis, & indeterminata, habitudo sequuta ad illam est etiam variabilis, & indeterminata.* p.241.n.10

*Forma intelligibilis est ipsum bonum in re, sola distinctione penes diversum modum effendi.* p.246.n.31

*Forma nondum existens, sed futura, non potest constituere rem presentem, & actualē.* p.286.n.11

Fortitudo.

*Actus fortitudinis in via est præferre molestias, in patria verò est Deo firmissime coherere.* p.19.n.73

G.

Gratia.

*Gratia convenit in conceptu formalī cum natura divina, & solum ab ea differt in modo.* p.38.n.35

*Gratia quamvis ab extrinseco procedat, via lis radicaliter est.* p.61.n.4

*Homo jam justificatus per gratiam, appetit eam, non absolute, & simpliciter sed quantum ad sui conservationem.* p.244.n.25

Gratitudo.

*Virtus gratitudinis Deo competere non potest.* p.461.n.58

*Gratitudo secundum propriū illius conceptum formalem respicit benefactorum, & debitum super beneficia fundatum.* ibi

*Ad gratitudinem pertinet respicere affectum dantis in effectu indebito.* p.464.n.72

Gubernatio.

*Prædestinatio, & gubernatio comparantur, sicut ratio ordinis, & executio illius.* pag. 476.n.54

*Gubernatio est actus potentia executiva efficientis, quod per divinam providentiam ordinatum est.* ibi

*Gubernatio supponit providentiam aequaliter constitutam.* ibi

*Nihil aliud est gubernare per providentiam, quam movere per intellectum aliqua in finem.* p.477.n.55

H.

Habitus.

*Habitus supernaturalis partim est potentia, & partim est habitus.* p.65.n.23.

*Habitus, propriè loquendo, non competit Deo.* p.112.n.24.

*Habitus, & voluntas non sunt due cause suppositaliter distincte.* p.317.n.57

*Tam voluntas, quam habitus concurrunt eodem concursu.* ibi

*Habitus non est ex se indifferens ad operationem oppositam, sed potius quantum ad speciem est determinatus.* ibi

Hu-

Humilitas.

In electis est medium conducens ad consecutionem gloriae. p.487.n.4.¶

I.

Immaterialitas.

Est ratio, ¶ radix representationis speciei. p.32.n.2

Immaterialitas speciei oportet, ut proportionetur eum immaterialitate objecti. ibi  
Distinguuntur quatuor gradus immaterialitatis. ibi.n.3

Immutabilitas.

Immutabilitas Dei petit, ut ab eo excludantur omnes species, vel figura mutationis. p.289.n.23

Infinitum.

Impossibile est, quod detur infinitum in actu secundum intentionem, ¶ extensionem, quin detur infinitum in actu secundum essentiam. p.79.n.12

Infinitas est modus divinae perfectionis, sicut ¶ finitas est modus perfectionis creatae. p.122.n.6

Infinitas in carentia termini consistit. pag. 123. n.7

Infinitas non tam ponit, quam removet aliquid à Deo. ibi

Imperium.

Imperium est semper de uno pra' alio. pag. 337.n.150

Imperium propriè significatur per fac hoc ibi

Imperium est ordinativa cum motione quādam intimatio. p.338.n.151

Imperium aliud est monastichum, aliud executivum. p.466.n.7

In Deo non datur imperium monastichum. ibi.n.9.¶ seqq.

Imperium monastichum est pars objectiva providentie. ibi

Non solum Deus, sed etiam quilibet intellectus movet per imperium. p.467.n.13

Imperium intellectus nihil aliud est, quam conceptio effectu ordinata ad implendam voluntatem. ibi

Imperium divinum supponit usum activum voluntatis. ibi.n.15

Imperare, est actus rationis presupposito & clu voluntatis. p.468.n.17

In Deo datur imperium respectu creaturarum, quod dicitur executivum. pag. 474.n.44.¶ seqq.

Imperare dicendo, solum pertinet ad intellectum. ibi.n.45

Imperare, non est movere quomodocumque, sed movere intimando, ¶ denuntiando. ibi

Imperium non est formaliter iuditium, sed solum equivalenter. p.475.n.48

Imperium hominis solum movet extrinsecè, ¶ ex parte objecti, imperium tamen Dei movet intrinsecè, ¶ subjective. ibi.n.51

Intellectus.

Intellectus divinus indivisibiliter prestat munus intellectus, ¶ munus intellectionis. p.110.n.15

Licet divinus intellectus concipiatur sine expressione intellectionis, non tamen sine ipsa intellectione. p.113.n.29

Divinus intellectus nequit specificari ab aliquo creato. p.145.n.5

Intellectus in actu constituitur per formam intelligibilem. p.239.n.2

Intellectus in genere intelligibili se habet sicut materia prima in genere entis. pag. 251. n.53.

Repugnat intellectus pure speculatorius, ¶ non practicus. p.252.n.58

Intellectus practicus essentialiter connotat, ¶ exigit voluntatem. ibi

Intellectus speculatorius, ¶ practicus sunt una, ¶ eadem potentia specie. ibi

Intellectus speculatorius nihil dicit de operando. p.254.n.69

Intellectus participativè à voluntate potest impellere. p.484.n.91

Ad assensum certum, ¶ evidentem conclusio- nis non potest intellectus moveri, nisi ex assensu certo, ¶ evidenti præmissarum. p.502. n.111

Judicat intellectus divinus, hos præ alijs esse determinatè eligendos, quia Deus hos potius, quam alios vult diligere. p.510.n.39

Intellectus ex genere suo constituitur in actu, per hoc quod res intellecta est in ipso. pag. 514.n.2

Quia intellectus est susceptivus omnium formarum, est etiam natus fieri omnia. ibi

Solum ille intellectus communicat Verbo similitudinem pure intentionalem, qui Verbum ex necessitate producit. p.516.n.3

Ille intellectus potest in causa cognoscere omnes effectus, qui causam totaiter comprehendit.

p.562.n.6

### Intellectio.

Est ultima actualitas in genere intelligibili.

p.242.n.15.

Intellectio essentialis, prout in Patre, seu ut modificata Paternitate, est in divinis generativa.

p.289.n.19.

Divina intellectio, ut terminata ad possibilia, dicitur scientia simplicis intelligentiae, ut verò terminata ad existentia, dicitur scientia visionis.

p.301.n.6

### Judicium.

Judicium regulans in Deo intentionem dandi gloriam praedestinatis, non est scientia libera, sed necessaria.

p.464.n.1

Nec tale judicium est præscientia.

ibi

Per inquisitionem mediorū pervenit intellectus ad judicium de convenientia medium.

ibi.n.3.

Ultra judicium indifferens requiritur tam in nobis, quam in Deo judicium practicum determinatum.

p.465.n.5

Ab hoc judicio desumitur denominatio liberi arbitrij.

ibi.n.6.

Judicium est actus primarius divine prudentie.

p.478.n.63.

Judicium ultimum, & determinatum adhuc in nobis est ab intrinseco efficace.

ibi. n.

mer.68.

### Jus.

Ex proprijs alicujus non potest jus oriri adversus ipsum.

p.453.n.12.

Tam justitia distributiva, quam commutativa respicit jus alterius, cum hac tamen differentia, quod commutativa respicit jus alterius ortum habens ex commutatione, secus tamen justitia distributiva.

pag.

456.n.28.

Hinc jus justitia distributiva non est adversus pramiantem, nec cum debitorem constituit.

ibi

Tale jus non est ipsa dignitas operis absolute, sed ut connectat debitum legis.

ibi

Opera procedentia à gratia, eo ipso habent condignitat em ad gloriam, non tamen jus, nisi ex ordinatione divina.

ibi

### Justitia.

Est perpetua, & constans voluntas, jus suum unicuique tribuens.

p.450.n.1

Ipsum jus est objectum justitia.

ibi

Justitia importat aequalitatem.

ibi

Tres communiter assignantur species justitiae nempè legalis, distributiva, & commutativa.

ibi

Justitia legalis est, que respicit bonum commune, ut et reddat, quod suum est.

ibi.n.2

Distributiva, que respicit bonum commune, ut distribuendum secundum aequalitatem proportionis.

ibi

Justitia commutativa est, que consistit in mutuatione, & acceptione, propterea que dicitur directiva communicationum, vel commutationum.

ibi.p.451.

Justitia commutativa est duplex: alia proprie, & strictè, ut cum fit cum transmissione dominij: alia largè, & improprie, ubi solun intervenit obsequium.

p.451.n.3

### L.

#### Lex.

Lex aequitatis, & rectitudinis naturalis sita est in ipsa natura boni communis exigentis, ut de bonis communibus fiat distributio proportionabiliter ad uniuscujusque meritum, & dignitatem.

p.455.n.27

Hac lex in distributore humano sibi est impo- sita à Deo auctore totius boni communis, & regula totius rectitudinis naturalis.

ibi

In Deo autem est ordinatio sua voluntatis, & sapientie, à qua omnis lex pendet.

ibi

Solum creature subduntur legi aeternæ, quia solum creature subduntur divinae gubernationi.

p.467.n.12

#### Liberalitas.

Ex proprio, & formalí conceptu non plus exigit, quam id, quod est necessarium ad verificandam donationem gratuitam vere, & propriè talē.

p.455.n.23

Ex proprio, & formalí conceptu non exigit positivè abdicationem dominij.

ibi

Dona gratuita Dei non procurent ex justitia remunerativa meritorum, sed ex ipsius liberalitate.

p.499.n.4

#### Libertas.

Libertas ex proprio conceptu dicit perfectio-

nem.

p.291.n.27

Libertas divina non consistit in indifferencia passiva ad eliciendum aetum volitionis, vel nolitionis, sed in activa ad mutandum creature ad fore, vel non fore.

pag.292

De conceptu formalí libertatis, ut abstrahit à creata, & increata solum est indifferencia

acti

activa ad opposita, non vero passiva, pag.

294.n.40.

Divina libertas actualis, & potentialis non  
distinguitur quoad actualitatem, sed pure  
quoad denominationem. p.295.n.45

### Lumen gloriae.

Solum respicit Deum objectivè, & extrinse-  
cè. p.35.n.20.

Est virtus tota se tenens ex parte beati. ibi.  
Solum videt Deum connaturaliter connatu-  
ralitate participationis, non dimanatio-  
nis. ibi.n.21.

Quo lumen est perfectius in beatis, magis pe-  
netrat Deum. p.44.n.63.

Lumen gloriae perfectius est virtute patrati-  
va miraculorum. p.51.n.20.

Lumen gloriae, quamvis ab extrinseco proce-  
dat, pitale proxime est. p.61.n.4.

Lumen gloriae separatum ab intellectu videre  
non posset. .66.n.27.

### Lumen propheticum.

Prophetia non est virtus, nec habitus, nec  
qualitas permanens, sed passio transiens.

p.24.n.16.

Nequit esse connaturale alicui creaturae. f.50.  
n.20.

### M.

#### Merces.

Id dicitur merces, quod alicui recompensatur  
pro retributione operis, vel laboris. p.461.  
n.55.

#### Meritum.

Tota meritorum causalitas exercetur circa  
gloriam; non vero erga divinam volunta-  
tem. p.263.n.109.

Aetio nostra non habet rationem meriti, nisi  
ex presuppositione divinae ordinationis. p.  
456.n.28.

Ad meritum requiritur, ut equiparetur mer-  
cedi secundum aequalitatem proportionis.  
p.460.n.51.

Quod redditur ex promissione acceptata sub  
conditione operis onerosi, debetur operi, ut  
merita decondigno. p.461.n.57.

Quod debetur operi, ut merito de condigno,  
debetur ei, ut merces, meritum, & corona.  
ibi.

Meritum hominis non potest esse, nisi secun-  
dum presuppositionem divinae ordinatio-

nis.

p.463.n.63.

Hominis ad Deum non est meritum simplici-  
ter, loquendo de merito, cui correspondet  
merces secundum iustitiam commutati-  
vam. secus vero distributivam. ibi  
Merita Christi non fuerunt a Deo efficaciter  
volita propter gloriam predestinationum,  
tanquam propter finem, cuius gratia. p.  
511.n.43.

#### Movens, Motum.

Omne, quod movetur, ab alio moveatur, ita ut  
implicet aliquid idem esse movens, & mo-  
tum. p.385.n.366. & seqq.

Movere est educere aliquid de potentia ad  
actum. ibi.

#### Motivum.

Ideo sic dicitur, quia movet, determinat, seu  
secundat potentiam ad cognitionem. p.

144.n.1.

Licet Deo attribui non possit objectum moti-  
vum per realem motionem, bene tamen  
per motionem virtualem. ibi.

Motivum, ut tale, semper exercet aliquam  
prioritatem respectu intellectus. ibi.

Objectum motivum semper est primarium.  
ibi.

### N

#### Natura.

In stricta acceptione summitur pro primo  
prædictato, quod intelligitur, tanquam ra-  
dix ceterorum. p.122.n.1.

Habitudo naturæ creatæ ad causam efficien-  
tem supponit genus causæ formalis. p.

126.n.23.

Idem est natura, ac primum, seu radicale  
principium. p.129.n.35.

#### Natura divina.

Constitutivum physicum divinæ naturæ sunt  
omnia prædicata formaliter in Deo in-  
venta. p.122.n.1.

Constitutivum metaphysicum divinæ natu-  
rae taliter debet esse proprium Dei, ut ne-  
dum sit distinctivum a creaturis, sed etiam  
ab attributis. p.124.n.15.

Licet identificetur esse cum natura Dei, vir-  
tualiter tamen ab ea distinguitur. p.127.  
n.26.

Natura divina metaphysice considerata  
\*\* de\*

debet intelligi, ut infinite perfecta in propria linea, non tamen omni. p.130.n.4.  
Et si divina natura constitueretur per voluntatem, adhuc divinum Verbum procederet, ut Verbum. p.138.n.73.

### Necessitas.

Alia coactionis, & alia infallibilitatis. p.  
383.n.359.

### Notitia.

Ex sola variatione objecti, sine su intrinseca mutatione, transit de intuitiva in abstractivam, seu vice versa. p.297.n.4.

## O Objectum.

Non exprimitur, nec illius perfectio designatur per id, quod ei convenire non potest p.  
109.n.14.

Esse formam intelligibilem convenit per se primo, & principaliter objecto. p.243.  
n.21.

Ut objectum sit cognitum per actum fugae,  
non exposit bonitatem. p.279.n.61.

### Odium.

Potest esse de aliquo universali, ut de omni latronum genere. p.281.n.71.

### Omnipotentia.

Non potest intuitive cognosci, quin totus Deus cognoscatur. p.82.n.24.

Omnipotentia sub una, & eadem ratione indivisibilis est omnium causa. p.83.n.25.

Omnipotentia non est ratio cognoscendi in Deo creaturas liberè, sed necessariò. p.  
84.n.31.

Omnipotentia non connectitur necessario cù actibus liberis, seu futuris. p.89.n.51.

Omnipotentia connectitur cum creaturis. p.  
263.n.107.

Etiam cum ea connectuntur peccata possibilia. ibi.

Cognosci comprehensivè non potest, non cognitis possibilibus. p.562.n.5.

Creaturae possibiles nedum continentur in divina Omnipotentia secundum rationem communem, sed etiam secundum proprias illarum differentias. p.564.n.11.

Divina omnipotentia est causa completa omnium creaturarum. ibi.n.13.

Sine reali respectu ad creaturas participat verum, & proprium conceptum virtutis. ibi n.14.

Subiectivè sumpta essentialièr connectitur cum se ipsa terminativè sumpta. p.565.  
n.17.

Prius in Deo intelligitur, ut attributum, quam ut potentia generativa. ibi.

Objectum per se materiale divine omnipotentie est cumulus creaturarum possibilium, resultans ex his specie, & numero possibilibus. p.570.n.31.

Si creature possibiles redderentur impossibilis, maneret omnipotentia diversæ rationis, ac defactò est. p.571.n.32.

Omnipotentia superaddit ad essentiam actualitatem virtualiter distinctam. p.572.  
n.37.

Omnipotentia non potest comprehendendi, non cognitis omnibus impossibilibus. p.576.  
n.56.

### Operatio.

Operatio hic, & nunc non sequitur, nisi ad formam completam existentia. p.242.  
n.17.

### Oratio.

Multiplicitè dicitur: Judicativa, interrogativa, deprecativa, optativa, & imperativa p.475.n.48.

Solum oratio judicativa significat verum, vel falsum. ibi

Ceteræ orationes solum significant internam ordinationem, vel locutionem intellectus, qua ordinat ad opus. ibi.

Solum orationes, que à nobis possunt fieri sine peccato, debent conformari orationi Christi. p.491.n.21.

## P

### Pater, paternitas.

Paternitas in divinis, ut forma Patris significatur, est tamen proprietas personalis. p.  
518.n.16.

Paternitas non potest intelligi, ut quo Pater generat. ibi.

Eadem est essentia Patris, & Filii in divinis; sed in Patre est secundum relationem dantis, in Filio secundum relationem accipientis. p.531.n.9.  
In

### **Peccatum.**

Postquam quis in peccatum cadit, minus de se  
ipso confidit. p.488.n.6.

Deus permittit peccata minora, ut vitet ma-  
jora. ibi.n.7.

Peccatum permittitur à Deo ex praientio  
majori bono predestinati. p.490.n.7.

Licet omnia peccata sint æqualia, attentatio  
vitate defumpta ex ordine ad personam  
offensam, absolute tamen inæqualia sunt.  
ibi.n.18.

Peccatum superbie est gravissimum inter  
omnia peccata. ibi.

Peccatum non cadit sub objecto, & sphera  
voluntatis Christi. p.491. n.21.

Peccatum est essentialiter requisitum ad po-  
nitentiam purè ut permisum à Deo. pag.  
497. num.39

Peccatum ab æterno non est futurum futuri-  
tione physica, sed solum logica. p.498.n.45

Carentia existentia peccati magis diligitur a  
Deo, quam penitentia. ibi.n.47

Prenaa

Pena eterna est bonum occasionatum ex peccato. p. 495. n. 39.  
 In ordine executionis sicut se habet meritum ad premium, sic culpa ad penam. ibi  
 In ordine intentionis ratione cui non est amabilis sicut premium. ibi. p. 512. n. 47.

Pœna ratione sui est maxima hominis. ibi.  
Solum est bona in quantum debita culpe, habet rationem justi vindicatioi. ibi. p. 512.n.47  
Ex amore provenit, quod aliquis sit promptus ad diminuendum pœnas. p. 512.n.47  
Qui in pœnis hominum propter se delectantur possunt dici sevi, feri. ibi

Perfectio.

Alia est transcendentalis, alia formalis. pag.  
Perfectio transcendentalis id est sic dicitur, quia convertitur cum ente, entitatem consequitur, tanquam passio illius. ibi  
Prima rei perfectio competit rei secundum quod in suo esse constituitur. ibi.n.3.  
Quæ perfectio solum Deo competit per essentiam, quia solius Dei essentia est suum esse. ibi.

Perfectio non convenit essentie, vel forma, nisi quatenus connotat existentiam. pag.  
529.n.3.m.2.

Perfectio.

Alia est transcendentalis, alia formalis. pag.  
 529. num. 26  
 Perfectio transcendentalis ideo sic dicitur,  
 quia convertitur cumente, & entitatem  
 consequitur, tanquam passio illius. ibi  
 Prima rei perfectio competit rei secundum  
 quod in suo esse constituitur. ibi. n. 3.  
 Quae perfectio solum Deo competit per essen-  
 tiam, quia solius Dei essentia est suum esse.  
 ibi.  
 Perfectio non convenit effientie, vel forma,  
 nisi quatenus connotat existentiam. pag.  
 530. num. 5.  
 Perfectio formalis est, quae in convenientia  
 ad alterum conficit. ibi. n. 6.  
 Ex defectu perfectionis transcendentalis in-  
 fertur defectus perfectionis formalis. ibi.  
 Magnitudo Dei non est aliud, quam perse-  
 ctio naturae. p. 531. n. 9.  
 Multiplicata entitate, ad quam sequitur  
 perfectio, non potest non multiplicari ipsa  
 perfectio. p. 532. n. 11.  
 Quantitas perfectionis est quantitas virtu-  
 tis, sive formatis. p. 536. n. 28.  
 Perfectio non potest esse, nisi parva, aut ma-  
 gna. ibi.  
 In dicentibus perfectionem, gradualis latitu-  
 do numerallis infert gradualem latitudi-  
 nem perfectionis. ibi. n. 29.  
 Perfectio proveniens à nova actualitate, &  
 forma, non est solum extensiva, sed simu-  
 intensiva. p. 537. n. 31.  
 Perfectura.

### Perfection.

*Est illud, cui jam existenti, nihil deest in proprio genere.* p. 269. n. 16.  
*Quod factum non est, neque perfectum dici potest.* ibid.

## Person, Personalitas.

*Personæ, iuxta Boetium, est rationalis naturæ  
individua substantia.* p. 586. n. 1.  
*Divine personæ habent sua propria constitu-  
tiva, quibus inter se distinguantur.* ibid.

*Propter oppositionem relativam una est alteri incommunicabilis.* ibi.

*Earum constitutivum pertinet ad notionalia propria cuiuslibet personae.* ibi. n. 2

*In divinis hoc nomen Persona significat relationem in recto, & essentiam in obliquo.*

p. 587. n. 3.

*Sub eo respectu paternitas constituit Patrem in ratione personae, sub quo eum constituit in ratione Patris.* p. 590. n. 16.

*Divine personae non habent alia nomina, quibus significantur praeter nomina Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* ibi.

### Perseverantia.

*Donum perseverantie non cadit sub merito.*

p. 450. n. 4.

*Rationem reddere non possumus, quare Deus det quibusdam perseverantiam, & alijs deneget.* ibi. n. 4.

*Electio prædestinorum ad gloriam fuit ratio electionis eorum ad perseverantiam finalem.* p. 500. n. 6. & seqq.

### Possibile.

*Ens possibile futurum, & existens idem est.* p. 316. n. 53.

### Potentia.

*Potentia corporea non potest elevari ad vindendum spiritum, bene tamen potentia creata ad videndum Deum.* p. 34. n. 13.

*Si potentia est in ordine, & gradu inferiori, nequit naturaliter attingere objectum ordinis superioris.* p. 46. n. 6.

*Potentia obedientialis licet terminativè sit supernaturalis, entitativè est naturalis.* p.

54. n. 32.

*Vitalis non est, quandiu non est conjuncta naturæ, à qua dimanat.* p. 66. n. 29

*Potentia generativa Patris in divinis in reto dicit divinum intellectum, in obliquo verò relationem paternitatis.* p. 82. n. 22

*In Deo datur potentia verè activa.* pag.

109. n. 13.

*In Deo non datur alia potentia preter intellectum, & voluntatem.* ibi.

*Potentia activa dicitur, secundum quod est principium actionis.* p. 109. n. 14

*Quælibet potentia appetit bonum sibi conveniens naturali appetitu.* p. 245. n. 28.

*Ordo debitus est, quod potentia executiva operetur, ut determinata imperio voluntatis.* p. 288. n. 16.

*De conceptu formalí potentiae activæ, ut sic non est, quod sit principium actionis, sed*

*solum, quod sit principium effectus.* pag. 462. n. 40.

### Prædestination.

*Est certa, nedum certitudine præscientiae, sed etiam ordinis, & causalitatis.* pag. 405. n. 455.

### Præmium.

*In redditione præmij ad merita magis attenditur forma distributionis.* p. 451. n. 5.

*Quod redditur pro labore hominum habet rationem præmij, non tamen quod redditur pro labore brutorum.* p. 464. n. 70.

*Præmium est pretium, non generie, sed correspondens merito.* ibi.

### Principium.

*Perfectius, vel imperfectius cognoscere aliquid principium, est illud cognoscere secundum plures, vel pauciores conclusiones ex eo deducibles.* p. 77. n. 5.

### Providentia.

*Quod determinate ex voluntate Dei non existit, non existit ex providentia.* psg.

334. n. 132.

*Providentia supponit intentionem finis, & dirigit electionem mediorum.* ibi.

*Providentia hominis continetur sub providentia Dei, sicut causa particularis sub universali.* ibi. n. 134.

*Ad providentiam divinam non pertinet naturas rerum corrumpere, sed conservare.*

p. 382. n. 357.

*Certitudo infallibilis divine providentie cum contingentia effectuum componitur.* pag.

383. n. 362.

### Prudentia.

*Actus prudentiae est præcavere insidias, in patria verò nullum bonum Deo præponere.* p. 19. n. 73.

*Illiis proprium est ordinare alia in finem.* p. 466. n. 9.

*Prudentia alia est simpliciter dicta, alia economica, alia politica.* p. 469. n. 24.

*Ibi invenitur specialis ratio regiminis, ubi invenitur specialis ratio prudentie.* ibi.

*Prudentia, absolute loquendo, est preceptiva, primario in homine, secundario in Deo.*

p. 478. n. 59.

*Judicium est actus primarius divinæ prudentiae.* ibi. n. 64.

R. 3

## Relatio:

*Relatio divina si semel dicit entitatem virtualiter ab essentia distinctam, dicit etiam perfectionem.* p. 290.n.26.

*In divinis omnes relationes non sunt majus aliquid, quam una tantum.* p. 551.n.9

*In divinis dantur tres relationes realiter inter se distincte, identificatae tamen cum divina essentia.* p. 253.n.11.

*Sicut in divinis dantur tres realiter inter se distinctae, sic etiam dantur tres entitates realiter inter se distincte.* ibi.n.12.

*Relatio adhuc prout dicit ordinem ad subjectum, & fundamentum, dicit ordinem ad terminum.* p. 533.n.15.

*Respectus ad subjectum, si adaequatè concipiatur, non potest concipi, quin concipiatur, ut respectus ad terminum.* pag. 534. num. 16.

*Licet relationes divine sint infinitae, una tamen est extra rationem formalem alterius.* p. 535.n.26.

*Ut relatio divina secundum proprium conceptum sit extra nihil, sufficit, quod existentiam implicitè includat.* p. 548.n.81.

*Eo ea parte, qua relatio in creatis habet esse accidentale in subiecto, in Deo habet esse essentiae divinae.* p. 551.n.95.

*Licet relationes ab essentia divina dimanent, non tamen propterea sunt illius attributa.* p. 560.n.133

*In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* p. 576.n.2.

*Sola oppositio relativa est propria relationis.* p. 578.n.8

## Revelatio.

*Facta revelatione alicui de sua damnatione, non potest, nec tenetur sperare.* p. 255. n.70.

## Reprobatio.

*Alia positiva, alia negativa.* p. 511.n.45.  
*Reprobatio negativa est ante prævisa demerita, ad minus personalia.* ibi.

*Reprobatio tamen positiva est post demerita prævisa.* p. 512.n.47.

*Præviso peccati originalis est ratio reprobationis positiva, quatenus dicit voluntatem infligendi pœnam damni; præviso tamen demeritorum personalium est ratio reprobationis positiva, quatenus etiam dicit voluntatem infligendi pœnam sensus.* ibi.

## Sanctitas.

*Quod ratione sui, & secundum proprium conceptum sanctitas non est, non potest naturam humanam sanctificare.* p. 554. num. 106.

*Personalitas Verbi ratione sui, & secundum proprium conceptum sanctitas non est.* ibi.  
*Personalitas Verbi sanctificat formaliter humanitatem Christi ratione divinae naturae.* ibi.

*Divina natura ratione sui, & secundum proprium conceptum est sanctitas substantialis.* ibi.

## Sensus.

*Discernere inter conveniens, & nocivum quoad sensum, pertinet ad sensum communem.* p. 253.n.63.

*Ad nullum sensum externum pertinet discernere inter conveniens, & nocivum ullo modo.* ibi.

*Deus potest producere animal cum sensibus externis sine internis quoad existentiam, secus vero quod exigentiam.* p. 254.n.64

*Sensus externi sunt propter internos.* ibi.  
*Ad sensus externos sequitur appetitus sensitivus mediate.* ibi.

## Scientia.

*Scientia beata non est idem, ac scientia beatorum.* p. 1.n.1.

*Scientia beata procedit uno simplici intuitu.* p. 3.n.10

*Scientie disparatae se habentes requirunt objectum omnino distinctum.* ibi.

*Objectum scientie beatæ est Deus, ut immediatè revelatus.* ibi.n.13.

*Licet scientia beata probet conclusiones Theologiae, adhuc tamen est scientia essentia, & ex aequo distincta.* p. 4.n.16.

*Objectum scientie per se infuse est ens creatum prout in se supernaturaliter cognoscibile.* p. 5.num.19.

*Evidentia scientie in resolutione ad principia per se nota consistit.* p. 8.n.29

*Scientia omnis manet in patria, quantum ad id, quod formale est in eis.* p. 8.n.31.

*Scientia animæ Christi non est discursiva quantum ad sui acquisitionem, sed solum quantum ad usum.* p. 23.n.11.

*Perfectio scientie non solum attenditur secundum numerum scibilium, sed etiam secundum claritatem cognitionis.* pag. 280.n.63.

*Scientia Dei excedit in infinitum, quantum ad claritatem cognitionis, scientiam antim e Christi.* ibl.  
*Scientia media per totum dubium sextum impugnatur.* p.306.

### Species.

- Species quidditativè representans objectum debet esse in eodem gradu immaterialitatis cum illo.* p.32.n.2. & alijs.  
*Species deservientes fidem, elevantur ad representandum mysteria fidei, solum quod ab anima est.* p.34.n.14.  
*Species representat quidditativè objectum, quatenus ejus quidditatem intelligibiliiter precontinet.* p.35.n.20.  
*Tota se tenet ex parte objecti.* p.36.n.22.  
*Species, & objectum solum distinguuntur penes diversum modum essendi.* ibi.n.27.  
*Species quidditativa est ipsa quidditas objecti sub modo intentionali.* ibi.  
*Species est magis, vel minus perfecta in representando, juxta majorera, vel minorem perfectionem objecti.* p.43.n.59.  
*Species est forma intelligibilis ministerialiter tantum, & per accidens.* p.243.n.11.  
*Species Angeli solum representat futurum contingens, dum exsistit.* p.295.n.44.  
*Natura divina per se ipsam immediata est species impressa fecundaans divinum intellectum.* p.514.n.2.  
*Hinc natura divina non potest communicari formaliter sub conceptu speciei, quin formaliter communicetur sub conceptu naturae.* p.517.n.13.  
*Species impressa ejusdem est natura, & quid ditatis cum objecto.* ibi.n.14.  
*Species impressa hominis, species expressa illius, & ipse homo sunt eiusdem naturae, & qui dicitatis, absolute loquendo, licet distinguantur essentialiter reduplicata significatione terminorum.* ibi.n.15.

### Spes.

*Irinius constituitur spes nostra circa eternam gloriam consequpcionem, Deo concurrente ad nostros actus liberos per decretum ab intrinseco effluxo, quam ab intrinseco indiferens.* p.404.n.45<sup>1</sup>.

### Spiritus Sanctus.

*Si à Filio non procederet, non esset ejus ad Filium relationis oppositio.* p.578.n.7.

- Non opponitur Spiritus Sanctus Filio per hoc, quod ipsum removent.* ibi.n.10.  
*Si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, esset realiter genitus, tunc non sub formate Spiritus Sancti.* p.580.n.17.  
*Si Spiritus Sanctus à Filio non sit, uterque nascitur, & uterque procedit.* pag.584 num.22.  
*Personalis distinctio Filii à Spiritu Sancto non potest provenire à relatione communione Patri, & Filio.* p.583.n.30.  
*Spiritus Sanctus non est correlativum Filii, ut talis.* ibi.n.31.

### Substantia.

- Licet substantiae completae repugnet ordo, & habitudo ad aliu, scilicet tamen substantia incompleta.* p.52.n.27.  
*Ordo ad Creatorem in substantia completae habet con sequenter, & per resultantiam.* ibi.n.2.

### Subsistentia.

- Subsistentia divina non potest non uniri insinuando modo, cui ut connaturalis terminus unirur.* p.48.num.11.

### Supernaturalitas.

- Supernaturalitas absolute, & simpliciter consistit in eo, quod sit participatio alicuius perfectionis propriæ Dei, quatenus est ens a se, & suum esse.* p.49.n.16.

### T.

### Temperantia.

- Actus temperantie in via est coercere delectationes pravas, in patria vero est nullo defectu noxio delectari.* p.19.n.73.

### Terminatio.

- Terminatio libera Dei sub conceptu explicito terminationis explicat ultimam actualitatem libertatis divine.* p.290.n.26.

### V.

### Verbum.

- In divinis est ratio cognoscendi omnia, quod beatus cognoscit.* p.82.n.22.  
Vera

462 *Sacra Chronologica differt. 21.*  
sed alterius valde antiquioris: videsis Corne-  
lium, ac Tirinum, in cap. 7. *Actorum.*

7 Sed dices iterum: quomodo verum esse potest quod ait Divus Stephanus in eodem cap. v. 15. & v. 16. Jacob, & patres nostri translati sunt in Sichem, & positi in sepulchro Abraham, hoc enim erat in Hebron Genes. cap. 25 v. 9 & cap. 50. v. 13. non in Sichem. Nec Jacob ex Aegypto translatus est in Sichem, sed in Hebron, Genes. cap. 50. v. 13.

8 Respondetur, Jacob cum Isaac, & Abraham, sepultum esse in Hebron, Jacobi vero filios, duodecim scilicet Patriarchas, in Sichem est Synecdoche, inquit P. Cornelius, partialiter enim haec explicanda sunt, quia S. Stephanus concessè loquitur, & paucis multa perstrin git. Cum ergo ait patres nostri, intelligit, notiantum Jacobi filios, sed & parentes, scilicet Abraham, & Isaac, quos nominavit v. 8. vb Genealogiam eorum descriptit, non mortem nec sepulturam. Utramque ergo hic generatione consignat, dicens, eos defunctos, & posito in sepulchro, quod emit Abraham, puta iuxta Hebron.

9 Secundò respondeo , quòd duodeci  
Jacobi filij primo translati sunt in Sichem  
inde in Hebron , uti disserit docet Jose

*Alias elevat conjecturas, &c. Sect. 9.* 451  
ei linguae potius credatur, unde est in aliam per  
Interpretes facta translatio. Hactenus Sandus  
Doctor. Igitur cum possit esse verum quod  
Cainani extiterit generatio, & quod licet iusta  
de causa illam Moses trahemisset, tamen  
illam Septuaginta nobis retegimur ad  
Seniores, nihil adebet in hac parte quod ex He-  
braico textu in editione Septuaginta conve-  
natur: nec ex Divi Augustini Regula quam  
adversus nostram conficitur sententia.

4 Quod deinde a idcirco contraria coniecc-  
tituræ ex annorum numero scilicet 1<sup>m</sup>. qui in  
Septuaginta tribuuntur Cainan, qua-  
nuit Dale, nullo excindetur negotio. tum que-  
ta adversa coniectura elevabitur.

5 Nunc ad disiiciendam tertiam  
mus, dicimusque, falsitatis nihil in procedi-  
proferenda generatione colligi posse Cainani  
quod idem prorsus numeri generationis, &  
estatis in textu Septuaginta dantur Cain  
dantur Sale, cum in alijs semper evati  
quidem in eadem Septuaginta eant: si-

stantur 130. quando genuit  
dem 130. an. our Pha-  
ieu, iterie <sup>et</sup> v. d. qd. qian-  
g, qd. qian-  
frando ge-  
ditione

my senior rec

b a c e  
7 5 - 6 4  
1 3 1 0

G-E 24